COMMENTARIUS
LITERALIS
IN S. SCRIPTURAM.

LEVITICUS, NUMERI, DEUTERONOMIUM.

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN OMNES LIBROS
VETERIS ET NOVI
TESTAMENTI

AUTHORE

R. P. D. AUGUSTINO CALMET

Ordinis S. Benedicti Congregationis SS. Vitoni & Hydulphi.

Opus Gallice primum ab Authore, nunc vero Latinis literis traditum

A JOANNE DOMINICO MANSI

Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, Lucensi.

Editio novissima ab Authore recognita, alicubi emendata, textuum aliquot antea præteritorum explanatione adaucta, passim vero novis animadversionibus locupletata.

TOMI PRIMI PARS SECUNDA.



VENETIIS, MDCCLIV.

APUD SEBASTIANUM COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

IN LEVITICUM PROLEGOMENON.

LEVITICI nomen ex Legibus ad Sacrificia spectantibus, muneribusque Sacerdotum & Levitarum, Libro inditum est. Quare alterum ejus apud Rabbinos nomen *Lex Sacerdotum*. In Hebræo ex prima voce in exordio Operis occurrente ויקרא *Vajiçra* appellatur.

Post erectum a Moyse Tabernaculum, Deus tanto majestatis apparatu io sacrum illud tentorium descendit, ot ad illud accedere ne Moyses quidem ipse auderet, quemadmodum in postremo Exodi capite relatom est. Sed venire renuentem appellans Deus leges illas docuit, quæ septem prioribus Levitici capitibus contioentur. Omoium primum holocausti ritus, & cæremonias, tum eas quæ victimas offerendas, cum eas quæ Sacerdotes immolantes spectant, præscribit cap. 1. Succedunt cap. 2. panis, vini, placentarum, spicarumqoe virescentium oblationes; easque demum sacrificia pacifica, vel eucharistica excipiunt. Omnes deinde sacrorum cæremoniæ, & victimæ partes, quænam adolendæ potissimum, diriguntur cap. 3. Hostiæ pro expiationa criminis a Summo Sacerdote commissi, sicut & pro criminibus, quæ sive imprudenti populo universo, sive etiam aliquibus ex populo obrepserint, suos singulæ habent ritus, io cap. 4. diductos. Duo succedentia capita tum eidem argumento, tum percurrendis variis criminum generibus, sacrificio expiandis, impenduntur. Ibi etiam quæ victimarum partes igne adolendæ, quæ vero Sacerdotibus immolantibus cedant cap. 4. 5. 6. 7.

Erecto jam Tabernaculo, Aaron ejusque filii in Sacerdotes, initiante Moyse, cui Deus in Exodo xxix. ejus rei dederat mandatum, consecrantur. Ea occasione sacra Moyses operatus est; factæ ab illo unctiones, atque sanguinis ex ritu aspersiones cap. 8. tum & manibus novorum Sacerdotum, quos aote Aram stare jussit, oblatarum in eorum consecratione victimarum parte imposita, ac demum jussu Aarone ejusque filiis totos octo dies in Tabernaculo se continere, cæremooia peracta est. Aaroo statim a consecratione sacrum pro suis ac filiorum criminibus operatus est; & cum alterum pararet in holocaustum, & io hostiam pacificam, igois subito e Tabernaculo egressus, victimas, spectante populo, absumpsit cap. 9.

Nabad & Abiu, filios Aaronis, profano igni, quem aliunde, quam ex Altari, acceperant, thure imposito in Sanctuarium ingredi audentes, erumpeos subito e loco Sancto flamma corripuit. Eorum fonus ne pater lugeret, edita Moyses lege cavit; addidit etiam, ut Sacerdotes a vino abstinerent io Tabernaculo cap. 10. Excipit hæc omnia animalium purorum ab impuris discretio cap. 11. purificationis mulierum, statim a puerperio, cæremonia cap. 12. lepræ hominum, ædium, & vestiom indicia cap. 13. sacrificia pro valetudine a lepra cap. 14. præscriptæ ad eluendos viros, qui gonorrhæa laborareot, & fœminas post menstrus, cæremoniæ cap. 15. Sequuntur ritus pro festo Expiationis solemnis, quo scilicet apparatu Summus Sacerdos in Sanctuarium ingrediatur, quo hircus emittatur cap. 16. Cautum est Israelitis, ne alibi quam in limine Tabernaculi sacrificia offerant; vetitus sanguis & morticioa cap. 17. latæ pro nuptiis leges, quoto nempe cognationis gradu interdicantur. Cum Exteris & Chananæis coonubia cap. 18. interdicta.

Has leges decori, & sanctitati Tabernaculi consulentes (Sancti eoim loci veneratio tanta erat, ut pollutis omnis ad illum aditus præcluderetur) Deus, facto veluti omnium præcedentium legum epilogo, claudit. Repetit e. g. de Sabbati observatione, de præstanda parentibus reverentia præceptum; vetat iterum Idololatriam, furtum, perjurium, calumniam, odium in proximos &c. Monet ne excidentes messoribus inter metendum spicæ colligantur; tum & messoribus imperatum, ut de industria aliquid relinquant, quod egenis, spicilegium facientibus, cedat. Satæ arboris fructus quinque prioribus annis in cibum ne adhibeantur. Cautum Israelitis, ne prostitutioni unquam & divinationi, quæcumque demum ea sit, dedere se audeant. Tondendæ comæ, & barbæ superstitiosus Paganorum usus, popnlo interdictus. Observent senes, comiter habeant advenas cap. 19. Moloch filios ne offerant; alioquin Dei vindicis ultioni subjectos se noriot. Maledicta in parentes, adulterium, ouptiæ incestæ, crimina nefanda c. 20. ac tandem magiæ & divinationis professio capitalia sunto. Israelitæ omnes, ne Sacerdotibus quidem exceptis, legali aliqua macula polluti a Sacris Deo epulis abstineant. Sed hæc Moyses victimarum vitia, quibus ad sacrificium ineptæ efficiuotur, singillatim recenset cap. 22.

Tum constitutæ certæ per annum Solemnitates, atque præscriptæ in singulas cæremoniæ cap. 23. Sunt autem Pascha, Pentecoste, Festum buccinarum, Expiationis, & Tabernaculorum. De ritu parandi lampades Candelabri aurei, sicut & imponendorum panum in Mensa aurea, plura; quæ ante posita ad Sinai castra erectumque Tabernaculum præscripta fuisse, facile suspicamur. Dum his sanciendis Moyses occupabatur, vir quidam in judicium adductus est, usurpati impie Dei nominis reus. Hunc Deus extra castra raptum lapidibus confici jussit; lata simul lege, ut

eo supplicii genere in blasphemos exinde animadverteretur. Decreta post hæc pœna talionis in eos, qui proximo suo, vulnere aliquo inflicto, injuriam irrogaverint cap. 24. Succedunt leges in monte a Deo Moysi datæ de septimo quoque anno, nempe anno Sabbatico, observando: tum & quilibet quadragesimus nonus annus in Jubilæum destinatur; eo vero recurrente decreta libertas Hebraici generis mancipiis, atque avitarum hæreditatum ad priores dominos reditio. Latæ in fœneratores leges; additumque ut singulis Israelitis redimendi fratres suos, mancipii lege captivos, facultas permitteretur cap. 25. Hæc omnia excipiunt minæ, quibus earumdem sanctionum prævaricatores terrentur; ac vicissim præmia servantibus Legem promissa cap. 26. Denique totum Librum claudunt regulæ quædam de rebus Deo per votum oblatis, ac decimæ Tabernaculo offerendæ c. 27.

Porro si rituum allorum solus veluti cortex, & quid potissimum ad cultum Tabernaculi conferant, spectetur, nihil de illis magnum concipiamus oportet, ut vix in animum possimus inducere, Dominum Sacris, sanguine, & adipe victimarum constantibus, delectari voluisse. Quantumvis enim victimas augeamus in Altari; concipiamus licet Sacerdotes jugi obsequio Tabernaculo destinatos; Tabernaculum ipsum omnibus vel minima legali labe infectis prohibitum, pompam etiam, & magnificentiam Sancti loci majorem, quam ætas illa ferret; hæc sane omnia ideam, quam recti rerum æstimatores de cultu Domino ferendo habent, prorsus non explent. Veris criminibus expiandis majori sane piaculo, quam victimarum sanguine, atque externis purificationibus est opus. Porro verum Sacrificium corde contrito, & humiliato, voluntate recta, & malo affectu vacua, juxta Scripturæ phrasim, perficitur (1). Oblatis ab impiis Sacrificiis nedum Deus non delectatur; sed sepulta jam longa oblivione eorum crimina iterum veluti Divinis oculis subjiciuntur. Oblationes Justorum nunquam non Deo jucundæ; quippe quibus justitia, & pietas litarunt. Uno verbo, verus Dei cultus probo animi sensu, atque religioso in Deum affectu perficitur (2).

Idcirco Prophetæ, quos veluti Divinos veteris Legis Interpretes habeamus oportet, uno omnes ore fatentur, Deum externo Judæorum cultu, quem illi terrenis rebus adhærentes in Tabernaculo, & Templo impendunt, minus tangi: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus* (Ifsi. I. 11. 12. 13.) *Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cum veneritis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris?* Et alibi idem Deus per Amos v. 21. 22. *Odi & projeci Festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quod si obtuleritis mihi, holocautomata & munera vestra non suscipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam.* Et Jeremias VII. 21. *Holocautomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi vos de terra Ægypti.* Ac si diceret Deus, non ita se victimas exegisse, quasi scilicet illis sive indigeret, sive plurimum delectaretur, sed, inquiunt Patres, crassioris populi captui Deus sese in illis præscribendis attemperans, gravioris mali metu Sacrificia permisit. Ne Dæmoni victimas mactarent, inquit S. Chrysostomus in Psalm. 49. Deus victimas sibi mactari permisit. Pronos in malum populos, sive corde obduratos, Sacrificiis sive detinendos, sive flectendos censuisse Deum, S. Justinus in Dialogo cum Tryphone autumavit. Rituum pondere leviores animos, inquit S. Irenæus, firmavit, simulque eos luere pœnam voluit pro cultu aurei vituli, & optato in Ægyptum regressu. Paria apud Origenem legas; qui addit (3) horum Sacrorum aliam forte latentem, & mysticam rationem habere Deum potuisse, ut scilicet eo veluti aggere opposito Judæos in Sacrificiis illis remoraretur, ne in perniciosa & superstitiosa Dæmonum provolverentur; eodem scilicet artificio, quo aliqui ex venenis antidota parant. In sententiam Origenia inclinans S. Chrysostomus adversus Judæos, ait, Deum Sacrificiorum multitudine detinere Hebræos voluisse, ne scilicet superstitionibus vacarent, quemadmodum sapiens Medicus frigidam permittit ægroto febre laboranti, ne scilicet sitis desperatione ad interitum adigatur. S. Cyrillus Alexandrinus l. 4. contra Julianum autumat, sacra illa percipiendi nullam quidem necessitatem causam fuisse; quod ex Jeremiæ testimonio supra a nobis allato demonstrat. His omnibus Patribus consonant Theodoretus de curandis Græc. affect. S. Hieronymus in Ezech. 20. & S. Thomas 1. 2. qu. 102. ar. 3.

Non est tamen cur ex allata Patrum doctrina mala esse omnia simul hæc sacrificia, & Deo tantum tolerante, quemadmodum & malum tolerat aliquando, permissa putemus. Deum enim habent non permittentem tantummodo, sed & authorem, qui nempe illa consilio & authoritate suasit; imo & Deo jubente ad sacrificia quandoque populus cogebatur. Nonne Deo sanciente holocausta perpetua vespere & mane constituta sunt? Nonne sua pro singulis recurrentibus Sabbatis, Neomeniis, Solemnitatibus Paschatis, Pentecostes, Expiationis, & Tabernaculorum? Quis, rogo, sacra pro eluendis maculis, atque expiandis, quæ imprudentibus accidissent, criminibus invexit? Ipse Deus oblatas victimas in actionem gratiarum pro acceptis ab eo beneficiis, sive novis impetrandis excipit. Cæremoniæ plerumque a Lege præceptæ sunt, nec nisi Deo invito, atque ulciscente omittebantur; quemadmodum & præmiis ad illas præstandas populus alliciebatur.

Sacrificiorum usus jam inde a Mundi exordio obtinuit. Sanctissimi quique viri, qui & ante Legem, & sub Lege vixerunt, nihil antiquius habuerunt unquam, quam ut illa observantiæ suæ, & reverentiæ tributa Deo exhiberent. Celebrantur in Scriptura Sacrificia Abelis, Noe, Abrahami, Melchisedechi, Jobi, Jacobi, & Isaaci, quæ sane tantummodo Deum tolerasse vix credimus: cum & præcepto injunxerit non raro, atque recipere se illa non obscuris indiciis, veluti

missо

(1) Psalm. L. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum, Deus non despiciet.* Vide Jerem. XXXV. 15. Osee XIV. 2. 3. Joel. II. 12. 13. &c. (2) [illegible]. Philo l. 3. de vita Mos. (3) Hom. XXI. in Num.

missō de Cœlo victimis absumendis igne, demonstraverit. Neque Prophetæ in Sacrificia quidem, sed in eorum abusum invecti sunt; Judæorum persuasionem reprehendentes, qui solis externis cæremoniis freti, Legis interim maxima præcepta, amorem nempe Dei, & proximi, sicut majora hominis in Deum officia, negligerent. *Si voluisses Sacrificium*, ait David Psal. 50. 18. *dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum, Deus, non despicies*. Et Psalm. 39. 7. 8. *Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem* (ad te auscultandum) *perfecisti mihi. Holocaustum pro peccato non postulasti; tunc dixi: Ecce venio;* nempe cum me invitares. Et Psal. 49. 9. Deus in hæc verba loquitur. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos; quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum*. Hæc igitur, ait Deus, ex te quæro: *Immola Deo Sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*.

Vetus quidam Author apud S. Augustinum, duo esse Sacrorum genera in V. T. observat; alterum nempe in Lege præceptum; alterum quod singulorum religioni implendum pro arbitrio relinquitur (1). Deus igitur, inquit, libera Sacrificia nunquam ab Israelitis exegit; quare integrum illis erat, si nulla offerre voluissent. Si vero aliqua offerre mallent, ratio ab iilis erat habenda Dei, cui litatum accedebant; neque committendum, ut Victimas, quæ ad manum venissent, nullo discrimine offerrent. Sacra enim illa non placando quidem Deo, sed in ultionem excitando valebant, quare apud Malachiam 1. 8. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Offer illud Duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus*.

Cur autem potissimum a Sacris illis Judæorum Deus abhorreret, cordis non recti habitudo in causa fuit. Omnes enim externo cultui, atque sensibilibus cæremoniis impendendis intenti, soli justitiæ suæ fidebant, Sacrificia interim, quibus Deo potissimum litarent, negligentes, puri nempe cordis, & innocentis spirituales victimas. Quod cortex erat & extimum Religionis, id maxime Judæi curabant; umbram & figuram veritati ipsi & archetypo præferentes. Vetera Sacrificia Messiæ Sacrificio præludebant (2). *Celebrabant figuras futuræ rei, multi scientes, sed plures ignorantes*. Quam multi vero erant, qui hoc figurarum arcanum nossent? Ad tempus præscripta Sacrificia illa ad alteram hostiam & Sacrificium deducebant, tanquam via essent, & præparatio ad illud, a quo sane dignitate, & præstantia vincebantur. Scite S. Irenæus l. 4. c. 28. *Lex & disciplina erat illis, & prophetia futurorum*.

Quemadmodum igitur literæ, figuræ, & umbræ plus nimio adhærere, neglecta interim veritate, rationi absonum fuisset; ita jure meritoque Scriptura, & Patres, cum sibi de ritibus Judaicis agendum proponerent, carnalium Hebræorum cæremonias non contempsisse tantum, veluti inutiles, sed reprehendisse, tanquam noxias visi sunt; illud interim addentes, Deum nonnisi invitum, & pervicaciæ Judæorum aliquid indulgere volentem, ea Sacrificia tolerasse. Si quis vero alio aspectu considerandam sibi legem proponat, eum sane summo illam honore dignam habiturum credimus. Legem duplici aspectu considerandam proponit, post veteres nonnullos, Origenes contra Cels. lib. 7. juxta literam nempe, & secundum Spiritum. De Lege ad literam spectata illud Prophetaeum intelligendum est: *Præcepta non bona* (3); sicut & illud Pauli Hebr. 7. 16. *Lex mandati carnalis*. De lege vero secundum spiritum prononciatum est: *Scimus, quia Lex spiritualis est*, (4). Hinc Apostolus 2. Cor. 3. 6. docet: *Litera occidit, Spiritus autem vivificat*.

Quamvis itaque ritus, & Sacra Judæorum, juxta corticem spectata, neque Deo placere unquam, neque Judæis, servili animo præcepta illa obeuntibus, justitiam promereri potuissent; quamvis majestate, & sanctitate Dei inferiora essent adeo, ut neque ipse præcipere, sive voluptate ab illis aliqua affici potuisse videatur, in ea tamen, quam sibi statuerat, idea, systema scilicet Religionis apud crassiorem, & carnalem populum statuendi, sicut & viam perfectiori ac sanctiori Religioni præstruendi, nihil ejus consilio conducebat magis, quam ut externas illas cæremonias, & ritus inveheret, quorum indicio Religionis illius (quod unice cordi habebat Deus) in cognitionem mortales venirent. Sicut enim semper Deus, & Filii sui sacrificium, & Legis novæ veritatem sibi ante oculos præstituit; ita plane & Legis veteris præcepta, & sacra rituque omnes injungere par erat, quibus ad finem propositum vi instrueretor. Externæ illæ Mosaicæ cæremoniæ futuris absoluta necessitate præludebant: quam quidem figuram non attendentes Judæi, in eo potissimum erraruntur; pro solida nimirum veritate accessorium & umbram sequuti, atque Legis fine neglecto ipsam tantum Legem sectati: *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum .... nunquam potest accedentes perfectos facere*. Hebr. 10. 1.

---

(1) Apud Aug. quæst. ex utroque Testam. quæst. 103. (2) Aug. cont. Faust. l. 20. cap. 18. *In victimis pecorum, quas offerebant Deo, sicut eo tanta dignum erat, Prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit*. Idem in Psalm. xxxix. 7. (3) Ezech. xx. 25.

DIS-

DISQUISITIONES
DE NATURA, CAUSIS, ET EFFECTIBUS LEPRÆ,

PRælectis, nec incuriose, iis, quæ de Lepra, cujus est apud Moysem sermo, Interpretes disseruerunt, nihil, quod expectationem ea de re nostram impleat, deprehendisse mihi visi sunt. Peritissimi inter illos ea deduxisse contenti, quæ apud Medicos & Philosophos traduntur, facta eorum cum Mosaicis collatione, quid potissimum differant, & in quo maxime ambæ hæ narrationes conveniant, legentibus exhibent. Reliqui verbis Textus Mosaici tantum inhærentes, de alia plane quam vulgari lepra sermonem esse in S. Scriptura autumarunt. Nec desunt ex Rabbinis quidam, qui saltem lepram vestium & ædium a Deo vindice in Israelitas, infidelitatis & murmuris reos, prodigio immissam suspicentur (1); quorum sententiam Patres nonnulli (2) & Commentatores probasse suffragio suo visi sunt.

D. Clericus in Dissertatione de hoc argumento reputasse visus est, lepræ morbum inter eos habendum, quos statis quibusdam temporibus, vel in certa quædam Regna Dei Providentia immittit. Satis enim superque scitum est, genera esse quædam morborum nostra ætate, quorum nulla fuit apud Veteres cognitio; nec potest variantis interdum naturæ ratio ulla assignari.

Hippocratis authoritas (3), qui lepram non morbum quidem, sed corporis deformitatem esse asseruerat, plerosque post se Scriptores longe multos in eam sententiam pertraxit, ut lepram, de qua in utroque Testamento, *vitiliginem* quamdam, non tractandam ut morbum, sed repurgandam ut sordes, fuisse suspicarentur. Quod item probans Arnobius lib. 1. de Christo Leprosum mundante ait: *Notas albicantium vitiliginum manu admota detersit*. Eo etiam spectans Turnebus lib. 15. cap. 21. leprosus Evangelii maculis quibusdam deformem habuisse cutem autumavit. Theodorus Beza in Matth. 8. aliam fuisse lepram censet, quam Græcorum *Elephantiasin*, morbum plane pervicacem, de quo apud Scriptores frequenter.

Alii vero (4) ipsissimam *Elephantiasin*, quæ lepræ genus est perniciosissimum, in S. Scriptura designatam malunt. Alii nostræ ætatis Scriptores in lepra Veterum, ipsum, quem nos Gallicum morbum, inveteratum agnoscunt; quod D. Tournefortio, leprosorum in suis itineribus oculato teste, visum est. Ex eo morbo vulgaribus remediis rari quidem convalescunt; tabescunt plerique, quod humores peccantes corporis harmoniam prorsus corrumpant. Sane lepram morbum esse, a quo sibi omnes summopere semper caverunt, ambigit nemo; ut ne commune quidem leprosorum cum cæteris fuisse sepulchrum ex S. Scriptura intelligamus 2. Par. 26. 23.

Hanc opinionum discrepantiam ex eo facile invehi potuisse credimus, quod nec textus Mosaicus sedulo examini subjectus fuerit, nec satis cum Græcorum Authorum ea de re sententiis collatus. Quemadmodum enim Moysem non unius tantum lepræ genus complexum fuisse constat, ita quoque nullum ejus morbi remedium indicavit, regulas tantum constituisse contentus, quibus virulenta atque contagiosa lepra ab alia pura, cui virulentum & contagiosum nihil, distingueretur. Hac data occasione, corporis etiam alia vitia describit, quæ lepræ quidem speciem, sed non virus referunt. Nec prætereire oportet, in Scriptura, ac in Vulgata potissimum, frequenter contingere, ut lepræ nomine non morbus ipse, sed morbi præludia & dispositiones, vel saltem indicia morbi, quibus suspicio ingeritur, designentur. Scitum est tandem, apud Moysem lepram quamdam ædium, & vestium occurrere, de qua altum apud Authores cæteros silentium. Ex quibus omnibus primum est colligamus, vocem illam Hebræam צרעת *Zaraat* latius multo quam Græcum, & Latinum *Lepra* patere; quare e re fore censemus, si exactam de variis significationibus hujus Hebrææ vocis ideam antea exhibeamus, quam quidquam de lepra, cujus in Scriptura sermo, disseratur.

Moyses in Levitico XIII. varia percurrit incommoda, quæ ad lepram referri aliqua saltem ratione videntur. Primo igitur indicia nonnulla, quibus suspicio morbi ingeritur, designat. Omnium primus tumor extimus שאת *Sceeth*; altera pustula ספחת *Sapahat*, vel ulcus; succedit albens & candens, vel etiam rubescens macula בהרת; nam rubescens macula, quandoque lucens & candens appellatur לבנה אדמדמה *Levanah adamdameh*. Omnia hæc indicia sunt, quibus justa lepræ suspicio inducitur. Ut autem rei veritas attingeretur, leprosus coram Sacerdotibus se sistens, certo quodam in loco 7. vel 14. diebus clausus detinebatur; quo scilicet eo temporis spatio morbus explicare se, atque certis indiciis deprehendi posset. Hæc indicia, 1. albens, rubescens, & lucens in pelle macula; 2. pili eo loco pallentes, & rufi; 3. locus pro reliqua cute humilior.

Albescens macula, si nihil haberet reliqui, minor erat quam ut lepram indicaret; si crevisset, statim leprosum prodebat. Maculæ illæ interdum *scabies* erant (5); interdum rubor quidam pellem vitians. Cum totum corpus albo quodam nitore a capite usque ad pedes candesceret, *lepra erat mundissima*, ait Moyses (6).

Cum vero totam pellis faciem pustulæ albentes fœdarent (7), atque pustulis viva caro subesset, itemque pili circa illas nativum colorem in album transmutassent, *lepræ vetustissimæ* indicium erant apertissimum.

Si forte cicatrix ex vulnere seu combustione, albo quodam tumore, sive macula albescente, lucida sive rubescente obduceretur; tum vero si reliqua cute locus esset depressior, atque pili pallescentes flavescerent, lepram hæc omnia certissimam indicabant (8).

Tandem si quis in capite viri vel fœminæ locus depressior occurreret, ibique crines colorem immutassent, lepræ statim indicium pronunciabatur (9). Si vero de lepra suspicio tantum haberetur, statim pili omnes novacula radebantur, excepto morbi loco; tum septem dierum experimentum capiebatur. Eo temporis spatio aucta in majus macula certum lepræ suborientis indicium præbebat, nulla colori comæ habita ratione (10).

Maculæ albentes, seu rubescentes, atque reliqua

(1) Maimon. Gerund. Racanati, Sepharadi apud Munster. (2) Theodoret. qu. 18. (3) Lib. de affection. (4) Gloss. Cyrilli. (5) Levit. XIII. 6. (6) Ibid. Vers. 12. 13. (7) Ibid. Vers. 10. 15. (8) Levit. ant. 19. 20. 24. (9) Vers. 29. 30. (10) Vers. 34. 35. 36.

qua cute lucidiores, si quæ in calvo capite deprehenderentur, lepræ non obscurum dabant indicium (1).

Hæc de lepra hominum Moyses; ex quibus certa lepræ indicia qninqne colliguntur: I. albens in cute macula, cui & locus depressior & pili in flavum sive rufum mutati accedebant.

II. Pustulæ in cute asperse rubescentes in basi, atque ex viva carne subotientes, quod vetustissimæ lepræ indicium erat.

III. Tumor albus lucens, sive rufus in cicatrice, reliquo corpore humiliore, cui in album mutati pili accederent.

IV. In capite locus depressior, atque crines in flavum mutati.

V. In calvo capite alba sive rufa macula.

Tria lepræ, *vitiliginis*, genera Celsus distinguit (2). Harum primam albam appellat, Græce ἀλφὸν *alphon*, albam nempe, quod alba macula in cute hominum efficiatur, sive potius albescentibus guttis constet, quibus tota pellis non continua reddatur, & aspera. Interdum non una est macula, sed plures; interdum latius serpunt, atque augentur. Alterum lepræ genus μέλαν *nigrum* appellat, colore tantum a priori diversum. Tertium tandem λευκὴν *leucen*, seu albam; quæ altius priore imprimitur, atque difficilius curatur. Hæc pilos in locis corporis affectis albos efficit, tenues, & lanugini similes. Nec difficile tantum, sed fere nunquam tota curatur; atque pellis eo morbo semel infecta, nativo colori nunquam restituitur. Porro maculæ illæ albescentes, quas supra ex Moyse adduximus (3), ad primum lepræ a Celso descriptæ genus referri possunt. Pustulæ vivæ (4) carni inhærentes ad tertium lepræ genus Celsi: quo etiam spectat & lepra cicatrices afficiens; ℣. 19. 20. 24.

Quod autem ad lepram illam Mosaicam spectat, tumore constantem albo, in basi rubra, & ad basim viva carne, ad *Elephantiasin*, lepræ genus perniciosissimum, referri posse credimus. Ejus morbi veneno caro asperatur, inæqualis veluti corium elephantis efficitur; cutem abrodens, pruritu est molestissimo. Squammis tota caro obducitur instar piscis, scatet ulceribus, veternosis illis atque pluribus in unum coeuntibus. Is vero stupor carni inducitur, ut ubi maxime sensuum vix explicatur compuncta caro, nullo doloris sensu afficiatur. Pili totius corporis breviores efficiuntur, tenues, rigentes, qui si avellantur, una secum trahunt carnem corruptam, cujus aluntur sanie; avulsos vero si iterum suboriri contigerit, in capite & mento flavi nascuntur.

Lepræ adultæ jam, sicut etiam inveteratæ, indicia hæc potissimum a Medicis assignantur: si vox asperetur, velut canis post diutinam latrationem, e naribus potius quam e labiis expressa; si pulsus debilis, gravis, lentus fuerit & intricatus; si sanguis prodierit granis quibusdam veluti millii albentibus, & lucidis admixtus; ad hæc, scabiosa quadam serositate viscidus, nativo vero humore ita destitutus, ut nec sal admixtum dissolvat; insuper arescit adeo, ut cum aceto ebulliat, sicut & cæcis quibusdam filamentis tota ejusdem massa firmissime constringitur, ne calcinato plumbo permeabilis; si urina appareat cruda, tenuis, cinerea, & turbida, quæ subsidentem in imo fundo furfuraceam farinam demittat. Leprosi vultus instar languescentis carbonis unctuoso quodam nitore lucens, inflatusque, rigentibus quibusdam tumoribus virescenti base, & albescenti acumine disseminatur. Fronte est amplis rugis ad utraque tempora protensis sulcata. Oculi prominentes, rigentesque, rubrum quemdam nitorem, ac fulgorem instar felis emittunt. Aures tumentes, & rubræ, ulceribus ad basim depascuntur; ulcera vero glandulæ ambiunt. Nasus abrosa vel putrescenti cartilagine simus efficitur; nares hiantes, meatus vero obducti, & in imo fundo ulcerosi. Lingua arescens, inflata, ulcerosa, hiulca, contracta, albentibus licet granulis disseminata, nigrescit. Pelle tandem tegitur inæquali, aspera, & stupida, quæ si pungatur abscindaturque, pro sanguine saniem quamdam reddit, nec raro aqua licet perfusa ne madescit quidem.

Eo morbo affectos vehementi adeo calore æstuare ferunt, ut recens pomum per horam in manu tenentes, rugosum & arens velut octo solidis diebus ad Solem expositum reddant. Tandem nasus, digiti manuum & pedum, & reliqua membra a reliquo corpore sponte avulsa, morte sua morti totius hominis præludunt. Quem morbus iste pessimus causat, pruritus adeo violentus est, ut leprosus non leniter tantum carnem scalpere, sed ulceribus etiam sulcare corpus, non citra vulnerum perniciosas inflammationes, cogatur.

Ferunt etiam, lepram illam diu ante interiora depascere, quam in externum prodeat; eamque Avicennas morbum seu cancrum universalem appellat. Sunt qui varios in pustulis leprosorum colores ad variam temperamenti & humorum cum sanguine habitudinem referant. Rubentes, sanguine efficiuntur melancholico & viscido; albentes, ex admixtione pituitæ viscidæ, salsæ, nitrosæ, acris, cum sanguine melancholico. Aliæ pejores sunt ex acrimonia, & ignita humorum qualitate, qui virulentum & contagiosum quiddam, facile in omnes vel bene valentes transfundendum, contrahunt. Parentum morbus cum sanguine in filios transfunditur. Ejus inducendi morbi causam ferunt menstruorum sive hemorroidum cessationem, sicut & minorem in cibis delectum. Ex his omnibus, quantum arbitror, satis intelligimus, lepram adultam non malam tantummodo corporis habitudinem, sed reapse incommodum noxiumque morbum haberi oportere.

Notissimus est autem in Oriente morbus, cujus nomen *Elephantiasis*. Ægyptiis peculiarem esse Lucretius l. 6. affirmat:

Est Elephas morbus, qui præter flumina Nili
Gignitur, Ægypto in media, neque præterea usquam.

Et Plinius l. 26. c. 1. *Ægypti peculiare hoc malum*; tum addit contagiosas quasdam vitiligines Romæ apud optimates grassantes, nonnisi a Medicis Ægyptiis, qua in regione frequens est morbus, curatas fuisse. Quod ad lepram *Elephantiasin* attinet, ignotus erat ante Pompeii ætatem morbus, nec diutius serpsit. Ineuntis ejus ægritudinis signa primum in vultu conspiciuntur, ubi lenticula quædam subito in naribus oborta, ac paulatim sese per totum corpus explicans, variis aspersim maculis, inæqualem, asperam, crassiorem hinc inde pellem efficit; tandem caro nigrescit, ac tantum ossium nuda protegit. Digiti interim pedum manuumque tumescunt. Eo morbo si quando Ægypti Reges corripi contigisset, balnea ex recenti cæsorum Infantum sanguine adhibebant.

Prosper Alpinus (5) observat, Elephantiasin, quo morbi genere potissimum pedes afficiuntur, vulgarem esse in Ægypto luem. Peculiarem quemdam Phœnicum morbum (lepræ genus est) Hippocrates (6) & Galenus (7) notaverunt; & quantum ex descriptione Hippocratis assequimur, albescentis lepræ morbus ab illis designatus est. Apud recentiores quosdam Medicos mentio occurrit lepræ cujusdam Tyriæ (8). Leprosos quosdam se vidisse in Palæstina Maundrellus testatur (9). Eo morbo affectis pedes veluti elephantis redduntur, vel equorum, quorum pedes vermes abroserint: tumescunt coxæ, & sensu licet doloris destitu-

(1) Ibid. Vers. 42. 43. (2) Cel. l. 5. cap. 28. §. 17. (3) Levit. c. XIII. (4) Vers. 20. 25.
(5) Alpin. de Medicin. Ægypt. l. 1. c. 13. (6) Hippocrat. l. 2. Porrheticon. (7) Glasæ Galeai.
(8) Guido Gauliac. (9) Maundrel, voyage d'Alep a Jerusalem.

stitutæ, pedibus tamen gradiendi officium præstare negant.

Veteres quidam (1) narrant, Hebræos eo morbo correptos, ex Ægypto extorres actos fuisse. Tacito & Justino impositum est, ut fabellis hisce ab invidis Ægyptiis in Judæos sparsis credulitatem suam addicerent; sed Josephus solide calumniam refutat, sciteque admodum observat, nunquam commissurum fuisse Moysem, ut Leges contra leprosos conderet, si leprosum ipse populum & exercitum habuisset. Jesu Christi ætate frequentes erant in Judæa leprosi, nec raros in Arabia fuisse Avicennas est author (2). Persæ, juxta Herodotum lib. 1. & Ctesiam (3), leprosos omnes gentis suæ ab omni cum civibus commercio, quin & ab Urbium suarum ingressu interdicebant. Induci morbum autumabant in pœnam violati, quem Numinis loco habebant, Solis. Advenæ hospitio apud leprosum recepti, solum vertere cogebantur.

Sæculo undecimo, duodecimo, cæterisque subsequentibus, frequens habebatur in Europa morbus, quem ex Judæorum frequentia & consortio inductum aliqui suspicantur. Alii vero malam mercem ex variis expeditionibus Crucesignatorum in Syriam, comportatam contendunt. Porro Leprosos appellabant ladros, iisque curandis magno numero excitata Xenodochia, Ladreriæ dicta. Ex hisce pio usui constructis ædibus, 19000. per Europam numerat Mattheus Parisius. Ne autem virus contagione diffunderetur, apposito signo Leprosi a ceteris distinguebantur, quin & a communi consortio discreti degere, nec raro sive crepitaculis monere populum, sive cado quodam in humeris delato, morbi sui indicium exhibere jussi sunt.

Porrigo lepræ genus est, caput afficiens; nam squammis, & crustis cinereis, flavescentibus quandoque, totum caput obducitur, odorem simul fœtidum & cadaverosum exhalans. Hanc facile lepram Moyses insinuavit nomine lepræ comæ, barbæ, tum & morbi illius, quo canis caput corripitur.

Pauca quidem ex lepræ incommodis Moyses recenset; quin & ea tantum attingit, quæ discernendo huic morbo a cæteris indicium certissimum Sacerdotibus, quibus ea demandata cura, prebebant. Porro lepræ morbum indicat tumor quidam albescens, qui & paulatim augetur, & carnem simul eo loco depressiorem reddit. Nec obscurum ejus signum exhibet color albescens, & pallidus, quo pili, ubi vitiatum est corpus, inficiuntur.

Impetigines quasi imminentem lepram precurrere, primumque morbi agmen ducere videntur. Primo sola pellis inæqualitas, atque lenis quidam pruritus corpus afficit, deinde augentur omnia, pellis tota albedine quadam instar farinæ inficitur; nec mora, ltatim lepra succedit, cum scilicet albedo in crustas, & squammas, piscium squammas imitantes, degenerat. Noxium quoddam impetiginum genus apud Romanos innotuit, quod *mentagram* appellarunt. Ignotum fuisse morbum illum ante Tiberium, Plinius affirmat; veneno autem erat adeo pernicioso, ut solo osculo, vel tactu contraheretur. Prima suborientis morbi signa in vultu, deinde in collo, pectore, & manibus; tandem tota corporis facies furfure quodam sordido inficiebatur. Quare minime omnium dubito, Moysem, cum albedinem quamdam in corpore subito exortam, incluso ægroto; observari jubet, an augeatur, impetiginum incommodum præ oculis habuisse.

Decursis lepræ indiciis & effectibus, modo ad causas ejus morbi animum adjiciamus oportet. Igitur ex Medicorum doctrina impetigines, scabies, lepra ex lite & discordia contrariorum humorum, accedente sanguine melancholico, visgido, copioso, pingui, acri, prorumpunt; hisce enim peccantibus humoribus abrosa pellis, pruritum cauiat molestissimum, nullis tricationibus leniendum. Facile vero, iisdem Medicis authoribus, de patre in filium cum sanguine ipso transfunditur: nec modice morbo contrahendo conducit sive minor in cibis delectus, sive minor in ratione utendorum ciborum cautio, sive tandem corporis, humorum, aeris, cubilium, vestium mala qualitas & habitudo.

Sed ut vera fatear, hæ de lepræ causis Medicorum observationes, impares ad conceptam de illa ideam explicandam videntur; vix enim in animum induco, fieri posse, ut mera atque interna humorum corruptio morbum efficiat, cujus tam prompta & facili contagione virus communicetur; simulque prima ejus & apertissima indicia in extima corporis parte conspiciantur. Quæ sane proportio & analogia inter hominum lepram his derivatam fontibus, & lepram vestium ac domorum, ut idem utrique nomen, & paria ferme indicia quadrent? Novum igitur ejus rei systema proponam, quo rationem me initurum confido physicam & mechanicam, omnia a Moyse tradita de lepra hominum, vestium, & domorum, per generales & communes rerum notiones explicandi.

De lepra igitur, iisque omnibus, quæ ad lepram aliqua ratione referri videntur, ut *psora*, *alopecia*, *porrigine*, *elephantiasi*, *mentagra*, *lichene* etc. quin & de omnibus morbis, quibus animalium cutis affecta abroditur, venenoque contagioso, pruritu violento, pilis atro colore infectis, corpus deglabratur, ac tandem stupor in membris inducitur; de his, inquam, omnibus id constituo, vermiculos scilicet, aspectum fugientes, inter carnem & pellem primo sese insinuantes, epidermem & cuticulam, tum & nervorum filamenta, ac tandem carnem depascere; ex quibus effectus omnis ineuntis, adulti, & inveterati jam morbi facile inducuntur.

Porro rari occurrunt homines sive constantis, sive affectæ sanitatis, a vermium contagione immunes; singula enim hominum & brutorum corpora, per halitum & cibos admissa vermiculorum semina nativo calore fovent. Namque aer, quem halitu trahimus, fructus plerique, quibus innutrimur, insectis scatent, qui calore corporum animalium foti, carni adhærent, innutriuntur, ac propagatione tandem crescunt. Res etiam omnes, quæ nos ambiunt, quorum ministerio utimur, vermium sæpe scatubræ sunt & nidus, quibus veluti latrunculis incautos nos adorientibus, misere fœdeque depascimur.

Novis Medicorum observationibus, quibus ope microscopii novus tenuissimorum insectorum, aspectum fugentium, mundus innotuit, instruimur, sua singulis corporibus esse, ab aliis diversa, insectorum genera, in variis varia corporibus, veluti in sua quæque patria regnantia. Hisce incolis aer, terra, pisces, arbores, lapides, panni, mortaria, vitrum ac solidissima queque coluntur. Homines frequentantur præ ceteris, quorum nulla ferme corporis pars vermibus vacat, non intestina, non cerebrum, non jecur, cor, sanguis, vesica, umbilicus, ulcera, pellis; quin & totum denique corpus post obitum in vermes abire, sicut & verminculari morbo interire plures infantes & adultos, constat.

Adolescentibus, atque infantibus potissimum lumbriculi familiares sunt; est autem vermium genus rotundum, albens, e variis pellis partibus, & e manibus potissimum scatens. Porro vermes illi inter carnem & pellem insinuantes sese, & carnem depascentes, pruritum causant molestissimum.

Alii

(1) Appio apud Joseph. l. 1. contra Appion.

(2) Avicen. lib. 5. Sen. 7. Tract. 2. c. 9.

(3) Ita & Ctesias, in excerptis Photii, apud Henr. Steph.

Alii sunt etiam infantibus vermes, *Crinons* Galli appellant, qui pellem suffodientes eo pueros incommodo afficiunt, ut cibo quidem & somno refici, proficere vero quidquam non sinant. Horum figura oculorum judicio brevem rudemque crinem vel setam suillam exhibet, cum scilicet loci calor & mellis affrictus vermes illos in lucem extruserint. Oculis microscopio instructis cernuntur; colore sunt cinereo, longioribus cornibus, amplis oculis & rotundis, cauda oblonga, & in extremitate villosa. Plerumque musculosas dorsi, scapularum, surarum partes infestant, pruritumque fixum in epidermi, clamores, vigilias, agitationem in pueris inducunt. Huic incommodo infirmiores & delicatuli infantes potissimum obnoxii sunt. Figuram autem utriusque, de quibus egimus, insecti, qualis per microscopium cernitur, videbis ære incisam in Actis Eruditorum Lipsiensibus.

Febres, quas putridas vocant, ex vermibus, & ea, quam appellant, putrefactione animata plures accersunt, ex putri enim massa, inquiunt, ebulliens vermium turba totum excurrunt corpus, aculeis suis carnem transfodientes, eaque omnia inducentes incommoda, quæ in febribus cernimus. Vermibus scatere variolorum pustulas ope microscopii Berillus deprehendit; sicut & Petrus a Castro in Neapolitana peste bubones contagiosos vermium fuisse scatebras, oculatus testis affirmavit.

Quid cancer morbus? nonne vermes sunt, qui e morticino ulcere ebullientes, novos ex se fœtus emittere, novas corrumpere partes nunquam desistunt? Quid pestis? nisi venenum seu insecta quędam, juxta nonnullorum Medicorum doctrinam, per aera diffusa, quæ per canalem respirationis in animalia sese insinuare, totumque corpus, sanguinem, nervos, partes solidas turbare noverunt? Hanc inierunt rationem Physici recentiores, ut epidemicorum morborum contagionem explicarent; rati nimirum ex bubonibus contagiosis insecta quędam alis instructa in circumfusum aerem erumpere, quæ adstantes dum invadunt, invecto simul morbo occidunt. Hęc exactissimis experimentis comperisse se sancte affirmant.

Prosper Alpinus l. 1. c. 14. de Medic. Ægypt. qui Ægyptios morbos sedulo examine discussit, autumat lepram, quo morbi genere plures e fæce homines afficiuntur, ex eo potissimum inductam, quod putrescentibus & corruptis aquis in potum utantur, victitent vero carnibus boum, cameli, sicut & piscium sale maceratis jam computrescentibus, quos lacunosæ quędam aquæ sufficiunt, nec modice conferre ad luem illam alendam censet corruptum quemdam & sale maceratum caseum, cujus vilissimum pretium egenos quosque homines invitat.

Quæ cum ita sint, validum pro veritate nostri systematis argumentum deducitur; quemadmodum enim varia hæc morborum genera ad unam eamdemque vermium causam referenda sunt, ita plane lepram a vermibus repetere non incongruum arbitramur. Sed ut rem in aperta veritatis luce ponamus, ejus morbi effectus omnes ex eadem causa commode derivari posse demonstrandum suscipimus.

Lepræ morbus, ex Medicorum doctrina, non totum simul hominem corripit, sed pedetentim glistens, ad eum morbi statum evadit, cujus indolem virulentam late supra descripsimus. Primo leviter affecta pellis ægrotum vellicat, hinc scalpendi pruritus, ex quo ulcera; unguibus namque discissa caro procacem ad interiora manum invitat. Insuper inde vulneribus crustæ, & squammæ totam corporis faciem obducunt. His autem squammis alendis fluens purulenti humoris vena aperitur, quæ, veteribus non sine dolore e corpore decidentibus, in novas crustas concrescit. Antequam morbus ad ultimam desperationem deveniens medicas manus recuset, pustulas refert albentes, inæquales, lucidas, & alba cuspide, rubenti sive albenti basi, quibus totum corpus disseminatur. Omnia sane hæc nostro systemati quadrant.

Namque subtiles illi vermiculi in epidermim irrepentes, facta sibi per illam via ad cuticulam penetrant, eamque, quæ tactus sedes est, aculeis appetentes, pruritum causant molestissimum. Hinc aperto sibi ad interiora aditu, glandulas papillares sub cuticula delitescentes aggrediuntur; ex quo fervescere humores atque in pustulas illas albenti cacumine, rubraque basi ebullire contingit. Hisce alendis pustulis humor e glandibus stillat perpetuus, & pro vario ægroti temperamento sive bilioso, sive sanguineo, sive melancholico, varius inde etiam pustularum color, sicut & lepræ genera a Medicis distincta. Affectæ carnis color immutatur, pili tenuiores, & flavi redduntur; superficies, quæ lepræ subest, deprimitur, ac tandem contagiosius eo morbo nihil est. Hæc omnia prona sunt; carnem enim depascentes vermiculi, id efficiunt, ne sanguine ultra & humoribus vegetetur: quare depasci illa facilis, reparari difficilis: hinc pili ex glandulis corruptis & abrosis difficile humorem trahentes, colore efficiuntur pallenti, & languescunt, veluti plantæ in arido, & petroso solo.

Cum autem vermes motu sint, aviditate & numero ultra fidem, hinc facile ex uno in aliud corpus transmeant; quare validum vegetumque virum adorti, pruritum statim excitant, salvis interea omnibus manentibus, ac sanguinis & humorum œconomia ne minimum quidam turbata. Sed brevis hæc rerum tranquillitas; namque insecta illa cum primum ad glandulas penetraverint, omnia turbant; caro statim squammis, & crustis obducitur, sanies undique stillat. Hujus prurulenti humoris materiam suppeditant capillares quædam venæ, quarum abrosa a vermibus ora jugem stillant serum, in saniem & squammas concrescens.

Porro sanguinem melancholicum, pigrum, acrem, viscidum &c. lepræ causam, & originem esse vix mihi persuaserim: cur enim non eædem sanguinis, & humorum dispositiones in omnibus, in quibus prima suborientis morbi præludia deprehenderentur? Paria etiam animadverterentur in iis, qui morbum contagione contrahunt; nisi id maluerimus, noxias sanguinis qualitates una cum morbo transmitti. Hæc autem omnia neque in animum inducere possumus, atque ne inducamus experientia ipsa cogimur, quippe quæ contagione quidem contrahi morbum demonstrat, quamquam nihil primo de tota sanguinis œconomia immutatum appareat. Fateor quidem non defuisse Medicos, qui interiora prius depascere morbum, quam in externum prodeat, suspicantur; sed mallem opinionis suæ certiora ab illis argumenta afferri.

Tantum profecto abest, ut sanguis ille viscidus &c. lepram inducat, ut potius a lepra ipse induci videatur. Sanguinem enim melancholicum vitiatus, indigestus, ac male excoctus chymus efficit; indigestum chymum reddit tenuis stomachi, & sanguinis calor; quæ plane omnia ex defectu spirituum vitalium & admixtione humoris viscidi, crassioris, lenti, terrestris derivata scimus. Porro hæc omnia in nostra hypothesi plana sunt, & ultro sequuntur. Morbum hunc cancrum esse universalem, ex Avicenna supra animadvertimus; quare sicut in cancro totius morbi origo ex corruptione glandulæ, cujus turbari œconomiam contigit, repetitur; corrupta enim in glandula diutius retenti humores, fermentari inter se, acescere, simúlque corrumpi coguntur; ex quo in venenum mordax transmutati, virus in partes ulceri proximas inferunt. Cum autem humor iste acer ope circulationis in vasa reducatur, primo quidem tenuem efficit alterationem; sed brevi vim suam exerens, totam sanguinis massam corrumpit;

pit; ut ab eo pernicioso morbo convalescendi vix alterum suppetat remedium, quam, ut resectis morbo affectis partibus, noxia sanguinis, & humorum qualitas corrigatur.

In lepra tamen sicuti vis morbi major, ita latior corruptio; omnes enim corporis partes lepra affectæ, vermibus scatent, eamdemque referunt acris humoris malignitatem, quam supra in cancro animadvertimus. Semel autem turbata œconomiæ glandularum, quæ per totam corporis faciem infra cuticulam disseminantur; sicut & arteriis, nervis, venis, vasis lymphaticis, ex quibus constitutæ glandulæ, corruptis, sive loco submotis, facile humores acescere, atque fermentari contingit. Cum autem humores illi ita affecti ad cor & ad sanguinis massam per circulationem delati fuerint, nihil imperturbatum relinquunt; nec modicum ad eam confusionem augendam conferre potest chymus male excoctus & digestus defectu caloris, qui patentibus totius corporis poris, unde vitalis humor effluit, vel totus evaporat, vel alimento carens extinguitur.

Ad hæc, sanguinis inter fluendum contractæ serositates, & salsi illi humores, qui per sudorem distillantur, simulque fuligines, cum per apertos a natura meatus emitti non possint, sanguinem ipsum acriorem, crassiorem, segnioremque efficiunt. Accidere etiam potest, ut sanguinis calor, contrariis plane caussis, veluti insueta & violenta fermentatione, seu transpiratione plus nimio auctus, in toto corpore vehementem illam humorum conturbationem, qualem lepræ adscripsimus, inducat.

Ex his omnibus facile intelligimus, primam lepræ originem ad vitiatam quidem corporis, & sanguinis habitudinem ita referri potuisse, ut propior, & immediata causa ex vermiculis epidermim, pellem, glandulas, & carnem depascentibus deducatur. His enim accepta referuntur totius sanguinis corruptio, calor vitiosus, omnia tandem lepræ symptomata, ac tanta morbi pervicacia, quæ vix ac ne vix quidem morbo jam veterascente medicamentum vi retundatur.

Morbus iste in nostris regionibus & in septentrionalibus rarior, sub climatibus fervidioribus, & in Oriente frequentior est, ubi insecta illa seu copia, seu vividiori nocendi virtute magis pollent. Mala vestium, cubilium, domorum habitudo plurimum alendo morbo confert, sicut & leprosorum multitudo morbi contagione lepram propagat. Hinc cautiones illæ a Moyse præscriptæ, ut a communi convictu leprosi arcerentur, ut sordes omnes usu balneorum detergerentur; sordibus enim, uti jam innuimus, morbus gaudet.

Vestium lepram, de qua Moyses, multo difficilius assequimur, variantibus maxime ea de re variorum sententiis. Rabbinis nonnullis (Mose Bar-Nachman) placuit, Divino tantum prodigio lepram vestium, & in Chanaanitidem tantummodo immissam, quo ultionis genere deficientes a fide Judæi punirentur. Maluerunt alii, per transpirationem, veluti canali quodam, corporum lepram ad vestes transmitti [Abarbanel]; quæ caussa est, inquiunt, cur rubentes, viridesque maculæ in leprosorum vestibus non raro appareant. Nec sane vitium illud vestium lepra appellaretur, nisi analogia quadam ad lepram corporum referretur; veluti quia vestium colorem immutat, contagione inter vestes morbus communicatur, pannos abrodit, ac tandem sensim augetur, hanc enim nobis ejus rei ideam Moyses Levit. 13. 49. ingessit. Si quis, inquit ille, in panno, sive in tela, sive in pelle quacumque maculas aliquas subvirides, vel subrubras animadverterit, statim suspicionem aliquam de lepra concipiat. Quare delatus ad Sacerdotem pannus, ejus jussu septem diebus clausus asservetur: quo temporis spatio si maculæ crevisse deprehendantur, statim igni res illa veluti lepra infecta addicatur.

Si vero, inquit Moyses, idem in maculis status manserit, lotus pannus ad alios septem dies custodiatur; si post id temporis maculæ non auctæ quidem, permansisse tamen deprehendantur, igni nihilominus res illa tanquam impura tradenda; certum enim lepræ indieium est: vel saltem macula est ipsi stamini inhærens, quam scilicet igne expiari oportet. Si vero macula illa, vel locus, qui lepræ suspicionem induxit, eumdem exhibeat colorem, eamdemque servet habitudinem, quam pannus ille igne crematus haberet (1), nempe locus esset reliqua superficie depressior; statim frustulum a reliquo panno avellatur. Tandem si post hæc omnia, indicia lepræ in vestes giiscentis deprehendantur, ubi scilicet nulla antea observata fuerant; tunc vestis igne damnetur: immunis vero pronuncietur, si nulla extent ejus rei indicia; tunc enim semel prius, iterumque lota pura esto. Hæc de lepra vestium Moyses: en nostræ ea de re conjecturæ.

Hanc igitur lepram ex eadem vermium pannos vitiantium causa derivandam censeo.

Tineas, quibus panni diutius inclusi corrumpuntur, vermes esse, res est apud omnes exploratissima. Scitum est etiam, male paratas pelles huic incommodo præ cæteris objici, quemadmodum & tineis frequenter scatent aulæa Arverniæ, pinguioribus lanis contexta. Huic malo occurritur repositis inter panni plicas candelis: vermes illi pronam ceram nacti, relicto panno, candelam abrodunt. In Regionibus soli expositis, & ea potissimum ætate cum parandi pelles & lanas ars minus erat explorata, majus certe incommodum pannis omnibus, & vestibus ex tineis timebatur. Cum autem nec vestes per eam ætatem frequenter immutari consuevissent, nec id facile potuissent Israelitæ in deserto iter agentes, sicut & per eam occasionem nullus esset balneorum usus: hinc facile eorum vestes contrahere sordes, adeoque & vermes potuerunt. Carbasinis quidem telis præ aliis omnibus tineæ parcere consueverunt; pannis vero cæteris, ac telæ ex retorto pluribus filamentis stamine contextis, plus ab his vermibus, vel non minus sane quam cæteris aliis pannis, timendum erat. Facile etiam frequentes erant apud Judæos vestes illæ, quarum deinde usum Moyses inhibuit, ex lino nempe, & lana contextæ, quod certe panni genus contrahendis tineis aptissimum est.

Ea hypothesi semel constituta, ut in lepra vestium a Moyse significata vermes, qui vestes illas & pannos abrodunt, planum est concipiamus. Coloris in panno mutatio, macularum vitium auctum, depressior superficies, veluti si igne afflata fuisset; hæc, inquam, omnia commode explicantur, si vermes inducamus vestimenta infestantes; cum potissimum morbidiorem aliquam panni partem nacti fuerint. Facile insecta illa ex uno in alterum locum transmigrant, & dum sedem immutant, priorem regionem adeo vastatam relinquunt, quasi si flamma afflatus esset locus. Crassiora anim, & solida filamenta, ipsaque panni textura manent; cum interim tenuior superficies, ac lanæ villus depasta sint.

Jubet igitur Moyses, vestes illas, ut primum certum lepræ indicium exhibuerint, igne absumi; neque enim fieri potuisse credidit, ut a vermibus, quibus scatent, repurgarentur, sicut eam adhibendam cautionem censuit, ne lues in reliquas vestes propagaretur.

Quin & id consilium habuisse Moyses potuit, ne scilicet lues ex vestibus in homines transiret; quamquam enim in nostro climate & vestiendi consuetudine vix contingat vestium vermes ad homines transire, non est tamen cur parva de eo-

rum

(1) הנה כהה Levit. xiii. 26. Hinneh chehah.

rum climate arbitremur. In ferventibus enim regionibus insecta abundant magis, quam in septentrionalibus; neque Moysis ætate humanis commodis adeo ars & industria hominum serviebant, quemadmodum nostra, qua & cætera omnia, & artes ipsæ mechanicæ in parandis telis, panniis, & pellibus ad ultimam perfectionem devenerunt.

Quicumque Sinicas regiones excurrerunt, quantam Sinenses illi adhibeant diligentiam curandis vestibus, & pellibus, ne quid vermium per æstatis fervorem contrahant, nobis retulerunt. Porro pelles & pelliceas vestes frequentes apud Hebræos obtinuisse, Sacra Scriptura ipsa referente, discimus. Earum usus in velamentis Tabernaculi, in tentoriis militum, in vulgaribus Prophetarum vestibus occurrit. Moyses ea de re sermonem habet in Levitico cap. XI. 32. & XIII. 48. 59. & XV. 17. veluti de re in vestibus, & culcitris usitatissima. Quid Veteres Heroes? Nonne exuviis ursorum, tigridum, leonum, aliarumque belluarum induti pinguntur? veluti, ait Festus, si eo indicio priorum hominum vestes nobis designarentur. Arabes, Turcæ, Scythæ, Pannones, Moschi nostra etiam ætate pelles in vestibus, culcitris, tentoriis, mensis adhibent. Pelles sane omnes, & vellera, nisi sedula arte parentur, vermes facile, eamque, quam Moyses vocat lepram vestium, contrahunt.

Porro de vermibus, vestimenta corrumpentibus, frequens est in Sacra Scriptura sermo, veluti si res esset ea ætate exploratissima. Job e. g. alt c. 13. 28. *Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur a tinea.* Salomon in Prov. XXV. 20. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno; ita tristitia viri nocet cordi.* Isai. 51. 8. *Sicut vestimentum, sic comedet eos vermis, & sicut lanam, sic devorabit eos tinea* (1).

Ædium Lepra, de qua Levit. XIV. &c. Israelitis, cum potissimum in Ægypto versarentur, notissima creditur, nec sane in Chananæide, quo ipsi transmigrabant, lues erat extranea; quod enim in deserto ea de re Moyses sancivit, id sane ad futuras gentis sedes referendum erat; cum nullæ tunc essent populo ædes, quibus a lepra caveret. Ita vero Moyses de lepra domorum. Cum in parietibus domus inæqualis superficies non sine subviridi, vel subrubro colore infecta apparuerit; statim ea de re monitus Sacerdos asportari omnia e domo, eamque vacuam septem diebus clausam custodiri præcipiet. Eo temporis spatio evoluto, si indicia morbi crevisse, atque lues intus penetrasse deprehendatur, avulsi e pariete lapides in locum extra urbem immundum projiciantur, tum & parietes abradi, & erasum pulverem extra urbem spargi Sacerdos jubebit. Demum nova calce oblita interiora domus, atque puris lapidibus in locum impurorum substitutis, oblato prius pro ejus expiatione duorum passerum sacrificio, salva erunt omnia. Si quid tamen deinde veteris lepræ occurrerit; tunc inveterati, & pervicacis morbi indicium esto; quare eversæ statim domus rudera omnia extra urbem in locum impurum projiciantur. Hæc Moyses; hæ vero ea de re nostræ conjecturæ.

Ope microscopii (2) vermiculi quidam, quibus lapides abroduntur, detecti sunt, quos colore nigricantes, duabus lineis circiter oblongos, tribus lineæ quadrantibus latos, testa subnigra munitos, describunt. Addunt etiam, tribus illos pedibus capiti proximis ex utroque latere instructos esse, pediculi instar, sicut & caput habere pro reliquo corpore crassius: quam ferunt quatuor mandibulis in crucis modum conformatis parata, has autem mandibulas semper habent expeditas, atque instar circini quadripartiti lateris rem agunt; oculos tandem gerunt rotundos nigricantesque. Mortaria pariter vermiculorum, tineis castis nihilo minorum, exercitus rodit: subnigri sunt illi, & quatuor longioribus pedibus ex utroque latere instructi. Neque est cur ea de re vehementer miremur, cum nihil frequentius occurrat, quam coralli ramusculi, atque conchæ pulcherrimæ vermibus perviæ, quin & vitri vermiculati frustulum memorant, e cujus etiam foculis plures educti vermes. Hæc igitur insectorum genera, a quibus nec lapides, nec parietes immunes sunt, cavenda Moyses edixit. Solent autem vermes illi humidis ædibus, facile suo aculeo perviis, delectari; hinc color subviridis vel subrubrus inductus: hinc etiam situs quidam, & maculæ ex humoris affluentia resultantes. Lapides emarcescunt, quin & in grana resolvuntur, postquam tenuiores compages vermes abroserunt. Ita contingit non raro, ut mortaria ipsa ultro dissoluta in sabulum abeant, postquam scilicet tenue illud, & imperceptibile gluten vermes devorarunt.

Sunt igitur facile vermes illi lapidum, & mortariorum, quos Moyses lepræ domorum nomine designatos voluit; quemadmodum & mala ab illis causata omnia ipsissima sunt, quæ Moyses eidem lepræ attribuit. Nec sane absurdæ sunt cautiones illæ in Lege præscriptæ, cum nostræ hypothesi apprime quadrantes. Primo igitur sedulo observandum præcipit, an maculæ illæ subvirides, seu subrubræ spatio septem dierum increverint, nempe an vermes opus suum vehementer provexerint. Detecto hujus argumento, statim avulsi lapides, & erasi parietis pulvis in locum extra urbem remotum projiciuntur; ne quid scilicet mali ab infectis illis urbi immineat. Tandem si omnes illæ cautiones non satis malo occurrisse deprehendantur, nec pestis gliscere desierit, tunc domus dejicienda; neque enim fieri potuisse credidit Moyses, ut vermium pervicaciæ mitiori remedio occurreretur: quare dejiciendas ædes censuit, ne homines contagione corrumperentur.

Consule nostram Dissertationem in morbum Jobi, ubi eam in rem plura congessimus, demonstrare conati, venereos morbos & lepræ genus esse, & apud Veteres non ignotos.

(1) Vide etiam Ose. v. 12. Isai. LIX. Psalm. XXXVIII. 40. Eccli. XLII. 13.

(2) Vide Journal des Sçavans an. 1668.

DISSERTATIO
DE MOLOCH DEO AMMONITARUM.

CUM tria sint Deorum nomina, quorum in scriptis Mosaicis mentio recurrit, nempe Moloch, Phegor, & Chamos; singulis dissertationibus agendum de illis seorsum constituimus. Par est enim, ut de vetustissimis, quæ uspiam occurrant, Numinibus, quorum alioquin frequens est in S. Scriptura mentio, quæque Israelitis sæpissime fuerunt offendiculo, exactius aliquid afferatur in medium. Primus igitur prodeat, qui primus etiam in Scriptura legitur, Moloch; de cujus figura, genio, cultu, cultoribus, quemadmodum & de affinitate cum ceteris Paganorum Numinibus, disquiramus. Qua in re non parvo nobis erunt adjumento doctissimorum Virorum (1) de hoc argumento Lucubrationes, quibus novi aliquid de nostro adjungendum suscipiemus.

Cautum est Israelitis (2), ne filios suos per ignem traducere unquam in cultum Moloch audeant; quod etiam præceptum Moyses iterum validius inculcans (3), lapidum ab universo populo injiciendorum supplicium in transgressores edicit; tum Dei verbis hæc addit: *Ego ponam faciem meam contra illum, succidamque illum de medio populi sui, eo quod dederit de semine suo Moloch, & contaminaverit Sanctuarium meum, & polluerit nomen sanctum meum. Quod si negligens populus terræ, & quasi parvipendens imperium meum dimiserit hominem, qui dederit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere, ponam faciem meam super hominem illum, & cognationem ejus; succidamque & ipsum & omnes, qui consenserunt ei, ut fornicaretur cum Moloch de medio populi sui*. Hujus Numinis cultum adoptasse potissimam Hebræorum partem, antequam ex Ægypto facesserent, facile credimus; cum Amos (4), & post illum S. Stephanus Act. 7. 43. delatum in deserto Tabernaculum Moloch Idoli sui Judæis exprobraverint; ac Moyses ita de Numine illo loquatur, quasi gliscentem jam abusum corrigere, atque præsens, non futurum & possibile tantum, malum avertere conaretur.

Porro si ea fuit Judæorum in Moloch pervicacia, ut authoritati atque studio Moysis, simulque Deo minitanti dira in deserto resisteret; nec desiisse pariter credendum est eo temporis intervallo, quod ita *Judic.* xxi. 24. describitur: *Non erat Rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat*. Salomon hoc sibi decus e crimine quæsivit, ut scilicet Templum supra montem Jerosolymæ imminentem Moloch excitaret 3. Reg. 11. 7. qua in re æmulatorem habuit Manassem: *Erexit* [Manasses] *aras Baal, & fecit lucos; & traduxit filium suum per ignem* 4. Reg. 21. 3. Licet enim hic de Baal sermo habeatur, ritus tamen filios per ignem traducendi inter potiores cæremonias Moloch recensetur; quæ duo sane nomina interdum alterum pro altero usurpari infra demonstrabimus.

Neque in Prophetis obscura apparent vestigia hujus non gliscentis tantum, sed & regnantis in populo abusus. Jeremias cap. 19. 5. 6. vitio vertit Tribui Juda, & civibus Jerusalem, ædificasse illos *excelsa Baal, ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baal . . . Propterea, ait Dominus, ecce dies veniunt, & non vocabitur amplius locus iste Tophet, & vallis filiorum Ennom, sed vallis occisionis*. Ambæ scilicet valles illæ cultu Moloch profanissimæ erant. Eadem apud Sophoniam 1. 4. 5. legas, qui Dei verbis hæc pronunciat: *Extendam manum meam super Judam, & super omnes habitantes Jerusalem; & disperdam de loco hoc reliquias Baal . . . . & qui adorant super tecta militiam Cœli, & adorant & jurant in Domino, & jurant in Melchom*.

Ex omnium horum testimoniorum collatione Baal pro Moloch usurpatum esse facile intelligimus; quod etiam ex historia Josiæ 4. Reg. 23. 10. relata, apertissime confirmatur; is enim Rex *contaminavit Topheth, quod est in convalle filii Ennom, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem Moloch*. Cum igitur eadem vallis cultui Baal consecrata ex testimonio Jeremiæ supra laudato appareat, eidemque Numini oblatos constet in holocaustum filios; hæc nomina Baal, & Moloch unum idemque Numen designare satis superque intelligimus.

Porro Moloch Numen fuisse peculiare, quin & unicum, quod sciamus, Ammonitarum, ex pluribus Scripturæ testimoniis constat. Cum David Hanonem Regem ejusdem gentis debellasset, *tulit*, ait Scriptura, *diadema Regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, & impositum est super caput David* 2. Reg. 12. 30. Ex eo Scripturæ testimonio, cum alio ejusdem rei in Paralipomenis collato, intelligimus, diadema illud e capite Moloch Numinis Ammonitarum, non e capite Regis ejusdem gentis detractum fuisse: *Tulit David coronam Melchom de capite ejus*, 1. Par. 20. 2. Cum autem Melchom idem sit nomen ac Moloch, utrumque autem Regem significet, hinc æquivocationi locus factus est. Ea vero circumstantia, detracti scilicet diadematis e capite Moloch Numinis Ammonitarum, formam in idolo humanam, regiamque similitudinem satis demonstrat; nec proceritatis ipsius obscurum est argumentum, quod de pondere ejus coronæ, si tamen capiti imposita erat, memoriæ proditum est. Quantum enim caput, coronam sustinens 86. librarum, 14. unciarum & 5. grossorum nostri ponderis marchi? Illam sane ut in usus suos David transferret, detracto auro tolerabiliorem efficere debuit; nisi forte ponderosam hoc diadema supra thronum suum suspendit; quo sensu facile etiam eam detulisse coronam Moloch perhibetur.

Ammonitarum verbis, & sensu locuti sunt Prophetæ, cum eam nobis ingerunt hujus Numinis ideam, veluti Regis, Domini, totiusque gentis & Regionis arbitri. Futuram earum gentium captivitatem Jeremias 49. 1. & Amos 1. 14. 15. prædicentes, oracula sua ita pronunciant: *Cur hereditate possedit Melchom Gad? . . . . Melchom migrans migratione ducetur, Sacerdotes ejus, & Principes ejus simul*. Hæc porro erat misera eorum Numinum conditio, ut fortunam cultorum suorum sequuta, eodem, quo illi, fato traherentur.

Hæc in Scriptura de Moloch; modo de cultu illi impenso agendum est. Ex pluribus Sacrorum Librorum testimoniis oblatos huic Numini infantes, & per ignem in ejus honorem traductos intelligimus. Sed quibusnam cæremoniis superstitio illa parabatur? Altum ea de re silentium in Scriptura:

(1) Selden. Syntag. de Diis Syris. Spencer. de legib. Hebr. ritual. l. 2. c. 10. Voss. de orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 5. (2) Levit. xviii. 21. *De semine tuo non dabis ut consecretur Moloch.* (3) Levit. xx. 2. &c. (4) Amos v. 26. *Portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri.*

peura: Scriptorum conjecturæ variæ. Alii flammam ante Numen excitatam saltu transiliisse pueros credunt; alii per medios ignes e regione positos, traductos; qua, inquiunt, cæremonia pueri initiati, non igne perempti, consecrabantur. Alii flammis ambustos contendunt; qua in re variæ etiam sunt variorum opiniones. An enim igne posito ante aram Numinis cremarentur victimæ illæ, an scilicet in ulnis simulacri repositæ; an in armario, in eodem Simulacro excavato; an in ejus manibus, vel sinu; an tandem in manibus Numinis ita depositæ, ut inde in subjectum simulacro ignem deciderent, ambigitur. His variis Authorum sententiis occasionem præbent variæ Rabbinorum ejusdem Numinis descriptiones; quas, ut vera fatear, etsi cum veritate congruere non statim pronunciarem, non tamen rejicere continuo auderem, cum ab externorum Numinum figura, a probatissimis Authoribus deducta, non abludant.

Traduur igitur Rabbini, simulacrum Moloch ex ære fuso conflatum; Numen vero referre æreo throno assidens, regiisque indutum insignibus. Capite erat, inquiunt, vitulino, porrectisque brachiis, veluti si ad amplexus invitaret. Cum autem pueri ad Sacrificium deducerentur, subjecto intimis simulacri penetralibus igne, totum excandebat, quo pueri inter ulnas ejusdem simulacri repositi, dicto citius cremarentur. Ne quid vero de miserorum infantium clamore ab adstantibus exaudiretur, Sacerdotes magno tympanorum, aliorumque Musicorum instrumentorum strepitu prohibebant. Alteram plane diversam ejusdem Numinis descriptionem Paulus Fagius ex iisdem Rabbinis acceptam refert. Moloch, ait ille, simulacrum erat, quod interne cavum, in plura armaria distribuebatur; alterum pro libationibus farinæ; alterum pro turturum victimis; tertium pro ove; quartum pro ariete; quintum pro vitulo; sextum pro bove; postremum pro infante, qui excitato in intimis Simulacri penetralibus igne, calore ambustus cremabatur. Numinis facies vitulina, manus veluti excipiendo alicui porrectæ.

Septem istæ cellulæ satis cum iis quadrant, quæ de Mitra ex veterum relatione discimus. Mitra Persarum erat Numen, cui cruentis sacrificiis, vel humanis litabatur; quod etiam cum sacrificio infantium, Moloch oblato, congruit. Celebrantur septem ostia Mitræ, quibus septem planetarum nomina imposita sunt; unde facile Hebræi desumpserunt historiam septem armariorum Moloch (1). Nemo, authore Suida (2), Sacris Mitræ initiabatur, nisi prius dura, & ardua specimina & puritatis, & *aphthiæ*, vel stupiditatis suæ exhibuisset. Hæc vero specimina ab aliis duodecim (3), ab aliis (4) 80. enumerantur; inter hæc toleranda fames, sitis, ignis, frigus, verbera; nec rara erant humanarum victimarum Sacrificia in atris illis & diris mysteriis, quibus obscuræ cavernæ terror horrorem crudelitatis augebat.

Saturnus Carthaginiensium plurimum etiam ad Moloch accedebat. Ejus figuram Diodorus Siculus ita describit (5): Simulacrum erat æneum, manibus terram versus porrectis, ut impositus illis puer suo pondere labens in subjectum simulacro ignem, qui perpetuus in fossa ad pedes Numinis excavata ardebat, decideret. Porro hunc ipsissimum esse credimus Deum, quem gentes illæ *Hamilcam* appellabant; quod scilicet nomen ab Athenagora in Legat. pro Christian. relatum, ad Moloch satis accedit. Quamquam autem Saturnum Carthaginiensium ex Saturno Phœnicum derivatum vix dubitemus; forma tamen erant inter se prorsus absimili. Phœnices duo oculorum paria Numini suo imponebant (6), ante nempe, & retro; par alterum apertum, alterum clausum, quatuor alas ad humeros, par extentum, par reductum; addebant & tertium alarum par in capite. Cæterum victimis humanis tam apud Carthaginienses, quam apud Phœnices Numini litabatur. Infantes Saturno cædi in pluribus Africæ regionibus Minutius Felix *In Octavio* testatur, sicut & apud Tertullianum Apolog. 2. legimus humanæ victimæ sacrificia in iis regionibus Saturno, cognomento Crudeli, offerri solita, sub Tiberio primum desiisse. De Saturno vero Phœnicum perhibent, victimis humanis litandi morem ab ipso primum authore cœpisse, quippe qui Jeud filium suum mactaverit, quæ deinde consuetudo per orbem universum longe lateque obtinuit. Ejus rei exempla frequentissima apud Phœnices in historia Sanchoniatonis occurrere Porphyrius de Abstin. lib. 2. testatur.

Ejusdem cultus Saturno, sive Moloch impensi vestigia quædam apud Indos, & Japones deprehendi, ex descriptione Numinis ejusdem gentis intelligimus (7). Meaci enim in Japonia Idolum extat cavum, æneum, auro superinducto fulgens, quod in genua licet assideat, 24. pedibus tamen assurgit. Hoc autem Simulacrum certis per annum solemnitatibus, subjecto igne accensum, positum inter ulnas infantem diris igneisque amplexibus stringens suffocat.

Ex his, quantum arbitror, satis intelligimus Moloch ipsissimum esse Phœnicum & Carthaginiensium Saturnum, quemadmodum ante nos etiam viri doctissimi Seldenus, Grotius, Bonfrerius, aliique senserunt (8). Sed quid ista ad Mitram Persarum, & Baal Phœnicum, quos pariter cum Moloch confundendos supra autumavimus? Hæc siquidem Numina, non ad Saturnum quidem, sed ad Solem referri planum est. Huic objectioni reponimus, Solem & Saturnum juxta quorumdam opinionem, sub eodem nomine & forma olim apud Orientales cultum obtinuisse. Assyrii, ait Servius in 1. Æneid. Saturno, quem Solem putant, cultum impendunt; colebant & Junonem, quæ simul omnia Numina in Africam transierunt; factum inde ut Punico sermone *Baal* Deum significet, & apud Assyrios Sol & Saturnus sub eodem *Bel* nomine censeantur: *Apud Assyrios autem Bel dicitur quadam sacrorum ratione Saturnus, & Sol*. Paria etiam Macrobio Saturn. l. 1. c. 23. visa sunt, qui Saturnum Græcorum, & Latinorum eumdem esse cum Sole demonstraturus, observat, eadem plane ratione, qua Sol elementa moderatur, temporum vices accessione & recessione sua ordinat; ita sane tempus, quod Saturni nomine appellatum Veteres maluerunt, temporum est arbiter, iisque certum præscribit terminum, nihilque, quod Soli tribuitur, a se habet alienum. Humanis autem victimis Saturno litatum fuisse apud Latinos Græcosque ignorare neminem credo (9). Hoc impii sacrificii genus ab Hercule, ex Hispania reduce, in Italia abolitum ferunt. Nomina Mitra, Baal, Hamilca, Moloch, Melchom singula æque Regem, Dominum, Herum sonant. Græcorum Solis nomen, nempe Helios, ex *Hel* Phœnicum, quod Deum significat, apertissime derivatur. Ita Servius de

(1) Vide Orig. contra Cels. lib. 5. & Selden. de Diis Syr. Syntag. 1. pag. 169. 170. 171. (2) Εἰ μὴ διά τινων βαθμῶν παρέλθοι τῶν κολάσεων δείξει ἑαυτὸν ὅσιον, καὶ ἀπαθῆ. (3) Nicetas in Greg. Nazianz. Orat. in Sancta Lum. (4) Vide Nonn. in Greg. Nazian. & Eli. Cret. in ejusd. 3. invectiv. cont. Julian. (5) Apud Euf. Præp. l. 4. c. 16. Ἦν δὲ παρ' αὐτοῖς ἀνδριὰς Κρόνου χαλκοῦς, ἐκτετακὼς τὰς χεῖρας ὑπτίας ἐγκεκλιμένας ἐπὶ τὴν γῆν, ὥστε τὸν ἐπιτεθέντα τῶν παίδων ἀποκυλίεσθαι, καὶ πίπτειν εἴς τι χάσμα πλῆρες πυρός. (6) Euseb. l. 1. Præparat. cap. ult. (7) Vide Horn. de orig. gent. Americ. lib. 2. cap. 13. *Chevreau Hist. du Monde*, tom. 5. l. 8. c. 4. pag. 144. (8) Vide Selden. de Diis Syris Syntag. 1. c. 6. Grot. in Deut. 18. 10. Bonfrer. hic, Vat. Mariana, & plerasque apud Tostat. (9) Vide Lact. l. 1. de fals. Relig. c. 21.

de re: *Omnes illis partibus Solem colunt, qui ipsorum lingua Hel dicitur, unde & Helios*. Tradit etiam Eusebius (1), in Theologia Phœnicum Saturno inditum esse nomen *Ilus*, quod idem est ac *El* Hebræorum, nempe Deus.

S. Cyrillus Alexandrinus autumavit, Ammonitas (Moabitas habet memoriæ lapsu) Planetam Veneris in Moloch suo coluisse; ejusque Numinis supremam frontem gemma quadam pellucida insferta micuisse (2) refert. Hanc S. Patris sententiam, quam Græci quidam adoptarunt, conjecturæ quædam fulciunt, statim a nobis promendæ, ut demonstremus Moloch Lunam aliquando designare, quam sane Lunam non raro Veneris Numen apud Veteres exhibet (3).

Arias Montanus Moloch relaturus ad Mercurium, nomen illud ex Hebræo מלאך Malac, nuncium, seu legatum, agere, derivat; quod scilicet Mercurio apprime quadrat. Verum alia est scribendi nominis Moloch in lingua originali ratio, quam quæ Ariæ explicationem patiatur; potius enim quam Legatum, Regem exprimit. Neque sane unquam victimis humanis litatum Mercurio legimus. Nec æquior est Kircherii (4) conjectura, autumantis Moloch ipsissimum esse Martem, & aliquando etiam cum Typhone, & Mitra confusum. Ejus conjectura ex eo tantum ducitur, quod in Commentario Cophtico ad Acta VII. 43. nomen Moloch pro sydere Martis positum sit, Non unum tantum, sed æque omnes Ammonitarum Deos nomine Moloch designari Spencerus contendit (5); quare, inquit, & Sol & clarissimi quique Heroes ea simul appellatione censentur, ut proinde frustra quis certam Numinis Moloch figuram determinaverit. Observat in eam rem, nomen illud indiscriminatim pro Baal usurpari; sicut & Baal nomen esse æque omnibus Orientalibus Numinibus commune, ex illo Isaiæ cap. 37. 12. demonstrandum suscipit: *Dii gentium Gozam, & Haram &c. quos subverterunt patres mei, numquid eruerunt eos? Ubi est Rex Emath, Rex Arphad, & Rex Sepharvaim?* Quo loco hic Reges Emath, & Arphad scribitur, alibi ita scriptum legitur (6): *Ubi est Deus Emath, & Arphad?* Adjicere poterat Spencerus, quod supra nos animadvertimus, Deum Melchom perinde ac Regem Ammonitarum habitum fuisse, cujus captivitatem, sicut & Sacerdotum ipsius omnium servitutem, Prophetæ prænunciarunt.

Gerardus Joannes Vossius non vagam adeo, ut Spencerus, sed certiorem ejus Numinis ideam exhibet; nam nomine Moloch designatum credit Apollinem vel Solem, Cœlum, Jovem, Saturnum, sive Naturam; quamquam potissimum Soli ejus simulacrum consecratum suspicatur (7). His autem rationibus nititur. I. Nomen Moloch idem sonat, ac Baal, quo postremo Sol ipse apertissime denotatur. II. In simulacro Moloch septem erant cellulæ, si Hebræis fides; quinque scilicet pro singulis planetis, duæ reliquæ pro Luna, & Sole; Soli autem infans immolabatur.

Post adductas hasce doctissimorum virorum opiniones una cum rationibus, quibus fulciuntur, ad nostram tandem proferendam sententiam lectorum expectatione invitamur. Nobis igitur ea sedet sententia, quæ Moloch cum Sole, sive cum Luna, vel cum utroque simul confundit. Paradoxum asserere videmur; sed hujus nostræ opinionis eas proferemus conjecturas (neque enim in re ambigua demonstratio expetenda est) quas apud æquos Lectores fidem obtenturas confidimus.

Sol & Luna, vetustissima simul ac antiquissima sunt Paganorum Numina, in quorum cultu, quamquam variis nominibus repræsentarentur, tota Orientalium superstitio versabatur, Alterum ex illis Astris Regis titulo & nomine, alterum Reginæ Cœli designatum est. Nec alia tunc Ægyptiorum Numina, sub Osiridis, & Isidis nomine (8), sicut etiam Ammonis, notissima. Alexander Magnus ejusdem Ammonis Oraculum in Lybia celebratissimum consulturus, Numini sub titulo *Regis* sive *Domini* oblatis sacris litavit (9). Olim apud Phœnices nulla erant alia quæ colerentur Numina, quam Sol, Luna, Astra, & Elementa; Solem autem Baal; Lunam Astarten appellabant. Gemini erant Arabibus Dii, Bacchus, & Alilat, seu Venus Cœlestis (10); in Baccho Solem, in Alilat Lunam agnosce. Primi Græciæ Incolæ nullum norant Numen, ait Plato, quam quod hodie usque Barbari noverunt, Solem, Lunam, Terram, Astra, Cœlum (11).

Veterum hanc religionem Barbari nondum exuerant, cum Græci sub Alexandro Magno suscepta in illos expeditione totum Orientale Imperium invaserunt. Ægyptus excipiatur oportet, ubi vel brutis ipsis decreta sunt thura & Altaria; sed & his exceptis Numinibus, etiam apud Ægyptios varia quidem erant Deorum nomina, re vera Solem & Lunam unice ab illis cultos non temere suspicaremur. Cum tamen Græcorum fastus religionis suæ vestigia in ipsa Orientalium Theologia rimari voluisset, factum inde, ut omnia turbaret, Barbarisque Numinibus nomina inderentur Deorum, qui in Græcia colebantur. Ita ex. gr. nescio quid similitudinis nacti inter Baal Phœnicum, & Saturnum sive *Chronon* Græcorum, continuo duo hæc Numina in unum conflarent, Baal Deum Phœnicum ipsissimum esse Saturnum pronunciarunt; idem Saturno Carthaginiensium accidit. Prostibula, & scortationes in honorem Numinis cujusdam frequentari apud Orientales animadvertentes; statim ea superstitione Venerem coli dixerunt; sed reclamantibus Orientalibus, atque colere se eo superstitionis ritu Lunam affirmantibus; ideo Venerem Cœlestem invexere.

Quod autem maxime nos in hanc sententiam inclinat, ut scilicet Moloch cum Sole confundamus, illud est, nempe Arabes, inter quos Ammonitæ censebantur, Solem, & Lunam pro omnibus Numinibus coluisse. Arabes, ait Herodotus (12), Dionysium tantum, & Deam Cœlestem colunt; hunc *Ourotalt*, illam *Alilat* appellant. Scitum est apud Græcos ipsos Bacchum, Liberum, Dionysium varia esse ejusdem Numinis, nempe Solis, synonyma; quod apertissimis rationibus Macrobio demonstratum est (13). Apud Ægyptios, Herodoto authore (14) Dionysius pro Osiride usurpatur; Osiridis autem nomine Solem designari quis nesciat? Quadrat nomen Ourotalt, quo Arabes Dionysium appellant; sonat enim eorum lingua Deum luminis; quadrat & cultus Baccho, sive Dionysio impensus, apprime sævus & immanis; victimis enim humanis pluribus in locis ejus Numini litabatur: ita in Insula Chio ante Aram Numinis in frusta miseri homines discerpebantur. Cives Dumæ in Idumæa Ammonitis contermini, quemadmodum est a nobis in Leviticum VIII. demonstratum, infantem quotannis immolabant; mactatum autem condebant sub lapide, quo pro Altare simul, & Simulacro utebantur. Nec olim apud Veteres quamplures alia erant Idola, quam lapides rudes, vel in columnas

(1) Ex Sanchoniat. l. 1. Præp. cap. ult. (2) In Amos v. 25. & ex eo Oecumen. & Theophylact. in Acta. (3) Macrob. Saturn. l. 3. c. 8. (4) Oedip. Ægypt. Syntag. 4. c. 15. (5) De Leg. Hebr. Ritual. l. 2. c. 10. sect. 12. (6) Isai. xxxvi. 19. (7) De orig. & progres. Idololat. lib. 2. cap. 5. (8) Vide Euseb. l. 1. Præp. c. 10. (9) Arrian. de Expedit. Alex. lib 3. (10) Herod. l. 1. c. 131. (11) Plato in Cratylo. (12) Lib. 3. cap. 8. Διόνυσον δὲ Θεὸν μοῦνον, καὶ τὴν Οὐρανίην ἡγέονται εἶναι ... ὀνομάζουσι δὲ τὸν μὲν Διόνυσον, Οὐροτάλτ· τὴν δὲ Οὐρανίην, Ἀλιλάτ. (13) Orpheus apud Macrob. l. 1. cap. 18. Ἥλιος ὃν Διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσιν. Et alii apud eumdem. (14) Herodot. lib. 2. cap. 44. Ὄσιρις δὲ ἐστι Διόνυσος κατ' Ἑλλάδα γλῶσσαν.

lumnas redacti: ita Bacchum Thebarum, & Deum Elagabal (Solis erat imago) describunt ; ita de Arabum Numinibus ferunt , apud quos quadrata pyramis Lunam exhibebat . Apud recentiores Arabes tamen statuas obtinuisse infra demonstrabimus . Non abs re igitur credimus , Moloch Ammonitarum, & Dionysium sive Ourotalt Arabum pro uno eodemque Numine usurpandos.

Prætereundum hic ducimus , quod supra jam demonstratum est; nempe Mitram Persarum, & Belum Assyriorum ipsum esse Solem, & Moloch; addendum tamen cum Herodoto l. 1. censeo, invectam in Persidem ab Assyriis , & Arabibus authoribus religionem ; quare Persarum Mitra ipsa est Alilat , nempe Luna ; qua de re infra sermo redibit , cum Moloch , & Lunam facile confundendos demonstrabimus .

Potissima Phœnicum Numina celebrabantur Baal, & Astarte, quorum primus Solem , altera Lunam designat. Id cum per se apertissimum est, tum adductis rationibus extra omnem controversiam ponemus. Sanchoniato, ab Eusebio relatus, tradit, Solem unicum esse apud eas gentes Cœli Dominum , cui proinde nomen ab illis inditum est *Baal-Schemen* , nempe Deus Cœli (1). In Scriptura appellatur *Baal-Schemes* , nempe Deus Sol, sic autem habet (2) : *Et præcepit , ut projicerent de Templo Domini omnia vasa , quæ facta fuerant Baal , & in luco* (Hebr. *Asera* , nempe Astarte) *& universæ militiæ Cœli . . . & delevit qui adolebant incensum Baal , & Soli* (Hebr. Baal-schemes) *& Lunæ , & duodecim signis* . His sane verbis Baal, & Baalsemes, sicut Astarte & Luna non obscure confunduntur. Porro Astartem cornigeram pingebant , teste Sanchoniatone (3) ; nec alius fuisse creditur Baalis habitus, si unus idemque cum Sole, Baccho , & Osiride reputandus est . Quæ in Regno Israelis ad cultum erecta erant, Numinum simulacra, ad similitudinem Baalis, Astartes, Osiridis, & Isidis expressa , hæc sane in Scriptura Vaccæ seu Vituli aurei appellantur (4) ; quod scilicet vel bovino essent capite , vel saltem radiis , veluti cornibus , frontem haberent instructam. Quod ad Phœnices attinet , frustra humanis victimis illos suis Numinibus litasse ostenderemus , cum hujus criminis & primi authores , & fautores potissimi tum in suis Urbibus , cum in ductis a se Coloniis habeantur .

Nec Syri reliquis finitimis gentibus in cultu Solis quidquam concedebant , cui nomen *Adad* , i. e. unus , solus, ab illis inditum credimus: quo pariter nomine plerosque ex eorum Regibus appellatos legimus in Scriptura . Eodem nomine *Adad* maximum gentis Numen ab Assyriis appellatum, cui socium in suprema rerum omnium potestate jungerent Deam *Atargatim*, Macrobius Saturn. l. 1. c. 23. est author . Coronam Numini imponebant radiis inclinatis nitentem; Deæ vero radiis in sublime erectis . Porro in ea historia Assyrios pro Syris usurpatos , errore apud Veteres , non satis inter duas hasce gentes distinguentes , frequentissimo, ne ambigimus quidem . Alterum Solis simulacrum , habitu plane a Numine Macrobii diverso , Edessæ in Syria dedicatum Herodianus l. 5. describit . Dei nomen *Elagabal* ; figura vero lapis *ab imo rotundus & sensim fastigiatus* . Antoninus Imperator , cui idem cum Numine erat cognomen , communem utrique sedem voluit ; quare Romam transferri, iisdemque , quibus antea Edessæ , coli honoribus curavit . Quinam illi? cæsorum puerorum victimis Numini illi ab Imperatore litatum , ex Xiphilino habemus . Quare idem facile Numen fuit *Elagabalus* ac Moloch .

Alia occurrunt in Scriptura Numina , facile cum Deo Ammonitarum confundenda; scilicet *Anamelec* & *Adramelec* , Dii Sepharvaitarum (populi erant in Samaritidem a Regibus Assyriæ loco veterum incolarum translati) . Conjecturam capimus ex more in ea gente recepto , de quo 4. Reg. XVII. 31. *Qui erant de Sepharvaim , comburebant filios suos igni Adramelec , & Anamelec Diis Sepharvaim* . Porro has gentes veterem Medorum regionem , vel circa incolere potuisse , in Commentario in Gen. 11. ostendimus . Nomina *Anamelec* , & *Adramelec* , juxta Hebraicam etymologiam, reddi possunt , illud *Rex Magnificus* , alterum vero *Rex mitis* . Autumat Vossius , Anamelec designare etiam posse Deum oracula fundentem, ex *Ana* , quod Hebræis est respondere (5) . Potest etiam ex Arabico גני *gani* , dives , vel *gigua* , *divitiæ* , reddi , *Rex dives* , sive *Rex divitiarum* . *Adramelec* est Rex , vel Deus magnificus . Ego non invitus crediderim , Anamelec ipsam denotare Deam *Anaim* , in regionibus Assyriæ finitimis , ut ex Strabone (6) patet , celebratissimam ; quæ quidem Dea cum Diana , & Luna confundenda est . Quoad *Adramelec* vero, nonnisi Solem designasse censeo; quod sane nominis significationi , Dei scilicet magnifici , apprime quadrat .

At enim, si Anamelec ipsa est Dea Anais , quomodo Regis titulus Anamelec , fœminæ nempe , in Sacra Scriptura tribuitur ? Quod difficultatem faciat in ea re , nihil est ; solemne enim erat Antiquis , ut nullum in Diis sexum distinguerent ; quemadmodum neque satis discrimen illud observat S. Scriptura , quæ de Astarte , & Dagone agens , Deos utrosque , nullo facto discrimine , appellat (7) ; cum tamen Dagon facile ipsa esset Dea Derceto , sive Atergatis ; Astarte vero Dea esset Sidoniorum . Usitatissima etiam erat formula Paganorum inter orandum : *sive tu Deus es , sive tu Dea* (8) ; quemadmodum etiam constat ex relata apud Macrobium prece pro impetranda ope Deorum , quorum patrocinio obsessa urbs subdebatur (9) . Istud autem capitale Paganæ Religionis dogma , si unquam alias , potissimum in Luna observabatur , quæ utrumque sexum in se conjungere credebatur , ait Plutarchus (10) . Non ignota sunt nomina Deus Lunus , & Dea Luna : quin & Apollo ipse sub utriusque sexus habitu , quemadmodum & Mitra , colebatur . In superioribus observavimus ex Herodoti testimonio , eamdem Deam , quam Assyrii Mitram appellabant , hanc sub nomine Alilat Arabes coluisse . Luna apud Syros , Armenos , & in Mesopotamia virile erat Numen . Virilibus vestibus induta pingebatur , quemadmodum & in Nummis quibusdam Græcis hodie usque apparet , ubi virili etiam titulo , atque Armeno capitis integumento exhibetur . Narrat Spartianus , veteres Charrarum in Mesopotamia incolas in ea fuisse persuasione , ut quicumque Lunam pro Dea haberent , ipsi nunquam uxori suæ non subderentur ; qui vero pro Deo , nunquam non uxores suas sibi morigeras habituros (11) . Addit , consuevisse quidem Græcos , & Ægyptios muliebri nomine Lunam appellare quandoque ; nunquam tamen nisi tamquam Numen virilis sexus in mysteriis suis habuisse : *Mystice tamen Deum dicunt* . Bacchus , quamquam ipse Sol esset , uti supra ostendimus , cornibus tamen instructus , atque muliebri amictu , uti ex Porphyrio constat , (12) pingebatur .

Est igitur ambigendi locus , an Moloch nomen

(1) Apud Euf. præpar. l. 1. (2) 4. Reg. XXIII. 4. (3) Ἀστάρτη τῇ ἰδίᾳ κεφαλῇ ἐπέθηκε βασιλείας παράσημον, κεφαλὴν ταύρου. (4) Δύο δαμάλεις χρυσᾶς. Vide 3. Reg. XII. & XIX. 18. Jerem. 11. 28. & VII. 9. & XI. 13. 17. & XIX. 5. & XVII. 35. Osee 11. 8. Sophon. 11. 4. Tob. 1. 5. Τῇ Βάαλ τῇ δαμάλει . Quandoque etiam Hebræus appellat vaccas: עגלות *Vaccas Bethaven , coluerunt habitatores Samariæ* . Osee X. 5. (5) Voss. de Orig. & progr. Idolol. l. 2. cap. 5. (6) Strabo l. XI. pag. 347. & l. 15. 485. (7) 1. Reg. V. 7. *Dura est manus ejus super nos , & super Dagon nostrum* . 3. Reg. XI. 5. & 33. *Adoraverunt Astartem Deum Sydoniorum* . (8) Arnob. contra Gentes. (9) Macrob. Satur. l. 3. c. 9. (10) De Iside , & Osiride. (11) Spartian. in Caracall. (12) Apud Euseb. Præparat. l. 3. cap. 11.

sit Lunæ potius an Solis, cum Dei sive Deæ titulus indiscriminatim usurpari consuevisset. Ex quo etiam illud consequitur, nihil esse cur Lectores mirentur, si Anamelec, Numen Regis titulo insignitum, pro Dea habeamus.

Sed agedum: demonstremus humanis victimis non Soli tantum, sed Lunæ etiam litari frequenter consuevisse. In regionibus ad Araxem sitis (ubi Sepharvaitarum patriam constituimus), authore Strabone l. 11., Luna colebatur, cujus erat Templum insigne ad Iberum. Hujus Fani Sacerdos secundam obtinebat a Rege dignitatem, frequentem mancipiorum turbam Numini consecratam in obsequiis habens. Accidebat autem quotannis, ut ex tanta mancipiorum turba aliquis Divino, uti ferebatur, instinctu in lucum se se subduceret, ubi tamdiu errabundus vagabatur, donec a Sacerdote captus, catenis oneratus, toto anno laute in carcere detineretur. Eo anno evoluto, una cum aliis victimis Numini immolandus adducebatur. Nec alterius erant generis Sacrificia Deæ Syræ, (quam facile Lunam credimus), ut ex Luciano constat. Narrat enim clausos in saccis pueros, delatos a parentibus in Templi pinnaculum, unde præcipites in forum agerentur; lugentes autem casum suum pueros, ita solari consuevisse parentes, ut dicerent, ipsos non esse filios suos, sed boves. Cruenta Dianæ sacrificia, quibus in Taurica Numen colebatur, notiora sunt, quam ut in præsentiarum a nobis commemorentur; ejus autem cultum, & ritus in Cappadociam, & Arabiam invectos Strabo l. 12. & 16. testatur.

Duo supersunt Romæ simulacra, in eodem marmore insculpta, quæ nostro argumento servire possunt; extant autem in hortis Farnesianis, & ipsissima esse Numina credit Seldenus, quæ, referente Zozimo, Palmyra Romam ab Aureliano delata sunt. Inscripta marmori legitur hæc Græca epigraphe: ΑΓΛΙΒΩΛΩ. ΚΑΙ. ΜΑΛΑΧΒΗΛΩ. ΠΑΤΡΩΙC. ΘΕΟΙC. *Aglibolo, & Malachbelo Diis patriis*. Credit autem idem Seldenus, Aglibolum eumdem esse ac Elagabalum Deum Palmyrenorum, quem Antoninus cognomento Heliogabalus Romam transferendum curavit; derivat autem nomen illud ex Hebræo *Hagli*, rutundus, & *Baal* Dominus. Porro Helagabalus lapis erat rotundus, uti jam supra innuimus, & Solem designabat. Malaebelum vero ita interpretatur, ac Deum Belum; ego tamen maluerim Malacbelum Lunam reddere. Fateor quidem, nomen illud virile esse; sed non semper muliebri nomine appellatam Lunam supra ostendimus; quin & Malacbelus plerumque cornua habet Lunæ in dorso expressa, quod Lunæ unice convenit. Nomen Malacbelus ad literam sonans Deus, Rex, summam ejus Numinis venerationem demnnstrat, simulque probat, quod supra a nobis insinuatum est, nempe Moloch cum Deo Luno confundi.

Tandem in promptu habemus Authorem, qui singulare aliquid de Ammonitarum Numine affert. Is est celeberrimus Itinerator Benjamin, qui venisse se Gebal Urbem Ammonitarum referens, vetus invisit Templum, & in Templo vetus, quod supererat, ejusdem gentis Numen. An mulierem, sive marem referret, silet omnino; cæterum, ait, simulacrum erat lapideum, auro superinducto nitens, quod throno assidens, duas utrinque fœminas, totidem thronis assidentes, habebat; ante fœminas Ara posita in usum sacrificiorum, & aromatum. Ex Authoris silentio colligimus, nihil novi in Numinis simulacro spectatum fuisse; ex quo adductis supra ex Rabbinis descriptionibus suspicio non levis. Nec est cur diversa ab eo Numine credamus alia finitimarum gentium; quamquam enim in remotissima antiquitate rudes coluisse lapides, sive columnas populos illos constat; successu tamen temporis hominum simulacra rudes illi lapides ad decus Religionis induerunt. Si autem in medium iterum adducere licet *Helagabalum*, possumus non inepte ejus nomen ex *El* & *Gabal* derivare, ut sit Deus Gabal, nempe Sol in urbe Gabal cultus, vel Deus terminorum; has enim omnes significationes commode reddit Hebræum *Gabal*, Posset etiam non incongrue derivari ex *Hel-Haggabal*, nempe Deus creator, vel Sol creator, quem sæpe titulum apud Paganos Sol obtinebat. V. Eus. l. 3. c. 4. Præp. Porro *Gabul* Syriace, & *Gabil* Arabice sonant creare.

Antequam Dissertationem claudamus, objectionem occupare oportet, ex eo scilicet deductam, quod negocium facere videantur varia illa nomina uni eidemque Deo juxta nostram sententiam indita in regionibus inter se finitimis, nec sermone, neque religione plurimum inter se discrepantibus.

Sed his facile reponimus, varia fuisse ejusdem Dei nomina, nedum apud varias gentes, sed in una etiam eademque regione. Sed & inter Numina cætera facile in ea re superant Sol & Luna, quemadmodum & latior illis præ cæteris cultus & religio. Vetus Poeta Græcus refert, Bacchum apud populos supra Euphratem Beluni appellari, apud Lybes Ammonem, apud Ægyptios Apim, apud Assyrios Jovem. Sol apud Ausonium ita loquens inducitur;

Ogygia me Bacchum vocat,
Osiria Ægyptus putat,
Arabica gens Adoneum.

Nimii essemus, si omnia Solis nomina a Macrobio l. 1. c. 18. recensita hic narraremus.

Neque quidquam in ea re Luna Soli concedebat. Diana in Hymno apud Callimacum Jovem rogat, ut sibi hanc prærogativam, multorum scilicet nominum ratam habere semper velit. Luna apud Apulejum Metamorph. l. 11. ita se jactitat: Primigenii Phryges Pesinunticam nominant Deum matrem. Hinc autochthones Attici Cecropiam Minervam: illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem: Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam: Siculi trilingues Stygiam Proserpinam. Nam Eleusini vetustam Deam Cererem. Alii Bellonam, alii Hecatem, Rhamnusiam alii: & qui nascentis Dei Solis inchoantibus illustranrur radiis Æthiopes, Ariique, priscaque doctrina pollentes Ægyptii, cæremoniis me propriis percolentes, appellant vero nomine Reginam Isidem.

Post hæc omnia, non est cur Lectores mirentur, si Moloch Deum Ammonitarum cum Sole vel Luna confondendum asseruimus; si unum etiam eumdemque habuerimus cum Baalsemes, & Astarte Phœnicum, Osiride, & Iside Ægyptiorum, cum Dionysio & Alilat seu Venere Cœlesti Arabum, Mitra Persarum, Belo Assyriorum, Anamelech & Adramelech Sepharvaitarum, Anaide populorum ad Araxem, Saturno Phœniciæ, Amilca Carthaginiensium, Adad & Atergati Syrorum, Elagabalu Palmyrenorum, Dea Syria Hierapolis, Aglibolo & Malachbelu Palmyrenorum, tandem cum Apolline, Baccho, Adonide, Diana, Venere, Luna, & Luno. Variis hisce nominibus uni designantur Sol & Luna.

Tabulam Chronologicam in Leviticum nullam hic damus, quod Liber aliam non referat historiam, nisi octo dierum consecrationis Aaronis & filiorum, hæc autem incidit in A. M. 2514. mensem secundum. Quæ vero præcepta hic continentur, nullam præferunt chronologicam notam, quæ tempus, quo singula data sunt, indicet.

COMMENTARIUS LITERALIS IN LEVITICUM.

CAPUT I.

Ritus in offerendis holocaustis boum, ovium, aviumque præscripti.

℣. 1. Vocavit autem Moysen, & locutus est ei Dominus de Tabernaculo Testimonii, dicens: 2. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, idest, de bobus, & ovibus offerens victimas, 3. Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento; masculum immaculatum offeret ad ostium Tabernaculi Testimonii, ad placandum sibi Dominum: 4. Ponetque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens. 5. Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per Altaris circuitum, quod est ante ostium Tabernaculi. 6. Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident; 7. Et subjicient in Altari ignem, strue lignorum ante composita. 8. Et membra, quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta, quæ adhærent jecori. 9. Intestinis, & pedibus lotis aqua: adolebitque ea Sacerdos super Altare in holocaustum & suavem odorem Domino. 10. Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus, sive de capris holocaustum, masculum absque macula offeret; 11. Immolabitque ad latus Altaris, quod respicit ad aquilonem, coram Domino: sanguinem vero illius fundent super Altare filii Aaron per circuitum: 12. Dividentque membra, caput, & omnia, quæ adhærent jecori: & ponent super ligna, quibus subjiciendus est ignis. 13. Intestina vero, & pedes lavabunt aqua. Et oblata omnia adolebit Sacerdos super Altare in holocaustum, & odorem suavissimum Domino. 14. Si autem de avibus, holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ, 15. Offeret eam Sacerdos ad Altare: & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem Altaris: 16. Vesiculam vero gutturis, & plumas projiciet prope Altare ad orientalem plagam, in loco, in quo cineres effundi solent. 17. Confringetque ascellas ejus, & non secabit, neque ferro dividet eam, & adolebit super Altare, lignis igne supposito. Holocaustum est, & oblatio suavissimi odoris Domino.

℣. 1. Vocavit autem Moysen. Hucusque Deus mentem suam non aperuerat, explicans, quibus potissimum legibus servire sibi deberent Sacerdotes; vix autem erecto, ac dedicato Tabernaculo, tum ejus possessione sibi vindicata per nubem, quæ obumbrans Tabernaculum, adesse Numen indicabat, continuo declaravit Moysi, quem ritum cultus Tabernaculo huic suo exhibendi præscriberet. *Vocavit Dominus Moysen*: ex una parte Tabernaculi concepta voce accivit Moysem; statimque Legislator accedens intro, hæc, quæ in præsenti legimus, sancientem audivit.

℣. 2. Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino. Non semel de his sacrificiis agit Moyses, & nunquam eadem per omnia præscribit, idcirco scilicet, quod modo cum Sacerdotibus agat, modo cum populo. Exprimit hic partes victimæ, quæ offerentis ad immolandum erant; exprimit & dotes hostiarum, quæ sacrificiis destinarentur. In capite proxime succedenti disserit de oblationibus panis, vini, ac fructuum, tum capite III. transit ad sacrificia pacifica; capite IV. ad hostias pro peccato, idemque argumentum persequitur capitibus V. & VI. Pertinent hæc omnia ad Israelitas. De Sacerdotibus sancit caput VI. 9. habent enim illi deductas ibi leges servandas in offerendis varii generis hostiis, & sacrificiis.

Triplicis generis Sacrificia e quadrupedibus permissa sunt: I. Vaccæ, Tauri, Vituli, quorum omnium una est species בקר: II. Capræ, Hirci, Hœdi צאן, III. Ovis, Arietis, Vervecis, vel Agni, quæ, omnia simul & Capræ, unica Hebræa voce designantur. Ad aves quod attinet, solæ permissæ sunt in Sacrificium Columbæ, vel

Turtu-

Turtures. Memorantur & Passeres Levitici 14. 4. vel generatim aviculæ, in lustratione Leprosi præscriptum sacrificium. Animalia hæc omnia familiarissima erant in ea Regione, & inter cætera captu maxime facilia; neque enim Deus aliud offerri sibi decreverat, quam quod esset vulgari usui, & cibo hominum commune. Venatoria præda nec paratu facilis erat, nec satis communis; minus etiam ad nutum paratas habemus aves: pisces non ita commode vivi in Templum ferri potuissent. Vide D. Thom. 1. 2. qu. 102.

℣. 3. Si holocaustum fuerit ejus oblatio. Græca vox *holocaustum* exprimit igne penitus absumptum; ὅλον enim est totum, καῦσις igne absumptum. Hebraice appellatur עלה *Holah*, derivaturque e radice sonante ascendere, quod in holocausto victima igne Altaris penitus absumpta, tota ascenderet in fumum. Si spontanea religione pararetur holocaustum, detrahebatur solum ex hostia pellis & fimus, cum quadrupedia offerenda essent; vesicula gutturis & pennæ, si aves seligerentur.

Ad ostium Tabernaculi Testimonii. Statuisse privatum quemque victimam suam in limine atrii, atque illis ad Altare usque deducere nefas fuisse, censent Origenes & Hebræi; sed e Textu hujus, & subsequentium versiculorum intelligimus, deductam a privatis victimam etiam ultra Altare, ad ipsas Tabernaculi fores. Id autem præcepit Deus, quo removeret Hebræos a superstitione illa Profanorum, Sacrificia sua non uno in loco offerentium. Exprimitur id apertissime infra capite xvi. 3. 4. 5.

Masculum immaculatum offeret. Commode redderetur: *Masculum integrum*, vel *masculum perfectum* זכר תמים, idest, ab omni immunem vitio, quod hostiam minus deceret. Porro cum legitur hic *immaculatum*, non ita reputandum est, quasi unicolor hostia & vellere non maculato seligenda esset ad Sacrificium. Apud Hebræos nulla habebatur ratio velleris hostiarum; summa vero ut integræ essent, sanæ, non vitiatæ morbo, vel defectu aliquo, uno verbo optime constitutæ (1). Docent Hebræi, in holocaustis avium neglectum fuisse discrimen sexus; affirmantque Commentariorum Scriptores, in vulgaribus victimis, aliis ab holocausto, perinde habitum fuisse sive mas sive fœmina immolaretur. Nos ad Exodi xii. 5. fusius disseruimus de vitiis, quæ victimas a Sacrificio amovent. Abstinebant Ægyptii ab immolandis Vaccis (2), sed Tauros sufficiebant, quos & a defectibus omnibus, vitiisque immunes in eam rem seligebant. Tradit Herodotus (3), cum victima immolanda sistebatur, Sacerdotum aliquem ad id constitutum, quem obsignatorem (4) nominabant, eam explorare, utrum pura esset, pecude stante, & erecta, tum etiam resupinata. Lingua etiam exerta, explorabat ille, an pura esset, ac nullo secreto vitio notata. Inspiciebat & caudæ pilos; ac denique victimam, si fuisset omnibus his munda, alligato cornibus byblo, seu junco Ægyptio, sigillari annulo applicitam terram imprimebat. Immolanti eo sigillo non notatam, pœna mortis sancita erat. Ita vero de victimarum dotibus differit Pollux (5): *Immolandæ victimæ, sacræ, integræ sint: nihil in illis recisum, nihil ablatum; sanæ, non mutilæ, cum omnibus membris integris, non diminutis, neque membra captæ, vel in extremis partibus; nihil tandem distortum. Solon hostias exhiberi volebat integras, non mutilatas.* Imbuebantur etiam interdum victimæ Diis offerendæ adscititiis coloribus, cum scilicet (6) lege præscriptus victimarum color aliter suffici non posset. Paria his, quæ apud Græcos, obtinebant pariter apud Romanos (7). Hostiarum vitia, quibus ineptæ redderentur ad Sacrificia, tria & quinquaginta numerant Rabbini. Offerunt Mahometani in Sacrificium Arietes, Vitulos, Camelos (8); sed in Arietibus ætas præscripta est ad minus sex vel septem mensium; in Vitulo, anni; in Camelo, quinquennii; mares præ fœmellis feliguntur; puras esse victimas jubent, albas, sine maculis, sive a natura, sive ab injuria inductis, opimas, & optima corporis habitudine; in Vitulis & Arietibus curandum est, ne cornua desint. Consona hæc in omnibus æque hisce gentibus, demonstrant insitam illis a natura ideam, nihil ut offeratur Deo par reputari, quod non sit absolutum & optimum.

Ad placandum sibi Dominum. Ad id potissimum destinatum erat holocaustum, ut Deum & supremum ejus in omnes imperium demonstraret; quod autem flectendæ iræ Numinis impenderetur, id secundarium erat in Sacrificio. Hebræus hujus Textus ita commode redderetur (9): *Ut acceptabile sit coram Domino*; quemadmodum & vertunt Septuaginta (10). Vertunt alii: *Pro bona voluntate sua*. Offeret illud Sacerdos, probante, & assentiente illo, qui exhibet victimam. Vel potius: *Voluntarie afferetur ad placandum sibi Dominum*; si hostia est oblata spontanea religione.

℣. 4. Ponetque manum super caput hostiæ. Dextera manus (11) capiti victimæ imponebatur, veluti eo indicio tota criminis pœna ex homine in hostiam illam transferretur (12). Utramque manum victimæ imponi consuevisse censent nonnulli (13); quo ritu tacita criminum exomologesis præstabatur. Malunt alii, (14) ea cæremonia abdicare se hominem jure dominii in hostiam illam, liberam relinquere, ac penitus Deo permittere. Mos obtinebat olim apud Ægyptios, quo lux nostro huic affunditur (15). Jugulatæ jam victimæ pellem detrahebant, præcidebantque caput, tum diris onerabant, rogantes Deos, ut si quæ Sacrificantes sibi promeruissent mala, hæc omnia in victimæ caput excuterent. Tum delatum in foro caput illud venum exponebatur Græcis: si nullus accessisset emptor, in Nilum projiciebatur; cum Ægyptiorum nemo auderet carnes illas in cibum adhibere. Hanc Gallorum persuasionem refert Cæsar. (16); reputabant enim, *pro vita hominis nisi vita reddatur, non posse aliter Deorum immortalium numen placari*. Late id pervagabatur per cæteras Orbis gentes. Ovidius lib. 1. Fastorum:

Cor pro corde, precor, pro fibris sumite fibras,
Hanc animam vobis pro meliore damus.

Sua olim fuisse Profanis holocausta, fuse demonstrant Grotius, & Bochartus. Eodem cum Hebræis hac in re more censebantur Ægyptii, Romani, Cyprii, Græci, Galli, Persæ.

℣. 5. Immolabitque vitulum coram Domino. Nomine vituli [Hebræus בן הבקר *filii bovis*] exprimitur Vitulus, vel Taurus, nullo servato ætatis discrimine. Dominus victimæ ipse per se coram Tabernaculo immolabat; quæ pronior est Textus interpretatio. Commentatores tamen plerique (17) defendunt, negari id laicis, nec nisi Sacerdotale fuisse munus immolandi jugulandique victimam. Hunc sensum Textui adstruunt Septuaginta: Σφάξουσι τὸν μόσχον, *immolabunt vitulum*.

Offe-

[1] Levit. xxii. 18. 19. & Deut. xv. 21. [2] Τῶν βοῶν τὰς θηλείας παρῃτοῦντο. Apud Porphyr. de abstin. [3] Herodot. l. 2. c. 38. [4] Σφραγισταί. [5] Pollux Onom. l. 1. c. 1. Τὰ δὲ τεθυσόμενα θύματα, ἱερεῖα, ἄρτια, ὁλόκληρα, ὑγιῆ, ἀπηρῆ, παμμελῆ, ἀρτιμελῆ, μὴ κολοβὰ, μηδὲ ἀνάπηρα, μηδὲ ἀκρωτηριασμένα, μηδὲ διεστραμμένα, τέλεια δὲ τὰ μὴ ἀνάπηρα, καὶ ὁλόκληρα ἱερεῖα. [6] Porph. l. 2. de abst. Γράπτους χοίρους. [7] Bochart. de animal. sacr. part. 1. l. 2. c. 46. & Plin. l. 8. cap. 45. [8] Jacob Benfidi Ali de Cæremon. & Oriental. morib. apud Gab. Sionit. [9] לרצונו לו לכפר עליו [10] Δεκτὸν αὐτῷ, ἐξιλάσασθαι περὶ αὐτοῦ. [11] Ita Jonathan. [12] Euseb. l. 1. Demonstr. c. 10. [13] Ita Hieron. Heb. Vat. &c. Vide Levit. xvi. 21. & xxiv. 14. [14] Lyr. Menoch. Boch. &c. [15] Herodot. l. 2. c. 39. [16] Cæsar. l. 6. de Bello Gall. [17] Vatab. Jun. Tremell. Menoch. Pisc.

Offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus fundentes per Altaris circuitum, Hebræus ad literam (1): *Accipient filii Aaron Sacerdotes sanguinem, & fundent super Altare circum.* Quæ sane verba tripliciter redderentur; 1. veluti exprimerent, effundi sanguinem circum Altaris limbum, ut e superiori ad basim diffiueret: 2. veluti si effunderetur circa ejus infimam basim, quemadmodum non semel alias imperatum est (2); 3. tandem quasi aspergeretur sanguis circum Altare. Sed prior expositio videtur æquior. Ex Hebræis facile expressetant Pagani morem fundendi sanguinem circa Aras (3). *Filii Aaron Sacerdotes.* Latina plura Exemplaria legunt in singulari *Sacerdotis*, ut sit sensus: *Filii Aaron Summi Sacerdotis.* Sed Hebræus, Septuaginta, & optimæ quæque Latinæ editiones retinent *Sacerdotes*; ut sit: *Sacerdotes filii Aaron.*

℣. 6. Detracta pelle. Cedebat pellis Sacerdoti (4); non tamen ex hostiis plane omnibus detrahenda erat, neque enim demebatur a vacca rufa, die Expiationis solemnis immolanda, neque ab hostiis nonnullis pro peccato. Solebat autem id muneris, nudandi scilicet pelle victimam, atque jugulandi, a Levitis, non a Sacerdotibus præstari.

℣. 7. Et subjicient in Altari ignem, struem lignorum ante composita. Oppositum plane exprimunt Hebræus (5), & Septuaginta, prius scilicet impositum fuisse Altari ignem, tum imposita ligna. Ignis erat sacer, quem penitus delere, ut extingueretur, nefas erat: interdum tamen e superiori Altaris mensa amovebatur, cum scilicet movenda essent castra, & in exercitus profectione (6).

℣. 8. Et membra, quæ sunt cæsa, desuper ordinantes. Præcidebatur victimæ primo caput; tum secta illa, demebatur adeps, qui intestina tegebat, idest, omentum tegens viscera; & adeps ad renes. Intestina vero una cum mesenterio detracta, probe lavabantur, una cum pedibus victimæ: tum quatuor distinctæ victimæ partes super struem lignorum Altaris constituebantur; impositus super victimam adeps, cui & addebantur appendices omnes jecoris; omnium tandem postremum eminebat caput.

Cuncta, quæ adhærent jecori. Chaldæus, Septuaginta, & recentiores plures (7) Hebraicam illam vocem פדר *Peder*, reddunt στέαρ, adipem: sed veteres Hebræi, Vatablus, Grotius, aliique plures (8) exponunt de trunco animalis. Mirum utique videretur, & novum, in hac recensione omitti potissimam animalis partem. Qui dictum exponunt de reticulo tegente intestina, reputant, extendi reticulum illud in loco decollationis, cum victimæ caput pyræ imponebatur; truncum vero, femora, & intestina non prius igni tradi, quam absumptis capite, & adipe. Nihil de singulis hisce Scriptura.

Pares in Sacrificiis suis ritus servabant Pagani; præcidebant enim femora, demebant adipes, & singula suo servato ordine Altaris igni tradebant (9).

℣. 10. *Agnum anniculum & absque macula offerat.* Nec Hebræus, nec Chaldæus, nec Septuaginta, Versionesque cæteræ legunt illud *anniculum*; quare Textum Vulgatæ in eo loco corruptionis accusat Lyranus. Qui ea persuasione cum Tostato tenentur, nefas fuisse in holocaustis offerri sive agnos, sive hœdos non anniculos, quamquam in cæteris Sacrificiis de victimæ ætate nihil statuitur, unico hoc Vulgatæ Textu innituntur. In fine hujus versiculi non spernendam glossam addunt Septuaginta: *Et imponet manum super caput ejus.*

℣. 11. Immolabitque ad latus Altaris quod respicit ad Aquilonem. Posita humi victima ad pedes Altaris, in aquilonari plaga, mactabatur. Addunt Septuaginta, eum, qui sacrificia exhibebat, imponere manum supra victimæ caput debuisse.

℣. 12. Dividetque membra. Vide quæ contulimus ad ℣. 7. 8.

℣. 14. Si autem de avibus holocausti oblatio fuerit &c. Notant, post Rabbinos, Interpretes, poposcisse sibi Deum in Sacrificia provectas jam ætate turtures, quippe quæ pullis meliores sunt, vicissim autem columbarum pullos præ columbis ipsis maluisse, quod juniores senioribus præstent. Sed Hebræus Textus æque exprimere potest columbas, nullo facto ætatis discrimine, בני היונה, *de filiis Columbæ. Filii columbarum* utque designare possunt columbas, ac pullos. Vatablus, & Septuaginta reddunt tantum *columbas* (10). Paratu facilibus victimis, quæque vel egenis ipsis commodæ sint, contentus est Deus. Si cui minor est census, quam ut sufficiat offerendo Vitulo, vel Agno, paret ille Turtures, vel Pullos columbarum; si vel his exhibendis sit impar, similam offerre in proxime subsequenti capite permittitur. Deest versiculus iste 14. in nonnullis Editionibus Septuaginta, ut in Basileensi. Constat autem ex capitibus XII. 8. & XIV. 21. 22. hujus libri, sacrificia hæc ex alitibus pro egenis potissimum præscribi.

℣. 15. Retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem Altaris. Docti quidam Interpretes, uti Grotius, defendunt, caput avium, quæcumque tandem exhiberentur Sacrificia, nunquam avulsum fuisse. Verum Rabbini, Arabs, Septuaginta (11), & Recentiores pleri que opinantur, unguibus re ipsa caput illud præcidendum fuisse. De genuina Hebræi *Malak* מלק את ראשו significatione nihil habemus compertum, nihil satis exactum; nullibi enim verbum istud recurrit, nisi in uno hoc libro, eademque semper constructum syntaxi. Onkelos retinendum illud censuit.

℣. 16. Vesiculam gutturis, et plumas. Chaldæus, Syriacus, & Versio Samaritana: *Vesiculam gutturis cum fimo ejus.* Septuaginta & Veteres Græci Interpretes gemina, ac Vulgata, sensisse videntur. At Septuaginta ita vertendos contendit Steuchus: *Rostrum cum plumis*; additque, paria sensisse Rabbinos. Verum ad Septuaginta quod attinet, constat plane reddidisse illos, τὸν πρόλοβον σὺν τοῖς πτεροῖς, *Vesiculam gutturis cum plumis.* Quin & defendit Vatablus, Rabbinos omnes accipere Hebræum *Murath* מראה pro gurgulione.

℣. 17. Confringetque ascellas ejus, et non secabit. Vi quidem extorquebantur ascellæ, non tamen avellebantur a reliquo corpore. Eo ritu parabantur aves, inquiunt Interpretes nonnulli (12), quemadmodum cum assandæ disponuntur; retinent enim tunc alas, sed supra dorsum retortas. Legimus apud Eusebium (13), cum Pagani ad Sacrificium aptabant Columbam, marinis aquis prius totam immersisse, ita tamen ut primum unda tingeretur caput, tum effunderetur aviculæ sanguis circum Aram, tandem integra imponeretur ardentibus ibi prunis. Notat Theodoretus (14), Abrahamum (15) reliquas quidem victimas in oblato a se sacrificio divisisse, aves autem reliquisse indivisas.

CA-

[1] והקריבו בני אהרן הכהנים את הדם וזרקו על המזבח סביב [2] Levit. v. 9. *Quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum ejus.* [3] Porphyr. apud Euseb. l. 4. c. 9 [4] Levit. VII. 8. *Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus.* [5] ונתנו אש על המזבח וערכו עצים על האש [6] Num. IV. 13. *Sed & Altare mundabunt cinere*, &c. [7] Ita Hebr. recent. Munst. Mont. Pagn. &c.
[8] Veteres Hebræi in Fag. Vatab. Grot. Malv. Mercer. in Boch.
[9] Homer. Iliad. B. Μηρούς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν,
Δίπτυχα ποιήσαντες, ἐπ' αὐτῶν δ' ὠμοθέτησαν.
[10] Ἀπὸ τῶν περιστερῶν τὸ δῶρον αὐτοῦ. [11] Ἀποκνίσει τὴν κεφαλήν. [12] Tost. Menoch.
[13] Porphyr. apud Euseb. l. 4. c. 9. [14] Theodoret. qu. 1. in Levit. [15] Genes. XV. 10.

CAPUT II.

Ritus in oblationibus panum, simila, & primitiarum.

℣. 1. ANima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio,
fundetque super eam oleum, & ponet thus, 2. Ac deferet ad filios Aa-
ron Sacerdotes: quorum unus tollet pugillum plenum similæ, & olei, ac totum
thus, & ponet memoriale super Altare in odorem suavissimum Domino. 3. Quod
autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron, & filiorum ejus, Sanctum sancto-
rum de oblationibus Domini. 4. Cum autem obtuleris sacrificium coctum in cli-
bano de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, & lagana azyma
oleo lita: 5. Si oblatio tua fuerit de sartagine, similæ conspersæ oleo, & absque
fermento, 6. Divides eam minutatim, & fundes super eam oleum. 7. Sin autem
de craticula fuerit sacrificium, æque simila oleo conspergetur: 8. Quam offerens Do-
mino, trades manibus Sacerdotis. 9. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de
sacrificio, & adolebit super Altare in odorem suavitatis Domino. 10. Quidquid au-
tem reliquum est, erit Aaron, & filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus
Domini. 11. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quid-
quam fermenti, ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. 12. Primitias tantum eo-
rum offeretis, ac munera: super Altare vero non imponentur in odorem suavitatis.
13. Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sa-
crificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal. 14. Si autem obtuleris munus pri-
marum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & con-
fringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino, 15. Fundens supra
oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est. 16. De qua adolebit Sacerdos
in memoriam muneris partem farris fracti, & olei, ac totum thus,

℣. 1. ANIMA CUM OBTULERIT OBLATIONEM SACRIFICII. Hebræus (1): *Anima cum offeret munus mincha*. Hanc vocem *Mincha* constanter reddiderunt Septuaginta, ut exprimeret *Sacrificium* (2); quod nomen nos plerumque non usurpamus nisi ad designanda Sacrificia e victimis animatis. Ita commode redderetur Textus: *Cum obtulerit oblationem rerum, quæ e simila conficiuntur*, idest, panis, placentarum genus omne, *oblationem triticeam* vel, *donum farreum*.

Porro oblationum ejusmodi quinque genera in hoc capite recensentur: I. סלת Similæ (℣. 1); II. Placentarum, vel similium, quæ in clibano coquuntur, *Sacrificium coctum in clibano* (℣. 4.): III. Laganorum frixorum in sartagine, *Oblatio de sartagine* (℣. 5.). IV. Aliud laganorum genus, quod in crate, vel sartagine perforata tostum igne paratur, *De craticula* (℣. 7.): V. tandem munus illud primitiarum novarum frugum, *Munus primarum frugum* (℣. 14.), quarum torrebantur spicæ, & mola contusa grana redigebantur in farinam & in furfur. Id generis oblationes egenorum necessitatibus favebant, qui majoris pretii Sacrificiis essent impares. Nunquam tamen ab illis disjungendæ erant portiones olei & thuris (3), salis (4) & vini (5); quæ simul omnia tanquam oblationum ejusmodi familiaria erant condimenta. Thus autem non condimentum habebatur, sed potius vapore suo gratum oblationibus, dum igne torrebantur, conciliabat odorem. Mel omne & fermentum aberat, quod non cohæreant cum sale, oleo, & vino; quin & commixta illis farina potius acesceret. Porro omnes istas Sacrificii appendices ille sufficiebat, qui & Sacrificium procurabat (6). In fine hujus versiculi hæc legunt Samaritanus, & Septuaginta: *Hæc oblatio Domini est*. Idem exhibet Hebræus in ℣. 6. & 16. *Ignitio Domino*, oblatio scilicet, quæ in Domini cultum igne adoletur. Utrobique autem neglexit Author Vulgatæ, & impune quidem, ad sensum quod attinet.

Sacrificia frugum, similacea, & ex panibus parata, omnium quotquot noverimus, sunt vetustissima (7).

Farra tamen Veteres jaciebant, farra metebant:
Primitias Cereri farra resecta dabant.
Usibus admoniti flammis urenda dederunt.

Docet Plinius (8): *Numa instituit fruge Deos colere, & mola salsa supplicare; atque, ut author est Hemina, far torrere*. Originem cruentorum Sacrificiorum apud Græcos indicat Porphyrius (9); nec ipsa eorum nomina latent, qui primi mactarunt animalia. Nihil hic sibi postulat Deus, nisi quod familiarissimus esset ejus ætatis cibus, sed iis voluit condimentis paratum, qualia ætas ferebat, exquisitissimis. Jubet sale, oleo, vinoque condiri. E farina eligit similam. Porro farinam, vel massam crudam in usum habebant familiarissimum Veteres (10). In Templa Græcorum inferebatur farina quædam, oleo, vinoque subacta, quam amuletorum loco Sacerdotes distribuebant in populum, appellabantque *Hygiejam* vel sanitatem (11). Solemne etiam erat, ut post consummata Græcorum Sacrificia, projiceretur in Altare farina, oleo, vinoque subacta (*Tulemata* appellabant); cujus generis Sacrificia egenis familiarissima, fuisse perhibet Theophrastus (12).

℣. 2.

[1] נפש כי תקריב קרבן מנחה [2] Δῶρον θυσίαν τῷ Κυρίῳ [3] ℣. 2. *Fundet super eam oleum, & ponet thus.* [4] ℣. 13. *Sale condies.* [5] Num. xv. 4. 5. [6] Vide Jerem. XLI. 5. & Baruch. 1. 10. [7] Ovid. Fast. lib. 2. [8] Plin. lib. 18. cap. 2. [9] Porphyr. lib. 2. de abstin. pag. 134. 174. & 179. & lib. 4. pag. 195. 398. edit. Lugd. an. 1620. [10] Vide Suidam in μᾶζα. [11] Vide Aristoph. & Scholiast. p. 701. [12] Vide apud Stobæum. Τὴν δὲ θυσίαν τῶν ἐλαττόνων εἶναι Θεόφραστος.

℣. 2. Totum thus. Cum usibus Sacerdotum nihil valeret thus, ideo totum igni tradendum mandavit Deus; de farina vero, & oleo tantum adoleri jussit, quantum manus ceperet.

Ponet memoriale super altare. Hebræum אזכרתה *Sacharah*, quod Septuaginta, & Vulgata reddunt *memoriale*, verti commode posset: *In cultum & celebrationem Divini Numinis* (1); vel *odorem, & suffitum* (2).

℣. 3. Sanctum sanctorum. Tanta religione sacræ reputandæ sunt oblationes istæ, ut nemo extra septa Tabernaculi quidquam de illis degustare posset. Vetitum erat Sacerdotibus, ne illas deferrent in ædes; vetitum pariter degustandas tradere Uxoribus, & filiabus Sacerdotum. Porro oblationes ejusmodi *Mincha* bis quotidie offerebat Summus Sacerdos, qui complebat integrum diebus singulis gomor farinæ oleo inspersæ, & semicrudæ, cujus mensuræ æqua pars mane, æqua vespere dabatur igni (3). Imperantur hæc omnia capite VI. 20.

℣. 4. Cum obtuleris sacrificium coctum in clibano. Panis in clibano cocti duo sunt genera; aliud enim insperso oleo subigebatur, *conspersum oleo*; aliud linicbatur oleo, sive ante, sive post coctionem, *oleo litum*: utrumque autem azymum erat. Quid rei sit *laganum*, expositum est in Exodum XXIX. 2. Clibani illi, de quibus modo, sunt re ipsa furni, vel operculæ ferrea, aut testacea, aut furni Ægyptiaci, de quibus egimus in Genesim XVIII. 8.

℣. 5. Si oblatio tua fuerit de sartagine. Hebræum *Hammacabath* המחבת facile designare posset vas illud expansum, continens illatas in furnum placentas, de quibus hic. Ea originalis vox deducitur a radice, quæ Hebraice, Chaldaice, & Syriace sonat celare se, vel celari. De laminis nonnullis, quibus ad coquendum panem utuntur Orientales, sicut & de vasis quibusdam marmoreis, atque igne candentibus in eumdem usum, egimus ad Genesis XVIII. 8. Porro de laminis his e Hebræum hujus Textus interpretantur Rabbini Salomon, & Kimchi.

℣. 6. Divides eam minutatim, et fundes super eam oleum. Non satis constat ex Textu, utrum placentæ istæ oleo subactæ fuerint, an potius aqua, ut oleo tantum conspergerentur, postquam coctæ, fractæ, ac redactæ essent in micas. Ad offas hasce nihil magis meo sensu accedit, quam quod norant Veteres sub nomine *mola salsæ*; afferebat autem contusum mola frumentum, sale conditum; quæ mixtura capiti victimarum affundebatur. *Farre pio, & saliente mica*. Apud Græcos purum, nec contusum triticum saliebatur: *Dant fruges manibus salsas*. Farinam præferebant Latini. Crudum salitumque hordeum ideo interdum offerebant Græci, quod inter alimenta hominum esset vetustissimum; nec alia Diis oblata a primævis mortalibus sacrificia censet Ovidius in Fastis, lib. I.

Ante, Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat; & puri lucida mica salis.

Ad sal vero, quod attinet, inspiciendi ratio est aliqua, num adhiberetur a Priscis in sacrificiis. Vide infra ℣. 13. Juvat etiam animadvertisse, apud Veteres, cum triticum, simila, & thus sacro igni traderentur, carpi illa consuevisse tribus digitis (4); vicissim autem Moyses plenis manibus assundi jubet ℣. 2. *Pugillum plenum simila*.

℣. 7. Sin autem de craticula fuerit sacrificium. Hebræa vox מרחשת, quæ in Vulgata est craticula, redditur Syriace vas perforatum, vel sartago, laganis, de quibus hic, excoquendis. Maimonides reputat, cavum fuisse vas cum limbo, in quo oleo innatantes placentæ coquebantur, quo in vase ponebatur madescens adhuc humore massa. Qua utuntur Septuaginta, vox ἐσχάρα, exprimit focum, vel craticulam.

℣. 9. Qui cum obtulerit eam. Recepta ex oblatione elevabit Sacerdos coram Domino quidquid destinatum est, ut sacro igni impositum in bonum odorem sit (5); reliqua sibi sumet.

℣. 11. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet. Exceptio ista, seu potius cautio, ne fermentatus panis offeratur Deo, ea tantum spectet sacrificia, de quibus in hoc capite: in cæteris enim nihil vetitum, uti cum primitiæ consecrandæ essent (6); neque enim sacrificii loco habebantur. Quin & in sacrificiis pacificis, vel eucharisticis oblatus panis creditur (7). Mel in vulgaribus usibus nulla interdicebatur sive lege, sive impuritate: primitiæ mellis Domino debentur, ut in proxime subsequenti versiculo legitur; unica autem ratio quare hic prohibeatur, inde facile repetenda est, quod non satis cohæreat cum cæteris, quibus conficitur panis, Deo hic offerendus, & ejusdem sit indolis cum fermento, ut scilicet subactus ex eo panis acescat (8): respuit maxime societatem olei, salis, & vini. Malunt alii, ideo excludi a Sacrificiis mel, quod apes immundæ censeantur (9). S. Cyrillus Jerosolymitanus, quem ducem Interpretes plures sequuntur (10), autumavit, ideo rejici mel, quod typus sit aptissimus voluptatum carnalium, quas servis suis inhibet Deus. Defendunt alii, consilium in ea re Moysis fuisse, ut Hebræos removeret a moribus Paganorum, apud quos familiaris erat usus mellis in sacrificiis (11). Notat id Herodotus libro II. & de Ægyptiis, ac de aliis pluribus gentibus Scriptores plane multi animadvertunt. Argumentum inde deducit Plutarchus (12), ut probet, Hebræos Bacchum consecrasse; idcirco enim abstinuisse illos a melle in sacrificiis reputat, quod melle vinum corrumpatur; obtinuisse insuper antiquis moribus ante vini usum, ut ex melle pararentur libationes Deorum, & ad inducendam ebrietatem potiones. Sed mel a Sacrificiis Bacchi non abfuisse affirmat Ovidius in Fastis, lib. 3.

Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus idem
Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.

Quicumque in ea fuerunt persuasione, mel ideo in sacris vetari, quod apes in impuris locis consistant; & undique materiam conficiendi mellis sibi colligant, illos refutat Theodoretus (13). Refutat ille pariter opinionem eorum, quibus persuadetur, Legis hujus cudendæ rationem fuisse, ut disceremus mortales, nostro, non alieno, labore parta Deo offerri oportere. Seligit tandem eam sententiam, quæ causam præcepto vindicat, ut per illud abesse nos debere magis magisque e voluptatibus, & blandimentis doceamur. Ezechielis testimonio (14) intelligimus, offerri consuevisse Numinibus non ea tantum, quæ Dominus hic sibi reservat, sed & mel pariter cum cæteris.

℣. 12. Primitias tantum eorum offeretis ac munera. Seponebantur Domino primitiæ mellis, & massæ fermentatæ (15). Ex omnibus, qui coquuntur, panibus esse offerendas primitias, Lege

[1] Ludov. de Dieu. [2] Pagnin. Vatab. Malv. [3] Joseph. Antiq. l. 3. c. 10. [4] Porphyr. [illegible]
[5] Vide ℣. 2. אזכרתה [6] Levit. XXIII. 17. *Ex omnibus habitaculis vestris offeretis panes primitiarum duos, de duabus decimis similæ fermentatæ.* [7] Levit. VII. 13. *Panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum, &c.* [8] Hebr. in Malvenda, & Jansen. [9] Levit. XI. 19. [10] Est. Menoch. Grot. [11] Vide Bochart. de animal. p. 1. l. 4. c. 12. [12] Plut. l. 4. Sympos. qu. 5. [13] Theodoret. qu. 1. in Levit. [14] Ezech. XVI. 18. 19. *Similam, & oleum, & mel posuisti in conspectu eorum, in odorem suavitatis.* [15] Num. XV. 20. *Separabitis primitias Domino de cibis vestris.*

ge sancitum est. Sed ita hæc omnia offerebantur Deo, ut cederent in alimentum Sacerdotum, non in usum Sacrificiorum in Altari. Primitiarum nomine exprimi hic quidam opinantur oblationes incensis mellis, Domino sistendæ; æquius tamen reputaremus, agi hic de spontaneis primitiis, nullo non tempore offerendis.

Persuasum est, qua Hebræis Doctoribus (1), qua pariter doctissimis nostris Lexicographis (2), mellis דבש nomine designari hic non liquorem tantum apum, sed mel pariter, quod e dactylis exprimitur, vel dactylos. Hodie pariter apud Arabes dactylorum nomen manet *dubous*, & mellis dactylorum *dibs* vel *dibis*, quod ad sensum congruit cum Hebræo *dabasch*. Scitum est interomnes, dactylos, & palmeta familiaria fuisse in Judæa; docentque summo consensu Josephus (3), Plinius (4), Philostratus (5), aliique nonnulli; e maturis dactylis exprimi mel, sapore melli genuino parum concedens. Quod autem validius nos pertrahit in hanc sententiam, agi scilicet hic de melle a dactylis, vel de fructibus ipsis, illud est, nimirum imperare Deum in v. 12. hujus capitis, ut sibi ex ea re primitiæ offerantur: constat autem nonnisi de fructibus primitias imperari (6). Ad hæc Moyses (7) ubertatem Chananitidis describens, ferax esse solum dicit hordei, uvæ, ficuum, malogranatorum, mellis, & olei; id est, facile fructuum; ex quibus oleum, & mel manat. Et in secundo Paralipomenon xxxi. 5. cum Ezechias lato edicto injunxisset populo, ut conferret primitias ad convictum Sacerdotum, certatim allatæ sunt illis primitiæ frumenti, vini, olei, mellis, & decimæ omnium proventuum terræ. Cave tamen, hisce omnibus excludi genuinum mel credas; perinde enim habebatur, tamquam fructus proveniens e floribus, herbisque, quem apes sedula tantum cura colligerent, reconderentque in favis.

V. 13. QUIDQUID OBTULERIS SACRIFICII, SALE CONDIES. Commode redderetur Hebræus (8): *Super omni oblatione tua sal offeres*. In sacrificiis animalium sal affundi, nullibi jubet Lex; & promior hujus Textus interpretatio esset, si dictum acciperemus tantum de oblationibus similæ, ac panis. Mos tamen Judæorum sanctionem hanc prorogabat ad omnia late sacrificia; nullum enim sale expers fuisse intelligimus ex illo Marci ix. 48. *Omnis victima sale salietur*. Vel ipsa mensa panum propositionis suo non carebat sale apposito, teste Philone (9). Sal istud donatur hic elogio *salis fœderis Dei* cum Israele, eo enim veluti emblemate designabatur fœdus illud, quod in omnibus sacrificiis utcumque innovabatur. Porro fœderis hujusce firmitatem exprimebat natura salis, & corruptionem in se respuens, & a corporibus arcens.

Qua ætate vivebant Heroes, salis in sacrificiis nullibi apparet usus. Animadvertit Casaubonus, in descriptionibus sacrificiorum apud Veteres Poetas nunquam exprimi sal. Nec a vero abludit, abhorruisse Ægyptios a sale marino, rebusque omnibus, quæ eo condiuntur; utebantur autem eorum Sacerdotes in sacris sale fossili, quod sufficit desertum, Templo Ammonis circumjacens. Limpidum est ita, ut chrystallum imitetur, & minutum est in formam lapilli; creditur autem præ communi sale purius. Sed recentior ætas invexit in Sacrificia omnia Græcorum, & Latinorum sal, & similam, ut nullum sine illis sacrificium esset auspicatum. *Maxime in sacris intelligebatur salis authoritas, quando nulla conficiuntur sine mola* (10).

V. 14. DE SPICIS ADHUC VIRENTIBUS TORREBIS IGNI, ET CONFRINGES IN MOREM FARRIS. Quæ Domino offerrentur, primitiarum plures erant classes apud Hebræos. De his quædam libavimus in Exodo, xxii. 29. in hoc autem libro alterius etiam generis primitiæ adduntur (11). Quarum hic meminit Moyses, hæ deferebant virentes spicas, offerendas Domino, sed torrendas prius igne, ac affrictu manus excutiendas. Id Textus litera exprimit (12); qui duos commode admittere sensus videtur. 1. Offerendas esse spicas virentes, tostas igne, suis gravidas granis, aptis ut affrictu manus excuterentur. Veterum moribus innotuit ratio illa degustandi grana, e virentibus, ac tostis spicis excussa (13); quod hodie pariter familiare est agricolis. Alter sensus a Textu non alienus, exhibet, offerendum esse purum frumentum, ex aristis excussum. Onkelos ita reddit: *De spicis virentibus torrefactis igne, confractis ac teneris*. Jonathan: *Spicas recentes tostas igne, farinam frixam, & spicas tritas*. Author quæstionum Hebraicarum in Paralipomena notat, appellari *granea*, quæ affrictu isto excutiebantur grana, in Templo offerenda.

Septuaginta (14) vertunt *novum frumentum*, vel *novas spicas tostas & confractas*, manu contusas, seu mola, seu mortario. Tradit Galenus (15), in insula Cypro incolas eo farinæ genere e novo hordeo bene tosto, & contuso plurimum uti consuevisse. Scythæ, teste Herodoto libro iv. ita ferebant, ut non panem ex messibus sibi conficerent, sed frumenta in reducerent; quo igne tosto victitarent. Addit post hæc Herodotus, nefas esse offerri frumentum Dianæ, nisi in aristis. In festis nonnullis norant Romani morem adolendi spicas virentes. Ovidius Fastorum 1.

Cernis odoratis ut luceat ignibus æther,
Ut sonet accensis spica cilissa focis.

V. 16. DE QUA ADOLEBIT SACERDOS . . . . PARTEM FARRIS FRACTI. Hebræum *geresch* exprimit, juxta Septuaginta, far affrictu manus arista spoliatum. Paraphrastes Chaldæus id accipere videtur, uti Vulgata, de farre contuso mola vel mortario. Vetus alius Interpres vertit: ἐκ φρυγμάτων αὐτῆς, *De torrefactione ejus*. Olim ab exordio familiarissime obtinebat; ut prius torreretur in crate frumentum, quam subderetur molæ, tostum enim minori negocio contundebatur, quo maxime tempore molæ usus nondum obtinuerat. Virgilius:

Nunc torrete igni fruges, & frangite saxo.

Ovidius Fastorum libro vi.

Sola prius furnis torrebant farra coloni.

Farra illa ita confracta, atque contusa, pultis genus quoddam conficiebant, quod loco panis diu valuit (16). Pultis etiam genus aliquod parant hodie Turcæ (17) ex frumento cocto, tum Sole exsiccato, ac tandem contuso. Vide quæ contulimus in Genesim xix. 3. Quo ad Moysem regrediamur, privati quique offerebant Sacerdoti portionem hujus farris, seu affrictu excussi, seu contusi. Affundebat cum sale oleum Sacerdos, cujus portionem injiciebat in ignem Altaris, una cum toto thure delato: reliqua cedebant Sacerdoti.

(1) Rabb. Salom. ad Lev. ii. 11. Maimon. tract. Berac. c. 8. Kimchi ad 2. Paral. xxxi. 5. (2) Buxtorf. Schindler. (3) Joseph. de bell. Jud. l. 5. c. 3. (4) Plin. l. 13. c. 4. (5) Philost. Apoll. ii. (6) Exod. xxxiv. 26. Num. xviii. 26. Deut. xxvi. 2. & xxviii. 4. (7) Deut. viii. 8. (8) על כל קרבנך תקריב מלח (9) Phil. l. 3. de vita Mos. Ἡ δὲ τράπεζα τίθεται ... ἄρτοι καὶ ἅλες. (10) Plin. l. 31. c. 7. (11) Levit. xxiii. 16. & Deut. xxvi. 2. (12) אביב קלוי באש גרש כרמל 70. Χίδρα ἐρικτά. *Spicas virides comminutas*. Sym. Aq. Ἁπαλὰ λάχανα ... *Tenera olera leguminis similia*. Theodot. Πίονα ἄλευρα. *Pingues farinas*. (13) Vide Aristoph. in Pace, & in Equitib. apud Casaubonum in Athenæum l. 14. c. 16. (14) Νέα πεφρυγμένα χίδρα ἐρικτά. (15) Galen. lib. Περὶ τροφῶν δυνάμεως. (16) Plin. xviii. 7. (17) Bellon. l. 3. observ. c. 59.

C A-

CAPUT III.

Cæremoniæ pro Sacrificiis pacificorum.

℣. 1. QUod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem sive fœminam, immaculata offeret coram Domino. 2. Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu Tabernaculi Testimonii, fundentque filii Aaron Sacerdotes sanguinem per Altaris circuitum. 3. Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino, adipem, qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis est intrinsecus. 4. Duos renes cum adipe, quo teguntur ilia, & reticulum jecoris cum renunculis. 5. Adolebuntque ea super Altare in holocaustum, lignis igne supposito, in oblationem suavissimi odoris Domino. 6. Si vero de ovibus fuerit ejus oblatio, & pacificorum hostia, sive masculum obtulerit, sive fœminam, immaculata erunt. 7. Si agnum obtulerit coram Domino, 8. Ponet manum suam super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in vestibulo Tabernaculi Testimonii: fundentque filii Aaron sanguinem ejus per circuitum Altaris; 9. Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino: adipem, & caudam totam, 10. Cum renibus, & pinguedinem, quæ operit ventrem, atque universa vitalia & utrumque renunculum cum adipe, qui est juxta ilia, reticulumque jecoris cum renunculis, 11. Et adolebit ea Sacerdos super Altare in pabulum ignis, & oblationis Domini, 12. Si capra fuerit ejus oblatio, & obtulerit eam Domino, 13. Ponet manum suam super caput ejus: immolabitque eam in introitu Tabernaculi Testimonii. Et fundent filii Aaron sanguinem ejus per Altaris circuitum. 14. Tollentque ex ea in pastum ignis Dominici, adipem, qui operit ventrem, & qui tegit universa vitalia: 15. Duos renunculos, cum reticulo quod est super eos juxta ilia, & arvinam jecoris, cum renunculis. 16. Adolebitque ea super Altare Sacerdos in alimoniam ignis, & suavissimi odoris. Omnis adeps Domini erit, 17. Jure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris; nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.

℣. 1. QUod si hostia pacificorum fuerit. Varie reddi potest Hebræus: זבח שלמים. Septuaginta vertunt: Θυσία σωτηρίου, *Victima salutis*, seu *Victima salutaris*, ad impetrandum nempe a Deo aliquid, agendasque grates pro impetratis. Commode etiam exprimeretur Hebræus: *Hostia Sanctificationis*; unde scilicet sanctitas, & gratia redundat in offerentes. Juxta alios, *hostia gratiarum actionis*; vel *hostia integritatum*, absoluta scilicet, & perfecta, in qua, portione Deo segregata, sua pariter & Sacerdoti, sua tandem offerenti Sacrificium, officii partes omnes implentur: vel tandem appellatur *hostia perfecta*, aut hostia perfectorum, quod puris tantummodo comedenda concederetur (1): *Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, peribit de populis suis*. Denique Aquila, Symmachus, Theodotion, Vulgatæ interpretationem confirmantes, reddunt; Θυσία εἰρηνικῶν. *hostia pacificorum*.

Destinabitur hostiæ pacificæ sive ad liberandam nuncupati voti alicujus fidem, sive ad postulandum a Deo aliquid, sive in gratiarum actionem pro acceptis, sive tandem in honorem Dei, solo Religionis spontaneæ impulsu. Nulla erant utique sacrificia magis gratuita. Sua erat victimæ portio Sacerdoti; certa alia absumebatur igne Altaris; reliqua concedebatur exhibenti victimam; ex qua plerumque is instruebat convivia, seu familiæ, seu amicis. Cum vero oblationes perficiebantur tantum simila, frumento, vel panibus, nihil ad offerentem redibat.

Marem, sive foeminam immaculata. Sexus, ætasque victimæ non quærebantur; qua in re id sacrificii genus distinguebatur ab holocausto, quod masculum a vitio quocumque purum exigebat (2). Præter ritus in hoc capite præscriptos ob Sacrificia Eucharistica tum & hostias pacificas, nonnullos additos habemus infra in Capite VII. a ℣. 11. usque ad 19. & a ℣. 28. usque ad 33.

℣. 2. Ponetque manum super caput victimæ suæ. Hunc ritum comitabantur aptæ quædam ad circumstantias, & scopum offerentis hostiam preces. Exprimit hic & ℣. 3. non obscure Textus, immolandi victimam munus fuisse ejus, qui victimam illam sufficiebat; id est, manu sua ille mactabat, adipem separabat, præbebatque Sacerdoti sacro igni imponendum, quemadmodum & eidem Sacerdoti tradebat cruorem, circa Altare effundendum. Porro Hebræus ad literam ita sonat (3): *Ponet manum suam super caput oblationis suæ, & immolabit eam, & spargent sanguinem*.

Immolabitur in introitu Tabernaculi; idest, in loco inter Altare holocaustorum, & Tabernaculum medio. Hostiæ pro peccato, & holocaustis immolandis suus erat locus destinatus ad Septemtrionem Altaris (4). Recurrunt hic salebræ illæ omnes, quas offendimus supra capite 1. 3. 5. defendunt enim quidam, vetitum fuisse laicis, ut ad Altare usque holocaustorum procederent, atque victimam suam mactarent; malunt alii, juxta fidem Textus, & Vulgatæ, nihil esse reservatum Sacerdotibus, nisi aspersionem sanguinis victimæ, ad basim Altaris.

℣. 3. Adipem, qui operit vitalia. Hebræus ad literam (5): *Adipem operientem intestinum, & adipem, qui super intestinum*. Ita reddunt pariter & Se-

(1) Levit. XXI. 20. 21. Hoc forte sensu Chaldæus vertit: *Hostia sanctificationum*, vel sanctificatorum.
(2) Cap. I. 3. (3) וסמך ידו על ראש קלבנו ישחטו פתח אהל מועד וזרקו בני אהרן את הדם (4) Levit. I. 11.
(5) החלב המכסה את הקרב ואת כל החלב אשר על הקרב

& Septuaginta; quare unum idemque videtur ingeti mandatum, varie tamen imperatum. Commode autem primum hujus Textus membrum accipi potest de adipe tegente proxime ventriculum, & intestina, de adipe eorum substantiæ inhærente (1), alterum vero, *Adipem, qui est super vitalia*, de adipe tegente proxime, atque super intestina incumbente, cujusmodi vocant *omentum*, vel *epiploon*, Ægyptiorum, & Græcorum cura erat potissima in Sacrificiis, ut adipem e reliqua victima separarent, atque distributis super focum membris victimæ, adipem illum superponerent, ut uteretur (2). Cum adeps portio sit inter cæteras victimæ maximo in pretio habita, nefas utique fuisset subducere illum a Sacrificio. Porro quæ victimæ partes igni Altaris tradebantur, indicio sunt nobis, quis esset Veterum gustus de dapibus. E tota victima nihil reservabant Diis suis Persæ, nisi portionem *omenti* (3); aliud scilicet nihil sibi poscere Numina, quam hostiarum animas (4).

Gnatus at accepto veneretur carmine Divos,
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

℣. 4. Duos renes cum adipe, quo teguntur ilia. Septuaginta (5): *Duos renes, & adipem qui est super femora*. Eamdem vocem in Psalmo xxxvii. 7. iidem vertunt ψόας, *lumbos*; quod pariter expressit Symmachus. S. Hieronymus interdum ponit *latera*, interdum *lumbos*, hic *ilia*. Confudisse in unum videtur *lumbos*, utrique spinæ lateri respondentes, juxta renes, cum *iliis*, positis inter coxendices supra umbilicum, ac tandem cum *lateribus*, post costas ad usque humeros regnantibus. Censent Hebræi, dictum hoc accipi oportere de partibus infra lumbos juxta renes, & anum, quas plerumque obsidet adeps. Bochartus, qui sedulo hunc Textum expendit, lumbis favet.

Reticulum jecoris. Hebræus: יותרת על הכבד *Fibram super hepate*, LXX.: Τὸν λοβὸν τὸν ἐπὶ τοῦ ἥπατος, *Lobum, qui super jecur*. Alius: Τὸ περιττὸν ἀπὸ τοῦ ἥπατος, *Superfluum a jecore*. Accipiuntur hæc de parte illa, quæ ventriculum tegit, quam Latini appellant *omentum*. Ad Exodi XXIX. 13. demonstratum est, commode hunc Textum exponi posse cum Septuaginta de ampliori lobo jecoris. Malunt Judæi expressam agnoscere rubram illam carnem, qua jecur obvolvitur.

℣. 5. Adolebuntque ea super altare in holocaustum. Dissectæ partes istæ victimarum pacificarum imponebantur super holocaustum quotidianum, una cum illo simul igne absumendæ, si Theodoreto (6) credimus. Reputant alii, Textus hujus sententiam exprimere, partes hostiarum pacificarum impositas fuisse igni, quo penitus absumerentur, similitudine quadam holocausti. In posteriorem hunc sensum inclinamur. Vertunt alii (7): *Adolebunt post holocaustum*, idest, post absumptum holocaustum; holocaustum enim illud quotidianum cætera omnia sacrificia præcedebat.

℣. 6. Si de ovibus. Hebræa vox (8) exprimit capras, & oves, & quidquid ad genus illud refertur, sed definienda est hic tantum ad oves, & ad ovium speciem. De capris sermo est infra, ℣. 12.

℣. 8. Immolabitur in vestibulo. Hebræus & Septuaginta ושחט אתו, σφάξει αὐτὸ, *Immolabit ipsum in vestibulo*. Qui victimam dabat, ille pariter mactabat in atrio, juxta Altare (9).

℣. 9. Adipem, et caudam totam. Septuaginta: Ο'σφὺν ἄμωμον, *adipem, & lumbum immaculatum*, sine vitio. Hebræus exprimit (10): *Accipiet adipem ejus* [victimæ], *& caudam integram, quam e regione spinæ dorsi avellet*, a radice avellet, vel cum radice. Egimus supra in Exodi xxix. 22. de caudis ovium Syriæ, & Arabiæ (11) pinguibus adeo & immanibus, ut ad regendum pondus juvari necesse sit oves illas plaustris quibusdam parvis, caudam sustinentibus. Notat Herodotus, Ægyptios, cum sues immolarent, nunquam non caudam Altari imposuisse, quæ portio erat animalis selectissima. Quanti id genus dapum æstimaretur, intelligimus ex Lucilio apud Nonnium: *Cocus non curat caudam insignem esse, dum pinguis fiet*. Confirmant hæc sententiam alibi a nobis constitutam, sacrificia nempe pacifica perinde habita fuisse ac convivia Deo instructa. Quod pariter licet agnoscere in ℣. 11. ita juxta fidem Hebræi commode reddendo: *Adolebit victimam Sacerdos super Altare, tanquam panem, vel cibum, qui crematur, vel assatur Domino*. Alibi etiam Deus (12) profitetur, sacrificia illa perinde se accipere, ac panem & cibum suum: *Panis meus*. Altare mensa Domini appellatur. (13)

℣. 10. Offerent totam caudam cum renibus, et pinguedinem, quæ operit ventrem, atque universa vitalia, et utrumque renunculum cum adipe, qui est juxta ilia, reticulumque jecoris cum renunculis. Frustra hic renes ter repetiti videntur. Concisior, & luculentior Hebræus fert (14): *Et duos renes, & adipem qui super eis* est, *qui super ilia, & fibram* [lobum] *hepatis*, quæ *super renibus* est. Legunt Septuaginta: *Adipem, qui est super femora*, pro adipe, qui est super ilia. Vide supra ℣. 4.

℣. 12. Si capra fuerit. Caprarum speciem omnem intellige, nempe hircum, hœdum, capram.

℣. 15. Consule supra ℣. 10. qui eadem præfert.

℣. 16. Omnis adeps Domini erit (℣. 17.) jure perpetuo in generationibus, et cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis. De sensu hujus versiculi multi multa. Sunt qui (15) ad literæ rigorem accipiant, veluti si Hebræis quocumque loco, & tempore vetaretur in cibum adeps, & sanguis. Opinionem veri huic sententiæ conciliant verba Textus, ea maxime, quæ postremo loco adduntur: *In generationibus, & cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem, nec adipem*. Malunt alii, de rigore literæ aliquid remittendum esse; ita tamen, ut sanguis tantum vetitus nulla limitatione censeatur (16); cætera vero tunc vetari tantum autumant (17), cum agitur de præsenti oblatione Sacrificii. Nefas erat tunc exhibentibus victimam de ejus adipe degustare, de adipe, inquam, supra ℣℣. 9. 10. descripto, a carnibus nempe separato, non adipe admixto, atque concreto cum partibus carneis. In aliis rerum circumstantiis usus adipis minime interdicebatur. Hanc sententiam probant, 1. e silentio Scripturæ, nunquam aperte vetantis usum adipis, nisi ex animalibus in Sacrificium oblatis, & quo tempore actu offerebantur.

(1) Heb. apud Fagium. (2) Herodot. l. 2. c. 47. & Homer. Odyss. ξ. v. 424. (3) Strab. l. 15. Eustat. in Iliad. l. (4) Catull. Epigr. de Magis. (5) שתי הכליות . . . והחלב אשר על הכסלים 70. Τὸ στέαρ τὸ ἐπὶ τῶν μηρῶν. (6) Quæst. 1. in Levit. (7) Rab. Salom. in Fagio. (8) מן הצאן (9) Cap. 1. ℣. 3. & 5. & Cap. 111. ℣. 2. (10) חלבו האליה תמימה לעמת העצה יסירנה (11) Vide Arist. hist. anim. l. 8. c. 28. Plin. l. 8. c. 48. Diodor. Sicul. l. 3. c. 12. Ælian. l. 10. c. 4. Vide & recentiora Itineraria, uti Ludovici Romani, Pauli Veneti, & Busbequinm Epist. 3. *Est frequens in Asia circa Ancyram genus illud ovium, quod pinguem & ponderosam caudam trahit, quæ modo trium aut quatuor, modo etiam octo aut decem librarum est. Quin ima in eam aliquando magnitudinem accrescit, ut duas rotulas cum media tabella subjici necesse sit*, &c. (12) Levit. xxi. 21. & xxii. 16. & Num. xxviii. 2. (13) Malach. 1. 7. 12. *Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? In eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est.* (14) ואת שתי הכליות ואת החלב אשר עלהן אשר על הכסלים ואת היותרת על הכבד על הכליות (15) Ita Judæi recentiores, Lyr. Villet. (16) Genes. ix. 4. Levit. vii. 26. 27. & xvii. 10. 11. 12. Deut. xii. 16. & xv. 23. (17) Tirin. Menoch. Cornel. Bonfr. Maimon. Abenezra, &c.

tur. II. Alibi ubicumque Lex vetat generali inhibitione usum sanguinis, nunquam sanctionem hanc suam ad adipem prorogat. III. Io Levitico XVII. 13. permittit Deus in cibum prædam omnem veoatu captam, tum e volatilibus, tum ex animantibus puris, solumque, adipe non excepto, sanguinem vetat. Et Deuteronomii XII. 15. Israelitis in medio relinquit Deus, ut de puris omnibus animantibus degustent, oihil excipiens, oihilque cavens, sive dotes habeant ad saerificium requisitas, sive noo: *Comedite*, ait, *sicut capream, & cervum, absque esu dumtaxat sanguinis.* Io Levitico VII. 23. vetat quidem Deus ne gustetur adeps boum, caprarum, atque ovium; addit tamen paulo iofra: *Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domino, comederit, peribit de populo suo*: qua definitione veluti insinuat, tunc vetari tantum adipem, cum victimæ offeruntur Domino. E postrema hac sanctione repetitur mos Judæorum, abstinendi ab adipe boum, ovium, & caprarum; uti constat ex Josepho (1), & recentioribus Judæis, qui sibi permissum ceosent adipem cæterorum omnium mundorum animantium, etiam morticinorum; cum interdicantur quidem Lege a cibo postremi hujus adipis, noo vero ab aliis ejusdem usibus: *Adipem cadaveris morticini, & ejus animalis, quod a bestiis captum est, habebitis in varios usus.* Quid tandem fieret de boum, arietum, & caprarum, oulla non die mactatorum in Urbibus, adipe, si ab eo degustando Legis præcepto arcebantur?

[1] Antiq. l. 3. c. 10.

CAPUT IV.

Ritus in Sacrificiis pro peccato ex ignorantia.

℣. 1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere filiis Israel: Anima, quæ peccaverit per ignorantiam, & de universis mandatis Domini, quæ præcepit, ut non fierent, quidpiam fecerit: 3. Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum; offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino. 4. Et adducet illum ad ostium Tabernaculi testimonii coram Domino: ponetque manum super caput ejus, & immolabit eum Domino. 5. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in Tabernaculum Testimonii. 6. Cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum Sanctuarii. 7. Ponetque de eodem sanguine super cornua Altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in Tabernaculo Testimonii: omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim Altaris holocausti in introitu Tabernaculi. 8. Et adipem vituli offeret pro peccato, tam eum, qui vitalia operit, quam omnia, quæ intrinsecus sunt: 9. Duos renunculos, & reticulum, quod est super eos juxta ilia, & adipem jecoris cum renunculis, 10. Sicut aufertur de vitulo hostiæ pacificorum: & adolebit ea super Altare holocausti. 11. Pellem vero, & omnes carnes, cum capite, & pedibus, & intestinis, & fimo, 12. Et reliquo corpore, efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent: incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur. 13. Quod si omnis turba Israel ignoraverit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, 14. Et postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducetque eum ad ostium Tabernaculi. 15. Et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino. Immolatoque vitulo in conspectu Domini, 16. Inferet Sacerdos, qui unctus est, de sanguine ejus in Tabernaculum Testimonii: 17. Tincto digito aspergens septies contra velum, 18. Ponetque de eodem sanguine in cornibus Altaris, quod est coram Domino in Tabernaculo Testimonii; reliquum autem sanguinem fundet juxta basim Altaris holocaustorum, quod est in ostio Tabernaculi Testimonii. 19. Omnemque ejus adipem tollet, & adolebit super Altare: 20. Sic faciens & de hoc vitulo, quomodo fecit & prius: & rogante pro eis Sacerdote, propitius erit eis Dominus. 21. Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet, sicut & priorem vitulum: quia est pro peccato multitudinis. 22. Si peccaverit princeps, & fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, 23. Et postea intellexerit peccatum suum: offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum: 24. Ponetque manum suam super caput ejus. Cumque immolaverit eum in loco, ubi solet mactari holocaustum, coram Domino, quia pro peccato est, 25. Tinget Sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua Altaris holocausti, & reliquum sanguinem fundens ad basim ejus. 26. Adipem vero adolebit supra, sicut in victimis pacificorum fieri solet: rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato ejus; &

dimittetur ei. 27. Quod si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ, ut faciat quidquam de his, quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, 28. Et cognoverit peccatum suum; offeret capram immaculatam: 29. Ponetque manum super caput hostiæ, quæ pro peccato est, & immolabit eam in loco holocausti. 30. Tolletque Sacerdos de sanguine in digito suo: & tangens cornua Altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus. 31. Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum; adolebit super altare in odorem suavitatis Domino: rogabitque pro eo, & dimittetur ei. 32. Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem scilicet immaculatam; 33. Ponet manum super caput ejus, & immolabit eam in loco, ubi solent cædi holocaustorum hostiæ. 34. Sumetque Sacerdos de sanguine ejus digito suo; & tangens cornua Altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus. 35. Omnem quoque adipem auferens, sicut auferri solet adeps arietis, qui immolatur pro pacificis, cremabit super Altare in incensum Domini: rogabitque pro eo, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.

℣. 2. ANIMA, QUÆ PECCAVERIT PER IGNORANTIAM. (1). Rabbinos secuti Grotius, Vatablus, aliique plures Interpretes, agi hic tantum reputant de commissis in præcepta negativa peccatis. Nihil re ipsa quidem expressum est, nisi peccatum in res a Deo vetitas: *Quæ præcepit, ut non fierent*. Sed alij perplures contendunt, peccata *per ignorantiam*, de quibus hic, præcepta qua affirmantia, qua negantia æque respicere; in utrisque enim verissime reputaremus, Deum aliquid præcipere ut fiat, contrarium etiam vetare ne fiat. Ita cum jubet coli parentes, quod affirmantis præcepti genus est, vetat pariter negante præcepto, ne quid aspere, ne quid dure, ne quid minus obsequenter in illos perpetremus.

Sermonem hic esse de prævaricationibus per ignorationem facti, non juris, autumant nonnulli. Juris dicitur, cum aliquid præstamus ignorantes agere nos contra Legem; facti autem, cum post factum ignoramus, num illud interdicatur Lege, necne. Vero tamen propius antumamus cum Menochio, dicta hæc Moysis accipi oportere de prævaricationibus per ignorantiam æque omnibus, sive ea sit ignoratio juris, sive facti, sive præceptorum affirmantium, sive negantium: hac tamen addita limitatione, ea scilicet peccata utcumque voluntaria fuisse, ac oportere, ut negligentia aliqua intercesserit saltem interpretativa peccantis, utpote qui minus sedulo munus suum discere studuerit: quæ utique negligentia sacrificiis expianda jubetur. Quod attinet ad prævaricationes incautis prorsus obrepentes, de rebus, quas scire hominem vel pronum non erat, vel non necessarium; de his nihil sanxisse Lex videtur. Genus aliud criminum, cui nullum est ab ignorantia, nisi forte dolo malo affectata, patrocinium, illius utique culpa major est, quam ut expietur sacrificiis. Ea crimina Lex animadversioni magistratuum subjicit tunc potissimum, cum ex Legis contemptu patrata reputari possent.

Notant hic Theologi, Sacrificia a Moyse præscripta in expiationem criminum, sive quæ imprudentibus obrepserunt, sive quæ alia quacumque ratione commissa sunt, nunquam per se maculam illorum eluere, nunquam probrum illud criminis, quod Numini displicet, delere; sed reparare tantum simplicem exteriorem & legalem culpam, atque a capite sontium removere temporalis pœnæ a Deo, vel Judicibus infligendæ severitatem. Crimen delere unius fidei, charitatis, spei, atque intimi animi doloris, sacrificiis conjuncti, privilegium est. His amotis animi & cordis dispositionibus, nihil valent sacrificia, nisi ad eluendas externas, legalesque maculas (2): *Ad emundationem carnis*. Reputasse visus est Origenes (3), sacrificia veteris Legis culpam re ipsa una cum pœna tollere; quæ tamen ejus dicta apposita superius limitatione restringenda sunt.

At enim quid est discriminis inter *peccatum*, & *delictum*? & quid est potissimum peccatum ignorantiæ?

I. Concedimus utique non inviti, sæpe in Scriptura duo ista *peccatum*, & *delictum* indiscriminatim usurpari ad exprimenda peccata plane inter se diversa.

II. Cum vero Scriptura *peccatum* distinguit a *delicto*, Interpretes quidam (4) arbitrantur, prius illud exprimere peccatum *commissionis*, alterum vero *omissionis*. *Peccatum*, Hebraice חטאת *Chatath*, est Rabbinis prævaricatio in præcepta affirmativa; delictum vero, crimen in negativa commissum. Malunt alii *delicti* nomen accipere (5) de criminibus ignorantiæ; *peccati* vero de criminibus sponte, atque a volentibus admissis. Postremam hanc opinionem fulcit Bonfrerius authoritate Josephi (6), distinguentis peccata ignorantiæ, quæ invitis obrepunt, hic memorata, ab aliis arbitrio voluntatis admissis, sed occultis, quorum infra meminit Scriptura. In patrocinium ejusdem sententiæ suæ vocat Philonem in Libro de victimis, ac Sigonium (7). Animadvertit insuper, in ℣℣. 13. 22. 27. hujus capitis, tum primum peccatum in delicti appellationem transire, cum mens ad crimen cœpit adverti. Fatetur ille tamen, discrimen hoc non ubique servari, cum in Levitici VI. 1. occurrant crimina sponte, nec ab imprudentibus commissa, quæ *peccati* nomine designantur; sicut vicissim & ignorantiæ crimina *delicta* appellantur Levitici V. 19.

S. Gregorio Magno (8) *peccatum* sunt actiones pravæ; *delictum* malæ cogitationes. Discrimen omne inter *peccatum*, & *iniquitatem* subducere videtur S. Joannes (9) verbis illis: *Omnis iniquitas est peccatum*. Hebræa vox *Schegagah* שגגה, quæ a Vulgata redditur hic *per ignorantiam*, vertitur ab Aquila, & Septuaginta *ἀκουσίως*, *non voluntarie*; quod scilicet re ipsa ex subsequentibus intelligamus, agi hic de crimine, quod nolenti, & imprudenti obrepit, ut opposito criminibus sponte, & voluntatis arbitrio admissis. Versionem hanc Septuaginta rejicit Grotius eo nomine, quod omnia quidem ab ignorantibus præstita nulla sint voluntate gesta; sed non omnia, quæ non volentes agimus, ignorantes præstemus. Quare minus juste non voluntarium usurparetur ceu synonymum criminibus per ignorantiam admissis. Sunt igitur hic peccata ignorantiæ, quæ per errorem, incuriam, obli-

[1] בשגגה Septuag. Ἀκουσίως; *Non sponte*. Aqu. Sym. Ἐν ἀγνοίᾳ, *In ignorantia*. [2] Hebr. IX. 13.
[3] Hom. 3. in Levit. [4] Origen. in Levit. & August. qu. 20. in Levit. Grot. in Levit. V. ℣ 1. &c.
[5] Aug. loco citato, & Hieron. in ℣. 34. c. 43. Ezech. [6] Antiq. l. 3. c. 10. [7] De Repub. Hebr. l. 4. c. 1. [8] Hom. 21. in Ezech. [9] 1. Ep. c. III. ℣. 4. & ℣. 17.

oblivionem, incautis, ignorantibus, vel non attendentibus ad officium suum obrepunt; quorum tamen minor cautio ab affectati, ac voluntarii doli culpa, sicut & a delicto obfirmatæ in malo voluntatis, est immunis. Quare commode redderetur Hebræum *Schegagah*, *per errorem*, *per incogitantiam*. Ex his omnibus recte inferas, discrimen hoc sententiarum nihil inferre in hac re certi.

Docet Aristoteles (1), Legislatores animadversioni subjicere inducta per ignorantiam crimina, cum in sua saltem radice, assentiente voluntate patrata convincuntur, E. g. duplex statuitur pœna in ebrios, qui imprudentes aliquid commiserint; pronum enim & facile ipsis erat a vino abstinere.

℣. 3. Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, Septuaginta: *Ἐὰν δὲ ὁ ἀρχιερεὺς*, *Si Princeps Sacerdotum*: & contextus sermonis satis demonstrat, agi hic de Summo Sacerdote, qui hic designatur nomine *Sacerdotis, qui unctus est*, quod solus inter omnes Sacerdotes inungeretur; neque enim chrismate Sacerdotes reliqui initiabantur. Sacra quidem unctione delibuti sunt Filii Aaronis semel in consecratione sua; quæ unica unctio pro ipsis & pro posteris eorum omnibus valuit. Si quid ergo commiserit imprudens Summus Sacerdos, unde error, & crimen derivetur in cæteros; si exemplo, vel doctrina sua, vel munere ministerii sui obeundo offendiculum exhibeat populo ad crimen, offeret in Sacrificium vitulum, eum ritu in Textu præscripto.

Animadvertere juvat, ipsos esse, eosdemque ritus cum illis, quos præscribit Lex infra, xvi. 5. 6. pro expiatione peccati Summi Sacerdotis, & familiæ ipsius, die solemnis Expiationis; eo tantum discrimine inter duo hæc constituto, quod in his rerum eventibus Summus Sacerdos solus ingreditur Sanctum, aspergitque septies contra velum Sanctuarii, non tamen eo penetrat, nisi die Expiationis.

Commode redderetur Hebræus (2): *Si Sacerdos unctus peccaverit ad delictum populi*; ita peccaverit, ut delinquendi ansam præbeat populo; vel juxta alios: *Si peccaverit, juxta morem peccandi hominum*, nempe per ignorantiam, & inconsiderationem; ita vertit Arabs. Syriacus vero: *Si deliquerit in* [victima pro] *peccato populi*; si quid erret in offerendo sacrificio pro peccato populi. Porro verba hæc, *Delinquere faciens populum*, accipi oportet de levi aliquo errato, maxime in ritus Legis commisso; majora enim crimina non facili adeo opera expiabantur. Qui e. g. fratres suos pertraheret ad Idololatriam, vel in grave aliud ejusmodi crimen, capite suo pœnas delicti luebat, *Deut.* xiii. 15.

Offeret vitulum immaculatum. Hebræum פר *phar* accipi potest de vitulo, tauro, vel bove, nullo ætatis discrimine.

℣. 5. Hauriet quoque de sanguine vituli. Septuaginta & Textus Samaritanus: *Accipiet Sacerdos unctus, cujus consecrata est manus, de sanguine vituli*. Victimæ sanguinem accipiens, inferebat in sanctum, *in Tabernaculum Testimonii*, non in Sanctuarium. Totam cæremoniam ipse per se præstabat Summus Sacerdos, imprudentiæ suæ crimen expians (3), non alterius Sacerdotis ministerio.

℣. 6. Asperget eo septies coram Domino. Exemplaria quædam Latina ferunt: *Asperget eum*; alia *eos*; alia tandem *cum sanguine*. Effundebat sanguinis victimæ portionem ad basim Altaris holocaustorum; eo pariter cruore liniebat cornua Altaris thymiamatis; quod erat reliqui, eo septies

contra velum, Sanctum a Sanctuario distinguens, aspergebatur. Numerus septenarius sacer est in omnibus fermei cæremoniis religiosis, qua in Scriptura, qua apud Profanos. Apulejus (4): *Meque protinus purificandi studio, marino lavacro trado, septies submerso fluctibus capite*. Septies etiam facile usurpatum est pro pluribus vicibus, indefinite. Vatablus.

℣. 8. Adipem vituli offeret pro peccato. Hebræus, & Septuaginta addunt hic, separandum esse a Sacerdote adipem a victima; infra vero ℣. 10. habent tantum, offerendum esse illum adipem in igne Altaris.

℣. 9. Adipem jecoris. Ipse est adeps supra appellatus *reticulum jecoris*, membrana nempe integens jecur (5).

℣. 11. Cum capite et pedibus. Septuaginta; *Σὺν τῇ κεφαλῇ, καὶ τοῖς ἀκρωτηρίοις*, *cum capite & extremitatibus*. Alius: *Σὺν τοῖς ποσὶν αὐτοῦ*, *cum pedibus ejus*. Hebræus: על ראשו ועל כרעיו *cum capite ejus, & cum cruribus ejus*, idest, capite, & abscissis membris, capite nempe, femoribus, & cruribus.

℣. 12. Efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent. Cremabantur carnes, caput, concisa membra, corium, ilia, & fimus animalis extra castra, in loco, quo ex Altare sublati cineres efferebantur. Supra ex capite 1. 16. hujus Libri intelligimus, cineres illos depositos fuisse certo loco intra atrium ad Orientem Altaris: efferebantur dein extra castra in locum purum, nullo cadavere, vel re aliqua immunda violatum. Membra hæc victimæ extra castra delata, emblemate quodam exprimebant, peccatum Summi Sacerdotis, Principis, vel populi arceri quodammodo, & amandari, ut a Dei aspectu longius amoveatur. Designabatur his pariter sacrificium Jesu Christi, extra Jerosolymam consummandum (6).

℣. 13. Quod si omnis turba Israel ignoraverit, et per imperitiam fecerit. Septuaginta ita vertunt: *Si autem omnis Synagoga Israel per ignorantiam peccaverit non sponte, & latuerit verbum* [*καὶ λάθῃ ῥῆμα*, alias, *ἐν ἐπισκοπῇ λόγος*] *ab oculis Synagogæ, & fecerint unum de mandatis Domini, quod faciendum non erat, & deliquerint*. Certum in interpretatione hac constituitur, hic spectari peccatum ad populum in unum cœtum coactum pertinens, non ea quæ clam in gentem, vel urbem aliquam in Israele obrepunt. Porro agitur hic tantum de minoribus peccatis, majoribus enim coercendis alia præscripta erant. Vide *Deuteron.* xvii. 12.

In censum delictorum ejusmodi, quæ ignorantibus obrepunt, referendum est illud sub Saule a populo commissum (7), cum scilicet seu ignoratione Legis, seu incuria factum est, ut immolarentur hostiæ super humum, nec a sanguine probe purgarentur. Quæ imperantur pro expiatione populi cæremoniæ, ab aliis ob tollendum delictum Summi Sacerdotis in eo tantum distinguebantur, quod in prioribus illis Seniores populi, totius gentis referentes personam, capiti victimæ manum imponerent, & peccatum illud confiterentur.

℣. 14. Offeret vitulum. Septuaginta, & Samaritanus: *Vitulum ex bobus immaculatum*.

℣. 16. Inferet sacerdos. Editio Complutensis, & Parisiensis præferunt: *Summus Sacerdos*.

℣. 18. In cornibus altaris. Septuaginta, & Samaritanus, ceu supplemento addunt: *In cornibus Altaris Thymiamatis*.

℣. 21. Ipsum autem vitulum efferet. Septuaginta: *Efferent vitulum totum*; idest, quæ super-

sunt,

(1) Ad Nicomach. l. 3. c. 7. (2) אם הכהן המשיח יחטא לאשמת העם Ita 70. Ἐὰν ἁμάρτῃ, τοῦ τὸν λαὸν ἁμαρτεῖν. (3) Heb. ix. 7. *Non sine sanguine, quem offert pro sua & populi ignorantia*. (4) Lib. xi. Metamorph. (5) Vide Exod. xxix. 13. & Levit. iii. 4. (6) Heb. xiii. 12. 13. *Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*. (7) 1. Reg. xiv. 33.

ſunt, demptis iis, quæ demenda Lex præſcribit. Vide ℣℣. 18. 19.

℣. 22. Si peccaverit princeps. Communi Principis nomine ii omnes cenſentur, quorum eſt ſumma utcumque dignitas, Reges, Principes, copiarum Imperatores, Principes Tribuum, Urbium, & clariſſimarum familiarum.

℣. 23. Hircum immaculatum. Hebræus,. & Septuaginta: *Hircum ex capris maſculum immaculatum.* (Nomen maſculi hic utique redundat:) niſi forte in ea Regione obtinuiſſe reputemus morem hircos abſcindendi.

℣. 24. Cumque immolaverit eum. Septuaginta, & Samaritanus in plurali ponunt: *Cumque immolaverint eum;* quemadmodum & in ℣. 29. Textum accipiunt de Sacerdotibus. Vide I. 5. & III. 2.

℣. 26. Adolebit adipem. De carnibus hujus victimæ, quid agendum ſit, nihil hic edicit Moyſes; ſed in capite VI. 26. jubet relinqui in cibum Sacerdotibus.

℣. 27. Quod si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ. Quæ ignorantibus obreperent privatis delicta; expiabat ſacrificium capellæ, vel ovis (℣. 32.); vel agni, vel arietis cap. V. 15. vel geminæ columbæ, vel ſaltem pro tenuioribus tantumdem præſtabant oblationes quædam ſimilæ, ℣. 11.

℣. 35. Cremabit super altare in incensum Domini. Hebræus ad literam (1): *Adolebit Sacerdos ea in Altari ſuper ignitiones Domini*, nempe ſuper victimas igne abſumptas, vel *præter ignitiones*, vel *poſt ignitiones*, victimas ſcilicet Domino oblatas. Vide cap. III. 5. ubi ſimilis loquendi phraſis recurrit.

(1) הקטיר הכהן אתם המזבחה על אשי יהוה

C A P U T V.

Animadverſiones in eos, qui ſibi comperta ſilent coram Judice juratos interrogante. Sacrificia pro eluenda macula ex contactu rei impuræ; & pro jurejurando temere præſtito; pro iis, qui imprudentes retinent aliquid, quod Deo conſecratum eſt; pro iis tandem, qui ignorantes aliquid in cæremoniis peccant.

℣. 1. SI peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit, quod aut ipſe vidit, aut conſcius eſt: niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam. 2. Anima, quæ tetigerit aliquid immundum, ſive quod occiſum a beſtia eſt, aut per ſe mortuum, aut quodlibet aliud reptile: & oblita fuerit immunditiæ ſuæ, rea eſt, & deliquit. 3. Et ſi tetigerit quidquam de immunditia hominis, juxta omnem impuritatem, qua pollui ſolet, oblitaque cognoverit poſtea, ſubjacebit delicto. 4. Anima, quæ juraverit, & protulerit labiis ſuis, ut vel male quid faceret, vel bene, & idipſum juramento, & ſermone firmaverit, oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum; 5. Agat pœnitentiam pro peccato, 6. Et offerat de gregibus agnam, ſive capram: orabitque pro ea Sacerdos, & pro peccato ejus. 7. Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato, & alterum in holocauſtum. 8. Dabitque eos Sacerdoti: qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput ejus ad pennulas, ita ut collo hæreat, & non penitus abrumpatur. 9. Et aſperget de ſanguine ejus parietem Altaris: quidquid autem reliquum fuerit, faciet diſtillare ad fundamentum ejus, quia pro peccato eſt. 10. Alterum vero adolebit in holocauſtum, ut fieri ſolet: rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei. 11. Quod ſi non quiverit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem ephi decimam: non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato eſt. 12. Tradetque eam Sacerdoti, qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit ſuper Altare, in monumentum ejus, qui obtulerit, 13. Rogans pro illo, & expians; reliquam vero partem ipſe habebit in munere. 14. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 15. Anima, ſi prævaricans cæremonias, per errorem, in his, quæ Domino ſunt ſanctificata, peccaverit, offeret pro delicto ſuo arietem immaculatum de gregibus, qui emi poteſt duobus ſiclis, juxta pondus Sanctuarii: 16. Ipſumque quod intulit, damni, reſtituet, & quintam partem ponet ſupra, tradens Sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei. 17. Anima ſi peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his, quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam, 18. Offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, juxta menſuram, æſtimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia neſciens fecerit: & dimittetur ei; 19. Quia per errorem deliquit in Dominum.

℣. 1. Si

℣. 1. SI PECCAVERIT ANIMA, ET AUDIERIT VOCEM JURANTIS. Ita paraphrastice redderetur Hebræus (1): Si in eo peccaverit homo, quod ea quæ sibi comperta fuerint, sive oculis exploraverit, sive ex alio intellexerit, aperire recusaverit coram Judicibus interrogantibus, portabit ille iniquitatem suam, & pœnam dabit pro delicto. Hæc pronior est significatio hujus sententiæ, quæ statim offertur, ut exponatur scilicet de eo, qui vocatus in judicium, adjuratusque Dei nomine, ut vera prodat, pervicaciter tamen recusat, ea, quæ seu visu, seu alia quacumque ratione comperit, revelara. Damnat illum Lex, ut pœnam ferat de peccato suo; id est, vel animadversioni Judicis, vel Dei ultioni submittit. Ejus crimen majus est quam quæ delentur sacrificio; non enim peccat seu imbecillitate, seu mentis lapsu; crimen est illud extremo supplicio puniendum, si deprehendatur commissum: *Portabit iniquitatem suam*. Hæc interpretatio & melioribus argumentis fulcitur, & communior est inter Scriptores; confirmatur insuper illo Proverbiorum XXIX. 24. *Qui cum fure participat, odit animam suam: adjurantem* [Judicem] *audit, & non indicat*.

Alter hujus sententiæ sensus esse potest: Si quem audieris aliquid alteri pollicentem juratum, & a Judice hominem reum promissi ut reveles, interrogaris, si quidem taceas, morte damnaberis. Vel aliter: Si quem audieris jurantem, seu blasphemo ore temerantem nomen Domini, nec impium represseris, tanquam ejusdem criminis conscius punieris. Posterius hoc tenuisse videtur Origenes (2): *Ipsa* [anima] *accipiet peccatum ipsius* [jurantis]. Ita & Philo (3) interpretatur. De simplici jurejurando dictum pariter acceperunt Septuaginta.

Nec de jurante, nec de negante respondere in judicio, Textum exponendum censet Junius; neque enim hæc referenda videntur in peccata ignorantiæ, de quibus hic Moyses, quemadmodum & in capite superiori disserit. Ad hæc, sermonem infra inducit ℣. 4. de jurejurando temere præstito; & in capite VI. 2. 3. 4. de perjurio. Igitur sermonem hic esse censet de incuria ejus, qui crimen fratris sui ita dissimulat, ut a corrigendo alterius crimine, quomodo fratrem, & proximum decet, abstineat. *Portabit iniquitatem suam*; victimam offeret ad expiandum peccatum incuriæ, & incogitantiæ. *Peccatum*, vel *reatus* sæpe usurpantur pro victima ad expiandum peccatum. Sed ægre genuinum hunc esse sensum hujus Textus admitterem; crimen enim illud, de quo Moyses hic, majus erat, quam ut sacrificiis expiaretur; & vis hujus phrasis, *Portabit iniquitatem suam*, exprimit plerumque (4) extremo supplicio puniri, atque e populo suo avelli.

Certæ quædam erant apud Paganos pro dolis, perjuriis, & mendaciis expiationes. Aqua Mercurio consecrata horum criminum rei aspergebantur (5).

Spargit & ipse suos lauro rorante capillos,
Et peragit solita fallere voce preces.
Ablue præteriti perjuria temporis, inquit;
Ablue præteritæ perfida verba die.
Sive ego te feci testem, falsove citavi
Non audituri numina vana Jovis.

Sed in vera Religione non ita commoda erat criminis solutio.

℣. 2. ANIMA QUÆ TETIGERIT ALIQUID IMMUNDUM. Hebræus ita præfert: *Anima quæ tetigerit omnem rem immundam, vel cadaver feræ immundæ, vel cadaver animalis immundi, vel reptilis immundi, & absconditum fuerit ab eo* (imprudens fecerit) *& ipse immundus, & deliquit*, expiabitur sacrificio. Juxta Vulgatam, Textus referendus est ad morticinum animalis cujusque, seu mundi, seu immundi, vel ad cadaver immundi animalis, quacumque tandem ratione illud interierit: mactatum enim ab alio purum animal nullam irrogabat maculam; vicissim autem impura animantia viva pariter & spirantia, qui sese tangerent, inauspicatos reddebant. Septuaginta reddunt: *Anima illa quæcumque tetigerit omnem rem immundam, aut morticinum, aut a bestia captum, immundum, aut morticina abominationum immundarum, aut morticina pecorum immundorum, & latuit eum, inquinatus est*. In editione Regia, & Parisiensi, jungitur versiculus secundus cum tertio, & omittuntur verba illa: *Et latuit eum*. Porro cadavera hæc *immundarum abominationum* designant facile animalia, quæ Ægyptii Religione, Hebræi vero horrore prosequebantur; uti e. g. canes. In Interpretibus hisce non exprimuntur reptilia, quæ præfert cum Hebræo (6) Vulgata. Reptilia omnia ad immunda rejiciunt Doctores Hebræi; sed cum in Scriptura eo nomine censeantur pisces, id generis animantia non omnia impura censenda esse docet Leviticus XI. 9.

Ut Legis hujus mentem penitus assequamur, animadvertere juvat, nihil aliud injungi iis, qui maculam contraxerant ex rei alicujus impuræ contactu, quam ut vespere lavarent vestes. Non est igitur cur reputemus, sermonem hic esse de iis, qui simplici rei impuræ tactu sese polluerunt; sed de iis potius, qui cum ex tactu contraxissent maculam, deinde incuria quadam lustrationem neglexissent; & de iis pariter, qui post contractum vitium aliquod res Sanctas tetigissent. Illis utique decretum erat pro incuria illa sacrificium. *Deliquit*, criminis aliquid admisit, quare sacrificium offerat, Hebraice appellatum *Ascham*. *Rea est*; in Hebræo הוא טמא ואשם, *ipse immundus est & deliquit*.

℣. 3. SI TETIGERIT QUIDQUAM DE IMMUNDITIA HOMINIS. Si homo aliquis alteri maculam suam induxerit per tactum; sontes vero illi incuria quadam neglexerint lustrationem, vestium suarum lotione, omissionis crimen illud statim ac agnoverint, expient, & Deo satisfaciant. Sed quo ritu satisfactio illa præstanda esset, neque hic, neque in superiori versiculo determinat Scriptura; non male tamen opinaremur, offerendum illi fuisse sacrificium ovis, vel capellæ, vel columbarum paris; vel tandem similæ, pro cujusque censu, & facultate, ut in consequentibus adnotatum est. Arbitrantur nonnulli, reorum voluntati relinqui a Scriptura, ut Sacrificium quodcumque offeratur, cum nullum peculiare decernit (7); alii (8) vero relictum id judicio Sacerdotum opinantur.

℣. 4. ANIMA QUÆ JURAVERIT, ET PROTULERIT LABIIS SUIS, UT VEL MALE QUID FACERET, VEL BENE. Ita paraphrastice redderetur Hebræus (9): Cum quis temere, leviterque seu in bonum, seu in malum juraverit, uti solent homines inconsulto loquentes, jusjurandum inter loquendum admiscere; si tandem intellexerit aliquid se inconsideranter, ac temere juratum spopondisse, intelligatque se præpostere, & per injuriam fidem obligasse suam sacramento; exomologesim peccati sui faciet, addito insuper sacrificio, de quo ℣. 6. *& seq.* Postrema illa verba *male, vel bene facere* exprimunt commode, aliquid indeterminatum præstare; quemadmodum usurpari solet *scire bonum & malum* (10) pro, scire omnia; vel aliter

(1) נפש כי תחטא ושמעה קול אלה והוא עד או ראה או ידע אם לא יגיד ונשא עונו (2) Origen. homil. 13. in Levit. (3) Lib. de special. Legib. (4) Vide Levit. XIX. 8. XX. 17. 19. 20. XXIV. 15. Num. IX. 13. XV. 31. &c. (5) Ovid. Fast. 5. (6) שרץ Aqu. Sym. Ἑρπετῶν. 70. Κτηνῶν. (7) Aug. qu. 2. in Levit. &c. Lyran. Menoch. (8) Lyran. (9) נפש כי תשבע לבטא בשפתים להרע או להיטיב אשר יבטא האדם בשבעה ונעלם ממנו והוא ידע ואשם (10) Genes. III. 5.

tet *Jurare bene*, est jurare ad *bene faciendum*, id-est, votum nuncupare rei alicujus bonæ, & majoris alicujus boni (1). *Jurare male* est obligare se sacramento ad injuriam alicui inferendam; uti cum jurari profitemur ultionem, vel prosecuturos nos jus nostrum, paria paribus rependendo (2). Illud *male* commode etiam exprimeret obstrictam sacramento fidem, durum aliquid, & arduum pro Deo præstandi; *bene* vero acciperetur de promissione implendi aliquod bonum, veluti munus aliquod offerendi Deo, aut in ejus obsequium aliquid concedendi hominibus. Tandem jurare ad *bene faciendum* exprimere potest sacramenta, quæ faustis cum imprecationibus concipiuntur; uti: *Ita me Deus amet; ita me Deus adjuvet &c.* vicissim autem jurare *ad male faciendum* sunt execratoria in se vel in alios sacramenta; *Hæc faciat Deus inimicis David; hæc faciat mihi Deus, & hæc addat &c.*

Legem hanc ita exponit Philo de specialibus legibus: *Oportet omni fide vota legitima implere, quibus in præsens, aut in futurum bona petuntur. Nam qui malum propositum jurejurando sanciunt, quid sanctum sit ignorant. Jurant se commissuros furtum, sacrilegium, stuprum, adulterium, homicidium, aut aliud simile: moxque ne perjuri habeantur, committunt, quasi non melius Deoque gratius sit tale perjurium. Proinde quisquis in generis jusjurandum non implet, supplex Deum exoret, ut pro sua clementia temeritati inconsultæ ignoscat, qua ad jurandum præceps actus est. Nam duplicare noxam, cum te possis exonerare dimidio, maxima est insania, vix unquam curabilis. Rursum alii feroces inhumanique, aut ab ira coacti molesta domina, jurejurando suam inhumanitatem confirmant, dum negant se hunc aut illum admissuros in contubernium vel mensæ societatem, aut adjuturos ullo beneficio, aut usuros ejus opera, quoad vixerint. Interdum etiam ultra obitum prorogant odia, nec sinunt mortuorum corpora potiri justis funebribus. Hi quemadmodum & priores illi, monendi sunt, ut placent Deum votis & sacrificiis, quo aliquam consequantur medicinam animæ, nulla ope humana curabilis.*

Idem pariter Scriptor refert, tanquam ætate sua familiaria, vota quædam ab effrænibus, & incautis juvenibus nuncupata, perseverandi nempe in licentia, & nunquam temperandi a luxu, & voluptatibus, quamdiu bonorum aliquid ipsis superfuisset. Vota hæc designasse censet ille Moysem illis: *Jurare ad male faciendum*. Cum autem sacramenta illa præstari possent ab incautis, & voluptate occupatis, facile utique promissionum ejusmodi oblivio succedebat. Verum si postea resipiscens quispiam crimen suum agnosceret, fateri illud cogebatur coram Sacerdote, & victimam suam offerre. Hac formula exomologesim suam ille prosequebatur. Recitabat autem, juxta Rabbinos, imposita interim manu inter cornua victimæ: *Quæso, Domine, peccavi, perverse egi, prævaricatus sum coram facie tua: sic & sic feci. Et ecce pænitet me, & pudet me actionum mearum: ad ejusmodi actiones in æternum non revertar.*

Docent hi, nunquam peccata sacrificiis remitti, absque addita confessione, & pœnitudine cordis.

Notat Grotius, nunquam adstringi se religione sacramenti reputasse Judæos, nisi sacramenta illa verbis expressissent. Quod satis indicant illa: *Si quis juraverit, & protulerit labiis suis.* Verum defendit Tostatus, coram Deo, qui intima cordium scrutatur, voti reos esse homines, sive ore se, sive cogitatione obligaverint; apud homines vero solæ ligant verbis conceptæ promissiones.

℣. 5. Agat pœnitentiam pro peccato. Hebræus: *Cum confessa fuerit quod peccavit in uno ex istis*. Sistens se Sacerdoti, crimen profitebatur suum, offerebatque victimam (3).

℣. 8. Retorquebit caput ejus ad pennulam. Vide caput 1, 15.

℣. 11. Similæ partem Ephi decimam. Gomor, vel Ephi tres Parisienses pintas & plus aliquid continebat.

℣. 12. In monumentum ejus, qui obtulerit. Vide eamdem lectionem capite 11. 2. Textus Originalis & Septuaginta in fine versiculi addunt: *Peccatum est*; oblatio est pro peccato.

℣. 13. Habebit in munere. Hebræus במנחה *in Mincha*; vel *tanquam Sacrificium similæ*, ὡς θυσία τῆς σεμιδάλεως, scribunt Septuaginta. Græcus alius Interpres: Ὡς θυσία αἰνέσεως, *ut Sacrificium laudis*.

℣. 15. Anima, si prævaricans cæremonias per errorem in his, quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit. Deest illud *cæremonias* in Hebræo, & Septuaginta. Ita ergo Hebræus (4): *Anima cum prævaricata fuerit prævaricationem, & peccaverit in ignorantiam de sanctitatibus Domini*. Septuaginta (5): *Anima quæcumque oblita fuerit, & peccaverit non sponte a sanctis Domini*. Si quis v. g. oblitus non persolvisset Deo primores natu, primitias, decimas, & cætera, quæ Domino, & Templo ipsius debentur; aut si quis sibi vindicaret, vel in usum suum transferret rem aliquam sacram, uti portiones victimarum, & oblationum, quæ Sacerdotibus cedunt.

Offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis. Ardua sunt quædam in Hebræo (6): *Adducet Domino Arietem integrum* [absque vitio] *in æstimatione tua, argentum siclorum*; id est quanti tu, Moyses, æstimaveris pretium arietis illius, vel quanti deinceps æstimaverint, qui tunc aderunt Sacerdotes. Reputandum est, S. Hieronymum legisse *Schkalaim*, *duobus siclis*, in duali, pro *Schkalim* in plurali, uti præferunt Biblia nostra punctis adscripta. Numerum siclorum, quotis æstimandus esset aries offerendus, nullum determinant Septuaginta; habent enim (7): *Pretio argenti Siclorum*. Et Theodoretus quinquaginta siclos assignat; alii notant quinque; Origenes unum tantum. Grotius, & Malvenda arbitrantur duos siclos hic adscribi, ut tantumdem valeant ac plures sicli. Volunt Rabbini (8) arietem pretio fuisse duorum saltem siclorum. Dualis minimus est inter plurales numeros. In Legibus, ubi numerus aliquis indeterminatus ponitur, saltem numerus duorum designatur.

Radulphus, Hesichius, & Hugo Cardinalis affirmant, Septuaginta vertisse quinquaginta siclos; sed hæc versio nuspiam adhuc retinetur in nostris exemplaribus, quamquam Theodoretus illam agnovit in suis, retinuitque in quæstionibus ad Leviticum. Commode redderetur Hebræus: *Offeret arietem immaculatum* (*aut*) *argenti siclos in æstimatione tua*. Illud *aut* subintelligitur non semel in Scriptura; nec sane persuaderemur, in crimine minoris, vel minimi momenti cogendum fuisse illum, qui solvere per oblivionem neglexisset, reddere arietem, duobus saltem siclis æstimatum; addita insuper solutione ejus, quod per incuriam omissum fuerat, cum incremento quintæ. Præstat equidem reputare, si quod admissum fuisset majoris momenti erratum, tunc utique præscribi sacrificium arietis, cum solutione pretii omissi, addito quintæ incremento. Si vero de minimis res esset, tunc utique salva erant omnia, paucis tantum siclis pro judicio Sacerdotis in Templum collatis. Ita ex. gr. si hemisiclum quis

(1) Ita fere Origen. hom. 3. in Levit. (2) Grot. (3) Vide Joseph. l. 3. Antiquit. cap. 10. (4) כי תמעל מעל וחטאה בשגגה מקדשי יהוה (5) Ἡ ἂν λάθῃ αὐτὴν... καὶ ἁμάρτῃ ἀκουσίως ἀπὸ τῶν ἁγίων Κυρίου. (6) בערכך כסף קלים (7) Τιμῆς ἀργυρίου σίκλων. Alius: Σταθμὸν ἐν σταθμῷ ἁγίῳ, *Pondus in pondere sanctorum*. (8) Rab. Abenezra, Rab. Levi, &c.

quis neglexisset, solvenda illi erat cum hemisiclo illo mulcta quintæ. Errata per incuriam commissa expiabantur iis collatis, quæ Sacerdos judicabat.

Quod attinet ad *pondus Sanctuarii*, vide quæ contulimus ad Exodum xxx. 13.

℣. 16. IPSUM QUOD INTULIT DAMNI, RESTITUET, ET QUINTAM PARTEM PONET SUPRA. Contendit Origenes (1), præter hæc omnia solvi oportere rei integræ æstimatæ valorem. Ita e. g. qui solvendis quatuor siclis defuisset; illi primo reddendi erant quatuor, dein quinque sicli, ac tandem sextus alius; decem in totum pro quatuor. Fidem opinioni suæ adstruit ex Textu ferente: *Addet quinque*, vel *quintam* (2) *super illud*. Sed hæc assertore carent.

℣. 17. ANIMA SI PECCAVERIT PER IGNORANTIAM &c. Illud *per ignorantiam* deest in Hebræo, & Septuaginta; sed de peccatis ignorantiæ sermonem esse satis indicat contextus. Dictum exponunt Hebræi de ignorantiæ crimine quodam, appellato ab illis *reatu suspenso*; tunc autem committitur, cum hæremus ambigui, num quæ tetigimus, pura sint, an impura. Sed commode postremi hi duo versiculi acciperentur, velut epilogus superiorum, quin novum alium sensum indagemus.

℣. 18. JUXTA MENSURAM, ÆSTIMATIONEMQUE PECCATI. Hostiæ valorem æstimabat Sacerdos pro qualitate delicti, quod reus exponebat. Septuaginta: *Afferet arietem immaculatum τιμῆς ἀργυρίου, pretio argenti*; idest fortasse: Offeret certæ æstimationis arietem; quantæ autem, neque hic, neque supra ℣. 15. determinant. Relinquere id Sacerdotis judicio videtur Hebræus (3): *Offeret arietem pro peccato ad Sacerdotem pro ordinatione* (æstimatione) *tua ad delictum* (4) ejus delicti. Ita Textum acceperunt Chaldæus, & Vulgata. At Syriacus, & Arabs ponunt tantum: *Afferet arietem juxta valorem* suum. Recurrendum est hic ad expositionem ℣. 15.; ad sensum enim eo referri patet.

℣. 19. QUIA PER ERROREM DELIQUIT IN DOMINUM. Hebræus (5), & Septuaginta (6): *Peccatum est*; Reus est: *delinquendo deliquit Domino*.

(1) Origen. hom. 3. in Levit. (2) Τὸ ἐπίπεμπτον προσθήσει ἐπ' αὐτό. (3) הביא איל... בערכך לאשם

(4) Εἰς πλημμέλειαν. *In peccatum*. Εἰς λύτρωσιν. *In redemptionem*. (5) אשם הוא אשם אשם ליהוה

(6) Ἐπλημμέλησε τῇ πλημμελείᾳ ἔναντι Κυρίου.

CAPUT VI.

Sacrificium pro expiando delicto ejus, qui depositum vel rem aliquam inventam negaverit, Leges de holocausto quotidiano; de igne perpetuo, ac de sacrificiis, cum initiantur Sacerdotes.

℣. 1. LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Anima, quæ peccaverit, & contempto Domino, negaverit proximo suo depositum, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit; 3. Sive rem perditam invenerit, & infitians insuper pejeraverit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines; 4. Convicta delicti, reddet 5. Omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, & integra, & quintam insuper partem domino, cui damnum intulerat. 6. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti, juxta æstimationem, mensuramque delicti: 7. Qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccavit. 8. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 9. Præcipe Aaron, & filiis ejus: Hæc est lex holocausti: Cremabitur in Altari tota nocte usque mane: ignis ex eodem Altari erit. 10. Vestietur tunica Sacerdos, & fœminalibus lineis: tolletque cineres, quos vorans ignis exussit, & ponens juxta Altare, 11. Spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis efferet eos extra castra, & in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet. 12. Ignis autem in Altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum. 13. Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet in Altari. 14. Hæc est lex sacrificii, & libamentorum, quæ offerent filii Aaron coram Domino, & coram Altari, 15. Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, & totum thus, quod super similam positum est: adolebitque illud in altari, in monumentum odoris suavissimi Domino. 16. Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis absque fermento, & comedet in loco sancto atrii Tabernaculi. 17. Ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incensum. Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato, atque delicto. 18. Mares tantum stirpis Aaron comedent illud. Legitimum, ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificiis Domini: omnis, qui tetigerit illa, sanctificabitur. 19. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 20. Hæc est oblatio Aaron, & filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium ejus mane, & medium ejus vespe-

vespere; 21. Quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suavissimum Domino 22. Sacerdos, qui jure patri successerit, & tota cremabitur in altari. 23. Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo. 24. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: 25. Loquere Aaron, & filiis ejus: Ista est lex hostiæ pro peccato: In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. Sanctum sanctorum est. 26. Sacerdos, qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio Tabernaculi. 27. Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto. 28. Vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur: quod si vas æneum fuerit, defricabitur, & lavabitur aqua. 29. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus ejus, quia Sanctum sanctorum est. 30. Hostia enim, quæ cæditur pro peccato, cujus sanguis infertur in Tabernaculum Testimonii ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.

℣. 2. ANIMA QUÆ PECCAVERIT, ET CONTEMPTO DOMINO NEGAVERIT PROXIMO SUO DEPOSITUM, VEL VI ALIQUID EXTORSERIT, AUT CALUMNIAM FECERIT; ℣. 3. SIVE REM PERDITAM INVENERIT, ET INFICIANS INSUPER PEJERAVERIT. Vix induceremus in mentem, crimina ista omnia commodo hoc sacrificiorum piaculo expiari, ut in eumdem referantur a Scripturæ censum cum peccatis, quæ imprudentibus & imbecillibus subrepunt. Affirmandum est tamen, Moysem hic agere, quemadmodum sapientissimum Legislatorem decet. In his rerum eventibus, in quibus clam omnia & inter privatos tractata sunt, nec in judicio sontis delictum argui ad sensum valet, optimum factu censuit, si legum severitatem benignitate pœnarum mitigaret: vicissim autem in delictis, quæ coram & palam spectantur, graviorem ultionem infert (1).

Horrorem criminum, de quibus est hic sermo, minuere conantur Scriptores Commentariorum, explicantes illud *contempto Domino* de obsequio minus, quam par erat, observato, & de contemptu, ut ita dicam, obliquo; quæ Estii appellatio est. Porro a contemptu quodam in Deum nullum crimen eximitur, sed illa potissimum afficit peccata, in quibus sinceritas animi vitiatur, dum ea negantur, quorum nemo reus convinci potest, nisi testimonio conscientiæ suæ, & cultu quo teneri homines par est erga veritatem & Deum, unicum arcanorum omnium testem. Sicut autem contemnere testem quis diceretur, si nihil ejus testimonium curans, contrarium plane quam quæ ille affirmat, assereret; ita pariter siquis e. g. negaverit, clam & sine teste se recepisse ab alio depositum, vel rem perditam invenisse, convincitur ille quidem Deum quodammodo contemnere, Deum, inquam, contraria testantem. Est autem delictorum genus illud contemptus quidem in Deum inferens aliquid, sed & vicissim imbecillitas est, & ignorantia. Coram Judice convinci de delicto reus nequit, clam enim omnibus hæc præstita ponuntur: unus est veritatis amor, unicus conscientiæ testis, a quo sive criminis argui posset, sive ad rem alienam restituendam inclinari. Non impetit ille quidem recta debitum in Leges, in Judices, in Justitiam obsequium; & cum tandem ad officium redeat, sapientis est Legislatoris, cujus est finis præcipuus, ut homines meliores formet, pœnarum rigorem temperare erga illos, quos lucri impotens cupido præcipites egit.

Originalis phrases minorem quidem vim habent, sed fusiores sunt quam Vulgata: *Anima quæ peccaverit, & prævaricata fuerit prævaricationem in Dominum, & mentitus fuerit in proximum suum in commendatione* (in deposito) *vel in positione manus* (summa aliqua seposita ad communem cum alio negotiationem) *vel in rapina, vel occupavit vi proximum suum* (bona proximi sui, e. g. operarii mercedem); *Vel amissionem* (rem amissam) *invenerit, & mentitus in ea fuerit, &c.* Cum autem privatim hæc omnia gesta essent, & mendacium, quod intercedebat negando depositum, vel aliquid a proximo sibi fuisse commissum, coram Judice non esset; cum, inquam, hisce de causis res temperaretur, criminis invidia minuebatur plurimum. Omne abest hic perjurii in judicio crimen, ejusmodi enim in judicio perjuria majora erant crimina, quam quæ sacrificiis expiarentur (2). Totum hunc versiculum ita reddunt Septuaginta: *Anima quæcumque peccaverit, & despiciens despexerit (3) mandata Domini, & mentitus fuerit (4) quæ sunt ad proximum in deposito, aut de (5) societate* (summa ad negotiationem cum alio communiter exercendam) *aut de rapina (6), aut injuriam fecerit aliquam proximo (7).* Postrema hujus sententiæ verba ita vertunt Interpretes alii Græci: Ἐσυκοφάντησε, *calumniatus est*; quod incidit in sensum Vulgatæ.

℣. 3. SIVE REM PERDITAM INVENERIT, & perjurio invenisse se negaverit. Res ab alio quocumque deperditas, si quis inventas sibi vindicaverit, furti se reum constituit, neque enim quod invenerit, satis habet juris ad illam possidendam. Congruunt in eam rem cum Theologis Romanarum Legum consultissimi viri (8), *Qui alienum quid jacens, lucri faciendi causa, sustulit, furti obstringitur, sive scit cujus sit, sive ignoravit; nihil enim ad furtum imminuendum facit, quod cujus sit ignoret.* Dyrbæi (9), populi inter Bactros & Indos, si jacentem rem aliquam invenissent, relinquebant intactam. Biblii (10) & Stagyritæ eodem more utebantur, rati, nonnisi per injuriam usurpari, quæ in via reperiantur. Legem tulerat Solon (11) caventem: *Quæ non posuisti, ne tollito*; id autem Solonis dogma plurimum celebratur a Platone (12). Jus est tamen omnibus, rem inventam tollere, illa uti, servare apud se & custodire, tunc scilicet, cum post quæsitum sedulo Dominum, adhuc ille latet.

ET QUODLIBET ALIUD EX PLURIBUS FECERIT, IN QUIBUS SOLENT PECCARE HOMINES. Agitur hic de crimini-

(1) Demost. orat. contra Timocrat. Τοὺς νόμους περὶ τῶν ἰδίων ἠπίως κεῖσθαι καὶ φιλανθρώπως, ὑπὲρ τῶν πολλῶν ἐστί. Τοὺς δὲ τοὺς περὶ τῶν πρὸς τὸ δημόσιον τουναντίον, ἰσχυρῶς, καὶ χαλεποὺς ἔχειν ὑπὲρ ὑμῶν ἐστί. (2) Levit. Cap. V. 1. (3) Παριδὼν παρίδῃ τὰς ἐντολάς. Alius. Ἀδικίαν ἀδικήσῃ. *Injuste egerit injustitiam.* (4) Heb. וכחש. 70. Ψεύσηται, *Mentitus fuerit.* Alius: Ἀρνήσηται. *Negaverit.* (5) Περὶ κοινωνίας. Alius: Ἐν θέσει χειρός: *In positione manus.* Alius: Ἐν πίστει χειρός. *In probatione manus.* (6) בגזל. *In rapina* 70. Περὶ ἁρπαγῆς. Alius: Ἐν ἁρπαγμῷ, *In raptione.* (7) Ἢ ἠδίκησέ τι τὸν πλησίον. (8) Digest. lib. 47. tit. 1. leg. 41. § 4. (9) Apud Steph. in voce Δυρβαῖοι. (10) Ælian. l. 4. c. 1. & l. 3. c. 48. (11) Laert. in Solone. (12) Plato de legib. l. XI.

minibus ejusdem ferme indolis cum præcedentibus. Vinceret autem omnem sedulitatem fusior de singulis & accurata disquisitio, omnes peculiares rerum eventus enumerans & circumstantias, in quibus homines peccant.

℣℣. 4. & 5. Convicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere. Prolixior aliquanto Hebræus fert: *Et erit cum peccaverit, & deliquerit* (seu cum peccatum suum cognoverit, atque expiare voluerit) *& reddet rapinam, vel usurpationem quam usurpavit vi, vel commendationem quæ commendata est ei, vel amissum quod invenit*. Intelligendum est, si forte rei dominus prodeat, cui & restitutio rei denegetur. Cum delictum illud suum arguente conscientia tandem agnoverit reus, resipiscentiam suam ab eo exorditur, quod ea restituat fratri, quæ æquitas postulat. Illud Vulgatæ, *Convicta delicti*, non id innuit, quasi reus teneretur in judicio; neque enim tunc seu valerent Sacrificia, seu de re tota decernere pertineret ad Sacerdotem. Sunt qui dictum exponant de confessione criminis coram Sacerdote: commode tamen acciperetur de agnitione illa criminis facta coram Deo, cum scilicet peccatum agnoscitur; vel de testimonio propriæ conscientiæ, crimen arguentis.

Reddet integra, et quintam insuper partem. Restituat primo rem ipsam, tum & fœnoris loco quintam totius pretii addet. Id autem restituendum die Expiationis ferunt Septuaginta, Chaldæus, & Hebræus.

℣. 6. Offeret arietem immaculatum de grege. Septuaginta: *Offeret Domino arietem sine macula*, τιμῆς εἰς ὃ ἐπλημμέλησεν, *pretio, in quod deliquit*, ex gravitate injuriæ. Sistendus erat Domino per manus Sacerdotis aries, cujus esset æstimatio delicto par, judicio Moysis, vel Sacerdotis; vel forte jubetur offerri Sacerdoti aries, si criminis gravitas expiationem illam ferret; si vero judicio Sacerdotis noxa minor esset, quam quæ illa hostia elui deberet, pecunia aliqua collata dimittebatur reus. Vide caput v. 15. Hic recentiores quidam Interpretes instituunt exordium capitis vi. quod novus sensus cum præcedentibus, nulla rerum serie connexus, id postulet.

℣. 9. Hæc est Lex holocausti. Sermo est hic de holocaustis solemnibus, vespertino, & matutino; agitur autem de illis, quatenus ad officia Sacerdotum referuntur, quemadmodum & supra capite I. de illis pariter actum est, quatenus pertinent ad eos, qui victimas sufficiunt.

Cremabitur in Altari tota nocte usque mane. Creditur (1) holocaustum istud vespertinum sacro igni traditum fuisse a Sacerdote non totum simul, sed per partes; excubias juxta Altare agente Ministro illo, ut, cum unam victimæ portionem absumpsisset flamma, alteram & alteram sufficeret tanta œconomia, quanta opus esset ad prorogandum usque mane sacrificium. Idem pariter & in holocausto matutino servatum ferunt, ut nunquam deesset igni ad vesperas usque caro victimæ. Citius tamen erogabatur totum illud matutinum holocaustum, cum extraordinaria aliqua suppeterent; hæc enim absumpta fuisse opus erat, qua hora Sacrificium vespertinum recurrebat.

Cum offerenda essent Sacrificia expiatoria, eucharistica, vel propitiatoria, super consuetum holocaustum imponebatur adeps, & quæ victimæ portiones igni debebantur. Docet id non semel litera Textus (2); unde pariter factum est, ut Ara cremandis victimis destinata appellaretur *Altare holocaustorum*, holocausti enim consueti nibus potissimum serviebat; cæteras vero hostias perinde respiciebat, tanquam accessorias, quarum Sacrificium hostiæ principali accederet.

Ignis ex eodem altari erit. Hebræus (3): *Et ignis Altaris accensus erit* (semper) *in eo*. Septuaginta (4). *Ignis Altaris ardebit in eo; & non extinguetur*. Scitum est inter omnes, qui Paganorum esset ritus erga ignem illum suum, quem *æternum* appellabant. Hunc ipsum ignem perpetuo in Aris suis ardentem cœlitus demissum, opinabantur Magi (5). Reges Persidis nunquam itineri se committebant, nisi Divino hoc igne præcedente. Vestales Virgines Sacrum ignem alebant, fovebantque ea superstitione, quæ vel prodigia promeruisse fertur (6). Licetus, non summo ille quidem jure, reputat, Vestalium hunc ignem flammam fuisse lampadis, nec aliter judicat de igne Delphico, & Athenarum. Morem hunc servandi in Templis ignem, inter vetustissima Religionis officia recenset Theophrastus (7). Porro de igne illo holocaustorum docent Rabbini, nullo fomite indiguisse, ut arderet; quare addere ligna non cogebat necessitas, sed jubebat cautio, ne miraculum proderetur.

De igne perpetuo apud Persas, cui superstitiosum cultum gens illa impertit, vide recentiora itineraria, ex quibus docemur Parthos, seu novos Persas hodie pariter sollicitudine religiosa ignem illum servare, ceu symbolum, quo nullo melius Numen divinum exprimitur. Mandorlus Iter Indicum tom. 2. pag. 216. & passim. Vide etiam pag. 203. vide etiam Iter Moschovitium tom. 1. pag. 410.

An ignis in Altari holocaustorum foveretur, dum iter habebat populus per desertum, ignorare me profiteor. Legimus in Libro Numerorum IV. 13. 14. Altare illud & vasa in ejus usum velaminibus obvolvi consuevisse, nec quidquam occurrit de igne, seu conservato, seu extincto: illud additur tantum, purgari debuisse Aram cineribus: *Sed & Altare mundabunt cinere, & involvent illud purpureo vestimento*. Porro ignis ille deferri potuisset sive in clibano, sive in vase aliquo, sive in laterna: at ne verbum quidem de illo in Scriptura; quin & vero propius autumaremus, præceptum illud ignis perpetui, & holocausti quotidiani minus accurate servatum fuisse in deserto.

Tradit R. Maimonides, in Templo Hierosolymitano tres arsisse ignes super Aram holocaustorum. Omnium maximus destinatus erat in usum sacrificii perpetui, & quotidiani; ad latus hujus, secundus alter prunas sufficiebat adolendo thymiamati in sancto super Altare aureum. Addebatur tertius alius ignis in hunc tantum usum, ut impleretur præceptum Legis de igne perpetuo in Altari servando. Sed quis Rabbino verbo asserenti credat?

℣. 10. Vestietur tunica sacerdos, et feminalibus lineis. Hebræus: על בשרו, *super carnem suam*. Septuaginta: Περὶ τὸ σῶμα, *circa corpus*. Alius: Περὶ τὰς σάρκας, *circa carnes suas*. Lineis utebantur Sacerdotes in Tabernaculo. Verba illa, *super carnem suam*, perinde accipi possent, ac *super verenda*. Vide Ezechielem XXIII. 20.

℣. 11. Indutusque aliis. Familiares vestes resumet, ut efferat extra atrium cineres & carbones (8), qui ex igne absumente carnes & adipes victimarum supererant.

Usque ad favillam consumi faciet. Nusquam hoc legitur, sive in Hebræo, sive apud Septuaginta, & reliquas Versiones; deest etiam in Latinis non-

(1) Abul. Menoch. Cornel. a Lapide, Jansen. &c. (2) Levit. III. 5. & IV. 35. & V. 12. (3) ואש המזבח תוקד בו (4) Τὸ πῦρ τῦ θυσιαστηρίου καυθήσεται ἐπ' αὐτῷ, καὶ οὐ σβεσθήσεται. (5) Ammian. Marcell. l. 23. *Ignem cælitus lapsum, apud se sempiternis foculis custodiri, cujus portionem exiguam, ut faustam, præisse quondam Asiaticis Regibus dicunt.* (6) Vide Justum Lipsium, de Vesta & Vestalibus. (7) Apud Euseb. Præp. lib. 1. cap. 9. p. 28. (8) Heb. את הדשן 70. Κατακάρπωσιν. Alius: Πιότητα: *Adipem*.

nonnullis editionibus. Additamentum est etiam, nullum referens sensum, nisi forte designet, in cinerem redigi ossa, & carbones, antequam efferrentur extra castra.

℣. 14. Hæc est lex sacrificii, et libamentorum. Hebræus: *Hæc est Lex Mincha* [vel sacrificii e simila] *quam offerent filii Aaron. Libamenta* in Vulgata nihil aliud significant, quam oleum super farinam inspersum, & vinum ad bases Altaris effusum; vel forte exprimunt tantum panes & similam, quibus liquores illi affundebantur. Repetit hic Moyses easdem Leges, supra II. 1. 2. 3. descriptas. Pro singulis victimis assignant Doctores Hebræi decimam partem Epha seu Assaron עשרון similæ. Assaron vero, seu decima pars Epha tres circiter pintæ partes continebat. Huic mensuræ aliquid addere datum erat, omnibus minuere quidquam negatum. Singulis autem Ephis respondebat Log olei. Log לוג mensura erat semisextarii circiter, octavæ pintæ partis, & pollicis cubici.

℣. 15. Adolebitque illud in altari in monumentum. Hebræus (1): *Suffire faciet in Altari odorem quietis* (gratissimum, hanc oblationis partem) *memoriale ipsius Domino*, quæ memoriam offerentis coram Domino revocet.

℣. 16. Comedet in loco sancto. Offerri oblationes hasce extra atrium lex negabat; quare degustabant ex illis tantum Sacerdotes, munus tunc gerentes in sacro: arcebantur ab illis Sacerdotes in propriis ædibus versantes, quare & multo potius etiam illorum uxores & filiæ.

℣. 17. Ideo non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incensum. Apertius Hebræus: *Non coquetur fermentatum*, ex his farinæ oblationibus confectum. *Partem eorum dedi eis ex ignitis oblationibus meis* (2).

Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto. Sanctæ habebantur oblationes istæ, solisque Sacerdotibus permittebantur in cibum, quemadmodum & solis eorum usibus cedebant carnes victimæ pro peccato.

℣. 18. Omnis qui tetigerit illa, sanctificabitur. Solum ii, qui ab omni legali macula puri essent, audebant in cibum illa adhibere: siquid tale auderet impurus quispiam, dignum supplicio crimen incurrebat. Reddi posset neutro genere: *Quidquid tetigerit illa, sanctificabitur*, vel etiam *polluetur* (3): non raro enim, cum de tactu rerum sanctarum agitur, *sanctificare* tantumdem valet ac polluere. Quid præscriptum fuerit expiationi illius, qui rem aliquam sanctam attigerit imprudens, infra ℣℣. 27. 28. adnotabitur. Cum victimæ sanguis vel levissime attigisset vestes, statim illæ in loco sancto lavabantur; nec antea fas erat referre inde pedem, quam post expiatoriam lotionem. Insinuare videtur Theodoretus in Leviticum qu. 5. servitiis Tabernaculi perpetuo addici hominem illum, præstandis muneribus, quæ munere Sacerdotali inferiora essent, destinatum.

℣. 20. Hæc est oblatio Aaron, et filiorum ejus in die unctionis suæ. Hebræus (4) & Septuaginta (5) in singulari ponunt: *In die unctionis suæ*. Syriacus plurale præfert: *In die qua ungentur*. Vulgata utrumque sensum commode reddit. Porro Aaron, & qui post illum in sacra illa dignitate succederent, jubebantur id generis sacrificium offerre ipsa initiationis suæ die, vel etiam tota octava, qua cæremonia illa perseverabat. Animadvertere juvat, leges hasce scripto traditas fuisse, antequam Aaron consecraretur. Ita vero illas exponunt Cajetanus, Bonfrerius, aliique nonnulli: Post diem consecrationis eorum quotidie deinceps offerendum illis præscribitur gomor similæ, vespere scilicet dimidium, & mane tantumdem. Insinuat id Moyses verbis illis, *Sacrificio sempiterno*. Posterior hæc sententia, præterquam melioribus & æquioribus fulciri videtur, adstipulatorem habet Josephum in tertio Antiquitatum, capite x.

℣. 21. Offeret eam calidam. Hebræus (6): *Adduces eam frictam, coctiones buccellarum*, veluti frictum laganum. Septuaginta (7): *Offeret circumvolutam, sacrificium de fragmentis*, veluti oblationes e farina in fragmenta concisas, & circumvolutas, instar nostratium crustulorum. Confer quæ notavimus de oblationibus placentarum & similæ ad caput II. Coquebantur in atrio Tabernaculi.

℣. 22. Sacerdos, qui jure patri successerit. Hebræus: *Sacerdos*, Aaronis Successor, *unctus sub eo*, non minus quam ille.

℣. 23. Omne sacrificium sacerdotum igne consumetur. Sacerdotum oblata Domino sacrificia Deo penitus cedebant; privatorum victimæ inter Dominum & Sacerdotes dividebantur: documentum, ait Theodoretus (8), quantam a Ministris suis exigat Deus perfectionem & sanctitatem. *Sacrificium* hic (9), sicut in superioribus versiculis, exprimit oblationes similæ, vel totas vel partim altaris igne absumendas.

℣. 25. Ista est lex hostiæ pro peccato. Hostiæ pro peccato, de quibus hic, e privatorum sacrificiis proveniebant, de quibus degustare fas erat Sacerdotibus; quare aliæ plane erant ab hostiis pro peccato summi Sacerdotis vel totius populi, e quibus nihil ab igne intactum supererat. Vide infra ℣. 30. & supra IV. 7.

℣. 26. Sacerdos qui offert, comedet eam. Aliis Sacerdotibus ex illa gustare nefas erat, uni enim permittebatur Summo Sacerdoti sacrificanti & filiis ejus (10). Seu potius: Cedet oblatio hæc Sacerdoti offerenti, ejusque fratribus; sed nihil reservabitur ei qui victimam suffecit (11). Hostia pro peccato oblata in usum cibi Sacerdotibus tantummodo cedebat. Loquor de partibus, quæ sacro altaris igne non absumebantur. Theologia tota Paganorum vetat, ne quis in cibum adhibeat victimas Diis oblatas pro malis averruncandis. Vide Porphyrium de abstinentia lib. 2. art. 44.

℣. 27. Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Non illi tantum, qui carnes illas tractaturi erant, jubebantur præcedente quadam sanctitate sese præparare; sed & vasa omnia & instrumenta, quæ ipsas pariter carnes attingerent, contactu illo sanctificabantur, ut nefas esset in usus profanos ea convertere, nisi post cautiones hic deductas. Vestes siqua sanguinis hujus gutta aspergantur, lotione purgandæ sunt; affrictu & lotione expianda vasa ænea, quæ coquendis illis servierunt; & in eum usum adhibita vasa lutea, confringenda: si tamen usibus Templi exinde vasa illa permitterentur, intacta relinquenda erant, ac nulla ejusmodi cautione purganda. Non ita tamen reputandum est, quasi ea, quæ de vasis hic præscribuntur, valeant pro iis vasis, quæ Tabernaculo addicta erant, in quibus Sacerdotes coquebant sacras carnes, transferebant de loco in locum, cædebant in frusta &c. Hæc imperabantur tantum de privatorum vasis: contingebat enim interdum, ut privati carnes victimarum suarum in atrio coquerent; in quem usum si vasa sua adhiberent, præscriptas hic cautiones servare jubeban-

(1) הקטיר המזבחה ריח ניחח אזכרתה (2) חלקם נתתי אתה מאשי קדש Septuag. Ἀπὸ τῶν καρπωμάτων Κυρίου, ex hostiis in Dei cultum igne absumptis. Alius: Ἐκ τοῦ πυρός μου, ex igne meo. (3) יקדש Septuag. Ἁγιασθήσεται. Alius: Μολυνθήσεται. Polluetur. (4) ביום המשח אותו (5) Ἐν τῇ ἡμέρᾳ, ᾗ ἂν χρίσῃς αὐτόν. (6) תביאנה תפיני מנחת פתים (7) Πεφυραμένην οἴσει αὐτὴν ἑλικτά, θυσίαν ἐκ κλασμάτων. Aqu. Ζέουσαν. Fervidam. Sym. Πεπλατυσμένην. Dilatatam. (8) Theodoret. quæst. 1. & 3. in Levit. (9) כל מנחה Septuag. Πᾶσα θυσία. Alius: Πᾶν μάννα. Heb. Omnis Mincha. (10) Jansen. hic. (11) Vide quæ animadvertimus in Caput 7. ℣. 10.

bebantur. Exempla privatorum, qui victimas suas in atrio coxerunt, habes in 1. Regum 11. 13. 14.

V. 29. Omnis masculus de genere sacerdotali. Mares omnes e familia Sacerdotum id generis cibos degustabant, dummodo legali aliquo vitio non prohiberentur.

In Editione Septuaginta Romana inseruntur hic decem priores versiculi capitis VII. Junius & Tremellius ducunt & ipsi pariter exordium capitis VII. a versu 11.

V. 30. Hostia enim quæ caeditur pro peccato, cujus sanguis infertur in tabernaculum testimonii .... non comedetur. Cum genus hoc esset holocausti, vel ipsis Sacerdotibus de hostia hac degustare quidquam negabatur; vicissim autem gustabant ex aliis hostiis pro peccato oblatis, uti jam animadversum est ad caput VI. 6. 26.

CAPUT VII.

Cæremoniæ sacrificiorum pro delicto, & sacrificiorum pacificorum. Vetatio comedendi sanguinem, & adipem.

V. 1. HÆC quoque lex hostiæ pro delicto, Sancta sanctorum est: 2. Idcirco ubi
immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto: sanguis ejus
per gyrum altaris fundetur. 3. Offerent ex ea caudam, & adipem, qui operit vitalia:
4. Duos renunculos, & pinguedinem, quæ juxta illa est, reticulumque jecoris
cum renunculis. 5. Et adolebit ea sacerdos super altare: incensum est Domini pro
delicto. 6. Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus,
quia Sanctum sanctorum est. 7. Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro
delicto: utriusque hostiæ lex una erit: ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit.
8. Sacerdos, qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus. 9. Et omne sacrificium
similæ, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula, vel in sartagine
præparatur, ejus erit sacerdotis, a quo offertur: 10. Sive oleo conspersa, sive arida
fuerint, cunctis filiis Aaron mensura æqua per singulos dividetur. 11. Hæc est lex
hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino. 12. Si pro gratiarum actione oblatio fuerit,
offerent panes absque fermento conspersos oleo & lagana azyma uncta oleo, coctamque
similam, & collyridas olei admistione conspersas. 13. Panes quoque fermentatos
cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis: 14. Ex quibus unus pro
primitiis offeretur Domino, & erit Sacerdotis, qui fundet hostiæ sanguinem, 15. Cujus
carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane. 16.
Si voto, vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die: sed & si
quid in crastinum remanserit, vesci licitum est: 17. Quidquid autem tertius invenerit
dies, ignis absumet. 18. Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit,
irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potius quæcumque anima tali
se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit. 19. Caro, quæ aliquid tetigerit
immundum, non comedetur, sed comburetur igni: qui fuerit mundus, vescetur ex ea.
20 Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino,
peribit de populis suis. 21. Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel jumenti,
sive omnis rei, quæ polluere potest, & comederit de hujuscemodi carnibus,
interibit de populis suis. 22. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 23. Loquere
filiis Israel: Adipem ovis, & bovis, & capræ non comedetis. 24. Adipem cadaveris
morticini, & ejus animalis, quod a bestia captum est, habebitis in varios usus.
25. Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo
suo. 26. Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo tam de avibus, quam
de pecoribus. 27. Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis. 28.
Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 29. Loquere filiis Israel, dicens: Qui offert
victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, idest, libamenta ejus.
30. Tenebit manibus adipem hostiæ, & pectusculum: cumque ambo oblata Domino consecraverit,
tradet sacerdoti: 31. Qui adolebit adipem super altare, pectusculum autem
erit Aaron, & filiorum ejus. 32. Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in
primitias sacerdotis. 33. Qui obtulerit sanguinem, & adipem, filiorum Aaron, ipse habebit
& armum dextrum in portione sua. 34 Pectusculum enim elevationis, & armum
separationis tuli a filiis Israel de hostiis eorum pacificis, & dedi Aaron sacerdoti, & filiis
ejus lege perpetua, ab omni populo Israel. 35. Hæc est unctio Aaron, & filiorum

ejus in cæremoniis Domini, die, qua obtulit eos Moyses, ut sacerdotio fungerentur, 36. Et quæ præcepit eis dari Dominus a filiis Israel religione perpetua in generationibus suis. 37. Ista est lex holocausti, & sacrificii pro peccato, atque delicto, & pro consecratione, & pacificorum victimis, 38. Quam constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandavit filiis Israel, ut offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai.

℣. 1. HÆC QUOQUE LEX HOSTIÆ PRO DELICTO. Egerat supra Moyses in capite IV. de sacrificiis pro *peccato*: differit hic de sacrificiis pro *delicto*. Quid sit autem discriminis *peccatum* inter & *delictum*, ad caput IV. 1. expensum est. Solum inter ritus utriusque sacrificii discrimen in eo positum est, quod in sacrificiis pro peccato Summi Sacerdotis vel totius populi, inferebatur aliqua sanguinis victimæ pars in Sanctum; ponebatur etiam aliquid in quatuor mensæ vel altaris thymiamatum cornibus; aspergebatur ex eo septies contra velum Sanctuarii: cum interim in sacrificiis pro peccatis privatorum ex eo tantum quatuor Altaris holocaustorum cornua linirentur. Nihil hic distinguit Moyses inter eos, qui id generis sacrificium *pro delicto* offerunt, neque peculiares huic Sacrificio ritus assignat. Par est tamen ut credamus, eadem discrimina personarum, eosdem ritus hic recurrere, ac in sacrificiis pro peccato; semel autem dicta iterum repetere, abs re censuit Moyses. In hanc me persuasionem inducit ℣. 7. hujus capitis: *Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto: utriusque hostiæ lex una erit &c.* Hujus legis sanctione pro delicto seu hircum seu arietem offerre licebit: si aries seligatur, statuenda est in oblationem cauda cum reliquo adipe, ut hic ℣. 3. adnotatur. Si vero hircum quis maluerit, offerendum tantum seliget adipem quo teguntur ilia & reunculi; sanguinem simplici ritu effundet ad basim altaris. Unicum hoc intercessisse discrimen puto inter sacrificia *pro delicto*, & *pro peccato*; in cæteris omnibus paria erant.

HÆC LEX HOSTIÆ PRO DELICTO. Septuaginta (1): *Hæc est lex arietis, qui est pro delicto.*

SANCTA SANCTORUM EST. Solis Sacerdotibus in usum cibi permittitur, & illis quidem in atrio (2).

℣. 2. IDCIRCO UBI IMMOLABITUR. Deest illud *idcirco* in Hebræo, Chaldæo & Septuaginta, nec sensus illud expostulat.

℣. 7. Vide quæ contulimus supra ad ℣. 1.

℣. 8. SACERDOS QUI OFFERT HOLOCAUSTI VICTIMAM, HABEBIT PELLEM. Affirmat Philo in libro de præmiis Sacerdotum, ex pellibus hisce compendium ingens provenisse Sacerdotibus; neque enim cedebant ipsis tantummodo vellera hostiarum, quas privatus quisque offerebat, sed & victimarum holocausti jugis tam matutini, quam vespertini.

℣. 9. OMNE SACRIFICIUM SIMILÆ ERIT SACERDOTIS, A QUO OFFERTUR. Sacerdotes e genere Aaronico, suo singulos ordine ac vice, per hebdomadas functos fuisse munere in Tabernaculo, scriptum alibi occurret. Qui sacerdos pro vice sua offerebat sacrificium, in laboris mercedem vellus hostiæ referebat, si de holocausto res esset; si vero hostiam pro peccato offerret, habebat sibi carnes; tum & quæ supererant ex oblationibus similæ, panum, vel placentarum, postquam e singulis portionem altaris igni imposuissent: hæc tamen omnia seu stipendia seu præmia manibus Sacerdotis offerentis tradita, æqua deinde portione dividebantur inter omnes Sacerdotes; quod cautum legitur ℣. 10. Porro placentæ illæ & panes a privatis oblatæ coquebantur in privatis ædibus, non in atrio Tabernaculi.

℣. 10. SIVE OLEO CONSPERSA, SIVE ARIDA FUERINT. Placentæ illæ ac cæteræ similæ oblationes, de quibus in versiculo præcedenti, referebant puram neque mixtam farinam aquâ subactam, coctamque sive in furno, sive in sartagine; vel farinam item subactam oleo; vel tandem cocti panes oleo dein conspergebantur. Prius illud panis genus appellatur in Vulgata *arida*. Hæc autem quæcumque essent, omnia in Sacerdotes refundebantur.

CUNCTIS FILIIS AARON MENSURA ÆQUA PER SINGULOS DIVIDETUR. Textum hunc interpretandi non una esse potest ratio. Sunt qui in hunc sensum reddant (3): Singulis filiis Aaronis æquum erit jus in proventus ministerii sui & præmia; singuli pro sua vice ministrabunt, fruenturque iis, quæ pro tempore ministerii sui obvenerint. Si vero plures simul Sacerdotes eadem hebdomadæ die ministrare contingat in Tabernaculo vel in Templo, diei illius vel hebdomadæ proventus omnes ex æquo inter se distribuant.

Persuasum est aliis, in distributione oblationum rationem haberi consuevisse privatorum Sacerdotum laboris, dignitatis, inopiæ; id autem maxime spectatum in rebus, quæ diu servari possunt, puta in farina; victimarum enim carnes impares erant ut reservarentur diu; nefas pariter eas extra atrium efferri. Tradit R. Salomon, singulis Sacerdotum suam esse diem ad ministrandum in Tabernaculo destinatam, quibus & cederent omnia, quæcumque ea die offerri contigisset. Contendunt alii, imperatam esse inter omnes æque Sacerdotes distributionem oblationum, quæ extraordinarie obvenissent, quarum major esse poterat quandoque copia, vel minor: consuetas autem oblationes censent juris fuisse illius vel illorum omnium, qui per eam hebdomadam ministrabant. Succurrit tandem aliis (4) distinguere inter oblationes coctæ vel non coctæ farinæ: priores illas adscribunt prorsus Sacerdoti offerenti; cæteras inter Sacerdotes omnes distribuunt. Hæc tamen omnia futilibus admodum conjecturis fulciuntur.

℣. 12. SI PRO GRATIARUM ACTIONE OBLATIO FUERIT. Hebræus (5): *Si pro confessione offerat.* Dictum exponit Oleaster cum Septuaginta de confessione laudum, περὶ αἰνέσεως, cum scilicet eucharistica sacrificia offerebantur Deo pro acceptis ab eo beneficiis; semper enim laudes sacrificio illi jungebantur. Id generis sacrificia familiari nomine *pacifica* appellabantur, quod scilicet offerri illa juberet receptum aliquod beneficium; familiari autem Hebræorum phrasi, pacis nomine fausta omnia censentur. Apud Latinos pariter non semel *pax* valet *beneficium*, ut notat Servius (6): nec brevioribus limitibus adstringitur vox *salus*, σωτήριον, quam Græcus adhibet in ℣. 13.

De Sacrificiis pacificis, tamquam usu jam notis & familiaribus, sermonem habuit Moyses supra capite III. 12. unde conjectura non futilis, jam inde ante legem ea invaluisse. Id generis sacrificio litavit Jacob e Mesopotamia redux (7): eo pariter & Jethro, cum ad invisendum Moysem ad montem Sinai venit (8). Offerebatur tunc aliquis e panibus iis vel placentis, quæ in hoc versiculo notantur, non tamen ex omnibus speciebus aliquid, uti innuere Textus primo intuenti videretur. Nunquam etiam Pagani, teste Grotio, sacrificia

[1] Οὗτος ὁ νόμος τοῦ κριοῦ τοῦ περὶ τῆς πλημμελείας. [2] Levit. VI. 26. [3] Menoch. Corn. Villet.
[4] Cajet. Oleast. Bonfr. &c. [5] אם על תודה יקריבנו [6] In 4. Georg. . . . *Tu munera supplex Tende, petens pacem*.
[7] Genes. XXXIII. 20. [8] Exod. XVIII. 12.

ficia *salutaria*, a Græcis appellata σωτήρια. Eucharisticæ hæc sacrificia alia erant plane ab iis, quibus voti religio exsolvebatur; communi tamen sacrificiorum pacificorum nomine genus utrumque designatum est.

Coctamque similam et collyridas olei admixtione conspersas. Reddi posset Hebræus (1): *Frixam similam, tenuesque placentas oleo illitas*. Demonstratum est alibi, in usum cibi obtinuisse apud Veteres crudam non minus ac coctam similam.

℣. 13. Panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum. Præter azymas placentas, de quibus in superiori versiculo, offerebantur etiam fermentati panes, non igni Altaris destinatum pabulum, sed in usum Sacerdotum cæterorumque de carnibus immolatis gustantium. Ita censent cum Hebræis alii plures Interpretes.

℣. 14. Ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, et erit sacerdotis. Ex omnibus hisce oblationibus panum, vel placentarum unus aliquis seligebatur panis azymus, offerendus in altari Domino; cedebant Sacerdoti reliqui; reliqui scilicet panes azymi, sicut & fermentati, collyræ, & quæcumque supererant omnia. Animadvertere juvat, Orientales conficere panes suos minimos ac tenues, quare in quotidianum usum plures erogantur: ac mensæ minoribus hisce panibus coronari solent, quos non male offulas diceres (2). Defendunt plures, integrum fuisse singulis offerre panem fermentatum in Altari in sacrificiis eucharisticis; quæ sententia est Tostati, Menochii, Bonfrerii, & aliorum quorumdam. Exponunt illi, sanctionem, vetantem offerri panem fermentatum, latam capite II. 11. definiendam esse tantum ad oblationes similæ pro peccato vel in aliis Sacrificiis; cum vero res est de sacrificiis pacificis, vel de oblationibus primitiarum, si quis offerat panes fermentatos vel azymos, licere.

℣. 15. Cujus carnes eadem comedentur die. Ut scilicet necessitas quædam induceretur Sacerdotibus largiendi aliquid pauperibus, ait Theodoretus (3). Addebantur omnis generis panes, ut invitati ad convivium præsto haberent une simul in mensa quidquid sibi necessarium exigerent. Statim has hostias vorari jubet Deus, ut eo veluti documento agnoscant Sacerdotes, quam promptam ab ipso opem receperint, ait Philo *de victimis*.

℣. 16. Si voto vel sponte quispiam obtulerit hostiam. Duo sacrificiorum pacificorum genera hic habes; primum scilicet ad voti fidem explendam, alterum spontanea religione inductum, sive ob pium gratumque mutuum animi Dei beneficiorum memoris, vel saltem ad beneficia in futurum sibi promerenda. In sacrificiis spontaneis victimæ vitiis aliquibus infectæ rite offerebatur: eamdem tamen respuebant sacrificia voto seu data fide nuncupata (4).

In utroque hoc sacrificiorum genere suadebatur quidem offerentibus, ut totam absumerent victimam eadem sacrificii die; siquis tamen reservatum aliquid in diem alterum adhiberet in cibum, legem non violabat; quo potissimum ritu discrepabant ab aliis quæ ℣. 12. leguntur, appellanturque *sacrificia confessionis*, vel *laudum*. In his enim postremis imperatur ℣. 15. *Non remanebit ex eis quidquam usque mane*, in aliis non item.

℣. 17. Quidquid tertius invenerit dies, ignis absumet. Debitum in res sanctas obsequium imperat, ne de carnibus victimarum quidquam corrumpi permittatur; vitium autem ejusmodi contrahere potuissent aliquod carnes in diem tertiam reservatæ. Ad hæc, non ea sunt Dei consilia, ut velit in privatum commodum verti sacras oblationes; quin potius eo spectant, ut postquam satisfactum fuerit necessitati, reliqua in pauperes converterentur. Cum Deo aliquid oblatum est, nullum reservatur nobis jus erga rem ipsam; Deo enim cedit, eoque tantum largiente in usum offerentis permittitur; in usum, inquam, non in jus & dominium, ait Philo (5).

℣. 18. Irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti. Duæ voculæ supersunt in Hebræo, פגול יהיה, quæ varie redduntur. Onkelos מרחק יהי, *Abominabile erit*; quam pariter interpretationem retinent Aquila, & Symmachus (6). Septuaginta: Μίασμα ἐστι, *inquinatio est*, profanum est aliquid, impurum. Theodotion Hebræam vocem servat: Φιγγουλ. Hebræas voces exponunt Rabbini de cibo, qui in saniem declinans grave incipit olere, quod diutius, quam par sit, post Sacrificium asservetur. Confer Levitici XIX. 4. Isaiæ LXV. 4. Ezechielis IV. 14. ubi vox eadem recurrens exprimit malam cibi in saniem inclinantis qualitatem.

Prævaricationis rea erit. Hebræus עונה תשא, *Iniquitatem suam portabit*. Crimen est nullo sacrificio expiandum, neque enim extenuari potest causa imbecillitatis, vel ignorantiæ.

℣. 19. Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur. Dicta hæc accipienda sunt de carne victimarum, quæ casu, & per incuriam aliquid immundum contigerit. Apponunt hanc limitationem Chaldæus & Septuaginta ad ℣. 21. & ex Deuteronomii XII. 15. 22. intelligimus, extra sacrificium nulla religione interdici in cibum dapes, contactu rei immundæ vitiatas.

Qui fuerit mundus, vescetur ex ea. Veteres plures Bibliorum codices ferunt: *Qui fuerit immundus vescetur ea*. Vulgatæ tamen lectionem tuentur Hebræus, & Septuaginta. Nemo nisi purus degustabit immolatas carnes. Hoc vero accipiendum est ut appendix præcedentium, quibus cavetur ne de immolatis contactu rei impuræ vitiatis quidquam degustetur.

℣. 20. Peribit de populis suis. A communione & a societate Israelis arcebitur; quod alii dictum exponunt de ultione Divina; alii de inflicta a Judice pœna (7).

℣. 21. Quæ tetigerit immunditiam hominis. Capitale censebatur ejus delictum, qui vel prudens tangeret, vel degustaret carnes hostiæ pacificorum, impuræ rei contactu pollutus. Hoc exprimit Hebræus, cujus apertior est significatio, quam Vulgatæ. *Immunditia hominis* æque accipi potest de homine immundo, ac de excremento hominis (8).

℣. 23. Adipem ovis, et bovis, et capræ non comedetis. כל חלב & Septuaginta, πᾶν στέαρ, *omnem adipem*: quæ phrasis iis limitibus restringenda est, quos supra III. 17. constituimus; nempe ut sit de adipe victimarum immolatarum. Nullam aliam rationem hujus sanctionis, nisi frivolem illam, assignat Grotius post Maimonidem, nimirum adipem officere stomacho. Portionem hanc Deus sibi reservaverat; quare abstinendum ab illa obsequii quadam significatione edixit.

℣. 24. Adipem cadaveris morticini habebitis in varios usus. Adipem animalium, de quibus in superiori versiculo, vetitum habebant in cibum Hebræi; in alios vero usus permissum. Aperte id exprimitur in Hebræo, & Septuaginta, apud quos legitur: *Et in esca non edetur*, in usum cibi non erit; quod deest in Vulgata. Negantem particulam hic adscribit Interpres Origenis (9); quam nullus Textus tuetur: *Adeps morticini non erit ad omne opus*.

(1) סלת מרבכת חלת בלולת בשמן (2) Dandini, Voyage du mont Liban. ch. 39. (3) Theodoret. qu. 6. in Levit. (4) Infra Levit. XXII. 23. (5) Philo de victimis p. 542. Τὰς θυσίας ἀναφέρεται εἶναι ... &c. (6) Ἀποβλητόν. Levit. XIX. 7. (7) Vide Exod. XII. 19. & Genes. XVII. 14. (8) Cornel. a Lapide, Menochius. (9) Homil. 5. in Levit.

℣. 26. Sanguinem omnis animalis non sumetis in cibo. Hujus Legis exceptio est nulla, nisi pro sanguine piscium, quos non comprehendere verba Legislatoris idcirco docent Rabbini, quod sermo apud illum sit tantum de animantibus terrestribus. Septuaginta, & Hebræus ferunt: *In cunctis habitationibus vestris;* quod in Vulgata frustra quæras.

℣. 29. Qui offert victimam pacificorum Domino offerat simul et Sacrificium, idest, libamenta ejus. Sunt hæc Sacrificiorum ejusmodi appendices (1). Alium sensum reddit Hebræus (2): *Qui offert sacrificium pacificorum suorum Domino, adducet oblationem suam Domino de Sacrificio pacificorum suorum;* id est, animalia in eam rem descripta cap. III. & cum cæremoniis præscriptis hic ℣. 30.

℣. 30. Tenebit manibus adipem hostiæ. Septuaginta addunt, supra Vulgatam, & Hebræum: *Et lobum hepatis.*

Cumque ambo oblata Domino consecraverit. Apertius Hebræus: *Manus ejus sument adipem, & pectusculum ad elevandum elevationem coram Domino.* Hanc cæremoniam agitandi portiones victimæ, implebat victimæ illius dominus, cujus interim manus, juxta aliquos (3), sustinens, ducensque Sacerdos deprimebat, elevabat, agebat, ut ritualis cæremonia poscebat.

℣. 31. Pectusculum autem erit Aaron. Ex Deuteronomii XVIII. 3. intelligimus, cessisse Sacerdoti *Armum*, *mandibulas*, & quod Latini *Omasum* appellant; id est *ventriculum* magis opimum animalium ruminantium. Cedebant Samaritani Sacerdotibus suis pectusculum, armum dexterum, & mandibulam. Vide quæ contulimus in Commentariis ad Deuteronomium, ut eum ipso se Moysem conciliaremus.

℣. 32. Armus dexter. Adnotavimus supra ad Exodi XXIX. 22. Interpretes nonnullos reddere Hebræam vocem *femur*. Recurrit hic pariter eadem lectionis varietas.

℣. 34. Pectusculum elevationis. Pectusculum, quod elevatur, seu potius agitatur coram Altare חזה התנופה Septuaginta: Στηθύνιον τῦ ἐπιθέματος, *Pectusculum impositionis*, quod manibus imponitur offerentis.

Et armum separationis. Hebr. שוק התרומה *armum exaltationis* (coram Domino); seu potius, juxta Septuaginta, detractum, & separatum a reliquo corpore (4). Primum illum sensum magis præferre videtur litera.

℣. 35. Hæc est unctio Aaron. Ejus merces, & portio; hi ejus proventus, tanquam Sacerdotis Deo consecrati. D. Clericus reddit (5): *Hic pastus erit Aaron*; hæc alendo Aaroni destinata sunt. Accersit ille Hebræum *Mischat* ex Æthiopico *Maschaa*, quod est convivium instruere. Vide *Num.* XVIII. 8.

In cæremoniis Domini, die qua obtulit eos Moyses. Hebræus: *Hæc portio Aaron de ignitionibus Domini* (sacrificiis Deo per ignem oblatis) *a die qua induxit eum* Deus *ad fungendum Sacerdotio Domino.*

℣. 36. Quæ præcepit eis dari ... religione perpetua. Hebræus, & quæ ex illo expressæ sunt Versiones, addunt supra Vulgatam: *Die unctionis eorum*, vel consecrationis.

℣. 37. Ista est Lex holocausti. In hoc versu habes distincta sex sacrificiorum genera. 1. Holocaustum; 2. Oblationem similæ; 3. Sacrificium pro peccato; 4. Pro delicto; 5. Pro consecratione; 6. Pro Sacrificiis pacificorum. Ita Textus ad literam (6): *Hæc lex holocausti, oblationis panis vel farinæ, hostiæ pro peccato, & pro delicto; pro consecratione, & sacrificii pacificorum.*

(1) Ita Hebræi, Lyr. (2) המקריב את זבח שלמיו יביא את קרבנו ליהוה מזבח שלמיו (3) Lyran. Tirin. (4) Βραχίονα τῦ ἀφαιρέματος. (5) זאת משחת אהרן (6) זאת התורה לעלה למנחה ולחטאת ולאשם ולמלואים ולזבח השלמים

CAPUT VIII.

Consecratio Aaron, & filiorum ejus, & vasorum omnium Tabernaculi.

℣ 1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Tolle Aaron cum filiis suis,
vestes eorum, & unctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, ca-
nistrum cum azymis, 3. Et congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi. 4.
Fecit Moyses, ut Dominus imperaverat. Congregataque omni turba ante fores taber-
naculi, 5. Ait: Iste est sermo, quem jussit Dominus fieri. 6. Statimque obtulit Aa-
ron, & filios ejus. Cumque lavisset eos: 7. Vestivit Pontificem subucula linea, ac-
cingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & desuper humerale imposuit,
8. Quod astringens cingulo aptavit rationali, in quo erat Doctrina, & Veritas. 9. Ci-
dari quoque texit caput: & super eam, contra frontem, posuit laminam auream conse-
cratam in sanctificatione, sicut præceperat ei Dominus. 10. Tulit & unctionis oleum,
quo linivit tabernaculum cum omni supellectili sua. 11. Cumque sanctificans aspersisset
altare septem vicibus, unxit illud, & omnia vasa ejus, labrumque cum basi sua sancti-
ficavit oleo. 12. Quod fundens super caput Aaron, unxit eum, & consecravit: 13.
Filios quoque ejus oblatos vestivit tunicis lineis, & cinxit balteis, imposuitque mitras,
ut jusserat Dominus. 14. Obtulit & vitulum pro peccato: cumque super caput ejus
posuisset Aaron, & filii ejus, manus suas, 15. Immolavit eum: hauriens sanguinem,
& tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum; quo expiato, & sanctificato, fudit
reliquum sanguinem ad fundamenta ejus. 16. Adipem vero, qui erat super vitalia, &
reticulum jecoris, duosque renunculos cum arvinulis suis, adolevit super altare: 17.
Vitu-

Vitulum cum pelle, & carnibus, & fimo, cremans extra castra, sicut præceperat Do-
minus. 18. Obtulit & arietem in holocaustum: super cujus caput cum imposuissent
Aaron, & filii ejus manus suas, 19. Immolavit eum, & fudit sanguinem ejus per cir-
cuitum altaris. 20. Ipsumque arietem in frusta concidens, caput ejus, & artus, & adi-
pem adolevit igni, 21. Lotis prius intestinis, & pedibus, totumque simul arietem in-
cendit super altare, eo quod esset holocaustum suavissimi odoris Domino, sicut præce-
perat ei. 22. Obtulit & arietem secundum, in consecratione sacerdotum: posuerunt-
que super caput ejus Aaron, & filii ejus manus suas. 23. Quem cum immolasset Moy-
ses, sumens de sanguine ejus, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem ma-
nus ejus dextræ, similiter & pedis. 24. Obtulit & filios Aaron: cumque de sanguine
arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ, & pollices manus, ac
pedis dextri, reliquum fudit super altare per circuitum. 25. Adipem vero, & cau-
dam, omnemque pinguedinem, quæ operit intestina, reticulumque jecoris, & duos re-
nes cum adipibus suis, & armo dextro separavit. 26. Tollens autem de canistro azy-
morum, quod erat coram Domino, panem absque fermento, & collyridam conspersam
oleo, laganumque posuit super adipes, & armum dextrum, 27. Tradens simul omnia
Aaron, & filiis ejus. Qui postquam levaverunt ea coram Domino, 28. Rursum susce-
pta de manibus eorum adolevit super altare holocausti, eo quod consecrationis esset ob-
latio, in odorem suavitatis, sacrificii Domino. 29. Tulitque pectusculum, elevans
illud coram Domino, de ariete consecrationis in partem suam, sicut præceperat ei
Dominus. 30. Assumensque unguentum, & sanguinem, qui erat in altari, aspersit
super Aaron, & vestimenta ejus, & super filios illius, ac vestes eorum. 31. Cum-
que sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis, dicens: Coquite carnes ante fores
tabernaculi, & ibi comedite eas: panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt
in canistro, sicut præcepit mihi Dominus, dicens: Aaron, & filii ejus comedent eos;
32. Quidquid autem reliquum fuerit de carne, & panibus, ignis absumet. 33. De
ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus, usque ad diem, quo complebi-
tur tempus consecrationis vestræ, septem enim diebus finitur consecratio. 34. Sicut
& impræsentiarum factum est, ut ritus sacrificii compleretur. 35. Die, ac nocte
manebitis in tabernaculo observantes custodias Domini, ne moriamini: sic enim mi-
hi præceptum est. 36. Feceruntque Aaron, & filii ejus cuncta, quæ locutus est Do-
minus per manum Moysi.

℣. 1. TOLLE AARON CUM FILIIS SUIS. Executioni in hoc capite mandata referuntur, quæ præcepta sunt in capite XXIX. Exodi, ubi nos quæcumque expositioni hic ardua offeruntur, explicavimus. *Canistrum cum azymis*; canistrum scilicet, in quo conservari solebant panes in atrio, juxta Altare holocaustorum. Appellatur frequenter *canistrum azymorum*.

℣. 7. VESTIVIT PONTIFICEM SUBUCULA LINEA, ACCINGENS EUM BALTEO. Arguunt hæc aperti erroris ea; quæ, post Josephum, Commentariorum Scriptores plerique affirmant, nimirum balteum superiorem fuisse veste appellata *Mehil*. Constat utique ex Moyse, balteum coercuisse luxuriem primæ tunicæ, alteram vero seu vestem seu pallium, super indutam, ipso Ephod tantummodo adstrinxisse. Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta fusiores sunt aliquanto: *Vestivit eum tunica, & cinxit baltheo; & induit eum pallio* מעיל, *Mehil, tunica hyacinthina: Et dedit super eum Ephod, & cinxit eum in artificio superhumeralis*, idest, junxit Rationali, vittis Ephod, בחשב האפוד. Vide *Exod.* XXVIII. 7. 8.

℣. 8. QUOD ADSTRINGENS CINGULO APTAVIT RATIONALI, IN QUO ERAT DOCTRINA, ET VERITAS. Hebræus (1), & Septuaginta ad literam ferunt: *Et posuit super eum pectorale, & dedit in pectorali Urim & Tummim*. Ex vi hujus phrasis insinuatur, Urim & Tummim aliud quid prætulisse a Rationali distinctum.

QUOD ADSTRINGENS CINGULO. Deest cinguli mentio in Originali; designat vero eo nomine Interpres vittam Ephod, qua tunica, vel pallium hyacinthinum stringebatur.

℣. 9. LAMINAM AUREAM CONSECRATAM IN SANCTIFICATIONE. Hebræus commode redderetur (2): *Laminam auream, coronam sanctam*, vel *sanctitatis*. Insculptum offerebat lamina aurea hoc lemma: *Sanctum Domino*.

℣. 12. UNXIT EUM ET CONSECRAVIT. De unctionis ritu fusius actum est in Exodi XXIX.

℣. 13. FILIOS QUOQUE EJUS OBLATOS VESTIVIT TUNICIS LINEIS. Latinæ quædam Bibliorum exemplaria ferunt: *Consecravit & vestivit*; sed delendum est illud *consecravit*. Hebræus, Septuaginta, & Chaldæus exhibent tantum, indutos fuisse illos tunicis. Addit S. Hieronymus *lineis*, distinguendi gratia tunicas illas a hyacinthina, quæ peculiaris erat Summi Sacerdotis. Aquila & Theodotion reddiderunt ὑποδύτην, tunicam interiorem; & re ipsa quidem linea hæc tunica proxime carni superinduebatur.

IMPOSUITQUE MITRAS. Mitræ nomine exprimitur potius fascia quædam capitis, seu integumentum capitis fœmineum. Pileum Sacerdotum appellant Septuaginta *cidarim*. Ornamentum hoc late descripsimus in Exodo XXVIII. 4.

Hæ sunt igitur vulgarium Sacerdotum vestes omnes: tunica linea, pileus, cingulus. De vestibus simplicium Levitarum nihil nos in præsenti animadvertendum censemus; nihil etiam de illis imperatur in Numeris VIII. ubi ritus omnes purifica-

(1) וישם עליו את החשן ויתן אל החשן את האורים ואת התמים

(2) ציץ הזהב נזר הקדש

rificationis & consecrationis illorum exhibentur; Injungitur tantum, ut laventur initiandorum vestes, & pili toto corpore radantur. Refert Josephus (1), sub Agrippa Rege Judæorum anno 62. J. C. sexennio circiter ante eversionem Templi, postulasse sibi Levitas, & impetrasse ab eo Principe facultatem vestiendi lineis corpus, more Sacerdotum: quod perinde reputatum est, ac violatio recepti ac vetustissimi in ea regione moris, qui nunquam impune pessumdatus est.

℣. 14. Obtulit et vitulum. Per septem succedentes dies in ea cæremonia perseveratum est (2); ut singulis hebdomadæ illius diebus eadem, quæ prima die, repeterentur.

℣. 22. Obtulit arietem secundum in consecratione Sacerdotum. Hebr. איל המלאים *Arietem plenitudinum*, arietem, quo manus eorum repletæ ad consecrationem sunt. LXX. Κριὸν τῆς τελειώσεως, *arietem consummationis*, eorum consecrationis.

℣. 23. Extremum auriculæ, idest, infimum auriculæ, juxta Rabbinos; vel summum, juxta Chaldæum: על רום אירנה

Tetigit pollicem manus ejus dexteræ similiter et pedis. Septuaginta (3): *Tetigit super summitatem manus dexteræ, & super summitatem pedis dextri*. Non obscure eo documento intelligebat summus Sacerdos, totum se & toto pariter corpore destinari in servitium & obsequium Numinis.

Summus Sacerdos apud Romanos novo quidem & singulari ritu ita initiabatur, ut similitudinem referret aliquam illius consecrationis, qua Aaron in summum Sacerdotem inauguratus est. Pontifex Romanus sericea refulgens veste, & ornatus solemniter prodibat, caput ferens coronatum auro sacrisque redimitum vittis; atque ita paratus deducebatur in locum subterraneum, tectum tabulis perforatis, super quas taurus immolabatur. Fluens ex hostia cruor per asserum foramina, totum irrigabat stantem inferius Pontificem, qui totum se componebat, ut corpus late, vestes, genæ, aures, nares, labia, oculi sacro cruore imbuerentur. Tum egrediens sacro madidus sanguine, agnoscebatur religioso obsequio a populo in summum rerum sacrarum Pontificem (4).

℣. 25. Adipem et caudam. Septuaginta: *Adipem & lumbum*. Discrimen hoc supra animadvertisse sicuit ad caput III. 9.

℣. 26. Tollens de canistro azymorum. Textus Hebræus non adeo aperte docet, utrum ipse per se Aaron ejusque filii oblationem hanc præstiterint, ea per motum agitationis coram Domino elevata, uti Septuaginta & S. Hieronymus interpretantur; an hæc omnia Moyses ipse compleverit. Posterius hoc magis probamus; quin & necessario admittendum edicunt ea, quæ proxime consequuntur. Duxisse Moyses & sustinuisse Aaronis manus videtur.

℣. 28. Adolevit super altare holocausti. Hebræus (5), & Septuaginta: *Obtulit ea super Altare, super holocaustoma, odorem suavitatis*. Discrimen hoc non semel alias animadversum est. Vide *Levit.* III. 5.

℣. 30. Cumque sanctificasset eos in vestitu suo. Hebræus: *Sanctificavit Aaron vestes ejus & filios ejus*. Munus aliquod Sacerdotale in Templo agere nefas erat Sacerdotibus, cum sacris vestibus carerent, illis enim amotis perinde habebantur ac laici. Dogma est Rabbinicum: Sacerdos sine ornamentis Sacerdos non reputatur; quin & punitur morte, si peculiaribus sibi vestibus non indutus ad Altare accedat (6).

Ante fores tabernaculi; idest, in atrio Tabernaculi præ foribus Sancti. Textus Samaritanus & Septuaginta addunt hic: *In loco sancto*; quod & legitur in Hebræo ad Exodi XXIX. 31.

Sicut præcepit mihi Dominus. Hebræus: כאשר צויתי *quemadmodum præcepi*. Chaldæus & Septuaginta: Ὃν τρόπον ἐντέταλταί μοι, *quemadmodum præceptum est mihi*.

℣. 33. De ostio tabernaculi non exibitis septem diebus. Pedem efferre de loco sacro prohibebantur, nisi cogeret necessitas, idque brevi temporis spatio, puta ut necessitati naturæ satisfacerent. Nec desunt etiam (7) qui contendant, exitum illis omnem interclusum fuisse. Successu deinde temporis Sacerdotes cum pro munere suo ministrarent in Templo, nunquam inde pedem efferebant, toto illo tempore, sicut nec unquam prodibant exterius sacris vestibus induti. Summus Sacerdos pontificalia indumenta extra locum sanctum nunquam gerebat, nisi summa cogente necessitate, ut cum Jaddus obviam Alexandro prodivit.

Septem enim diebus finitur consecratio. Hebræus & Septuaginta: *Septem diebus consummabit manus vestras* (consecrare); seu potius: Iterabitur septem succedentibus diebus cæremonia: quare nefas erit vobis toto hoc temporis spatio recedere e Tabernaculo. Hæc imperata sunt Sacerdotibus prima suæ consecrationis die.

℣. 34. Sicut et in præsentiarum factum est. Continuanda sunt hæc cum sensu præcedentium, ut una contextus series reddatur. Ita ergo simul omnia reddenda sunt: *Replebit manus vestras* (vel consecrabit vos) *spatio septem dierum, sicut & in præsentiarum factum est, & sicut præceperat Dominus, ad vos expiandum*.

℣. 35. Die ac nocte manebitis in Tabernaculo. Hebræus (8), Chaldæus & Septuaginta: *In ostio tabernaculi Testimonii manebitis, die & nocte, septem diebus*. Autumavit S. Cyrillus (9), septem hosce dies exprimere quidquid Sacerdotum vitæ superesset, quam totam vitam agerent in Tabernaculo.

Observantes custodias Domini. Hebr. (10): *Custodiatis custodias Domini*. Id curabitis, ut injuncta vobis a Domino mandata omnia exequamini. Vide *Levit.* XVIII. 30.

Ne moriamini. Siquidem teneat vos solicitudo evi-

(1) Joseph. Antiq. l. XX. c. 8. p. 699. Τῶν δὲ Λευιτῶν ὅσοι τεχνῖται ὑμνῳδοί, πείθουσι τὸν βασιλέα καθίσαντα συνέδριον, φορεῖν αὐτοῖς ἐπίσης τοῖς ἱερεῦσιν ἐπιτρέψαι λινῆν στολήν . . . καὶ τῆς ἀξιώσεως οὐ διήμαρτον. Ὁ γὰρ βασιλεὺς μετὰ γνώμης τῶν εἰς τὸ συνέδριον συνελθόντων συνεχώρησε τοῖς ὑμνῳδοῖς ἀποθεμένοις τὴν προτέραν ἐσθῆτα, φορεῖν λινῆν οἵαν ἠθέλησαν.

(2) Vide infra ℣. 33. 35. & Exod. XXIX. 35.

(3) Ἐπὶ τὸ ἄκρον τοῦ χειρὸς τῆς δεξιᾶς, καὶ ἐπὶ τὸ ἄκρον τοῦ ποδὸς τοῦ δεξιοῦ.

(4) Prudent. hymn. S. Romani.

Summus Sacerdos nempe sub terram scrobe
Acta in profundum consecrandus mergitur,
Mire infulatus . . . .

Et infra:

Tum per frequentes mille rimarum vias
Illapsus imber tabidum rorem pluit,
Defossus intus quem sacerdos excipit,
Guttas ad omnes turpe subjectans caput,
Et veste, & omni putrefactus corpore.
Quin os supinat, obvias offert genas,
Supponit aures, labia, nares objicit.

Vide in hanc rem, Salmasium in Lampridium, & Georgium Fabricium in Prudentium.

(5) ויקטר המזבחה על העלה מלאים (6) Keleihammikdos cap. 10. (7) Tost. & Lud. de Dieu.

(8) פתח אהל מועד Καὶ ἐπὶ τὴν θύραν τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου. (9) Lib. 2. de adorat. (10) שמרתם את משמרת יהוה

evitandi necem, qua jussionibus meis refractarios puniam. Porro in Nadab & Abiu filiis Aaronis (1) luculentum & terribile exemplum datum est ultionis Divinæ in eos, qui cæremonias ejus negligunt.

In instituendis hac occasione Sacerdotibus, Moyses, ipse per se obit functiones Sacerdotis consecrantis. Deinceps, cum interire contingeret Summos Sacerdotes, non incongrue reputaremus, cæremoniam consecrandi Successorem implesse aliquos e Sacerdotibus inferioribus, qui ætatis atque dignitatis prærogativa cæteris præstarent. Commentariorum Scriptores quidam defendunt, in consecratione novi Summi Sacerdotis nullo majori apparatu rem totam perfici consuevisse, quam eo, quo in locum defuncti Aaronis Eleazar suffectus est; ille enim vestibus sacris defuncti indutus, nulla operosiore cæremonia agnitus est in Pontificem (2). Jonathas Asmonæus ad ineundam possessionem sacræ dignitatis satis habuit, peculiaribus summi Sacerdotis vestibus indutum adesse Festo Tabernaculorum (3). Cum Rex Agrippa supremam Sacerdotii dignitatem obtulisset Jonathæ filio Anani, qui alias illam gesserat, oblatam recusavit Jonathas, ostendens sufficere sibi vestem hanc sacram semel induisse; nunc vero cedere se libenter amplissimum hoc munus viro alteri digniori, quem indicabat.

(1) Levit. x. 2. (2) Num. xx. 25, & sequ. (3) 1. Macc. x. 21. & Joseph. l. xi ii. Antiq. c. 5.

C A P U T IX.

Holocaustum pro peccato Aaron. Populi victimæ pacificæ. Apparet gloria Domini, Ignis e Tabernaculo egressus victimas consumit.

℣. 1. Facto autem octavo die, vocavit Moyses Aaron, & filios ejus, ac majores natu
Israel, dixitque ad Aaron: 2. Tolle de armento vitulum pro peccato, &
arietem in holocaustum, utrumque immaculatum, & offer illos coram Domino. 3. Et
ad filios Israel loqueris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum, atque agnum anniculos,
& sine macula, in holocaustum; 4. Bovem, & arietem pro pacificis; & immolate
eos coram Domino, in sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes:
hodie enim Dominus apparebit vobis. 5. Tulerunt ergo cuncta, quæ jusserat Moyses
ad ostium tabernaculi; ubi cum omnis multitudo astaret, 6. Ait Moyses: Iste est sermo,
quem præcepit Dominus: facite, & apparebit vobis gloria ejus. 7. Et dixit
ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo: offer holocaustum, & deprecare
pro te, & pro populo. Cumque mactaveris hostiam populi, ora pro eo, sicut
præcepit Dominus. 8. Statimque Aaron accedens ad altare, immolavit vitulum
pro peccato suo. 9. Cujus sanguinem obtulerunt ei filii sui: in quo tingens digitum,
tetigit cornua altaris, & fudit residuum ad basim ejus. 10. Adipemque, & renunculos,
ac reticulum jecoris, quæ sunt pro peccato, adolevit super altare, sicut præceperat
Dominus Moysi. 11. Carnes vero, & pellem ejus extra castra combussit igni.
12. Immolavit & holocausti victimam: obtuleruntque ei filii sui sanguinem ejus, quem
fudit per altaris circuitum. 13. Ipsam etiam hostiam in frusta concisam, cum capite,
& membris obtulerunt: quæ omnia super altare cremavit igni, 14. Lotis aqua
prius intestinis, & pedibus. 15. Et pro peccato populi offerens, mactavit hircum:
expiatoque altari, 16. Fecit holocaustum, 17. Addens in sacrificio libamenta, quæ
pariter offeruntur, & adolens ea super altare absque cæremoniis holocausti matutini.
18. Immolavit & bovem, atque arietem, hostias pacificas populi; obtuleruntque ei
filii sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitum. 19. Adipem autem bovis,
& caudam arietis, renunculosque cum adipibus suis, & reticulum jecoris. 20. Posuerunt
super pectora: cumque cremati essent adipes super altare, 21. Pectora eorum,
& armos dextros separavit Aaron, elevans coram Domino, sicut præceperat
Moyses, 22. Et extendens manus ad populum, benedixit ei. Sicque completis hostiis
pro peccato, & holocaustis, & pacificis, descendit. 23. Ingressi autem Moyses,
& Aaron in tabernaculum testimonii, & deinceps egressi benedixerunt populo.
Apparuitque gloria Domini omni multitudini. 24. Et ecce egressus ignis a Domino:
devoravit holocaustum, & adipes, qui erant super altare. Quod cum vidissent
turbæ; laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas.

℣. 1. Facto octavo die. Evoluta consecrationis Sacerdotum hebdomada, Moyses ita affatus est Aaronem, ejus filios, & Majores natu Israelis, viros Principes, & Capita singularum Tribuum, in unum cœtum coactos.

℣. 2. Tolle de armento vitulum. Hebræus, Septuaginta & Samaritanus: *Tolle tibi vitulum*; ipse sibi sufficiebat victimas, alteram scilicet pro peccato suo, alteram in holocaustum.

℣. 3. Et ad filios Israel loqueris. Septuaginta, &

ga, & Textus Samaritanus: *Senioribus Iſrael loqueris*. Omnes enim in unum cœtum coegerat cum Sacerdotibus; & ab illis pariter offerendum erat Sacrificium, quemadmodum & a Sacerdotibus.

Tollite hircum pro peccato, et vitulum, atque agnum anniculos, at sine macula. Ex litera quidem Textus intelligimus, oportuiſſe, ut vitulus, & agnus unicum annum ætatis non excederent; nulla tamen neceſſitas cogebat, ut annum victimæ illæ explerent. Hebræus habet: *Filios anni*. Sancitum eſt capite IV. 3. ut offeratur vitulus pro peccato populi; hic autem injungitur oblatio hirci tamquam pro peccato Principis (1); quod ſpecie tenus ſaltem ſavet lectinni Samaritani & Septuaginta, quæ fert: *Senioribus Iſrael loqueris*; veluti ſi hircus pro peccato illorum offerendus eſſet. Porro ſeniores illi tunc ſoli reputabantur in Iſraele Principes.

℣. 4. In sacrificio singulorum. Fruſtra hæc quæras in Hebræo cæteriſque Verſionibus; deſignare autem additamento iſto voluit S. Hieronymus, ſingulis hiſce ſacrificiis non deſuiſſe appendices ſuas panis, olei, vini.

Hodie enim Dominus apparebit vobis. Ut animos veſtros præparet, quo ſpectare non indigne queatis Divinæ præſentiæ argumenta ſane prodigioſa; idcirco vobis hæc ſacrificia imperantur. His enim ſacrificiis veſtra crimina expiabuntur, ac Divina in vos beneficia comparabuntur. Spondet futurum, ut appareat Dominus, id eſt, revelet ſe gloria Domini; ſive quod nubes ſuper Tabernaculum ſeſſura eſſet, ſive quod erupturus eſſet ignis e Tabernaculo, ſive quod editis prodigiis luculentum præſentiæ ſuæ documentum exhibiturus eſſet Deus; ſive tandem omnia ſimul hæc ſpectanda eſſent Hebræis.

℣. 5. Tulerunt ... Seniores populi totius Iſraelis nomine adduxerunt victimas hic præſcriptas.

℣. 7. Deprecare pro te, et pro populo. Septuaginta: *Pro te, & pro domo tua*. Notat Apoſtolus (2), ſummum Sacerdotem rem ſacram inſtituere ab expiatione criminum ſuorum, tum gradum facere ad expianda delicta populi.

℣. 9. Cornua Altaris. In aliis cæremoniis, cum ſcilicet pro peccatis ignorantiæ offerret victimas Summus Sacerdos, attingebat cornua altaris thymiamatis. Hic autem, perinde habitus tamquam privatus aliquis, nonniſi altaris holocauſtorum cornua tangere permittitur.

℣. 15. Mactavit hircum; expiatoque altari [16] fecit holocaustum. Fuſior aliquanto Hebræus. Conſtitutis in altari victimis ad holocauſtum, hircum ſibi oblatum pro peccato populi accepit, immolavitque iiſdem cæremoniis, quibus antea ſacrificium pro ſe operatus fuerat; impoſuitque diviſas ejus hoſtiæ portiones ſuper holocauſtum, quod jam in Altari pro conſueto more ardebat (3).

Expiato Altari. Sanguinis aliquid impoſuit ſuper cornua Altaris. Legitur in Chaldæo, Sacerdos expiaſſe altare cruore hirci, ut antea præſtitum fuerat.

℣. 17. Addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur. Hebræus: *Obtulit munus* (mincha), *& implevit volam ſuam ex ipſo*. Seu forte: Pugillum ex iis accipiens, impoſuit igni altaris. Ideſt, hiſce omnibus ſacrificiis adjecit placentas & liquores a lege præſcriptos; quæ omnia de more altaris igne cremavit.

Absque cæremoniis holocausti matutini. Hiſce tamen omnibus non obſtantibus, perſeveratum eſt ea pariter die in offerendo holocauſto matutino, tanquam penſo ſingulis diebus a lege aſſignato. Hebræus: *Præter holocauſtum matutinum*.

℣. 22. Et extendens manus ad populum, benedixit ei. Ritus extendendi manus familiaris erat in omnibus hiſce cæremoniis, exprimebatque authoritatem ejus, qui benedictionem impartiebat. Cum privato alicui bene precandum erat, imponebant illi manus (4), ſed in benedictionibus ſolemnibus univerſi populi, manus ad cœtum populi extendebantur (5).

Sicque completis hostiis .... descendit, ex area ſcilicet circum aram regnante, quo populo bene precaturus aſcenderat. Malunt nonnulli, illud *deſcendit* perinde valere ac, recepit ſeſe abiitque; ſed ex ſubſequentibus utique patet, non ſtatim illum pedem retuliſſe e Tabernaculo: deſcendit igitur reipſa e prominente aliquo loco.

℣. 23. Ingressi autem Moyses, et Aaron in Tabernaculum. Moyſes Aaronem deducebat in Tabernaculum, ut illum doceret ritum offerendi thymiama, inſtruendi lampades, unguenta, & panes, ac dein ambo ſimul exeuntes e Tabernaculo, fauſta populo imprecati ſunt.

℣. 24. Ecce egressus ignis a Domino devoravit holocaustum. Certum tempus & locum, unde prorupit ignis, non indicat quidem Moyſes; at ſi hiſtoriæ ejus ductum ſequamur, tandem cognoſcimus, ignem e Tabernaculo promicuiſſe, ſtatim ac inde Moyſes ipſe & Aaron retulerant pedem, & benedictionem impartierant populo. Tunc ignis celeri delatus flamma, e Tabernaculo exiliens, conjunxit ſe igni in altare flagranti, ac priſtinam urendi virtutem felici adeo incremento auxit, ut victima holocauſti & adipes, paulo ante flammis commiſſa, ſtatim omnia momento citius abſumerentur. Ignis iſte, ſi Philonem de vita Moſis libro III. audias, conſtabat e puriſſimo æthere, vel e ſelectiſſimo aere, qui frigidam naturam in igneam ſtatim tranſmutavit. Vulgari eo uſque & communi igne uſus fuerat Moyſes; ſed in primo hoc ſacrificio ab Aarone oblato, Deus edito prodigio demonſtrare voluit, ſe authore virum hunc electum fuiſſe in Pontificem, oblatumque ab eo ſacrificium ſibi eſſe gratiſſimum. Quin & docti plures Interpretes (6) reputant, nullum alium ea die arſiſſe in Altari ignem, & quæ in verſiculis præcedentibus de igne hoſtias abſumente narrata ſunt, hæc per anticipationem dicta accipi oportere.

Author ſecundi Macchabæorum (7) tradit, igne cælitus dilapſo arſiſſe ſacrificium Aaronis; quod plene exponit mentem ſacri Legiſlatoris, ſcribentis, ignem hunc exiiſſe miſſum a Domino. Malunt alii veluti pluiſſe e nube tegente Tabernaculum. Joſephus (8) ſcribit, flammam hanc ſubito conceptam fuiſſe tamquam fulgur in medio victimarum & Altaris. Creditur ignis iſte perpetua flamma arſiſſe aduſque Salomonem, cum Deus novum alterum reparavit in dedicatione Templi ab illo conſtructi (9). Viciſſim autem poſtremus hic perſeveravit ad uſque everſionem Templi per Chaldæos. Tunc autem in ſpelunca celatus eſt; ubi poſt reditum e captivitate prunarum loco deprehenſa eſt aqua craſſa, & lutulenta. Sed Deus aquam illam in novum ignem reparans (10), id effecit, ut ſacer ignis non deeſſet uſque ad perſecutionem ab Antiocho Epiphane excitatam. Aſſerunt Rabbini, ſacras flammas in cœlum rediiſſe ſub Manaſſe Rege Juda. Autumant tamen ex illis quidam, aliquid ex eo manſiſſe in ſecundo Templo poſt ſolutam captivitatem; ſed aliis contraria probantur. Revocandum eſt in mentem, Doctores illos canonicam authoritatem abjudicare libris Macchabæorum, ubi tota ea controverſia in favorem prioris opinionis dirimitur.

C A-

(1) Levit. IV. 23. (2) Hebr. VII. 27. *Prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi.* (3) Vide Levit. III. 5. IV. 35. V. 12. VI. 9. VIII. 25. (4) Vide Geneſ. XLVIII. 14. (5) Vide Num. VI. 23. (6) Lyr. Menoc. Cornel. Piſc. (7) 2. Macc. II. 10. *Deſcendit ignis de cœlo, & conſumpſit holocauſtum.* (8) Joſeph. Antiq. l. 3. cap. 9. (9) 2. Paral. VII. 1. (10) 2. Macc. I. 15. & II. 10.

CAPUT X.

Nadab, & Abiu, cum prophanum ignem in thuribulis posuissent, ab igne a Deo immisso suffocantur. Vinum Sacerdotibus interdicitur. Se excusat Aaron, quod integram pro peccato victimam ignis consumpserit.

℣. 1. ARreptisque Nadab, & Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. 2. Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, & mortui sunt coram Domino. 3. Dixitque Moyses ad Aaron: Hoc est, quod locutus est Dominus; Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron. 4. Vocatis autem Moyses Misaele, & Elisaphan filiis Oziel, patrui Aaron, ait ad eos: Ite & tollite fratres vestros de conspectu Sanctuarii, & asportate extra castra. 5. Confestimque pergentes, tulerunt eos, sicut jacebant, vestitos lineis tunicis, & ejecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum. 6. Locutusque est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar, filios ejus: Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini, & super omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres vestri, & omnis Domus Israel plangant incendium, quod Dominus suscitavit: 7. Vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis: oleum quippe sanctæ unctionis est super vos. Qui fecerunt omnia juxta præceptum Moysi. 8. Dixit quoque Dominus ad Aaron: 9. Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu, & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. 10. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum: 11. Doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi. 12. Locutusque est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar, filios ejus, qui erant residui: Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, & comedite illud absque fermentato juxta altare, quia Sanctum sanctorum est. 13. Comedetis autem in loco sancto: quod datum est tibi, & filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi. 14. Pectusculum quoque, quod oblatum est, & armum, qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu, & filii tui, & filiæ tuæ tecum: tibi enim, ac liberis tuis reposita sunt de hostiis salutaribus filiorum Israel: 15. Eo quod armum, & pectus, & adipes, qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino, & pertineant ad te, & ad filios tuos, lege perpetua, sicut præcepit Dominus. 16. Inter hæc, hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum reperit: iratusque contra Eleazar, & Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait: 17. Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ sancta sanctorum est, & data vobis, ut portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini, 18. Præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta, & comedere debueritis eam in Sanctuario, sicut præceptum est mihi? 19. Respondit Aaron: oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino: mihi autem accidit, quod vides: quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis mente lugubri? 20. Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem.

℣. 1. ARREPTISQUE NADAB, & ABIU THURIBULIS, POSUERUNT IGNEM. Contigisse hæc omnia creduntur vespere octavæ diei a consecratione Aaronis, statim post ea, quæ in superiori capite narrata sunt. Munus inire suum volentes Nadab & Abiu, offerre incensum Domino instituerunt, quod juxta Legis præscriptum quotidie mane, & vespere iterandum erat. Sed vel incuria, vel errore pro sacris prunis, quas ex igne Altaris holocaustorum opus erat sumere, thuribulis suis imposuerunt alterius ignis, qui forte ardebat in atrio ad usum Sacerdotum, carbones. Sunt qui credant, obsequio quodam in ignem prodigiosum illos aliunde prunas elegisse (1). Malunt alii (2), has incurrisse pœnas incautos illos, quod neglexissent lavare pedes, & sacras omnes vestes induere, contentos tunicis; quasi scilicet alias Sacerdotis vestes præter tunicas Lex assignaret. Lyranus, & Estius cum Hebræis nonnullis suspicantur, bonos illos Sacerdotes plus nimio indulsisse vino; hanc autem de illorum ebrietate conjecturam inde deducunt, quod statim post hæc gesta, Deus lata Lege vetuerit usum vini, & meracorum omnium Sacerdotibus in Tabernaculo ministrantibus. Sed Moyses de hac juvenum intemperantia ne verbum quidem habet; & ex Deuteronomio XXIX. 6. intelligimus, toto itineris per desertum tempore vini familiarem usum nullum

fuisse

[1] Menoch. Tirin. [2] Rabbini apud Munster.

fuisse Israelitis: *Panem non comedistis, vinum & siceram non bibistis, ut sciretis quia ego sum Dominus*. Nullius etiam alterius culpæ geminos hosce filios Aaronis reos accusat Scriptura, quam profani ignis oblati (1). Tradit Josephus (2), caussam necis ipsorum non aliam fuisse, quam quod interdictas hostias in Altari constituerint: sed nihil tale legas in Scriptura. Creduntur ambo ad Aaronem patrem inter liberos natu majores pertinuisse; in censu filiorum ipsius (3) omnium primi adnotantur.

Quod eis præceptum non erat. Mentem suam de igne, quo sibi ministrandum esset in Tabernaculo, nondum explicasse Deus videtur, sed quamvis nullo expresso præcepto id vetaretur, digna supplicio præsumptione peccarunt ambo illi juvenes Sacerdotes, id præstantes injussi, & inconsulto. Docti quidam Interpretes tuentur (4), Deum antea vetuisse, ne profano igne incensum offerretur: quamquam præceptum illud silet Scriptura. Reputant autem, verba illa, *Quod eis præceptum non erat*, hanc habere vim, ut si diceretur: *Quod eis præcepto vetitum erat*, Satis antea Deus perpetuum in Altari suo ignem arsurum declaraverat (5); ex eoque igne cremandas esse victimas omnes ad unam (6). Exinde facile unusquisque duxisset, in cæteris sacris cæremoniis ignem postulantibus, nullum alium quam sacrum adhibendum fuisse.

At enim leve hoc crimen severam adeo punitionem merebatur? Is, quibus persuadetur, sive expressum Dei præceptum transgressos fuisse filios istos Aaronis, seu vino ad ebrietatem usque sese ingurgitasse, illis utique pronum ad invidiam omnem severitatis a Deo eam animadversionem exigente amovere, coguntur hi pariter necessaria plane consecutione fateri, utrumque illum Sacerdotem mortalis criminis reum e vivis migrasse, & in alia vita æternis suppliciis addici. Qui vero contraria statuunt, reputantes Nadab & Abiu reos esse tantum delicti per inconsiderantiam admissi in præceptum, nondum satis expresse datum a Deo; & illi pariter, qui nimiæ celeritatis tantum in cæremoniis reos statuunt, habent quoque persuasum, eo tantum consilio Deum exeruisse furorem suum in miseros, ut documentum id constitueret populo ac Sacerdotibus reverentiæ ac terroris; simulque docerentur Israelitæ, quam sedulum & attentum exigeret in Templo suo ministerium. Æquiora illi pariter judicant de salute utriusque viri, ratis expiasse illos peccatum suum igne, quo conflagrarunt, ut reservatam sibi a Deo misericordiam in altera vita obtinerent. Exprimit hanc sententiam Philo *in libro de Profugis*, ex ipsis Scripturæ verbis. Ita enim ille: *Sacerdotes*, ait, *Nadab & Abiud ut vivant moriuntur, pro mortali vita recipientes incorruptibilem, & a creaturis ad Creatorem migrantes. Argumentum immortalitatis eorum est quod legitur: Tunc mortui sunt coram Domino; idest, vixerunt. Mortuum enim nefas est venire in conspectum Dei*. Sanior Patrum & Scriptorum pars in hanc opinionem inclinatur (7), animadvertentibus iis, defuncta utriusque Sacerdotis cadavera honorifice sepulchro tradita fuisse, & in tumulum illata sacris velata indumentis; quo sane honore nunquam digni habiti fuissent impii, profanatæ rei sacræ pœnas sub Deo vindice luentes.

℣. 2. Egressusque ignis a Domino devoravit eos. Occisi ambo creduntur in Sancto, juxta Altare thymiamatis, quo temporis momento incensum thuribulo imponebant. Vide ℣. 4.

Devoravit eos. Ex subsequentibus intelligimus, ita illos extinctos igne, ut nec reducerentur in cineres, nec penitus absumerentur, quin nec vestes illorum conflagrarent. Suffocavit illos flamma, & partim etiam ambussit; facile nobiles intimas partes corrupit, ut iis accidit, qui fulmine vel tonitru perculsi intereunt.

Venerationem erga sacras aras adeo provexerunt Pagani, ut Religioni ducerent lampadem incendere ad flammam Altaris, sicut & ad flammam lampadis ignem in Altari suscitare, Phædrus Fabula x.

Ita hodie nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.

℣. 3. Hoc est quod locutus est Dominus: Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi. Frustra in præcedentibus Libris quæras verba hæc ad Aaronem directa; sed æquam habent significationem plura, quæ ibidem recurrunt, exprimentia summum illud obsequium a Deo petitum in ea, quæ servitiis suis destinantur. Ita e. g. in Exodo xxix. 43. legas: *Sanctificabitur Altare in gloria mea*: quæ non male repules tamquam vaticinia eorum, de quibus modo. In Exodo pariter xix. 22. habes: *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos*. Et in hoc Libro, quem versamus capite viii. 35. *Observantes custodias Domini, ne moriamini*. Nota jam hæc omnia Aaroni revocat in mentem Moyses, admoneos: Jam oculis intueris impleta ea, quæ Dei jussu tibi denunciavi.

Commode etiam verba hæc, *Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi*, ita acciperentur: Id volo, ut meo addicti homines ministerio parem sanctitati Numinis præferant sanctimoniam; & id ego efficiam severitate ultionis de illis exigendæ, ut intelligant, quid ego in me præferam sanctitatis, quid exigam in cæteris servituti meæ addictis. Non male etiam hæc in præsenti verterentur: *Hoc est quod loquitur Dominus*: veluti si tum primum Deus hæc Moysi tamquam data occasione declararet.

Quod audiens tacuit Aaron. Septuaginta: *Κατενύχθη, dolore percussus est*. Alius: *Ἐσιώπησεν, siluit*. Siluit Sacerdos silentio illo, quod inducitur mœrore; alte enim dolore sauciati ne verbum quidem valent exprimere: *Curæ leves loquuntur, ingentes stupent*. Vel potius silentium hoc Aaronis silentium est subjectionis, quo justam Dei ultionem in filios suos reveretur & approbat.

Laudibus efferunt immodicis Veteres quidam parentum illorum constantiam, qui cum sacrificia operarentur, inexspectatum de obitu filiorum suorum nuncium immoti nulla doloris significatione auscultarunt. Cum Minos sacra Gratiis operaretur, certior factus de interitu filii sui, statim ille, ait Apollodorus (8), coronam quidem deposuit, & ut musica instrumenta silerent, imperavit; sed cœptum jam sacrificium rite prosecutus est. Fama est, Xenophontem, cum certior factus esset de nece filii sui prælio ad Mantineam, ab incœpto sacrificio non destitisse; quin & depositam, cum nuncium audiit, coronam resumpsisse, ut renunciantes audivit, Juvenem illum viri strenui mortem incurrisse (9). Occupabatur M. Horatius Pulvillus in dedicando Templo, cum infaustum accepit nuncium, totam familiam suam agere luctum, quod filius obiisset, quare inauspicatum sibi esse dedicationem illam prosequi. Satis habuit tunc Horatius imperare, ut funus defuncti curaretur; iterumque restituit se operi. Non minorem utique admirationem meretur in hoc rerum eventu silentium, & modesta Aaronis subjectio. Quæ ultio exacta est de utroque ejus filio, excedere modum videretur, nisi constaret, Divino Legislatori fuisse solemne, cum primum leges ab ipso datæ rogarentur, ut transgressores in exemplum severæ animadversionis constitueret,

ad

[1] Num. iii. 4. & xxvi. 61. [2] Antiq. l. iii. c. 9. [3] Exod. vi. 23. [4] Lyr. Est. Menoch. Jans. [5] Levit. vi. 12. [6] Levit. i. 7. [7] Vide Leonard. Marium hic. [8] Bibliothec. lib. 3. c. 14. [9] Valer. Maxim. l. 5. c. 10.

ad poſteritatis doctrinam. Bethſamitæ neci traditi, quod curioſius Arcam fœderis inſpexiſſent (1); & Oza (2) percuſſus a Deo, quod Arcam illam ſolo tactu violaſſet, argumento ſunt apertiſſimo, quam altum exigat Deus in res ſanctas obſequium.

℣. 4. Tollite fratres vestros de conspectu Sanctuarii. Neci traditi fuerant Aaron in Sancto, coram velo ante Sanctuarium oppanſo, cum ad offerendum thymiama in Altari thymiamatis irent.

℣. 5. Ejecerunt foras, extra Sanctum prius, tum extra Atrium; & Sepulturæ extra caſtra mandarunt.

℣. 6. Capita vestra nolite nudare. Triplici ratione hic Textus exponitur: 1. Juxta Septuaginta & Interpretes pleroſque (3): *Caput veſtrum cidari non denudabitis*. Tecto & obvoluto capite incedere luctus erat ſignificatio apud Hebræos (4): non ita vero apud Sacerdotes; illis enim luctus erat inſigne aperto capite incedare, quod ſcilicet integumento uti conſueto more ſolerent: cum autem in luctibus obtineat, ut extraordinarium aliquid, & conſuetæ diſciplinæ plane contrarium admittatur (5), vetat Deus, ne ponant integumenta capitis, ne inſigne illud luctus præſeferant.

II. Prona magis & ingenua ſignificatione Hebræum reddere videtur Chaldæus, ita exponens רישיכון לא תרבון פירוע Ne comas veſtras negligatis, ſive prolixam dimittatis comam, ut moris eſt in luctibus. Obtinebat apud Ægyptios, ut in luctu comas negligerent (6). Præceperat facile Deus Sacerdotibus, ut raderent pilos omnes corporis, jam inde ab initio conſecrationis eorum, uti deinde mandavit & Levitis *Num.* VIII. 7. Ex Thalmudiſtis intelligimus, illis, qui ſervitiis Templi actu occupabantur, non licuiſſe comam non reformare novacula, ultra ſpatium XXX. dierum; Summo vero Sacerdoti id imperatum, ut ſingulis recurrentibus veſperis feriæ ſextæ præcideret crines forſice, ita tamen ut capitis nuditas non penitus revelaretur. Vetitum eſt igitur ſacerdotibus Domini, ne comam nutriant; vetitum pariter, ne inſigne aliquod doloris præferant.

III. Alium quoque ſenſum tribuunt Hebræo Interpretum plures. Reddunt enim illi: *Ne radas crines capitis tui*. Quam eorum verſionem illud maxime commendat, quod interdum in Scriptura (7) recurrat verbum *parah*, ut exprimatur *radere crines*; ſicut etiam in Textu parallelo Levitici XXI. 5. Deus vetat Sacerdotibus conceptis verbis: *Non radent caput, nec barbam*. Cæteroqui autem notum eſt, Iſraelitas vulgo reliquos raſiſſe barbam & caput in luctibus (8). Non incongrue igitur reputaremus, interdici hac lege, ne capitis crines penitus & ad vivum abradantur. Illuſtrant maxime hanc legem Ezechiel XLIV. 20. illis verbis: *Caput ſuum non radent, neque comam nutrient, ſed tondentes attondent capita ſua*. Duo interdici hic Sacerdotibus notat S. Hieronymus: ſuperſtitioſum quiddam, radendi nempe crines novacula, qui ritus erat Sacerdotum Iſidis & Oſiridis: alterum vero, deferendi prolixas comas; quod effœminati eſt hominis, & barbaris ac militibus familiare. Præcidebant igitur comam Sacerdotes forſice, non novacula. Notat inſuper S. Hieronymus, reipſa quidem intelligi poſſe e Textu Ezechielis, datum Sacerdotibus præceptum nunquam aperto capite incedendi; ſed expoſitionem hanc nimis violentam agnoſcit.

Vestimenta nolite scindere. Referenda ſunt hæc tantum ad ſacras veſtes Sacerdotum. Extra Templum vulgaribus cæterorum veſtibus utebantur, nec ulla lege habebant interdictum illas ſcindere; ſcidit veſtes Caiphas, horrens ad blaſphemias, ut ipſe quidem dicebat, Jeſu Chriſti (9). Docent Hebræi, ſervandum eſſe a Summo Sacerdote, ut veſtes ſuas ſcindat deorſum ſurſum; a cæteris vero Sacerdotibus ſurſum deorſum. Facile tamen quæ hic a Moyſe imperantur, definire oportet ad circumſtantiam temporis præſentis, cum Aaron conſecraretur; quaſi ſcilicet tota ea hebdomada vetaretur ſummus ille Sacerdos inſigne aliquod doloris præferre. Abjiciendum ducimus axioma illud ſæpius inculcatum in Thalmud (10): *Sacerdos non cenſetur Sacerdos, niſi dum ſacris veſtibus induitur; extra Templum perinde habetur ac laicus*.

Fratres vestri et omnis domus Israel plangant incendium. Luctum agere dabatur quidem Levitis, non vero filiis Aaronis, in ſuperiori Sacerdotii ordine conſtitutis, & peculiari unctione conſecratis; (℣. 7.) *Oleum quippe unctionis eſt ſuper vos*: filiis, inquam, Aaronis actu miniſteriis Tabernaculi addictis. Pro quibus luctum agere permitterentur Sacerdotes, habes deductum infra capite XXI.

℣. 9. Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intratis in Tabernaculum. Addunt verbis hiſce Septuaginta: *Et cum accedetis ad Altare* (11). Qui Sacerdotes intus in Tabernaculum inferebant pedes, ſacrumque præſtabant miniſterium, abſtinere jubebantur a vino, & meracis omnibus, donec in miniſterio perſeverarent: hoc autem idcirco, ut muneri ſuo præſtando ſana mente ac judicio numquam eſſent impares, aptique diſcernendo inter purum & impurum, valentes inſuper inſtruere in rebus, quæ ad cultum divinum pertinerent, populos. Hebræum שכר *Sebechar*, quod Vulgata hic reddit, *omne, quod inebriare poteſt*, exprimit apud Septuaginta *ſiceram*; qua eadem voce ſæpius utitur Vulgata ad exprimendam meracam quamcumque potionem, ebrietati inducendæ aptam, ſive expreſſa ſit e malis, ſive e pyris, dactylis, frumento, hordeo, vel tritico quocumque. Peculiari tamen ſiceræ nomine deſignari vinum e palmis, docent S. Chryſoſtomus & Theodoretus, ſcribentes in Iſaiam V. 11. ſicut & Theophilus Antiochenus in S. Lucam. Juvat autem deferre aliquid teſtimonio illorum ſcriptorum, Syriacam referentium originem, & in ea regione verſantium, ubi familiare erat & nomen & vinum e palmis, omnium maxime famoſum. Hac vero arte parari liquorem illum ſcribit Plinius libro XIV. c. 16. *Vinum factitium primum fit e palmis, quo Parthi & Indi utuntur, & Oriens totus. Maturarum quas vocant chydæas modio in aquæ congiis tribus macerato expreſſoque*. Vide & ejuſdem librum XIII. capite 4.

Vinum illud palmarum eruitur ex inciſione facta arbori palmarum, ſeu ejus cortici in ſuperiori ejuſdem arboris culmine. In loco inciſionis lagena appenditur, in quam tota nocte ſtillat liquor dulcis & potui gratus; purus ſtatim; ſed brevi corrumpitur, nec niſi aceto conficiendo aptus, in quem uſum ſolet adhiberi. Itin. Mandor. ad Indos tom. 2. pag. 182. Facile credimus vinum illud palmarum, cujus eſt uſus in Ægypto cadaveribus ſeu condiendis, ſeu conſervandis, nihil eſſe aliud quam acetum hoc ſtipticum aptiſſimumque exſiccando humori, ex quo putredo gignitur. Ea de re vide Itiner. Des Breves pag. 252. 253. 254.

Vocem *ſecar* vel *ſiceram* ad unicum e palmis vinum non definit S. Hieronymus (12); ſed generatim communi illo nomine cenſeri arbitratur liquores omnes ebrietati inducendæ aptos, ſive illi exprimantur e frumento, hordeo, millio, ſucco malorum vel dactylorum. Paraphraſtes Jonathan red-

(1) 1. Reg. VI. 19. (2) 2. Reg. VI. 7. (3) ראשכם אל תפרעו 70. Τὴν κεφαλὴν ὑμῶν οὐκ ἀποκιδαρώσετε. (4) Vide ad Geneſ. 2. 5. (5) Aug. qu. 32. in Levit. (6) Herodot. l. 2. c. 36. (7) Levit. XXI. 10. (8) Levit. XIX. 27. 28. Deut. XIV. 1. Jerem. XVI. 6. Job. 1. 20. Mich. 1. 16. (9) Matth. XXVI. 65. (10) Vide apud Braun. de veſtit. Sacerdot. Heb. lib. 2. c. 25. art. 2. (11) Ἢ προσπορευομένων ὑμῶν πρὸς τὸ θυσιαστήριον. (12) Hieronym. in Iſai. XXVIII. p. 235. nov. edit.

reddit plerumque nomen *secar vinum vetus*. Vide nostrum Commentarium in Numeros VI. 3.

Hecatæus Abderita (1) affirmat, abstinuisse penitus Judæos a vino in Templis. Sed Rabbinis succurrit, exceptiones quasdam legi huic adscribere, quamquam nullas assignet Scriptura. Neç morum severitas ista singularis erat Sacerdotum Hebræorum. Apud alias per Orbem gentes abstinebant a vino Sacerdotes. Chæremon (2) affirmat, Ægyptiorum Sacerdotum plerosque abstemios fuisse penitus, reliquos vino moderatissime uti. Fragmentum Platonis recitat Eusebius (3), ferentis, Carthaginiensium moribus interdictum esse merum ducibus & militibus, cum actu exercerent militiam. Servi utriusque sexus nunquam, cum essent domi, vinum degustabant; nec annui magistratus toto eo tempore, nec Judices pariter, & Præfecti, dum munus retinebant; non tandem ii omnes, qui consulti de rebus magni momenti respondere jubebantur: uno verbo, per diem vinum ad solam virium reparationem hauriebatur, & cum juberet morbus. Sacerdotes Heliopoleos, teste Plutarcho in libro de Iside, in Templo nunquam admittebant vinum; extra illud vero, modicum tantummodo. Præscripram tibi in Libris sacris vini portionem excedere non audebant Reges Ægyptii. Bibit vinum omnium primus Psammetichus; ante illum enim Reges merum non degustabant, nec Regionis Numinibus vinum offerebatur.

Ne moriamini. Inferebant verba illa mortem, qua damnabat Deus ejus sanctionis violatores. Nulla erat capitalis sententia ea in re a Judicibus lata; neque enim judicio eorum causa illa cognoscenda submittebatur. Doctores Hebræi (4) statuunt, ad merendam mortis pœnam necessarium fuisse potum quartæ partis Log (5) vini meri, ante quadraginta saltem dies expressi, & uno haustu poti. Si quis minori quantitate se se perfudisset, & non uno haustu, seu vino diluto, vel non adhuc a quadraginta diebus expresso, criminis pœnam evitabat. Detrectans & invitus nugas istas scribo. Vix credo, Legis verba illa aliud continere, quam meras, putasque minas; quod attinet vero ad quantitatem vini, morali sensu res tota accipienda est, ut tantum meri inferat, quantum satis est ad ebrietatem; vel potius literæ rigor retinendus est.

℣. 12. Tollite sacrificium, quod remansit. Idest, Accipite vobis panes ac placentas, quæ juris vestri sunt in sacrificio pro peccato, ut in capite præcedenti ℣. 15. 16. &c. sancitum est. Placentæ istæ azymæ erant, in atrio comedendæ, & in loco proxime ad Altare holocaustorum, quo Sacerdotes ad capiendum cibum se se recipiebant (6). Fuisse ibi non ambigui credimus seu tentorium, seu tectum aliquem locum, ubi cubabant, capiebantque cibos toto tempore ministerii sui Sacerdotes.

℣. 14. Pectusculum quoque .... edetis in loco mundissimo, tu, et filii tui, et filiæ tuæ. In Septuaginta pro *filiæ tuæ* legitur *domus tua*. Porro lex ista, juxta Hebræum & Vulgatam, exponenda est de permissione edendi armum & pectusculum hostiæ pacificorum, in privatis domibus una cum filiis & filiabus; quod tamen ea cautione præstandum est, ut ad capiendum cibum seligatur *locus mundissimus*. Septuaginta vertunt hic, ut capite VI. 16. ἐν τόπῳ ἁγίῳ: *In loco Sancto*. Quæ posterior interpretatio referenda esset ad hostias pro peccato, quas nonnisi in atrio degustare fas erat; quare & reputare possemus, uxores & filias Sacerdotum venisse intus in atrium, ut carnes pacificorum comederent. Persuadetur id quidem Scriptoribus Commentariorum nonnullis (7), sed nullo quantum capio satis idoneo documento. Quare prior expositio retinenda est.

℣. 15. Eo quod armum .... elevaverunt coram Domino, et pertineant ad te, et ad filios tuos. Samaritanus & Septuaginta addunt: *Et ad filias tuas*; quod quidem hic deest in Hebræo & Versionibus: legitur tamen supra ℣. 14. Redduntur hæc de hostiis pacificorum, quæ juris erant Sacerdotum, ac filiorum utriusque sexus. Dictum alii malunt, uti jam animadversum est, de victimis pro peccato, quarum portio, non secus ac e victimis pacificorum, cedebat Sacerdoti, eo tamen inter duas hasce hostias discrimine, quod de sacrificio pro peccato soli degustarent mares e genere Aaronis, nec alibi quam in loco sancto. Hebræus hujus versiculi hæc habet: *Armum exaltationis, & pectus agitationis super* [præter] *agnitiones adipum adducent, ad agitandum agitationem coram Domino; & erit* [hoc totum] *tibi & filiis tuis tecum in statutum æternum*.

℣. 16. Inter hæc, hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum reperit. Aptissime adjecit S. Hieronymus illud: *Inter hæc*; ipse enim erat hircus, illa eadem die oblatus in sacrificio pro peccato Sacerdotum & populi, de quo in superiori capite ℣. 15. & 16. Impruviso filiorum interitu Aaron conturbatus, occupatusque dolore, non satis adverterat mentem, ut seponeret ex eo sacrificio portiones, quas sibi & filiis suis, utpote Sacerdotibus, debebantur. Quidquid erat hostiæ, penitus conflagraverat. Facile etiam de industria Aaron omnia tradiderat igni altaris, quippe qui præ dolore impar esset cibo ea die gustando.

℣. 17. Ut portetis iniquitatem multitudinis; & placetis Deum sacrificiis expiationis; cujus componendæ pacis mediatores vos præstetis, & pro criminibus populi coram Domino satisfaciatis.

℣. 18. Præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta. Non hic queritur Moyses, ceu Aaronem alicujus negligentiæ accusans; sed verba illa perinde accipienda sunt, ac si diceret: Non hic agitur de victima, cujus cruoris portio in Sanctum inferenda sit, & cujus omnes partes absumendæ sint igni: victima est pro populi peccato, e qua Sacerdotibus partes debentur, ut habeant sibi, quidquid in Altari cremandum non est (8).

Comedere debuistis eam in Sanctuario, idest, in atrio. Hebræus: *In Sanctuario*.

℣. 19. Oblata est hodie victima pro peccato, et holocaustum coram Domino. Hebræus (9) & Septuaginta (10) legunt: *Hodie obtulerunt quæ pro peccato illorum sunt, & holocausta sua ante Dominum*. Hæc sunt Sacrificia in superiori capite descripta, quæ Aaron, ejusque filii pro se offerebant.

Quomodo potui comedere, aut placare Dominum in cæremoniis mente lugubri? Quod ex hisce verbis innuitur, Aaron licere sibi citra crimen non reputavit, in eo, quo tenebatur, mœrore, victimas illas gustare; si vero sumere in cibum eas non poterat, quid melius viro succurreret, quam tradere flammis? Jusserat enim Deus igne cremari, quæ post aliquod tempus de aliquibus victimis superessent.

[1] Τὸ παράπαν οἶνον ἀπίνοντες ἐν τῷ ἱερῷ. Apud Euseb. Præparat. l. 12. c. 17. [2] Porph. de abstinentia l. 2. §. 6. [3] Euseb. Præpar. l. 12. c. 17. [4] Vide Maimon. in Biath hammikdasch c. 1. [5] Quarta pars Log quatuor pollices cubicos, & amplius aliquid capiebat. [6] Levit. VI. 16. *Comedet in loco atrii Tabernaculi*. [7] Malvenda. [8] Vide Levit. VI. 25. & 26. [9] היום הקריבו את חטאתם ואת עלתם לפני יהוה [10] Ἐι σήμερον προσενηνόχασι τὰ περὶ τῆς ἁμαρτίας αὐτῶν, καὶ τὰ ὁλοκαυτώματα αὐτῶν, &c.

CA-

CAPUT XI.

Mundorum animalium ab immundis distinctio.

℣ 1. Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens: 2. Dicite filiis Israel;
Hæc sunt animalia, quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ.
3. Omne, quod habet divisam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis. 4.
Quidquid autem ruminat quidem, & habet ungulam, sed non dividit eam, sicut camelus,
& cetera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis. 5. Chœrogryllus,
qui ruminat, ungulamque non dividit, immundus est. 6. Lupus quoque:
nam & ipse ruminat, sed ungulam non dividit, 7. Et sus: qui cum ungulam dividat,
non ruminat. 8. Horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis,
quia immunda sunt vobis. 9. Hæc sunt, quæ gignuntur in aquis, & vesci licitum
est. Omne, quod habet pinnulas, & squamas, tam in mari, quam in fluminibus, &
stagnis, comedetis. 10. Quidquid autem pinnulas, & squamas non habet, eorum,
quæ in aquis moventur, & vivunt, abominabile vobis, 11. Execrandumque erit,
carnes eorum non comedetis, & morticina vitabitis. 12. Cuncta, quæ non habent
pinnulas, & squamas in aquis polluta erunt. 13. Hæc sunt, quæ de avibus comedere
non debetis, & vitanda sunt vobis; aquilam, & gryphem, & haliæetum, 14. Et milvum,
ac vulturem juxta genus suum, 15. Et omne corvini generis in similitudinem
suam, 16. Struthionem, & noctuam, & larum, & accipitrem juxta genus suum,
17. Bubonem, & mergulum, & ibin, 18. Et cygnum, & onocratalum, & porphyrionem,
19. Herodionem, & charadrion juxta genus suum, upupam quoque, & vespertilionem.
20. Omne de volucribus, quod graditur super quatuor pedes, abominabile
erit vobis. 21. Quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed
habet longiora retro crura, per quæ salit super terram, 22. Comedere debetis, ut
est bruchus in genere suo, & attacus, atque ophiomachus, ac locusta, singula juxta
genus suum. 23. Quidquid autem ex volucribus quatuor tantum habet pedes, execrabile
erit vobis; 24. Et quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit
immundus usque ad vesperum. 25. Et si necesse fuerit, ut portet quippiam horum
mortuum, lavabit vestimenta sua, & immundus erit usque ad occasum solis. 26. Omne
animal, quod habet quidem ungulam, sed non dividit eam, nec ruminat, immundum
erit: & qui tetigerit illud, contaminabitur. 27. Quod ambulat super manus,
ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit: qui tetigerit morticina
eorum, polluetur usque ad vesperum. 28. Et qui portaverit hujuscemodi cadavera,
lavabit vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum: quia omnia hæc
immunda sunt vobis. 29. Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his, quæ moventur
in terra, mustela, & mus, & crocodilus, singula juxta genus suum, 30. Mygale,
& chamæleon, & stellio, & lacerta, & talpa. 31. Omnia hæc immunda sunt:
Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad vesperum: 32. Et super
quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur tam vas ligneum, & vestimentum,
quam pelles, & cilicia: & in quocumque fit opus, tingentur aqua, & polluta
erunt usque ad vesperum, & sic postea mundabuntur. 33. Vas autem fictile,
in quod horum quidquam intro ceciderit, polluetur, & idcirco frangendum est. 34.
Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit: & omne
liquens, quod bibitur de universo vase, immundum erit. 35. Et quidquid de morticinis
hujuscemodi ceciderit super illud, immundum erit: sive clibani, sive chytropodes,
destruentur, & immundi erunt. 36. Fontes vero, & cisternæ, & omnis aquarum
congregatio munda erit. Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur. 37. Si ceciderit
super sementem, non polluet eam. 38. Si autem quispiam aqua sementem perfuderit,
& postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur. 39. Si mortuum fuerit animal,
quod licet vobis comedere, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit usque ad
vesperum. 40. Et qui comederit ex eo quippiam, sive portaverit, lavabit vestimenta
sua, & immundus erit usque ad vesperum. 41. Omne, quod reptat super terram, abominabile
erit, nec assumetur in cibum. 42. Quidquid super pectus quadrupes graditur,
& multos habet pedes, sive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile
est. 43. Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum,

ne immundi sitis. 44. Ego enim sum Dominus Deus vester: sancti estote, quia ego
sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili, quod movetur super terram.
45. Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum.
Sancti eritis, quia ego sanctus sum. 46. Ista est lex animantium, ac volucrum, & om-
nis animæ viventis, quæ movetur in aqua, & reptat in terra. 47. Ut differentias
noveritis mundi, & immundi, & sciatis quid comedere, & quid respuere debeatis.

℣. 2. DICITE FILIIS ISRAEL: HÆC SUNT ANIMALIA, &c. Ferunt Exemplaria quædam: *Dicite filiis Israel: Custodite omnia, quæ scripsi vobis, ut sim Deus vester: Hæc sunt animalia.* Hanc tamen additionem frustra quæras in Hebræo, Versionibus Orientalibus, & optimis Latinis Exemplaribus.

HÆC SUNT ANIMALIA, QUÆ COMEDERE DEBETIS. Discrimen hoc inter munda, & immunda animantia parem cum universo ipso vetustatem referre ideo censent nonnulli, quod Deus Noemo imperaverit (1), ut induceret in arcam certum quemdam mundorum animalium numerum, diversum plane a numero animalium, quæ immunda appellat. Igitur notum erat discrimen animantium, & vulgo apud omnes observabatur; neque enim Moyses scribit unquam, designasse Deum Noemo, quæ pura diceret animantia, & quæ impura. Josephi ætate facile etiam distinguebant Ægyptii animalia (2); discrepabant ea tamen in re ab Hebræis. Quare suarum esse partium duxit Moyses, latius hic exponere, quæ deinceps populus ad immunda rejiceret. Tradit Herodotus (3), sua adhuc ætate Ægyptios abstinuisse a dapibus nonnullis, & cibis, & animalia quædam immunda reputasse; ex quo inductum dicit tenax illud Ægyptiorum studium in religionem suam, & in alias cæterarum gentium odium.

Sed unde potissimum petitur discrimen inter munda, & immunda? Nonnisi typicum esse vitium hoc animalium quorundam rati ex patribus plures (4), idcirco præscriptum discrimen illud censent, ut Hebræi docerentur quid fugiendum, quid expetendum esset in moribus, dotibus mundorum, & immundorum animalium exhibitum. Sue e. g. gula significatur, Lepore incontinentiæ vitium, utrumque autem animal rejiciendum edicens, Lex jubet gemina hæc vitia abjici oportere; & sic de singulis. Notat Theodoretus (5), jussisse Deum mactari sibi ex animantibus ea potissimum, quæ apud alias gentes consecrata erant, & omnium mansuetissima; puta bovem, hircum, ovem, columbam; ferocia vero reliqua abjici ut impura jussisse: ratum Iudæos æque removendos esse a colendis animantibus, tum iis, quæ afferebant in sacrificium, tum ab iis, quæ ad immundorum fæcem rejecta vel in cibum admittere dedignabantur.

Scriptores Commentariorum ultro agnoscunt impuritatis intrinsecæ, & naturalis vitium nullum animalia quædam in se præferre præ aliis; creaturas Dei æque omnes in se bonas esse, & puras; *omnia esse munda mundis* (6): sed & illi pariter fatentur, ex animalium genere quædam impura reputari posse, sive ex dotibus perniciosis, & homini noxiis, cujusmodi reputanda sunt venenata quæque animalia, & ferocia, Serpentes, Leones; sive quod valetudini nocent vitiosa carnium suarum qualitate. Reputari tandem possunt impura esse opinione, & præjudicio populi, cui indulgendum aliquid censuerit Legislator: & hæc facile posterior ratio literæ propior est sanctionis, vetantis adhiberi in cibum animalia sane plura, quarum nec perniciosæ sunt natura sua, nec noxiæ qualitates. Docet Tertullianus (7), Deum materiam quamdam & occasionem præbuisse Israelitis exercendi temperantiam, subductis eorum cibo pluribus; voluit etiam, ut assuescerent abstinentiæ, & jejuniis, gulamque coercuit, vitium illud, & plura, quæ ex eo consequuntur peccata, repressurus. Persuasum fuit Origeni (8), Moysem, cum Divino illustratum lumine nosceret quæ singulorum animalium dotes essent, & qualitates, ea pronunciasse impura, quæ cum Dæmonibus habere aliquid affine intelligebat, & quæ pariter Ægyptiis, cæterisque populis exhibebant auguria. Alibi (9) docet, discrimen istud typicum fuisse; plura enim animalia interdixit Moyses in cibum, quæ nullibi unquam natura viderat, uti Tragelaphum, & Gryphonem.

At sanctionum ejusmodi genuinam rationem ipse per se Deus revelat, denuncians (10), segregasse se Israelitas a cæteris per Orbem gentibus, & e medio late omnia tenentis Idololatriæ, ut adsisceret sibi illos in populum sanctum, & consecratum; mandare proinde, ut removeant se ab animantibus, quæ impura pronunciat, ut ipsi sancti sint & puri, quemadmodum ipse Deus sanctus est. Voluit ut discrimen illud animalium pars esset Religionis Judaicæ; & in abstinentia ab animalibus immundis constitui vult non infimam partem legalis Sanctitatis, quam a populo suo exigit, id intendens, ut ex ea Sanctitate exteriori, & typica mentem & cor promoveant ad Sanctitatem non fucatam, sed sinceram, animi nempe & cordis. Hunc velut aggerem constituit inter populum suum & cæteros per Orbem, discrimen nempe ciborum. Eo pariter spectat Deus, ut sedulum illud studium, quod conferendum erat, sive ut se removeret populus a legalibus vitiis, sive ut expiaret vitia, quæ contraxisset, eos deducat in pleniorem cognitionem infinitæ Sanctitatis Dei, in medio eorum versantis.

℣. 3. OMNE QUOD HABET DIVISAM UNGULAM, ET RUMINAT IN PECORIBUS, COMEDETIS. Jonathan, Syriacus, & Septuaginta dictum accipiunt de animalibus, quorum bifidæ sunt ungulæ, id est, quorum pedes fissi sunt, uti bove, cervo, capra, ove; ut distinguantur ab aliis animantibus, pedes quidem habentes divisos, sed veluti in plures seu digitos, seu ungulas, quales sunt canes, ursi, lupi.

Chæremon Philosophus Stoicus, in fragmento, quod ab interitu vindicavit Porphyrius (11), tradit Ægyptios abstinuisse ab iis quadrupedibus, quorum ungulæ essent continuato cornu solidæ; & ab iis, quorum multifidæ essent ungulæ, ac non armatis cornu pedibus; ac tandem ab avibus carnivoris. Rejiciebant pariter & piscium quodcumque genus, ac generatim cibos omnes, portionesque, quas non produceret Ægyptus. De superstitione Ægyptiorum erga sues, & pisces, testimonium etiam habes Herodoti, & Plutarchi. Darius Rex Persidis, teste Justino, missis Legatis,

(1) Genes. VII. 2. (2) Genes. XLIII. 32. (3) Herod. lib. 2. Vide & Chæremon. apud Porphyr. de abstin. l. 4. (4) Aug. l. 6. contra Faust. c. 7. Iren. l. 5. advers. hæres. Origen. in Levit. hom. 7. Cyrill. l. 7. in Levit. & præcipue Auth. ep. sub nomine sancti Barnabæ. (5) Theodor. in Levit. qu. 1. Vide & animadversionem Eusebii Emisseni in nova editione Hexaplorum pag. 120. (6) Ad Tit. 1. 15. (7) Tertull. lib. 2. contra Marcion. cap. 18. & Novat. ep. de cibis Judaic. (8) Origen. l. 4. cont. Cels. (9) Origen. Philocaliæ c. 1. (10) Levit. XX. 24. 25. 26. (11) Porph. de abstin. l. 4.

tis interdixit Carthaginiensibus usum immolandi humanas hostias in Sacrificiis, & canes in cibum edendi; unde ducas, Sacrificia canum horruisse Persas, sive quod animalia illa colarent, sive quod impura reputarent, Carthaginienses vero, originem e Phœnicibus repetentes, contrariis teneri qua moribus, qua sententiis.

℣. 4. Camelus. Ruminat Camelus & fissis est pedibus, sed teguntur illi duro quodam corio, qui inferiorem pedum illorum partem vincit: *Habet ungulam, sed non dividit eam*. Carnibus, & lacte camelorum suorum aluntur Arabes (1); quorum ne exempla imitentur Israelitæ, vetat Moyses, omne commercium cum illis hac ratione interdicens. E camelo, & equo dapes etiam parabant Persæ (2); integrumque non semel animal apponebant convivis.

℣. 5. Chœrogryllus. Animadvertera juvat, nonnisi divinando plerumque dici, quæ animalium genera hic indicentur a Moyse. Latent hodie Judæos; & quicumque inter Scriptores maximum in id studium & curas contulerunt, firmiori etiam persuasione tenent, nihil esse in ea re certi. Potissimas opiniones producemus in medium, & maxime Bocharti, qui improbo labora conatus est animalia illa detegera, de quibus sermo est in Scriptura. Chœrogryllus ipse est Echinus; sed inter nostros Interpretes non convenit, quæ sit genuina significatio Hebræi *Saphan* (3). Sunt qui cuniculi nomen esse credant (4); sed cuniculus animal erat in ea Regione, in qua tunc versabantur Hebræi, non familiare; nec pariter ruminat, quod etiam de Echino animadvertas. Duo hæc animalia non amant recessus in petris, quod ipsi *Saphan* tribuit Scriptura (5). Arias Montanus de lepore dictum maluit.

Bocharto est amplioris muris genus quoddam in Arabia familiare, quod esculentum est, appellaturque *Aliarbubo*. Minor est Sciuro; colore est cinereo, cujus anteriores pedes & cauda murem referunt: extrema caudæ illius, oculi, & caput persimiles sunt cuniculo. Crura posteriora anterioribus longiora sunt. Inter animalia ruminantia censetur, cubile habet in petris, inceditque gregatim, quæ omnia plane congruunt cum *Saphan* Scripturæ (6). *Aliarbubo* pedes habet fissos, & divisos in digitos, quorum singuli exhibent integrum, & solidum cornu. In nonnullis Exemplaribus Septuaginta lepus præponitur Chœrogryllo, tum & additur: *Non ruminat*. Sed optimæ editiones retinent ordinem Vulgatæ, & Hebræi, & negantem respuunt, legentes tantum: *Ruminat*.

℣. 6. Lepus quoque; nam et ipse ruminat, sed ungulam non dividit. Compertum est, hodie leporem non ruminare, & pedes gerere fissos; sed facile Moysis ætate vulgaris opinio inter ruminantia leporem recensebat; quem late pervagantem errorem corrigere supervacaneum sibi censuit Legislator. Inde facile errandi causa dari potuit, quod in stomacho leporis coaguli aliquid deprehensum est, ut in ruminantibus accidit; satis est autem, ut pedes gerat fissos, uti animalia ℣. 3. descripta, ceu bos & cervus, quo veritas constet iis verbis: *Ungulam non dividit*; neque enim bifurcatos tantum habet pedes, sed & dissilientes in plures ceu digitos; quod satis est, ut lepus inter immunda rejiciatur, quamvis etiam

cætera omnia abessent. Lepus hodie pariter horrori est apud Armenos Christianos. Richaut hist. Eccl. Græcæ. pag. 39.

℣. 7. Et sus. Abhorrebant a sue omnes ferme per Orientem populi. Horrore illum tanto prosequebantur Ægyptii (7), ut si quis obiter etiam, & imprudens tetigisset porcum, statim ad eluendam terribilem maculam toto se corpore & vestitus in Nilo mergebat. Prohibebant suum pastores ab ingressu Templorum; suasque illis filias nuptum tradera, seu ex illis natas in conjuges ducere horrebant. Arabes Scenitæ, teste Solino, *carnibus suillis prorsus abstinent: sane hoc genus animalis si invectum illo fuerit, moritur illico*. Execrantur illum pariter nostræ ætatis Turcæ. Judæos, & Phœnices ideo a suilla abstinuisse narrat Porphyrius (8) quod nulla essent ejusmodi animalia in eorum Regione, perinde ac in Æthiopia. Nec sane nisi rarissimum est hodie pariter in Asia, ut ad intuendum porcum perinde ac ad rem novam confluant spectatores. Cives Pessinuntis detestabantur suem, quod crederent Atten ab apro vulneratum interiisse. Ratio pronior aversionis Orientalium in porcos inde repetita creditur, quod in ea regione obnoxium sit præ ceteris animal, quin & accidit interdum, ut apud nos etiam scabiem contrahat. Docet S. Clemens Alexandrinus libro VII. Stromatum, idcirco rejici suillam, quod sus omnium sit perniciosissimus & vitiosus; semina enim & olera terram fodicans corrumpit excavatque.

Obsequio quodam in hoc animal a se consecratum, abstinere Hebræos suilla, suspicari sunt Veteres quidam (9); quos absurda plane de illis reputasse satis constat. Cretanses (10) & Samii (11), suem inter Deos habebant. Hostiam hanc sibi in sacrificiis reservasse Venerem affirmantes Cyprii, idcirco suilla abstinebant. *Ab suillo genere*, ait Varro libro secundo de Re Rustica, *pecoris immolandi initium primum sumptum videtur*: Tum: *suillum pecus donatum ab natura dicunt ad epulandum. Itaque iis animam datam esse proinde ac salem, quæ servaret carnem*. Porro Hebræi nec porcos admittebant in cibum, nec in sacrificium, nec alebant porcorum greges in regione sua; cujus rei non alia est ratio, quam quæ hic traditur a Moyse. Meminit quidem S. Matthæus VIII. 28. gregis porcorum, quem tamen ad paganos pertinuisse verius quam ad Hebræos credimus.

℣. 8. Horum carnibus non vescemini. R. Salomon singulari plane inter omnes sententia tenet, legem hanc solos respicere Sacerdotes. *Nec eorum cadavera contingetis*. Morticinum omne rejiciebatur ad impura; potiori igitur jure abjiciendum erat ex impuro animali morticinum. Porro viventia animalia illa quisque tangebat impune, e. g. viventem canem, leporem, &c. cadavera tamen si quis contigisset, statim contrahebat maculam. Vide ℣. 24.

℣. 9. Hæc sunt quæ gignuntur in aquis, et vesci licitum est. Ægyptii & Syri, si aliquibus Scriptoribus (12) credas, piscibus non vescebantur. Seldenus (13) tamen putat Deæ Syræ Sacerdotes solos in Syria piscibus abstinuisse. Vide nostrum Commentarium in Numeros XI. 5.

Omne quod habet pinnulas, et squammas. Nullum degustabant piscem Hebræi, nisi squammosum, & pinnulis instructum. Notat tamen Grotius in Plinio (14) genus quoddam *gari* confe-

 ctum

(1) Diod. lib. 2. Hieron. adv. Jovinian. l. 2. Thevenot. part. 1. l. 2. c. 32. (2) Herod. l. 1. c. 133. & Aristophan. comic. apud Athenæum l. 4. c. 14. & Heraclides Cumanus, Ibid. c. 10. (3) שפן Septuag. Δασύποδα. *Lepus, aut cuniculus*. Alius: Λαγώον. *Lepus*. (4) Syr. Arab. Versio Samar. Hebræi. (5) Prov. XXX. 26. *Lepusculus plebs invalida, qui collocat in petra cubiculum suum*. (6) Prov. XXX. 26. & Psal. CIII. 18. *Petra refugium herinaciis*, Hebr. *Saphan*. (7) Herod. l. 2. cap. 47. (8) Porphyr. l. de abstin. Φοίνικες, καὶ Ἰουδαῖοι ἀπέχονται, ὅτι οὐδ' ὅλως ἂν ἐν τῷ τόπῳ ἐφύετο, ὥσπερ οὐδὲ νῦν ἐν Αἰθιοπίᾳ. (9) Plutar. l. 4. Symposiac. & Petron. Satyr. *Judæus licet & porcinum numen adoret*. (10) Athenæ. l. IX. (11) Hesich. (12) Herod. l. 2. c. 37. Porphyr. de Abstin. Plutarc. lib. de Iside, & de Superstitione. Ælian. l. X. cap. 16. (13) Selden. de Diis Syr. Syntagm. 2. cap. 3. (14) Plin. l. XXXI. 8. *Aliud ad castimoniarum superstitionum, etiam sacris Judæis dicatum, quod fit e piscibus squamma carentibus*. Vide Bellon. observat. l. 2. cap. 73.

ctum e piscibus squamma carentibus, veluti ostreis & aliis id generis, quo utebantur Judæi. Hodie pariter garum vulgare rejicientes, aliud sibi parant ex ovis carpi saliti. Apud Romanos in sacris Numinum conviviis nefas erat instruere mensas piscibus non squammosis; qua de re latam a Numa legem recitat Plinius libro XXXII. capite 2. *Pisces qui squammosi non essent, ne pollucerentur*.

Tam in mari, quam in fluminibus, et stagnis. Hebræus (1), Chaldæus, & Septuaginta (2) legunt: *In aquis, in maribus, & in torrentibus*. De stagnis nihil habes sive in Hebræo, sive in Versionibus.

℣. 13. Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis; aquilam, gryphum, et haliæetum. Tribus hisce nominibus totidem aquilarum genera designari creditum est. Prius illud נשר *nescher* utique aquilam significat; secundum פרס *peres* refertur ad *Ossifragam* juxta Bochartum, & Junium. Ossifragus autem appellatur, quod post voratas animalium carnes, ossa in altum ferat, eum vi adigat in petras, quo confracta medullam offerant ad cibum. Hanc vocem Septuaginta & Vulgata reddiderunt *Gryphum*; sive eo nomine significaverint, avem adunco rostro, quæ genuina est significatio vocis *gryps* in græco; sive quod gryphum ipsum, avem plane fabulosam, præ oculis habuerint. Ita porro gryphus describitur a Servio: *Hoc genus ferarum in Hyperboreis nascitur montibus: omni parte leones sunt, alis & facie aquilis similes, equis vehementer infestæ, Apollini sacræ*. Hebræam vocem *Peres* interpretati sunt quidam accipitrem (3); alii milvum (4); alii accipitris genus aliud, *faucon*, *falcone*, vel Gerfaut, *girifalco*.

Haliæetus עזניה *haseninah*. Aquila marina. Narrat Plinius (5), avem hanc acutissima esse oculorum acie, ut immota solem intueatur; additque: *Implumes etiam num pullos suos percutiens, subinde cogit adversos intueri solis radios; & si conniventem, illacrimantemque animadverterit, præcipitat e nido velut adulterinum atque degenerem*. Sed hæc omnia merito ad fabellas amandantur. Putat Bochartus, Hebræum *Haseniaah* designare aquilæ genus aliud, appellatum *valeriam* vel Melanætum, aquilam nigram.

℣. 14. Milvum דאה *daab*. Septuaginta: Γύπα, *vulturem*. Nisi forte suspicemur, turbati esse ordinis aliquid in eorum exemplaribus; ac nisi præponendus sit milvus vulturi, ut est in Vulgata, recurritque in Deuteronomio XIV. 13.

Vulturem איה *ajab*, quo nomine exprimi nisum censet Bochartus. Vultur, cujus est in Vulgata nomen, avis est notissima. Syriacus ponit *corvum*, juxta genus suum; Arabs *bubonem*; Arias Montanus *gazam*.

℣. 16. Struthionem. Hebræus ad literam: בת היענה *bath lajahanah*, *filiam hiænæ*. Sed cave credas sermonem hic esse de hiæna vulgari, agitur enim de ave. Est autem vulgaris hiæna bellua setis lupinis, sed asperioribus & densioribus, & secundum dorsum crinita. Fertur hominis voces imitari; & si cujus forte nomen audierit, accire illum ad se, accitumque vorare. Etymon vocis hiænæ deduceretur commode ex Hebræo *Hanah*, respondit. Constat autem e variis Scripturæ textibus, animal *Jaana* vocem habere querulam & lugubrem. Reddiderunt nomen illud interdum Septuaginta *Sirenes*, quæ monstra sunt fabulosa; sed forte eo nomine designarunt halcionem, avem jucundissime canentem. Alii Hebræam vocem accipiunt de bubone. Ad struthionem quod attinet, avis est notissima in usum cibi etiam Regii (6) apud Persas. Consulenda sunt quæ disputavimus ad Isaiæ XIII. 22. designari his cycnum demonstraturi.

Et noctuam; *nycticoracem*, vel *bubonem*. Hebræum תחמס *Tachmas* exponit Bochartus de masculo struthione. Vox originalis derivatur e radice, quæ injustitiam, violentiam sonat; nomen autem illud conciliare potuit struthioni impia illa crudelitas, qua ova & pullos suos destituit.

Et larum. Reddunt alii Hebræum שחף *haschak*, *cuculum*, *alii hirundinem marinam*. Est larus, avis, quam Galli *mouette*, vel *poule d'eau*, Itali *folaga* appellant.

℣. 17. Bubonem, כוס *Cos*. Septuaginta, Aquila, Theodotion, & quinta ac sexta editio reddunt Hebræum *Kos* νυκτικόρακα, *nycticoracem*, seu γλαῦκα, ut habet sexta Editio, *noctuam*. At in Deuteronomio XIV. 16. eamdem vertunt *Ardeam*. Judæi Ferrarienses malunt accipitrem; Symmachus ἔποπα *upupam*. Bochartus exponendum censet de onocrotalo, ave nempe cycno perquam simillima ingratum adeo stridente, ut inde nomen avi inditum sit *onocrotalus*, quod Græce sonat *asini ruditus*. Ab inferiori avis hujus rostro pendet cavum quoddam receptaculum, vel sacculus, quem facile denotat Hebræum כוס *Kos*, sonans craterem, adeoque & non dissimilem crateri sacculum vel crumenam.

Mergulum. Hebræum שלך *Schalach* sonat projicere; & Græcum Septuaginta Καταῤῥάκτην, *cataractes* ex eodem etymo derivatur. Exprimit mergum, quæ avis impetu sese dejicit in aquam, Schindlerus, aliique nonnulli accipiunt de ardea; Syriacus de bubone; Arabs de vulture; Lyranus de mergulo, vel buteone.

Ibin, ינשוף *janesoph*. Notissima est in Ægypto avis, quam ejus regionis populi divino cultui parem habuerunt. Persimilem esse ciconiæ affirmat Strabo libro XVII. additque duplicis esse coloris; aliæ sunt enim nigræ, aliæ vero albæ. Junius, & Bochartus Hebræum *janesoph* exponunt de noctua; est autem vox facile deducenda ex *nescheph*, quod sonat tenebræ. Congruit id maxime noctuæ. Syriacus Interpres vertit cycnum; Arabs nisum, qui marina est aquila.

℣. 18. Et cygnum, תנשמת *tanschemeth*. Septuaginta Πορφυρίωνα *porphyrionem*. Est autem Porphyrio avis rubro & purpureo rostro ac cruribus. Bochartus Versionem Samaritanam sequens, reddidit *noctuam*. Onkelos designatum hac voce *bubonem* censet; Judæi Ferrarienses *calamon*, quæ avis est palustris, ardeæ similis.

Onocrotalum קאת *buteonem*. Septuaginta, *pellicanum*. Hebræum *Kaath*, ex radice Kaah, *vomere*, congruit pellicano, qui ostreis voratis oneratum stomachum vomitu levat, cum tamdiu cibos illos continuerit, quamdiu hiscentibus calore ventriculi ostreis piscem detrahat. De Onocrotalo vide iter Moschoviticum tom. 1. pag. 332. & tom. 2. pag. 145.

Porphyrionem רחמה. Septuaginta *cycnum*; alii *gazam*. Hebræum *Rachamah* de vulturis quodam genere exponit Bochartus; derivari enim potest vox e radice *rachem*, *misericordia*. Constat utique quantæ sit charitatis in pullos suos vultur, ut merito Ægyptii misericordiam hieroglyphica scriptura pinxerint vulturem. Interpres Arabs exponit *Anatem sylvestrem*, & Samaritanus *pellicanum*. Illustre est pellicani pietatis exemplum; fertur enim e vulnerato sinu extrahere sanguinem, quo pullos alat. Interpres alius Græcus vertit: *Pavonem*.

℣. 19. Herodionem. Hebræum חסידה *Chasidah* exprimit misericordiam vel pietatem; congruitque per omnia ciconiæ: quare eam volucrem expressisse credendi sunt recentiores plerique Interpretes; id pariter & Vulgata, Onkelos, Theodotion, Aquila, & Septuaginta sub nomine Ἐρωδιὸς, *Herodion*, vel *Herodius*, quod vulgo accipitur de ardea.

Charadrion. Hoc genus avis reddimus avem arqua-

---

[1] במים בימים ובנחלים [2] Ἐν τοῖς ὕδασι, καὶ ἐν ταῖς θαλάσσαις, καὶ ἐν τοῖς χειμάῤῥοις. [3] Vatab. [4] Syriac. [5] Plin. l. 10. 3. [6] Heraclides Cuman. apud Athenæum l. 4. c. 17.

arquatam Gallice *caurlis*, Italice *torquato*, quæ ardeæ genus est. Hebræum אנפה *anapha* exprimere potest avem furibundam & violentam, quo epitheto notant Arabes Aquilæ genus quoddam; & Hebræi nomen *anapha* exponunt de milvo quodam, qui facile in iram exardescit. Onkelos de *gallo sylvestri*; Syrus de *pavone*; Arabs de *psittaco*; Tostatus de *grue*.

Upupam דוכיפת *ducipha*. Vulgata fidem Septuaginta sequitur. Est upupa gruis magnitudine avis, alas habens albas, nigro subnigroque variatas, cristata, cujus cristæ radices a rostro ducuntur.

Et vespertilionem עטלף *batalaph*. Congruunt in ea interpretatione Interpretes fere omnes; sed Rabbini recentiores præferunt *hirundinem* vel *upupam*. Notat Strabo lib. XVII. Urbis Borsippi vespertiliones majores esse vulgaribus; venatu autem apprehensos conditi sale, & ad cibum reservari. Hinc facile Moyses interdicendum vespertilionem expresse censuit.

℣. 20. Omne de volucribus, quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis. Vespertilio, muscæ, apes, & insecta cætera alata, quatuor instructa pedibus, inter immunda sunto; iis tantum exceptis, uti e subsequenti proxime versiculo, quorum posteriores pedes anterioribus sunt longiores.

℣. 21. Sed habet longiora retro crura. Textus Hebræus negationem addit: *Cui non sunt crura ad saltandum retro longiora*. Notant tamen Massoretæ ita legi oportere Hebræum (1), ut sensum retineat fere cum Vulgata & Septuaginta congruentem, una tantum literula in Textu variata, ut sit לו *ei*, non vero לא *non*.

℣. 22. Ut est bruchus in genere suo, et attacus atque ophiomachus, ac locusta. Tria vel quatuor locustarum genera distinguit hic Moyses, nota pariter & Profanis, quæ seorsum hic illustranda sunt.

Bruchus. Hebræus ארבה, *Arbe*, cujus versionem non semper eamdem retinuerunt Septuaginta. Bruchus significat proprie minorem quamdam locustam, nondum alatam. Exponens S. Augustinus illud Psalmi CIV. *Venit locusta, & bruchus*, scribit: *Una plaga est locustæ & bruchi* (Ægyptiis inflicta): *quoniam altera est parens, & altera est fœtus*. Agit Athenæus (2) de locusta, quam *carabon* appellat, cujus nomen non incongrue deduceretur ex Hebræo *Arbe*.

Attacus. Hebræum סלעם *Salab* locustam significat, *Attacum* vel *Attelabum* nuncupatam, alis carentem. Plinius (3): *Locustarum minime fine pennis, quas attelabos vocant*. Narrat S. Hieronymus, modicis illas alis esse instructas, quibus semetipsas gradiendo juvant, non tamen volatui aptas.

Ophiomacus, חרגל, *chargol*. Hæc Græca vox sonat: *Qui in angues pugnat*. Locustam hujus nominis, alis destitutam, norunt Hesychius, & Suidas. Plinius (4), & Aristoteles (5) locustas quasdam maxime ingentes memorant, anguium inimicas.

Locusta חגב. Interpretes fere omnes dictum hoc exponunt de adultis jam & vulgatis magnitudinis locustis. Docent Rabbini, permitti in cibum locustas alatas jam, & quorum posteriora crura ita formata sunt, ut adultam locustam decet. Quæ si adhuc defuerint, vetari cibum illum affirmant. Sed Rabbinicas hasce exceptiones arguere falsi videtur Moyses, qui æque omnes locustas, nihil excipiens, probat.

Post luculentum Scripturæ adeo testimonium, communem olim non fuisse in cibis locustarum usum apud Palæstinos cæterosque finitimos, in dubium revocari non potest. Idem ex Evangelio Matthæi III. 4. intelligimus, ubi de S. Joanne Baptista, cui ciborum omnium loco erant locustæ & mel sylvestre. De locustis in cibum familiariter adhibitis apud Syros, Persas, & fere ubique per Asiam, veteres Scriptores testimonium ferunt apertissimum. Gentium quarumdam meminit Diodorus Siculus, & Agatharcides, non alio quam locustarum esu victitantium; ex quo more Gentibus illis nomen inditum *Acridophagi*. Idem legas apud Strabonem lib. XVI. & Plinium (6). Testimonia quædam Græcorum congerit Casaubonus (7) luculentissime probantia, easdem gentes vulgo id cibi genus admisisse. Idem pariter in Africa & Syria hodie obtinere, affirmant recentiores plures Itinerantes, qui Orientem excurrerunt. Scribit Rabanus Maurus *in Matthæum*, in oratione quadam Arnulphi Episcopi Galliarum tradi locustas, quibus victitavit S. Joannes Baptista, parvas esse animantes digito non majores, facile autem capi in herbis; iisque oleo coctis pauperes ali. Clenardus, in epistola data Volobii (*Fez*) anno 1541. narrat, oculatum se testem spectasse locustarum nubem totum offuscare aerem; incolas autem regionis infestissimo bello illas insectari, quippe quas norunt desolationem late agris suis inferre: onusta autem ex illis plaustra Volobium delata fuisse, unde populus cibos sibi emptos pretio comparabat. Kirstenius in suis adnotationibus ad S. Matthæum, narrante suo Arabicæ linguæ magistro comperisse se dicit, locustas frequentes fuisse ad Jordanem, nostris omnino similibus, magnitudine excepta, qua avem montanam (*Sylvestrem* appellat) æquabant. Locustæ illæ captæ expoliantur alis & cruribus; reliquum vero corpus collo ligatum pendensque e filo Soli exponitur; donec concepto calore tumescant & ebulliant, tunc enim parantur in cibum, & quidem gratissimum. Ajunt in Africa illas igne torreri. Videsis quæ de locustis congeremus ad Joelis c. II. & Matthæi c. III.

℣. 23. Quidquid ex volucribus quatuor tantum habet pedes. Vide ℣. 20.

℣. 25. Si necesse fuerit, ut portet quippiam horum mortuum, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad occasum solis; statim ac quis intellexerit, legalem se maculam contraxisse, quanto citius poterit lavet vestimenta sua, & adhuc inter immundos perseveret ad vesperam usque. Itaque mutatis licet vestibus, lotione etiam primo mane ablutus (8), adhuc tamen abstinebat se a rebus sanctis, continebatque, ne tangeret sacra, neve in atrium ingrederetur usque ad vesperam.

Ex hoc fonte merito reputaremus derivari superstitiones Profanorum erga morticina. Si quis forte canis (9) in ædibus Ægyptii obiisset, domestici omnes pilos corporis sui ad vivum radebant, & luctum pro obitu instituebant operosissimum: quidquid vini, frumenti, vel alterius cujuspiam rei superesset domi, nulli erat usui, abstinebant enim omnes ab illis. Hæc facile omnia jubebat summum illud gentis obsequium erga canes, quibus Numinis inesse aliquid rebantur. Quæ vero gentes nullum præstabant animalibus cultum, adhuc tamen ea tenebantur persuasione, neminem rerum sacrarum participem polluendum esse tactu cadaveris: quamquam, uti observat Porphyrius (10), Deos suos non invocabant, nisi per mortem animalium mactatorum. Pedem inferre in sacra quædam Templa soleatum vel calceatum corio, nefas habebatur, quod scilicet loci sanctitas violari rebus illis mortuis crederetur.

Scortea non ulli fas est inferre Sacello,
Ne violent puros exanimata Deos.

(1) אשר לא כרעים ממעל לרגליו לנתר בהן (2) Athen. l. 3. cap. 22. (3) Plin. l. 29. cap. 5. (4) Plin. l. 11. c. 29. (5) Aristotel. l. 9. c. 6. hist. natur. (6) Plin. l. 17. c. 30. (7) Casaub. Exercit. 11. adv. Baron. (8) Estius. (9) Euseb. Præparat. l. 2. c. 1. (10) Euseb. Præpar. l. 5. c. 10.

Superliminaria quædam Templorum fctiptum præferebant illud: *Ne quid fcorteum adhibeatur: Nec morticinum quid adfit.*

ỳ. 26. Omne animal quod habet quidem ungulam, sed non dividit eam. Hebræus (1), Onkelos, Jonathan, Syriacus, aliique nonnulli ferunt: *Omne quod ungulam dividit, fed non in duo.* Igitur, non pedes tantum fiffos referre illa fatis erat, fed & opus pariter habere divifos in duo, uti de vacca, capra, cervo &c. compertum eft. Vide ỳ. 4.

Qui tetigerit illud, contaminabitur; ideft, qui tetigerit animalium illorum cadavera; viva enim contingi abfque difcrimine poterant, uti e. g. camelus & alia, quorum ufus erat familiaris, quamquam habebantur impura; ideft, quamquam carnium illorum efus vetitus erat.

ỳ. 27. Quod ambulat super manus; puta urfos, fimias, ranas, quæ manus habent fpeciem quamdam in pedibus.

ỳ. 29. Mustela. Bochartus contra Interpretum omnium opinionem cenfet, Hebræum חלד *choled* non muftelam, fed talpam exprimere; quod ille confirmat ex Syriaco & Arabico *chuldo* vel *cholde*, quod talpam fignificat: & ex eo quod Hebræum *chalad* fonat *terram fodere*.

Mus עכבר. Contendit Bochartus, Hebræum *bachabar* defignare murem agreftem, vulgaribus majorem. Utuntur in cibum Arabes murium genere quodam cæteris majorum; nec abftinuiffe ab illis interdum Hebræos, id criminis exprobrans illis Ifaias, fatis infinuat (2). Arabes appellant *Jerbuali* murem quemdam perfimilem Sciulo apud nos. Vide iter Mofchov. tom. 2. pag. 64.

Crocodilus, הצב *hazab*. Crocodilorum genera funt duo, terreftre nempe & aquaticum. Primum illud humi tantum vivit, aliturque floribus omnium maxime odoriferis; quare ejus vifcera fuaviffime olentia plurimi æftimantur. Hunc Textum de crocodilo terreftri Interpretati funt Septuaginta (3); quibus uti in cibum Syros affirmat S. Hieronymus *in Jovinianum libro* 11. Crocodili aquatici notiffimi funt, quos & confecraverant Ægyptii, faltem Arfinoitæ, tefte Strabone libro XVII. quare & abftinuiffe ne in cibum deguftarent, par eft reputemus. Vertunt alii Hebræum: *Teftudinem*; alii: *ranam viridem*.

ỳ. 30. Mygale אנקה *anacah*. Exprimitur ea voce genus quoddam muftelæ inter murem & muftelam medium, unde nomen Μυγάλη, *mygale*, conflatum e *mus* & *gale*, quod Græce eft *muftela*. Alii reddunt Hebræum *echinum*, vel *hirudinem*, vel *falamandram*. Bochartus præfert *lacertam*, quod fcilicet vox *anacah* fonat clamare; congruit id autem lacertæ.

Chamæleon. In hanc vetfionem conveniunt Veteres pariter & Recentiores. Notiffimus eft chamæleon, fabulis tamen magis quam reipfa inclytus. Fabulofa funt enim quæ narrant alii, illum aere nutriri, & ad objectos quofque colores colorem novum induere. Bochartus, cujus judicio plurimum in hac re deferimus, affirmat, Hebræum הכח *acoah* defignare genus quoddam lacertæ robuftiffimæ in Arabia, quæ angues intra munitiones ipfas fuas aggrediens pellit, occiditque. Robur ejus Hebræa voce exprimitur. *Alvarlo* appellant Arabes.

Stellio et lacerta הלטאה והחמט. De fignificatione utriufque hujus vocis, non magis quam de præcedentibus convenit. Reddunt alii *oftream*; alii *cochleam*, alii *falamandram*. Nos fidem Vulgatæ & Septuaginta, qui ferunt ἀσκαλαβώτης, καὶ σαῦρα, lacertarum genus quodcumque, fequimur.

Porro lacertarum plura funt genera in Arabia, ubi lacertas quafdam cubito majores nafci affirmat Ariftoteles. Sunt quædam in America quinque pedibus longæ, quas fi quis parare norit in cibum, gratiffime fapiunt. Ex ipfis unica quatuor homines fatiat.

Talpa, תנשמת. Fidem Septuaginta & Vulgatæ deferendam hic cenfent Interpretum Recentiorum plerique. Tremellius *murem alpinum* vertit; Caftalio *bufonem*, alii *muftelam*; Syriacus & Arabs *animal multipes*, ideft, uti creditur, *erucam*. S. Hieronymus *libro* 11. *in Jovinianum* notat: *In Ponto & Phrygia vermes albos & obefos, qui nigello funt capite, & nafcuntur in lignorum carie, pro magnis reditibus paterfamilias exigit.* Contendit Bochartus, Hebræum *tinfchameth* defignare chamæleontem. Fauces chamæleon femper habet apertas, & interiora fere omnia pulmones funt: creditus eft pariter e captato tantum aere victitare; his facile de caufis conciliatum eft illi Hebraicum nomen, quod refpirationem fonat. Animadvertere juvat, ỳ. 18. occurrere avem impuram, cujus nomen iifdem fcribitur ac in præfenti literis.

ỳ. 31. Omnia hæc immunda sunt. Hebræus (4): *Ifta immunda vobis in omni reptili. Omnis tangens ea, vel morticina eorum, immundus erit.* Impura adeo cenfebantur reptilia, ut ne viventia quidem (5) tangere fas effet; quæ de cæteris animantibus nunquam fancita fuiffe habes fupra ỳ. 26.

ỳ. 32. Pelles. In ufu erant pelles apud Hebræos, non ad veftes tantum, fed ad culcitras (6), ad tentoria, pallia, utres, & ad alia plura. Exhibet Scriptura (7) Prophetas villofis pellibus veftitos, præcinctofque corio. Nec primos mortalium parentes admiffi criminis reos aliter veftivit Deus (8). Pelliti incedebant pariter veteres Heroes, quemadmodum & vulgo primævæ ætatis homines (9).

Nec dum res igni fcibant tractare, neque uti
Pellibus, fpoliis corpus veftire ferarum.

Veteres Romanorum Senatores pellibus paludabantur (10).

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit ruftica corda Patres.

Cilicia. Hebræus שק, *faccum*, Veftes funt rudes, e caprarum pilis in ufus militum & nautarum. Vide Exodum XXXV. 4.

Et in quocumque fit opus. Vafa omnia & utenfilia, quibus aliquid domi conficitur.

ỳ. 33. Vas autem fictile, in quod horum quicquam intra ceciderit, polluetur. Hebræus, & Septuaginta exprimunt totum pariter id, quod in vafe continetur, maculam contrahere, perinde ac vas ipfum; & vas illud confringi oportere.

ỳ. 34. Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit. Aqua fcilicet impura, quæcunque tandem ea effet, velut urina, aqua corrupta, &c. fi forte affufa fuerit, vel tantum ftillaverit leviter fuper cibum & pomum, polluet omnia ftatim ut ufui fint inepta. Illatum eft e fanctione ifta, fi aridum quid deciderit in vas impurum, vitium non contracturum, nifi ex impuro illo, quodcumque eft, madefcat, vel quacunque alia ratione corruptionem imbibat.

ỳ. 35. Sive clibani, sive chytropodes. Hebrææ voces תנור וכירים, præfertim fecunda, fignificationem habent non probe exploratam. Vertunt plures: *Furni & foci*, five *furni & furnuli*. Credunt quidam, fecundam illam vocem defignare vas terreum ad coquendum panem & tortulas. Vox *Kivaim* dualis eft, & facile exprimit

vas

[1] לכל הבהמה אשר הוא מפרסת פרסה ושסע איננה שסעת

[2] Ifai. LXVI. 17. *Qui comedebant carnem fuillam, & abominationem, & murem.*

[3] Κροκόδειλος χερσαῖος.

[4] אלה הטמאים לכם בכל השרץ

[5] Vide Cap. V. ỳ. 2.

[6] Levit. XV. 17.

[7] 4. Reg. I. 15.

[8] Genef. III. 21.

[9] Lucret. l. 5.

[10] Propert. Eleg. l. 1. 4.

vas duabus partibus conſtans; veluti ollarum varia genera, coquendæ vel carni, vel placentulæ &c. Verti etiam poſſet: *ſive furnus*, *ſive concha* (vas pedum lotioni deſtinatum) *ſive pollubrum* (ad lavandas manus). Sunt autem furni, de quibus hic, notæ Ægyptiis machinæ ad panem excoquendum (1); vel figlina illa, quæ Latini appellant *teſtas*; ſunt autem tegmina quædam inſtar campanulæ, ſub quibus coquuntur placentæ. Denique agitur hic de furnis geſtatoriis, quæ perinde ac figlina cætera non difficile confringuntur.

℣. 36. Fontes, et cisternæ, et omnis aquarum congregatio munda erit. Si deciderit in illa impurum aliquid, educitur, atque hauſta ex illis aqua lavantur immunda: ſed demerſa cadavera vitium inſerunt in eos, a quibus tanguntur: *Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur*.

Ita ſuſpiciebant aquas Perſæ, ut rem ad ſuperſtitionem deducerent. Magi vigiles ſtatuebant aquis, ne minima quacumque ſorde puri latices violarentur. Aſcendere in mare recuſavit Tiridates (2), metu ne excrementis aquarum ſanctitatem temeraret. Diſcipuli *Manetis* (3), hominis Perſæ, ne fœdarent aquas, urina corpus lavabant. Hebræorum in aquas obſequium erat nullum: at ſi Moyſes ex contactu rei impuræ impuras illas pronunciaſſet, quid eluere aquas valuiſſet? Sola aqua infuſo cinere vaccæ ruſæ maculam inducebat in eum, qui eo piamine alium luſtraſſet. Vide Numeros XIX. 21.

℣. 37. Si ceciderit super sementem, non polluet eam. Commode redderetur Hebræus (4): *Si eorum cadaver ceciderit ſuper omne ſemen, quod ſeminabitur*.

℣. 38. Si autem quispiam aqua sementem perfuderit, et postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur. Ideo ſcilicet, quod perfuſa aquis ſemina facilius imbibunt vitia ejus, a quo tanguntur, eaque promptius tranſmittunt in germina.

℣. 39. Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere; qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit. Animalia morticina vel ſuffocata non educto ſanguine, & capta pariter a bellua, impura poſt mortem habebantur; quamquam alioquin munda, valituraque in uſum cibi, ſi vel occiſa, vel ſanguine purgata fuiſſent.

℣. 40. Lavabit vestimenta sua. Docent Rabbini, totum corpus vel nudum, vel indutum pura eluendum eſſe, ſive Scriptura edicat elui hominem, ſive exprimat tantum lavandas veſtes. Integrum erat ſeu veſtes ſeorſum lavare, ſive una ſecum mergere aquis; ſemper tamen lavandum erat corpus, ſicut & veſtes, quamquam alterutrum tantum exprimeret Textus Moſaicus (5).

℣. 43. Nolite contaminare animas vestras. Hebræus & Septuaginta: *Non faciatis abominabiles animas veſtras*. Rei impuræ tactus numquam per ſe quidem valuiſſet puras aliquin & ſanctas animas polluere; at crimen violatæ Legis Dei, latique ea de re mandati, reum efficiebat hominem, & macula polluebat animam.

℣. 44. Sancti estote, quia ego sanctus sum. Exigit a Judæis Deus exteriorem quamdam & legalem ſanctitatem, typum & emblema intimæ ſanctitatis, quam maxime curare illos volebat. Poſterior hæc ſanctitas una eſt & ſola, quæ Deo placere valeat, eaque remota, exterior illa ſanctitas perinde eſt ac nihil. Quæ cautio removebat illos ab animalibus impuris; hæc populum in eam mentem deducere debebat, Deum, cujus erant portio, eorum puritatem & ſanctitatem maxime omnium cordi habere.

C A P U T XII.

Leges pro luſtrandis fœminis poſt puerperium.

℣. 1. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos: Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, juxta dies ſeparationis menſtruæ. 3. Et die octavo circumcidetur infantulus: 4. Ipſa vero triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis ſuæ. 5. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menſtrui: & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. 6. Cumque expleti fuerint dies purificationis ſuæ, pro filio, ſive pro filia, deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ, ſive turturem pro peccato, ad oſtium tabernaculi teſtimonii, & tradet ſacerdoti, 7. Qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & ſic mundabitur a profluvio ſanguinis ſui: iſta eſt lex parientis maſculum, aut fœminam. 8. Quod ſi non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccato, orabitque pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur.

Mulier, si suscepto semine pepererit masculum. Plures qua veteres (6), qua recentiores (7) Interpretes putarunt, hac loquendi phraſi Deum prophetico quodam afflatu ſignificare voluiſſe, ſanctam Jeſu Chriſti parentem Virginem legis hujus ſanctione non ligari. Defendunt tamen alii, verba illa, *Si ſuſcepto ſemine*, exprimere tantum: *Si concipiens pepererit maſculum*. *Semen* perinde valet interdum, ac filius. Sive legis ejuſmodi ferendæ ratio fuerit, ut expiaretur pro-

(1) Vide Gen. XVIII. (2) Plin. l. 30. c. 2. (3) Vide Thom. Hyde Hiſt. Relig. veter. Perſarum. (4) וכי יפל מנבלתם על כל זרע אשר יזרע (5) Selden. de Syned. l. 1. c. 3. (6) Orig. homil. 8. in Levit. Baſil. in ℣ 14. cap. 7. Iſaiæ. Chryſoſt. hom. in occurſum Domini. Cyrill. l. 2. de fide ad Reginas, &c. Procop. Theophylac. Euthym. Radulph. Beda in Luc. 2. Bernard. ſerm. de Purific. Raban. Rupert. Thomas. (7) Lyr. Menoch. Tirin. Eſt. &c.

probrum conceptionis, quod concupiscentiæ semper infert aliquid, sive ut appendices vulgarium partuum abolerentur; constat utique, Virginem Sanctissimam illius sanctioni nun fuisse obnoxiam, quippe cujus fœtus non concupiscentiæ fuerit, sed intus operantis S. Spiritus, quo pariter agente fœtum exclusit sine dolore, non reserato virginali claustro, adeoque nullis in pariendo obnoxia incommodis, quibus fœminæ subinittuntur.

Immunda erit septem diebus. Quæ marem pariebant, integris septem diebus saltem legali macula vitiabantur, nec ante eos dies vitium illud removere permittebantur: accidebat quin etiam non raro, ut surdes perseverarent dintius, juxta ac incommoda & vitia partus perseverabant: *Juxta dies separationis menstruæ*. Ita immundis nefas erat purum aliquid contingere; sed post absolutam septem dierum periodum, vel saltem post receptam ab incommodis partus valetudinem, tuto rebus domesticis vacabant, & consuetis operibus, nihil maculæ inducentes rebus quas tractabant. Arcebantur nihilo secius a Sanctis, quæ adire nunquam poterant, nisi post xl. dies evolutos.

Quæ puellas ediderant, impuritatem prorogabant saltem xiv. dies; quo temporis spatio quidquid tractabant, reddebant impurum; nec ad res sacrss admittebantur ante lxvi. dies.

Juxta dies separationis menstruæ. Non una ratione reddi potest Textus (1): *Impura censebitur per septem dies*; idest, *totidem diebus, quot in menstruis purgationibus* (2). Vel: *Impura erit per septem dies, ea impuritate, qua est in menstruis*; ita e. g. ut impuritatem inferat rebus, quas tractaverit, omnibus. Eas cautiones erga fœminas recentes a puerperio, naturales causas in ea regione persuasisse censet Grotius; ex eo vero fonte derivatam autumant in reliquas gentes opinionem, fœminas nempe recens a puerperio haberi impuras, ut a rebus sanctis merito arcendæ sint. Prohibebantur accedere ad Aram Dianæ, ut ab Euripide docemur (3).

Deæ vero damno vaframenta,
Quæ, si quis quidem mortalium patrarit cædem,
Aut etiam partum, aut cadavera attigerit manu,
Eum arcet ab ara, ut impurum existimans.

Jubet Pythagoras, sedula cura puritatem servari, quare & caveri, ne accedamus ad funera, neque ad conclave puerperæ. Superstitiosus ille apud Theophrastum religione absterretur, ne pedem inferat intro in conclave puerperæ. En testimonium illustre Censorini, a Grotio laudatum: *Prægnans ante diem quadragesimum non prodit in Fanum; & post partum pleræque graviores sunt, nec sanguinem interdum continent.*

℣. 3. Circumcidatur infans. Nihil determinat lex, non locum, non ministrum, non instrumentum ad circumcisionem: illud tantum edicit, ut octava ab ortu die hoc Sacramento initietur infans. Ut hic terminus prorogaretur, non Festum Sabbati incidens, sed tantum male affecta pueri valetudo faciebat.

℣. 4. Triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Continebit se domi, nec Tabernaculo se sistet, nee ad res sanctas accedet, toto eo spatio xxxiii. dierum, præter septem illos priores dies, de quibus jam actum est. Porro ea periodus præscripta est, ut incommoda omnia, quæ inferuntur a partu, tollantur penitus (4). Syriacus, & Exemplaria quædam Septuaginta ferunt: *Sedebit triginta tres dies in sanguine puro*. Sed alia Septuaginta Exemplaria legunt: *In sanguine suo immundo*. Discrimen hoc lectionum notant S. Augustinus (5) & Hesychius; conciliat autem dissidentes illas Origenes homilia viii. in Leviticum: *Quia in sanguine*, ait, *immundo facit septem dies, in sanguine autem mundo triginta & tres dies*. Non ita tamen reputandum est, quasi longiorem xxxiii. dierum periodum agat penitus munda; sed potius minus impura. Pristinam enim sanctitatem non recipiebat nisi post xl. dies; quibus evolutis sistebat se Templo, & post oblationes suas præstitas, ad res sanctas admittebatur.

Omne sanctum non tanget. Recentiores Judæorum Magistri (6) docent, prohibitas fuisse mulieres illas ne Synagogam ingrederentur, ne preces effunderent, ne Dei nomen pronunciarent; ne sacrum tractarent codicem: nefas illis pariter tangere maritum suum, assidere cum illo pariter in eadem sella, ex eadem lance cibos capere, in eadem mappa, eodem scypho potare, assidere e regione illius, in faciem loqui. Cum vir uxori aliquid porrecturus est, rem illam ponit vel super mensam, vel super tabulam, unde uxor accipit, quin propius invicem accedant. Persuasum habent Judæi, natos e commercio maris cum fœmina vitiata, filios vitium lepræ contrahere. Post evolutos septem impuritatis dies, septem adhuc dies alios puritatis numerant fœminæ; tandem vero, toto corpore lotæ, maculis omnibus eluuntur, ut puræ sint. His moribus utuntur nostræ ætatis Judæi.

℣. 5. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus. Laudat Grotius Hippocratem (7) & Aristotelem (8) docentes, incommoda, quæ puellarum partum sequuntur, prorogari diutius, quam quæ ex partu pueri illata sunt; illa enim ad summum, ait Hippocrates, xlii. diebus; postrema vero hæc, ut maximum, xxx. diebus perseverant. Periodum hanc definit Moyses pro puero quidem dies quadraginta; pro puella vero, octoginta. Mulieres Græcæ in menstruis suis ab ecclesiis se abstinent. Tournef. tom. 1. Breves Itin. pag. 105. Samaritanæ mulieres sunt adeo abominabiles apud eas gentes, ut nemo in earum tentoria pedem inferre audeat.

℣. 8. Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre. Nec agnum habet pararum, nec quo emat.

Alterum pro peccato. Sunt qui dictum accipiant de peccato matris: sunt, qui de originali peccato infantis: aliis vero peccatum est legale illud vitium, quod mater contraxit; vel tandem victima, qua impuritas illa expiabatur, *peccatum* hic dicitur, nempe hostia vel oblatio pro peccato.

Vix fieri potuisse reputamus, ut late dispersæ per Palæstinam fœminæ omnes Templo sistere se possent condicta die quadragesima post puerperium. Quare accuratius aliquid in Moyse desiderari videretur. Plura ille quidem supplenda relinquit ab usu & viva voce Sacerdotum, ut peculiares rerum eventus, temporum, locorum, & circumstantiarum ratio posceret. Si enim illud statua-

(1) כימי נדת דותה תטמא Aqu. Κατὰ τὰς ἡμέρας τοῦ χωρισμοῦ τῆς ἀποκαθημένης. Sym. Κατὰ τὰς ἡμέρας χωρισμοῦ τῆς θλίψεως. Theodor. Τοῦ χωρισμοῦ τῆς ὀδύνης αὐτῆς. Hi tres Interpretes separationem eam intellexisse videntur, quæ veluti appendix sit dolorum partus. Ac si septem diebus ad recuperandam valetudinem a partu mulier indigeret. (2) Levit. xv. 19. *Mulier, quæ redeunte mense, patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur*. (3) Euripid. Iphigenia in Tauris, v. 380.

Τὰ τῆς Θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα
Ἥτις βροτῶν μὲν ἤν τις ἅψηται φόνου,
Ἢ καὶ λοχείας, ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν,
Βωμῶν ἀπείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη.

(4) Aq. Sym. Theod. Καθίσεται ἕως καθαρισμοῦ. *Sedebit usque ad purificationem suam*. (5) Aug. qu. 40. in Levit. (6) Buxtorf. Synag. c. 31. ex Rabb. (7) Ἐπὶ μὲν τῷ κούρῳ ἡμέρῃσι τεσσαράκοντα, καὶ δύο .... Ἐπὶ δὲ τῇ κούρῃ ἡ κάθαρσις γίνεται ἡμέρῃσι τριήκοντα. Hippocr. Περὶ φύσιος παιδίου. (8) Arist. hist. anim. lib. 6. 22. & 7. 3.

tuamus, fœminas recens e puerperio, ipso quadragesimæ diei articulo jussas fuisse sistere se Templo, quo illæ tempore itineri se commisissent? An post evolutos quadraginta illos dies, an intra illud temporis spatium, ut quadragesima tandem præsto essent? Num integrum illis erat oblationem suam tamdiu prorogare, quamdiu occasio aliqua incideret; e. g. usque ad proximum Festum? vel forte, num satis illis fuisset, si victimam suam offerrent Deo, alterius manu? Nihil de his docet Legislator. Forte etiam leges toto hoc capite descriptæ, quibus fœminæ sistere se Tabernaculo post XL. dies a puerperio jubentur, pro tempore tantum itineris per desertum, & pro locis a Tabernaculo & Templo non remotis valebant. Non inviti reputaremus, post quietam Palæstinæ possessionem nova in rem præsentem statuisse Sacerdotes, quæ necessaria limitatione leges hasce Mosaicas stringerent. Ex historia Samuelis innui videtur, Annam illius Prophetæ matrem (1) non prius contulisse se ad Templum, quam post ablactatum puerum: Elcana vir ejus facile uxoris nomine legitimam oblationem Tabernaculo persolvit.

Orabit pro ea Sacerdos, et mundabitur. Quasi scilicet innueretur, ait Origenes (2), homines nasci omnes vitiatos, ut nemo crimine non notatus in auras prodeat. Ipsa etiam mater, quæ filium edit, cogitur offerre victimas ad expiandum peccatum suum, sive ad purgandum probrum concupiscentiæ, quod omnium hominum conceptus vitiat.

[1] 1. Reg. 1. 21. 22. 23. [2] Origen. homil. 8. in Levit.

CAPUT XIII.

Leges ad hominum, vestimentorumque lepram discernendam, atque purificandam.

℣. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens: 2. Homo, in cujus cute, & carne ortus fuerit diversus color, sive pustula, aut quasi lucens quippiam, idest, plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus. 3. Qui cum viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute, & carne reliqua: plaga lepræ est, & ad arbitrium ejus separabitur. 4. Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris pristini, recludet eum sacerdos septem diebus, 5. Et considerabit die septimo: & siquidem lepra ultra non creverit, nec transierit in cute priores terminos, rursum recludet eum septem diebus aliis. 6. Et die septimo contemplabitur: si obscurior fuerit lepra, & non creverit in cute, mundabit eum, quia scabies est: lavabitque homo vestimenta sua, & mundus erit. 7. Quod si postquam a sacerdote visus est, & redditus munditiæ, iterum lepra creverit, adducetur ad eum, 8. Et immunditiæ condemnabitur. 9. Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem, 10. Et videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, & capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit: 11. Lepra vetustissima judicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos, & non recludet, quia perspicuæ immunditiæ est. 12. Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem cutem a capite usque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit, 13. Considerabit eum sacerdos, & teneri lepra mundissima judicabit: eo quod omnis in candorem versa sit, & idcirco homo mundus erit. 14. Quando vero caro vivens in eo apparuerit, 15. Tunc sacerdotis judicio polluetur, & inter immundos reputabitur; caro enim viva si lepra aspergitur, immunda est. 16. Quod si rursum versa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit, 17. Considerabit eum sacerdos, & mundum esse decernet. 18. Caro autem, & cutis, in qua ulcus natum est, & sanatum, 19. Et in loco ulceris cicatrix alba apparuerit, sive subrufa, adducetur homo ad sacerdotem. 20. Qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos versos in candorem, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta est in ulcere. 21. Quod si pilus coloris est pristini, & cicatrix subobscura, & vicina carne non est humilior, recludet eum septem diebus, 22. Et si quidem creverit, adjudicabit eum lepræ. 23. Sin autem steterit in loco suo, ulceris est cicatrix, & homo mundus erit. 24. Caro autem, & cutis, quam ignis exusserit, & sanata albam, sive rufam habuerit cicatricem, 25. Considerabit eam sacerdos, & ecce versa est in alborem, & locus ejus reliqua cute est humilior: contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est. 26. Quod si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipsa lepræ species fuerit subobscura: recludet eum septem diebus, 27. Et die septimo contemplabitur: si creverit in cute lepra, contaminabit eum. 28. Sin autem

in

morte obiisse censebatur. Feruntur milites Pompejani e Syria reduces morbos quosdam lepræ haud absimiles secum tulisse.

Cruciatii milites morbum illum multo frequentiorem effecerunt, acceptum ex commercio cum Syris, Ægyptiis, ac Palæstinis. Profecto consuetudo illa cum gentibus alterius mundi, si ita effari liceat, augendo morbo valuit; constat tamen Græcos, Romanos, Orientales omnes populos etiam remotissimos malo suo morbum illum non ignorasse; re tamen quidem, quamquam nomine diversum.

Adducetur ad Aaron Sacerdotem. Non id erat Sacerdotis, ut curaret lepram, sed ut judicaret tantum, utrum re ipsa morbus adesset, an secus; quo scilicet prohiberentur leprosi, ne morbum suum in cæteros derivarent ex commercio. Post hæc omnia, valetudinem e suo morbo procurare, munus erat leprosi. Datum erat Sacerdotibus, ut viros aliquos consulerent, antequam mundum a lepra vel infectum aliquem pronunciarent: sed nemo alius quam Sacerdos id declarabat, juxta Rabbinos.

℣. 3. Ad arbitrium ejus separabitur. Hebræus: וטמא אתו polluet eum, idest immundum declarabit.

℣. 4. Sin autem lucens candor fuerit in cute .... recludet eum Sacerdos septem diebus. Cum albentes quædam maculæ cutem insperserint, locusque humilior non apparuerit & depressior reliqua superficie, nec pilorum pristinus color variaverit; tunc utique cum suspicioni locus sit, num indicia illa lepram saltem suborientem vel inclinans ad morbum corpus designent; ideo includendus est æger, septem saltem diebus, quo temporis spatio morbus, num foras prodeat, expectetur. Si postea nullis de novo indiciis morbus sese proderet, ad alios septem dies includebatur; quibus evolutis, si vis morbi adhuc nulla sese explicaret, tunc judicabat Sacerdos, non lepra affici ægrotum, sed scabie: *Scabies est*.

℣. 6. Si obscurior fuerit lepra, et non creverit in cute, mundabit eum, quia scabies est. Hebræus ad literam tres varias interpretationes admittit: Sacerdos inspiciet secundo septima inclusionis die: *Et ecce plaga est subobscura* (1), *& non crevit; & scabies est*. Secunda interpretatio: *Ecce lepra recepit sese, & non crevit; scabies est*. Tertia: *Ecce lepra stetit, & non crevit; scabies est*. Postremum hoc placuit Syriaco & Arabico. Septuaginta: *Ecce tactus* [locus cutis affectus] *obscurus* [ut antea], *non est conversus tactus in cute* [nihil mutatus], *& purgabit eum Sacerdos, quia significatio est*, σημασία, signum. S. Augustinus: *Non lepra, sed signum*. Theodotion: Ἐκβρασμα, *Ebullitio* (2). Aquila: Ἐξανθημα, *pustula, excretio*. Hebræum מספחת designat interdum *abscessum*. Sunt qui reddiderint: *Scabiosa concretio*.

Lavabit homo vestimenta sua, et mundus erit. In aquam se vestitum merget, vel seorsum corpus, seorsum vestes lavabit. Non satis erat eluere vestes: corpus ipsum ablui oportebat. Hæc generalis est in sanctionibus hisce regula, quam nos alibi cum Doctoribus Judæis assignavimus. Vide caput xi. 40.

℣. 9. Plaga lepræ &c. Agit hic Moyses de morbo non dubio, sed certo. Ita vero illum describit proxime subsequenti versiculo.

℣. 10. Cumque color albus in cute fuerit, et capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit, [℣. 11.] lepra vetustissima judicabitur, atque inolita cuti. Hebræus ad literam ita commode redderetur. *Ecce tumor albus in cute, & ipse vertit pilum ut albus sit; viva quoque caro in tumore apparens, inveterata est lepra in cute carnis*. Septuaginta in hunc modum exponunt: *Ecce cicatrix alba in cute, & hæc mutavit pilum in album, & apparet sanum carnis vivæ in cicatrice; lepra veterascens est*. Designatur hic facile genus illud lepræ a Celso descriptæ, referentis nitidum quemdam vivumque candorem, qua qui in loco morbo affecto succrescunt pili, albo ipsi pariter inficiuntur, persimiles lanugini; is autem morbus alte insinuatur, ut sese nunquam evellatur.

℣. 11. Non recludet, quia perspicuæ immunditiæ est. Cum certo constet de morbo, nihil est cur recludatur, ad experimentum ejus capiendum, ægrotus. Septuaginta in Polyglottis Antuerpiensibus, & Parisiensibus, & S. Augustinus retinent lectionem Vulgatæ: *Non recludet*; sed in editione Romana est: ἀφοριεῖ αὐτον, *separabit eum*. Id autem commode exponi posset, ut contrarium Textui nostro sensum non inferret: Separabit e cœtu populi, non brevi unius hebdomadæ spatio, ut cum morbus est ambiguus, sed perpetuo.

℣. 12. Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute. Ad literam: ואם פרוח תפרח, *Si floruerit*, si germinaverit, veluti plantæ germen, quod adolescit in dies. Cum noxia illa albedo totam late subegerit cutem, ut in morbo lepræ, quam Medici λεύκην *albam* appellant, accidit; declarabit Sacerdos, morbum esse vitiosum minus, ex eoque minus etiam discriminis, quam ex cæteris variis lepræ generibus. Si vero albus ille color, non toto quidem diffusus corpore, sed per intervalla disseminetur, vel simul revelet vivam carnem, hoc indicio perniciosissimam lepram agnoscas. Quibus id contigerit, illi inter impuros rejiciantur. Sancita sunt hæc in versiculis 14. 15.

Quærit Theodoretus (3), quomodo totam late subigens carnem lepra purior nihilo secius censeatur, quam quæ sparsim veluti per intervalla afficit ægrotum. Reponit, huic sanciendæ legi humanitatem Legislatoris contulisse plurimum: removendos ab hominum commercio illos edici, quos raris lepra hinc inde maculis aspergit, certa enim illos manet spes valetudinis obtinendæ: vicissim autem eos, quos morbus sibi penitus subegit, cœtui hominum permitti; alioqui etenim per totam vitam essent arcendi, cum incurabili subigantur morbo. Ita & cum affectis spiritali morbo agendum edicit Apostolus (4), ne commensales patiamur Fideles improbos; cum vicissim permittat gustari cibos apud Infideles, moribus plane corruptos. Addit Theodoretus, ex eo tantum in Scriptura late diffusam hanc lepram appellari mundissimam, quod maculam non inferat in alios.

Alii, uti D. Clericus hic, reputant, indicium esse receptæ a lepra valetudinis candorem illum per totum late corpus regnantem, adeoque & purum censeri eum, qui insolitum hunc colorem præfert: sed hæc nihil minus habet quam veritatis. Cum agit Scriptura de leproso valetudini restituto, scribit, ejus carnes ita exhiberi mundas, veluti pueri parvuli (5); mundas, inquam, non albas, veluti pueri parvuli. Vicissim autem legimus in Exodo iv. 6. de Moyse, qui a Deo jussus cum *manum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis*; eo tamen, puto, lepræ genere, de quo hic agitur. Aversantur Orientales album corporis colorem in gentilibus suis, quod scilicet indicium sit lepræ. Scitum est inter omnes, quid referant nostræ Historiæ de lepra alba, & *leprosis albis*.

Docent Rabbini, quemadmodum amnis, cum longe lateque per arva sese diffundens, totum undique solum inundat, nec profundam refert aqua-

rum

(1) כהה. Hæc vox de oculis senum, hominumque male animo vel ira affectorum, qui concavi fiunt, & subobscuri, usurpatur. Eadem de vulnere dicitur, cum claudi incipit. 2. Esdr. iii. 19. Chaldaice sonat *corrugare frontem*. (2) Vide Hieronym. in Nahum ii. (3) Theodoret. in Levitic. quæst. 16. (4) 1. Cor. v. 11. (5) 4. Reg. v. 14. *Restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli*.

rum voraginem, nec perniciosam eluvionem, sed noxius est tantum & profundus, cum intra alvei angustias continetur: ita pariter & lepram per totum corpus diffusam innoxiam esse; vicissim autem, quæ uni certo loco inhæret, sese altius insinuare atque imbibere, ut incurabilem morbum efficiat.

Celsus (1) lepræ genera distinguit tria. Primum, *vitiliginem*, nempe albam lepram, quam ita describit Gorrhoeus: Albedo est contra naturam, inficiens pellem & superiorem carnem. Quæ peculiari nomine *lepra* dicitur, secundum est morbi genus; & tertium tandem *elephas*. Duplicis hujus funestæ sunt appendices pruritus, crustæ, squammæ, unguibus scabiendi cupiditas, & inæqualitas in cute. Vicissim autem in lepra alba nulli sunt pruritus; cutem efficit albam & lævem, instar ferme foliorum & corticis populi.

℣. 16. Quod si rursum versa fuerit in alborem, [℣. 17.] Sacerdos mundum esse decernet. Si maculæ illæ, & pustulæ subrubræ in pelle disseminatæ, ad carnem usque vivam penetrantes, album resumant colorem, id impuritatis amotæ indicium esto.

℣. 18. Caro autem, in qua ulcus natum est, et sanatum. Hebræum שחין *schechin*, quod hic redditur ulcus, exprimit etiam inflammationem, quam non raro sequuntur raræ quædam maculæ albæ, vel subrubræ [℣. 19.] *alba sive subrufa*; vel, juxta Hebræum (2): *Tumor albus, vel splendor albus, aliquantulum rufus*; vel albus, admixto rubro, aut albus rutilans. Utrumque pariter retinent Septuaginta: Λευκὴ ἢ τηλαυγὴς λευκαίνουσα, ἢ πυρρίζουσα, *Alba vel lucida albescens, vel rubescens*. Indicant hæc lepram non abesse.

℣. 21. Si pilus coloris est pristini. Hebræus ita commode redderetur: *Si pilus in albedinem non degeneravit* [vel in flavum]; *si cutis humilior reliqua superficie non fuerit; si morbus non se diffuderit, includetur septem diebus*.

℣. 23. Sin autem steterit in loco suo. Hebræus: *Si subalba macula eodem loco steterit, & inflammatio non creverit, ulcus est*. Septuaginta: *Si in loco manserit luciditas, & non diffundatur*; idest, si locus lepra suspectus ac nitens sese non diffuderit, *ulceris est cicatrix*, non lepra, vel, juxta Rabbinos, *crusta est ulceris*.

℣. 24. Si albam sive rufam habuerit cicatricem. Hebræus (3): *Cicatrix alba & rufa, vel alba*. Septuaginta (4): *Clarum, lucidum, album, subrubescens, vel exalbidum*.

℣. 25. Versa est in alborem. Hebræus (5): *Si conversus est pilus albus in splendore*, in loco, ubi quidam est nitor. Verum Septuaginta reddere solent *nitens*, quod in Hebræo est *baheret*, & Vulgata in priori versiculo exposuit *lucens quidpiam*: qua in re nos cum optimis Interpretibus illam sequimur.

℣. 26. Ipsa lepræ species fuerit subobscura. Septuaginta, & S. Hieronymus vertunt plerumque vocem כהה *subobscurum esse*; recentiores vero Interpretes exponunt, *subsistere*, *adstrictum esse*, *non serpere*, uti supra ℣. 6. adnotatum est. *Si macula lepræ sese non explicaverit, sed ibidem substiterit*. Series contextus favet huic expositioni; habet enim: *Si steterit lepra*; quod opponitur illi, ℣. 21. *Si creverit lepra*. Confer ℣℣. 55. & 56.

℣. 27. Contaminabit eum. Addit Hebræus: *Plaga lepræ ipsa*; idest verissimus lepræ morbus est; & Septuaginta: *Tactus lepræ est: in ulcere effloruit*.

℣. 29. Vir, sive mulier, in cujus capite vel barba germinaverit lepra, S. Hieronymus reddit lepram pro Hebræo נגע *negah*, quod sonat tantum plagam vel maculam. Suboritur non raro lepra inter crines, & in iis corporis partibus, ubi abundant pili. Porro lepra hæc ipsissima est seu scabies seu affinis aliquis morbus.

℣. 31. Sin autem viderit capillum nigrum. Hebræus (6), Chaldæus, Samaritanus, & Arabs contrarium legunt: *Pilus non sit niger in ea*. Vero tamen propius reputaremus, amovendam esse hic negationem; nigricans enim coma naturalis est in ea regione, & bonam valetudinem indicat; vicissim autem albescens vel flavescens color indicium est lepræ. Ad hæc, in proxime subsequenti versiculo exprimit Textus: *Si capillus sui coloris est* (nigri, neque per septem dies inclusionis mutatus est) &c. Quod insinuat, nigram fuisse comam, antequam homo affectus morbo includeretur. Septuaginta usurparunt *Sebar Sichor* versiculi 31. veluti designans θρὶξ ξανθίζουσα, *flavum pilum*, & ceu synonimum שער צהב *Sebar Zahob* versiculi 32. sed a Doctoribus illis in significatione utriusque vocis recedunt Grammatici Hebræi. Constat, legisse illos, sicut & cæteros omnes Interpretes, negationem in Textu. Ita vero exponi posse Hebræum, intactis omnibus, censemus (7). Sedulo distinguendum est inter pilos rubros prorsus, vel flavos, & nigros penitus. Est enim castaneus dilutus, flavescens color, degenerans in flavum, indicium valetudinis & roboris declinantis, in iis, quibus data est a natura nigricans coma. Illud igitur exprimit facile Textus, nimirum siqua macula porriginis in alicujus capite deprehendatur, & lepræ suspicionem induxerit nigra olim coma, degenerans postea in castaneum & flavum; tunc utique hominem illum recludi oportere a Sacerdote septem diebus: iis elapsis, si nativum colorem penitus non exuerit coma, ut inficiatur flavo vel rubro, tum radetur, claudeturque iterum æger ad alios septem dies.

℣. 38. Vir sive mulier, in cujus cute candor apparuerit. Hebræus: *In cujus cute candores lucidi*: cujus tota pellis aspergetur per intervalla albis & lucentibus maculis. Agit Celsus libro v. de maculis id generis, afficientibus cutem, & præferentibus subalbum quid, inæqualibus, & veluti guttis huc illuc dispersis.

℣. 39. Sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi. Vertunt plerique Hebræum בהק הוא *pustula est*. Vatablus: *Vitiligo est*; alii *lentigo*, rubor maculosus. Syriacus: *Lepra rubra est*. Septuaginta: Ἀλφός ἐστιν, *Alba* [lepra] *est*. De scabie hujus generis, sub nomine *albæ*, sermonem habet Celsus. Hanc autem descripsimus in versiculo præcedenti.

℣. 42. In calvitio sive in recalvatione. Recalvatio ad literæ rigorem exprimit calvum sinciput, calvitium vero exprimit calvitiem nullis adstrictam limitibus.

℣. 45. Habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum. Damus hic conjecturas aliquas in hunc versiculum, quem nondum satis accurate expositum suspicamur. Leprosus Sacerdotali judicio damnatus insignia omnia assumit hominis luctum agentis: vestes scindit, inducia calvitium, barbam negligit. Primum quod asseruimus, nihil præfert difficultatis: *Habebit vestimenta dissuta*, vel *dilacerata*. Mos lacerandi vestes in luctibus, prodit sese undique in Scriptura. Quod attinet ad secundum: *Caput nudum*; siquis consulat capita xvi. & xxi. 5. 10. Levitici, intelliget, poni interdum in Scriptura *nudare caput* pro comam cædere, maxime in luctibus. Tandem

(1) Cornel. Cels. l. 5. c. 28. § 17. (2) שאת לבנה או בהרת לבנה אדמדמת (3) המכות בהרת לבנה אדמדמת או לבנת (4) Αὐγάζον τηλαυγὲς λευκὸν, ὑποπυρρίζον, ἢ ἔκλευκον. (5) בהפך שער לבן בבהרת Septuag. Αὐγάζον, Lucens. Sym. Τηλαύγημα, Fulgor. (6) ושער שחר אין בו (7) ℣. 31. *Si viderit Sacerdos maculam porriginis* [נגע הנתק], *& ecce non videtur depressior pelle reliqua, & pilus niger non est in ea, recludet eum Sacerdos*. . . . [32.] *& videbit eum die septimo: & ecce non crevit porrigo, & non est in eo pilus rufus vel flavus*.

dem apud Hebræos nulla in labiis permittebatur barba, nec in genis, sed tantum in mento inferiori, & secundum mandibulam inferiorem, addito barbæ flocco sub naribus. Vicissim autem in luctibus labii superioris barba negligebatur, inferioris præcidebatur. Demonstrant id scripturæ exempla quædam, ut illud (1) de Miphiboseth filio Saulis, qui processisse dicitur David coram *intonsa barba*: Hebræus ad literam: *Et non raserat mystacem suam*, vel barbam in superiori labio. Isaias xv. 2. oracula in Moab fundens, *In capitibus ejus*, ait, *calvitium*, & *omnis barba radetur*; in rebus scilicet afflictis agentes luctum. Eodem more utebantur Hebræi, cum aliquid lugerent, ut sexcentis probaretur (2). Tandem obvolvebatur aliqua re caput, & velabatur os, cum pariter luctus ingravesceret, Ezechiel in rem præsentem disertissime capite xxiv. 17. 22. *Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies . . . nec amicta ora velabis*. Michæas iii. 7. *Confundentur Divini, & operient omnes vultus suos*. Aman mœrore & pudore suffusus, quod jubente Rege deducere cum honore Mardochæum coactus fuisset, *Festinavit ire in domum lugens, & operto capite*. Esth. vi. 12. Vide & Leviticum x. 6.

Ut ad leprosos regrediamur; imperat illis Moyses; ut capitis comam radant, os veste contegant; vel, ut Hebræus ad literam, *mystacem*, seu labrum superius, *involvant*. Quibus forte designatur, neutiquam leproso præcidendam esse superioris labii barbam, quemadmodum volgo obtinebat apud Hebræos, uti supra animadvertimus. Insignia hæc omnia luctus eo spectabant, ut leprosus tamquam homo aliquis pollutus haberetur, quocum detinere commercium extra piaculum nemo permittebatur. Apud Persas (3) leprosi ne ingressum quidem in urbes, nec cum cæteris commercium habebant liberum. Si quis advena hospitio exceptus fuisset a leproso, foras ille statim a regione agebatur.

Contaminatum ac sordidum se clamabit. Hebræus טמא טמא יקרא *Clamabit: Immundus, immundus*. Ita Chaldæus textum originalem exponit: *Clamabit Impurus, Impurus*. Septuaginta: *Et immundus vocabitur*.

℣. 46. Solus habitabit extra castra. Vel solitarius scilicet, vel cum aliis leprosis segregatus extra castra (4). Vide nostram Dissertationem in Lepram.

℣. 47. Vestis lanea sive linea quæ lepram habuerit. Vide quæ de hoc lepræ genere philosophati sumus in citata Dissertatione de lepra.

℣. 48. In stamine atque subtegmine. Stamina sunt filamenta recta, quæque illa secant ope radii ultro citroque ducti, subtegmina appellantur. Olim telas vel pannos conficiendi instrumenta, alia, quam nunc, ratione parabantur. Stantes texebant artifices, & stamina sursum deorsum ducebantur, ut in texendis aulæis. Vide quæ contulimus ad Exodi xxviii. 32. Hebræus addit vestes lineas vel laneas.

℣. 49. Si alba vel rufa macula fuerit, infecta lepra reputabitur. Hebræus (5), & Septuaginta (6): *Si macula fuerit virescens, vel rubescens*. Indicium lepræ in vestibus præbent maculæ subrubræ vel subvirides, quæ infectum pannum, ipsumque non sine discrimine pro veste adhiberi docent, ne scilicet panni vitio inficiatur & corpus. Aulæa quædam sunt apud nostros Gallos, quæ vermibus obnoxia sunt maxime: id autem deputant vitio lanæ non probe ductæ.

℣. 51. Pollutum judicabit vestimentum, et omne, in quo fuerit inventa. Repetit hic Hebræus superiora illa: *In vestibus, in stamine, atque subtegmine, in pellibus, in omni, quod fit ex pelle*: quæ pariter recurrunt in versiculis 53. 56. 57. 59. in Hebræo, & Versionibus ad literam ex illo expressis.

Lepra perseverans est. Septuaginta: Λέπρα ἔμμονος, *Lepra permanens*. Reddunt nonnulli Hebræum צרעת ממארת *lepra dolorosa*, alii: *Lepra renovata*. Onkelos: *Lepra subrubra*. Jonathan: *Lepra simplex*. Scholiastes: Φιλόνεικος, *pervicax*. Ita & Samaritanus. Alius: Ξενίζουσα, *rarescens*.

℣. 55. Et cum viderit faciem quidem pristinam non reversam. Contrarium præfert Hebræus (7): *Et ecce non vertit tactus colorem suum, & tactus non se diffudit*.

Eo quod infusa sit in superficie vestimenti vel per totum lepra. Hebræus Textus (8) varie redditur. Septuaginta vertunt (9): *Lepra fixit se in vestimento, vel in stamine, vel in subtegmine*. Onkelos: *Corrosio est, in vetustate sua, vel in novitate sua*. Jonathan: *Eo quod lepra sit profunda in glabritie ejus, vel in villositate ejus*. Arabs. *Est pernicies in rasa, vel in recta [panni] illius superficie*. Textus ad literam, juxta Interpretes plures (10), designat portionem illam, quæ calva est penitus, & portionem quæ anterius tantum offert calvitium; idest, pannum, vel qui villo suo penitus destitutus est, vel qui deseri incipit. Interpretum aliis (11) succurrit, agi hic a Moyse de macula, quæ panni seu pellis intima adeo pervasit, ut in contrariam superficiem prodeat. Commode Textus ita redderetur: Macula vel lepra est in superficie villosa, sive in rasa. Ex hoc autem non male reputaremus, pannos illos rasos fuisse interius, villosos exterius, cujusmodi sunt hodie aulæa e Turcis relata, & panni serici vel lanei, quos *velluros* appellamus, atque alia id generis: vel forte hæc tantum accipienda sunt de pannis subsutis. Reputaverim ego tamen, ferri judicium a Sacerdote de vitio contracto a panno illo, sive a pelle, de vitio, inquam, latente in stamine vel in subtegmine, in aversa vel in exteriori superficie; cum autem infecta pars a reliquo separari non possit, nec forte etiam unde vitium illud provenerit, discerni, ideo totam vestem igne damnari.

℣. 56. Sin autem obscurior fuerit locus. Non male redderetur Hebræus: והנה כהה הנגע *& tactus non crevit*. Vide ℣. 6. ubi excussimus significationem Hebræi *cheah*.

℣. 57. Lepra volatilis est et vaga. Septuaginta: Λέπρα ἐξανθοῦσα, *Lepra efflorescens est: in igni comburetur id, in quo est tactus*. Reddi posset Hebræus פרחת הוא *Lepra est renascens*, regrediens, radicata; Chaldæus: *Multiplicata*. Hoc caput maxime illustrat Dissertatio nostra de lepra: de versiculo autem hoc vide ℣. 12.

(1) 2. Reg. xix. 24. (2) Jerem. xli. 5. *Rasa barba, & scissis vestibus*. Vide & xlviii. 37. (3) Herodot. l. 2. c. 138. (4) Vide 4. Reg. vii. 3. 8. (5) הנגע ירקרק או אדמדם (6) Ἠ ἐὰν χλωρίζουσα ἢ πυῤῥίζουσα. (7) לא הפך הנגע את עינו והנגע לא פשה (8) פחתת הוא בקרחתו או בגבחתו (9) Ἐστήρικται ἐν τῷ ἱματίῳ, ἢ ἐν τῷ στήμονι, ἢ ἐν τῇ κρόκῃ. (10) Montan. Pagnin. Munst. Fag. (11) Rabb. Salom. in Munst. Boch. Malv.

CAPUT XIV.

Leges pro leproforum purificatione. Lepra domorum. Modus eam dignoscendi, atque purificandi.

℣ 1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Hic est ritus leprosi, quando mundandus est: Adducetur ad sacerdotem: 3. Qui egressus de castris, cum invenerit lepram esse mundatam, 4. Præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se, quibus vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyssopum. 5. Et unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes; 6. Alium autem vivum cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati, 7. Quo asperget illum, qui mundandus est, septies, ut jure purgetur: & dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet. 8. Cumque laverit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, & lavabitur aqua: purificatusque ingredietur castra, ita dumtaxat, ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus, 9. Et die septimo radet capillos capitis, barbamque, & supercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus, & corpore, 10. Die octavo assumet duos agnos immaculatos, & ovem anniculam absque macula, & tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextarium. 11. Cumque sacerdos purificans hominem, statuerit eum, & hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonii; 12. Tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleique sextarium: & oblatis ante Dominum omnibus, 13. Immolabit agnum, ubi solet immolari hostia pro peccato, & holocaustum, id est, in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia: Sancta sanctorum est: 14. Assumensque sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ ejus, qui mundatur, & super pollices manus dextræ, & pedis: 15. Et de olei sextario mittet in manum suam sinistram, 16. Tingetque digitum dextrum in eo, & asperget coram Domino septies. 17. Quod autem reliquum est olei in læva manu, fundet super extremum auriculæ dextræ ejus, qui mundatur, & super pollices manus, ac pedis dextri, & super sanguinem, qui effusus est pro delicto. 18. Et super caput ejus. 19. Rogabitque pro eo coram Domino, & faciet sacrificium pro peccato: tunc immolabit holocaustum. 20. Et ponet illud in altari cum libamentis suis, & homo rite mundabitur. 21. Quod si pauper est, & non potest manus ejus invenire, quæ dicta sunt, pro delicto assumet agnum ad oblationem, ut roget pro eo sacerdos, decimamque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium, & olei sextarium, 22. Duosque turtures sive duos pullos columbæ: quorum unus sit pro peccato, & alter in holocaustum: 23. Offeretque ea die octavo purificationis suæ sacerdoti, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino. 24. Qui suscipiens agnum pro delicto, & sextarium olei, levabit simul: 25. Immolatoque agno, de sanguine ejus ponet super extremum auriculæ dextræ illius, qui mundatur, & super pollices manus ejus, ac pedis dextri: 26. Olei vero partem mittet in manum suam sinistram, 27. In quo tingens digitum dextræ manus asperget septies coram Domino: 28. Tangetque extremum dextræ auriculæ illius, qui mundatur, & pollices manus, ac pedis dextri, in loco sanguinis, qui effusus est pro delicto: 29. Reliquam autem partem olei, quæ est in sinistra manu, mittet super caput purificati, ut placet pro eo Dominum: 30. Et turturem, sive pullum columbæ offeret, 31. Unum pro delicto, & alterum in holocaustum cum libamentis suis. 32. Hoc est sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem sui. 33. Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens: 34. Cum ingressi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus, 35. Ibit, cujus est domus, nuntians sacerdoti, & dicet: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea. 36. At ille præcipiet, ut efferant universa de domo, priusquam ingrediatur eam, & videat, utrum leprosa sit, ne immunda fiant omnia, quæ in domo sunt. Intrabitque postea, ut consideret lepram domus: 37. Et cum viderit in parietibus illius quasi valliculas pallore, sive rubore deformes, & humiliores superficie reliqua, 38. Egredietur ostium domus, & statim claudet illam septem diebus. 39. Reversusque die septimo, considerabit eam, si invenerit crevisse lepram, 40. Jubebit erui lapides, in quibus lepra est, & projici eos extra civitatem

in

in locum immundum: 41. Domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, & spargi pulverem rasuræ extra urbem in locum immundum, 42. Lapidesque alios reponi pro his, qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum. 43. Sin autem postquam eruti fuere lapides, & pulvis erasus, & alia terra lita, 44. Ingressus sacerdos viderit reversam lepram, & parietes respersos maculis, lepra est perseverans, & immunda domus: 45. Quam statim destruent, & lapides ejus, ac ligna, atque universum pulverem projicient extra oppidum in locum immundum. 46. Qui intra erit domum, quando clausa est, immundus erit usque ad vesperum: 47. Et qui dormierit in ea, & comederit quippiam, lavabit vestimenta sua. 48. Quod si introiens sacerdos viderit lepram non crevisse in domo, postquam denuo lita fuerit, purificabit eam reddita sanitate. 49. Et in purificationem ejus sumet duos passeres, lignumque cedrinum, & vermiculum, atque hyssopum: 50. Et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas, 51. Tollet lignum cedrinum, & hyssopum, & coccum, & passerem vivum, & tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, & asperget domum septies, 52. Purificabitque eam tam in sanguine passeris, quam in aquis viventibus, & in passere vivo, lignoque cedrino, & hyssopo, atque vermiculo: 53. Cumque dimiserit passerem avolare in agrum libere, orabit pro domo, & jure mundabitur. 54. Ista est lex omnis lepræ, & percussuræ, 55. Lepræ vestium, & domorum, 56. Cicatricis, & erumpentium papularum, lucentis maculæ, & in varias species, coloribus immutatis, 57. Ut possit sciri, quo tempore mundum quid, vel immundum sit.

℣. 3. QUI EGRESSUS DE CASTRIS. Valetudini restitutus leprosus non continuo nec privata authoritate sua restituebat se castris. Adibat Sacerdotem, sistebat se illi, & judicium de valetudine sua ab ipso quærebat. Hanc potissimum occupationem habebant Sacerdotes, dum continebant se in atrio, ut studio darent operam. Peritissimus inter illos, ait Grotius, & aptissimus discernendis lepræ ac morborum variis generibus, destinabatur ad examen leprosi. Præscriptum hic sacrificium complebatur extra castra.

℣. 4. PRÆCIPIET EI QUI PURIFICATUR, UT OFFERAT DUOS PASSERES VIVOS PRO SE, QUIBUS VESCI LICITUM EST. Hebræus: *Et præcipiet Sacerdos, & accipiet purificanti se duos passeres vivos mundos*. Insinuare videtur non obscure Textus, ipsum manibus suis leprosum ad nutum Sacerdotis accepisse aviculas illas, & immolasse in sacrificium. Hunc sensum determinat ℣. 5. *Unum ex passeribus immolari jubebit* (a leproso Sacerdos) *in vase fictili*. Sed aspersiones in eum, qui expiandus erat, ab ipso Sacerdote fieri habes ℣. 7. Reputant nonnulli, geminos in tota hac cæremonia intercessisse Sacerdotes; alterum, qui de qualitate lepræ judicium ferebat, imperabatque omnia, quæ ad lustrationem essent necessaria; alterum vero, qui jussiones illius executioni mandans, sacrificium & aspersiones operaretur. His tamen nihil favere Textum arbitror.

Hebræum צפרים *zipporim*, quod vertit S. Hieronymus *passeres*, sonat generatim aves: præscribit autem Scriptura, aviculas hasce puras esse oportere; quod frustra admoneret, siquidem certi generis aves designaret. Verterunt Septuaginta *ὀρνίθια*, *aviculas*, quos duces sequuntur Recentiores plerique (1). Interpres Origenis *homilia* VIII. *in Leviticum*, & Author sub nomine S. Hieronymi impressus, *in Psalmum* CXXXII. ℣. 2. vertunt duos pullos, *duas gallinas*. Græcum *ὄρνις* sonat vel avem vel gallinam. Cum Moyses in omnibus, quas præscribit, hostiis nonnisi familiaria & communia exigat animalia, a vero utique non abludit, & hic pariter selegisse aves paratu faciles, veluti passeres, vel forte turtures, aut columbas. Vix fieri potuisset, ut silvestres aves, & vivæ semper essent in promptu.

LIGNUM VERMICULUMQUE, ET HYSSOPUM. Hebræus: *Cedri lignum*, ושני תולעת, *& coccum bis coctum, & hyssopum*. Septuaginta: Κεκλωσμένον κόκκινον, *coccum tortum*. Theodotion: Κόκκινον ἀλλοιωμένον, *coccum tinctum*. Symmachus: Δίβαφον κόκκινον, *coccum bis tinctum*. Aquila: Διβάφημα σκώληκος. Colligebantur hæc omnia in fasciculum: duo ramusculi, e cedro nempe & hyssopo colligabantur vitta coccinea; alligabatur fasciculo etiam avicula; ita tamen ut collum haberet respondentem manubrio, & caudam alasque oppositas. Quare cum aqua fasciculus immergebatur, humore pariter madebant cauda aviculæ & alæ, non caput, quippe quæ restituenda erat demum in libertatem. Hujus etiam rei gratia cavendum erat, ne alæ ita humore gravarentur, ut cum avicula illa dimitteretur, impar esset volando (2)

℣. 5. UNUM EX PASSERIBUS IMMOLARI JUBEBIT IN VASE FICTILI SUPER AQUAS VIVENTES. Implebatur vas aqua fontana, vel ex scaturigine, quæ hic appellatur aqua vivens, ut opposita aquis cisternæ vel pluvialibus; aquæ huic affundebatur fluens e vulnere alterius aviculæ sanguis. Porro sanguis unius aviculæ impar fuisset, ut perfunderet alteram avem; quare sanguini miscenda erat aqua, atque ita paratus liquor satis erat ad aspersiones. Menochius, & Bonfrerius contendunt, nullum hic sacrificium intercessisse, cum res tota ageretur extra castra, & longe ab altari.

Sed cur Sacerdotis ministerium exigitur? cur aspersiones e sanguine immolatæ aviculæ? Spectare licet apud Veteres ritus quosdam, similitudine plurima ad Mosaicos hosce accedentes. Cononem accusat Demosthenes (3) eo nomine, quod ceperit, voraveritque aves ad lustrationes destinatas. Quod attinet ad aves libertati restitutas extra castra, ad Levitici XV. 8. adnotabimus, a vetustissima ætate obtinuisse apud Paganos, ut animalia libertati permitterentur in honorem Numinum. Paganus quidam Cæsareæ in Palæstina, Judæis insultaturus, teste Josepho (4), aves immolavit super obversam lagenam præ foribus Sy-

(1) Vide Boch. de animal. sacr. tom. 2. lib. 1. c. 22. (2) Menoch. Lyran. Tirin. (3) Demost. orat. contra Conon. Τὰς ὄρνεις τὰς ἐκ τῶν χοίρων, οἷς καθαίρουσιν, ὅταν εἰσιέναι μέλλωσι. (4) Joseph. lib. 2. de Bello, c. 14. in Gr. p. 799. Στήσας τις χυτρεοῦν γάστραν καταστρέψας, παρὰ τὴν εἴσοδον αὐτῶν θύματι ἐπιθύειν ὄρνεις.

Synagogæ, quo Judæi omnes die Sabbati convenerant.

At enim quibus potissimum de causis imperata sunt Sacrificia ad expiandum involuntarium adeo vitium, ac remotum adeo a culpa incommodum, ut lepram? Hebræorum quidam (1) defendunt, latens aliquod delictum præsumi in leproso; nullum enim morbum a peccato nnn induci reputant. Quin & alii asserunt, lepram esse communem pœnam maledici, vel superbi. Sunt qui lepram perinde respiciant, ac perniciosum & contagiosum morbum, cujus ut horrorem inspiret Lex, lustrationes hasce & expiationes indixerit. Sive enim morbus ille reputetur ceu appendix, & necessaria quædam consecutio intemperantiæ, sive incommodum aliquod proveniens e neglecto corporis cultu ab en, qui morbo laborat; Lex utique jure certas aliquas præscribere potuit pœnas ad expiandum non morbum quidem, sed peccatum ejus, qui morbum contraxit. Quæ tandem idea suberat menti de lepra, tanquam de re aliqua impura & polluta, exigebat, ut ad reparandam irreverentiam a leproso admissam, cum tamdiu steterit in castris & coram Sanctuario, quamdiu morbus succrevisset, exigebat utique, ut victimis quibusdam expiatoriis Domino litaretur.

Ỽ. 7. DIMITTET PASSEREM VIVUM, UT IN AGRUM AVOLET. Veteres olim projiciebant retro post se & trans caput ea, quibus usi fuissent ad lustrationes. Virgilius Ecloga VIII, v. 102.

Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti,
Transque caput jace, ne respexeris.

Metuebant, ne quis transiens super illa graderetur; reputantes, illum, cui grande hoc malum accidisset, in suum caput inducturum pœnam, quam expiatum crimen promerebatur (2).

Ỽ. 8. RADAT OMNES PILOS CORPORIS. Solemne erat Sacerdotibus Ægyptiis, ut toto corpore singulis recurrentibus triduis raderentur, ne quid maculæ contraherent e sordibus illis, quæ forte sub pilis corporis laterent (3).

MANEAT EXTRA TABERNACULUM; ne forte e lepra residuum aliquod maneret, quo morbus induceretur in familiam. Solidis septem diebus abstinebat ab uxore (4).

Ỽ. 10. TRES DECIMAS SIMILÆ. Hebræus: *Duos assarones*. Capiebat assaron decimam partem ephi; tres scilicet pintas Parisienses, paulo minùs. Alio nnmine *gomer* appellatur.

OLEI SEXTARIUM. Hebræus: *Olei log*. Non incongrue suspicaremur, Latinum *lagenam* derivari ex Hebræo *log*. Græci legunt *lagunos*, vel *lagenos*. Capiebat *log* semisextarium, pintæ partem octavam, pollicem cubicum, & aliquanto amplius. Septuaginta: *Cotylam*.

Ỽ. 13. UBI SOLET IMMOLARI HOSTIA PRO PECCATO. Ad latus sinistrum, vel ad septemtrionem (5) Altaris holocaustorum. Hæc hostia pro delicto distinguebatur ab altera pro peccato, de qua Ỽ. 19.

SANCTA SANCTORUM EST, quam degustare uni Sacerdoti licet.

Ỽ. 14. PONET SUPER EXTREMUM AURICULÆ DEXTRÆ EJUS QUI MUNDATUR. Hujus inducendæ cæremoniæ nnlla suppetebat ratin alia, quam ut revocaretur in memoriam leprosi valetudo recepta, & facile etiam ut ipse alios in ejus rei cognitionem deduceret. Nulla est quidem naturalis proportio inter valetudinem e lepra receptam, & linimentum illud sanguinis in auricula dextera. Rationes mysticæ facile succurrerent; sed alienæ sunt a nostro instituto.

Ỽ. 17. ET SUPER SANGUINEM QUI EFFUSUS EST PRO DELICTO; videlicet super extremum auriculæ dexteræ, & super pollices dexteros pedum & manuum, illitos sanguine victimæ pro delictn. Septuaginta & Syriacus: *Super locum sanguinis peccati*, juxta ea quæ jam exposuimus.

Ỽ. 21. ASSUMET AGNUM AD OBLATIONEM. Hebræus: *Et assumet agnum pro peccato, in agitationem coram Domino, ad expiandum super eum*. De hac cæremonia, agitandi oblationes coram Dominn, alibi actum est.

Ỽ. 24. LEVABIT SIMUL, & offeret motu agitationis coram Domino (6). Hunc sensum determinat Hebræus.

Ỽ. 25. SUPER EXTREMUM AURICULÆ. Chaldæus: *In superiori parte auriculæ*. Alii: *super inferiorem auriculam*. Rabbinorum (7) quidam: *Super cartilaginem*; vel, ut illi loquuntur, super funiculum auris.

Ỽ. 28. Confer hunc versiculum cum Ỽ. 17. eadem enim cæremonia utrnbique.

Ỽ. 30. TURTUREM SIVE PULLUM COLUMBÆ OFFERET. Hebræus: *Offeret unum de turturibus, vel de filiis columbæ, quod attigerit ejus manus*, (Ỽ. 31.) *unum pro peccato* (& non pro delicto ut habet Vulgata) & *alterum in holocaustum*.

Ỽ. 31. CUM LIBAMENTIS SUIS; similæ nempe, placentarum, olei, vini, cum reliquis, quæ appendices sunt hujus sacrificii. Vide caput II.

Ỽ. 34. SI FUERIT PLAGA LEPRÆ IN ÆDIBUS. Vide nostram Dissertatinnem de lepra. Hebræus: *Si dedero tactum lepræ in domo terræ apprehensionis vestræ*. Ex quo inferunt nonnulli, lepram domnrum incommodum esse nnn a natura inductum, sed a Deo vindice in Israelitas prævaricatores (8).

Ỽ. 36. NE IMMUNDA FIANT OMNIA, QUÆ IN DOMO SUNT. Antequam in domum veniret Sacerdns, judiciumque de lepra illius ferret, quæcumque in eo cnntinerentur, omnia habebantur pura: ad impura vero transibant continuo, cum lepra infici domus Sacerdotali juditio pronunciabatur. Volens igitur Moyses incommodo patrisfamilias consulere, si domus illius utensilia omnia rejicierentur ad immunda, præscribit foras efferri illa, antequam limen attingat Sacerdos. Demonstrant hæc nmnia, plus in ea re fuisse præjudicatæ opinionis in populn, quam in re ipsa vitii; si enim pura fnnt omnia ante adventum Sacerdotis, quomodo statim contrahunt vitium, postquam ejus sententia damnata sunt? an ipsam rerum naturam & dotes Sacerdotis judicium transmutat?

Ỽ. 37. VALLICULAS PALLORE SIVE RUBORE DEFORMAS. Notum est, parietes domorum incultarum, si hæ humidæ sint, obnoxios esse situi, ac maculis subviridibus & rufis. Quo pariter in loco ubi concrescit situs, rimæ apparent quædam in calce exteriora obliniente; quibus auctis cæmentum cadit. Spectare id licet in Templis, vetustisque ædificiis, maculas facile inducunt vermiculi, de quibus actum est in Dissertatione de lepra.

Quas imperat hic Moyses cautiones, in eam nos ducunt persuasionem, periculosam fuisse id generis lepram in vestibus, utensilibus, & corporibus, ne forte in ferventibus illis regionibus late omnia inficerentur hisce vermiculis, ex quibus virus diffunderetur per totam familiam, & sensim per urbem. Idcirco præscribit, eos, qui in iis domibus cubaverint, seu cibos cœperint, lavare vestes, domum vero penitus aboleri; cujus eversæ rudera efferantur extra urbem, si purgandi loci nulla alia suppetat ratin.

Ỽ. 53. ORABIT PRO DOMO, ET JURE MUNDABITUR. Præscriptæ ea occasinne preces nihil aliud esse poterant, quam Dei laudes, seu infinitæ ejus sanctitatis prædicatio, vel saltem criminum ab homi-

---

(1) Abarbanel hic. Vide & Grot. (2) Vide Aulum Gell. l. x. cap. 15. & Ovid. Metamorph. l. 15. v. 954. (3) Herodot. l. 2. cap. 37. (4) Rabb. Salom. in Lyran. (5) Levit. 1. 11. *Ad latus Altaris, quod respicit Aquilonem*. (6) הניף אותם תנופה לפני יהוה Septuag. Ἐπιθήσει, *Imponet*. Alius: Ἀφοριεῖ, *Separabit*. (7) Jonathan. Rab. Salom. (8) Multi ex Rabb. Vide Theodoret. in Levit. qu. 15.

minibus generatim patratorum confessio; neque enim per se domus impuri aliquid contrahere poterat coram Deo, quod precibus expiandum esset.

℣. 54. ISTA EST LEX OMNIS LEPRÆ ET PERCUSSURÆ. Hebræus (1): *Omni tactui lepræ, & scabiei capitis*. Vel potius: Ista est lex decernens de lepra, & incommodis, quæ ex ulceribus, vulneribus, plagisque consequuntur (2).

℣. 56. CICATRICIS, ET ERUMPENTIUM PAPULARUM, LUCENTIS MACULÆ. Reddi posset Hebræus (3): *Tumorum, scabiei, & lucentis maculæ*. Reddunt alii: *Maculæ, tetiginis, & pellis lucentis*. Eædem recurrunt voces, quæ supra expositæ sunt ad Caput XIII. 2.

℣. 57. UT POSSIT SCIRI QUO TEMPORE MUNDUM QUID, VEL IMMUNDUM SIT. Hebræus: *Ad docendum quo die immundum, & quo die mundum*. Certum diem designat Textus.

---

(1) זאת התורה לכל נגע הצרעת ולנתק לשאת ולספחת ולבהרת׃

(2) Septuag. Κατὰ πάσης ἁφῆς λέπρας καὶ θραύσματος.

C A P U T XV.

1 *Leges pro maculis spontaneis, vel invite contractis a maribus & feminis.*

℣. 1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens: 2. Loquimini filiis
Israel, & dicite eis: Vir, qui patitur fluxum seminis, immundus erit,
3. Et tunc judicabitur huic vitio subjacere, cum per singula momenta adhæserit carni
ejus, atque concreverit fœdus humor. 4. Omne stratum, in quo dormierit, immun-
dum erit, & ubicumque sederit. 5. Si quis hominum tetigerit lectum ejus, lavabit
vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. 6. Si sederit,
ubi ille sedebat, & ipse lavabit vestimenta sua: & lotus aqua, immundus erit usque ad
vesperum. 7. Qui tetigerit carnem ejus, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua,
immundus erit usque ad vesperum. 8. Si salivam hujuscemodi homo jecerit super
eum, qui mundus est, lavabit vestimenta sua, & lotus aqua, immundus erit usque
ad vesperum. 9. Sagma, super quo sederit, immundum erit; 10. Et quidquid sub
eo fuerit, qui fluxum seminis patitur, pollutum erit usque ad vesperum. Qui portave-
rit horum aliquid; lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad
vesperum. 11. Omnis, quem tetigerit qui talis est, non lotis ante manibus, lavabit
vestimenta sua: & lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. 12. Vas fictile,
quod tetigerit, confringetur: vas autem ligneum lavabit aqua. 13. Si sanatus fue-
rit, qui hujuscemodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui,
& lotis vestibus & toto corpore in aquis viventibus, erit mundus. 14. Die autem octa-
vo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ: & veniet in conspectum Domini
ad ostium tabernaculi testimonii, dabitque eos sacerdoti: 15. Qui faciet unum pro
peccato, & alterum in holocaustum: rogabitque pro eo coram Domino, ut emunde-
tur a fluxu seminis sui. 16. Vir, de quo egreditur semen coitus, lavabit aqua omne
corpus suum: & immundus erit usque ad vesperum. 17. Vestem, & pellem, quam
habuerit, lavabit aqua, & immunda erit usque ad vesperum. 18. Mulier, cum qua
coierit, lavabitur aqua, & immunda erit usque ad vesperum. 19. Mulier, quæ re-
deunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur. 20. Omnis, qui
tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperum: 21. Et in quo dormierit, vel se-
derit diebus separationis suæ, polluetur. 22. Qui tetigerit lectum ejus, lavabit ve-
stimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. 23. Omne vas,
super quo illa sederit, quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua,
pollutus erit usque ad vesperum. 24. Si coierit cum ea vir tempore sanguinis men-
strualis, immundus erit septem diebus: & omne stratum, in quo dormierit, pollue-
tur. 25. Mulier, quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempore men-
struali; vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quamdiu subjacet huic
passioni, immunda erit, quasi sit in tempore menstruo. 26. Omne stratum, in quo
dormierit, & vas in quo sederit, pollutum erit. 27. Quicumque tetigerit ea, lava-
bit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum. 28. Si
steterit sanguis, & fluere cessaverit, numerabit septem dies purificationis suæ: 29. Et
die octavo offeret pro se sacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum, ad
ostium Tabernaculi Testimonii: 30. Qui unum faciet pro peccato, & alterum in

holocaustum, rogabitque pro eo coram Domino, & pro fluxu immunditiæ ejus. 31. Docebitis ergo filios Israel, ut caveant immunditiam, & non moriantur in sordibus suis, cum polluerint Tabernaculum meum, quod est inter eos. 32. Ista est lex ejus, qui patitur fluxum seminis, & qui polluitur coitu; 33. Et quæ menstruis temporibus separatur, vel quæ jugi fluit sanguine; & hominis, qui dormierit cum ea.

℣. 2. VIR QUI PATITUR FLUXUM SEMINIS. Incommodum est permanens, quod inviti prorsus patimur, aliud plane ab altero temporaneo, quod invitis pariter accidit, ab alia tamen prorsus causa quam a morbo inducto. Vitiat id quidem hominem, sed exteriori tantum macula: nobis autem ad sensum demonstrat, quantum puritati intimæ sinceræque studere jubeat Deus famulos suos, & genuinos Israelitas.

℣. 3. CUM PER SINGULA MOMENTA ADHÆSERIT CARNI EJUS, ATQUE CONCREVERIT FOEDUS HUMOR. Discrepar ab his plane Hebræus (1): *Et hæc erit impuritas ejus in fluxu ejus. Dum fluit caro ejus fluxum suum, aut cum cessaverit caro ejus a fluxu suo* (ad literam: *Cum obsignata est caro ejus a fluxu suo*) *impurus est*. Impurus scilicet erit, non solum eo perseverante vitio, sed aliquanto etiam post illud depulsum. Fusior, quamquam in eumdem sensum collimans, est Samaritanus: *Hæc autem erit immunditia ejus in fluxu ejus: despumat caro ejus fluxum suum, aut cohibita est caro ejus a fluxu suo, immundus est omnibus diebus, quibus fluit caro ejus, aut cohibita est caro ejus a fluxu suo. Immunditia ejus hæc est*. Variant inter se Exemplaria Septuaginta in hoc versiculo recitando. Quod in Vulgata exprimitur, *singula momenta*, nihil habet sibi respondens in Hebræo nostræ ætatis; sed aliquid simile ferunt Septuaginta Romanæ Editionis, & Samaritanus: *Carni ejus*, idest *pudendis*. Caro in hunc ipsum sensum usurpatur non semel; e. g. in Ezechiele xxiii. 20. Nec ea loquendi phrasis inaudita est profanis.

℣. 4. UBICUMQUE SEDERIT. Hebræus, & Septuaginta; *Et omne vas, quo sederit super eo, immundum erit*. Interpretum nonnulli censent, incommoda quæ hic Moyses innuit, communia fuisse & periculosa in Syria. Id quidem asseruit Grotius, sed non probavit. Constat utique, in ea fuisse persuasione Ægyptios, quæ per noctem accidunt incommoda, hæc, sive spontanea fuerint, sive acciderint invitis, hominem efficere impurum. Cum ejusmodi quippiam obrepsisset Sacerdotibus illorum, toto corpore frigida lavabant (2).

Non dissimili utebantur more Latini (3); affirmatque Herodotus, ex Ægyptiis præjudicia illa communicata fuisse Græcis (4).

Nulla nos cogit necessitas fateri, incommoda hæc periculosa fuisse, & contagione diffundenda. Condendi leges ejusmodi genuinam rationem assignat Moyses ℣. 31. scribens, Deum id cavere, ne populus religionem Templi sui maculis illis violet. Quasi scilicet id innuens, cum populum illum universum perinde haberet ac e familia sua domesticos, famulos, & Sacerdotes, contineretque illos in castris, velut in loco Tabernaculi sui, imo & sui ipsius præsentia consecrato; idcirco ex illis exigere se accuratiorem sanctimoniam, cui vel etiam non voluntariæ maculæ sine debita lustratione officerent; perinde ac maculæ illæ criminis inferrent aliquid contra debitum majestati Divinæ obsequium. Cum illud intellexerimus, voluisse Deum ut populus ita se gereret coram Numine, quemadmodum Sacerdotes in Templo, grave nihil in hisce legibus offendemus.

℣. 7. QUI TETIGERIT CARNEM EJUS, LAVABIT VESTIMENTA SUA. Qui nudum ejus corpus tetigerit, quocumque tandem in loco, eluat contractam maculam, totum se cum vestibus abluens. Quæcumque tangebat homo gonorrhæa laborans, illa maculam contrahebant, iis tantum vel rebus vel hominibus exceptis, quos ille post lotas manus suas contigisset, juxta exceptionem appositam ℣. 11.

℣. 8. SI SALIVAM HUJUSCEMODI HOMO JECERIT SUPER EUM QUI MUNDUS EST. Cum nulla decreta sit pœna in eum, qui vitio laborans expuisset in hominem purum, reputandum est, hic sermonem esse de re ab imprudente commissa, cum scilicet eo excreante, casu e saliva ejus aliquid alterum contingeret.

℣. 9. SAGMA SUPER QUO SEDERIT. Reddi potest Hebræus: כל המרכב *Omnis equitatura*, currus omnis vel vehiculum, *quam equitaverit*. Vox *ἐπίσαγμα epísagma*, qua usi sunt Septuaginta, exprimit id totum, quod jumento imponitur, sive jumentum illud equus sit, vel asinus, vel camelus.

℣. 10. QUIDQUID SUB EO FUERIT. Hebræus & LXX. *Omnis tangens omne quod fuerit subter eum*.

℣. 12. VAS FICTILE, QUOD TETIGERIT, CONFRINGETUR, VAS AUTEM LIGNEUM LAVABITUR AQUA. Addunt Septuaginta: *Et mundum erit*. Syriacus, & Theodotion habent hic *vas æneum*, quod deest in Hebræo. Reputaverim ego, frangi nequaquam oportuisse vas fictile, quo utebatur ille toto incommodi sui tempore; sed neminem alium uti eo potuisse, frangendumque statim ac ille convaluisset.

℣. 13. NUMERABIT SEPTEM DIES POST EMUNDATIONEM SUI. Septem dierum experimento probabit, utrum revera convaluerit; ea ferme ratione ac leprosus, qui detinebatur septem diebus post receptam valetudinem, ne in tentorium suum ingrederetur. Vide caput xiv. 8.

℣. 15. ROGABIT PRO EO UT EMUNDETUR A FLUXU SEMINIS SUI. Hebræus: *Expiabit super eum Sacerdos coram Domino a fluxu ejus*. Impetrabit a Deo, ut veniam illi concedat pro erratis commissis tempore legalis immunditiæ, concedatque, ut admittatur ad rerum sacrarum participationem.

℣. 16. VIR DE QUO EGREDITUR SEMEN COITUS. Quæ sentitur affinitas inter hunc Textum cum versiculo 18. in eam persuasionem nos inducit, accipi hæc oportere de usu connubii, quo contrahebatur macula legalis, non quidem removens hominem ab officiis communibus vitæ, sed ab usu rerum sacrarum. In atrium Tabernaculi pedem inferre, nisi prius lotus, interdicebatur. Plures (5) Textum accipiunt de macula ab imprudente contracta inter dormiendum; usum autem matrimonii agnoscunt in ℣. 18. non enim Moyses hic omisisse credendus est primum illud maculæ legalis genus, cujus meminit non obscure in Deuteronomio (6). Cum vero ejusmodi crimen sponte admittebatur, & data opera, inter homicidii sce-

(1) וזאת תהיה טמאתו בזובו רר בשרו את זובו או החתים בשרו מזובו טמאתו הוא. Aqu. Ἐσφραγίσθη. Ita & Theodot. sed Sym Πεπηγυίας. (2) Porphyr. de abstin. l. 4. §. 7. 8. Εἰ δὲ ποτε ὀνειρώξεις καὶ ὀνειρογμοὺς ἐπεφεύγεσαν ἐπεκαθήρατο λουτρῷ τὸ σῶμα. (3) Pers. Sat. 2.

Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.

Tibull. l. 2. Eleg. 1. Plaut. Aulul. act. 3. scen. 6. (4) Herodot. l. 2. Μηδὲ ἀλοῦσαι ἀπὸ γυναικῶν ἐς ἱρὰ ἐσιέναι. (5) Munster. Pisc. Fag. Ainsw. Hebr. in Oleast. (6) Deut. xxiii. 10. *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra.*

ſcelera recenſant Doctores Hebræi. Vida Geneſis xxxviii. 9. 10.

℣. 18. Mulier lavabitur aqua, et immunda erit. Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta: *Abluent* [ambo] *ſe in aquis, & immundi erunt uſque ad veſperam*. Jam ſupre ad ℣. 16. animadverſum eſt, Textum hunc accipi oportere de uſu connubii. In his vitiorum generibus perſimilem Moſaicæ diſciplinam ſervabant olim Profani. Vide quæ de Babyloniis, & Arabibus narrat Herodotus (1).

℣. 19. Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis. Nec in Hebræo, nec in Verſionibus legas illud, *redeunte menſe*. E Scriptoribus rei naturalis (2) intelligimus, perſuaſum habuiſſe Veteres, fluxum illum menſtruum in fœminis virus fuiſſe maxime contagioſum; quibus tamen non aſſentiuntur Medici recentiores.

℣. 24. Si coierit. Ante hæc verba legitur in Hebræo, Septuaginta, aliiſque Verſionibus: *Si autem dum ea in lecto eſt, vel in vaſe in quo ſederit ſuper illud, tangente eo illam; immundus erit uſque in veſperam*. Hominem, qui menſtruatam cognoverit, morte damnat lex; damnat & fœminam [cap. xx. 18.] Hic tamen Moyſes non condemnat virum, niſi ut ſeptem diebus immundus perſeveret. Quare verba hic ejus exponamus oportet de illo, qui imprudens vitiatam fœminam agnoverit; vel hæc ſervari tantum credamus, quoadusque crimen ejus occultum fuerit; neque enim mortis incurrebant pœnam, niſi qui die ſibi dicta in judicio criminis convincebantur. Integrum erat fœminæ virum accuſare eo nomine, quod menſtruatam quamvis ſciret, adhuc tamen ad ſe accedere auſus eſſet.

℣. 28. Si steterit sanguis, numerabit septem dies purificationis suæ [℣. 29.] Et die octava offeret pro se Sacerdoti duos turtures. Toto eo tempore, quo in incommodo ſuo perſeverabat, ita erat immunda, ut quidquid contingeret, vitiaret; ſed valetudini reſtituta, omnia civilis vitæ officia præſtabat, integris omnibus quæcumque contigiſſet. Adhuc tamen abſtinebat a rebus ſanctis ſeptem eiis diebus; tum præ foribus Tabernaculi ſiſtebat ſeſe, ut hic præſcribitur. Vix fieri poterat, ut leges iſtæ omnes per totam late Chananitidam ſervarentur; ſed in deſerto pronum id erat & facile. Inſinuare videtur ℣. 31. leges haſce tantum fuiſſe latas ad tempus, quo Tabernaculum Domini in caſtris Iſraelis fuit.

℣. 31. Cum polluerint Tabernaculum meum. Ideſt, ſi limen Tabernaculi attigerit macula aliqua fœdatus. Porro ſapientis erat ac ſummi Legiſlatoris, ut ſummum inſpiraret erga res ſanctas obſequium & venerationem: quam in rem nihil valuiſſet magis, quam ut removerentur a Tabernaculo quicumqua legalibus fœdarentur maculis vel sealibus, internis ſeu externis.

[1] Ὁσάκις δ' ἂν μιχθῇ γυναικὶ τῇ ἑωϋτῆ ἀνὴρ Βαβυλώνιος, περὶ θυμίημα καταγιζόμενον ἵζει· ἑτέρωθι δὲ ἡ γυνὴ τὠυτὸ τοῦτο ποιέει. Ὄρθρου δὲ γενομένου, λοῦνται ἀμφότεροι, ἄγγεος γὰρ οὐδενὸς ἅψονται πρὶν ἂν λούσωνται. Ταῦτα δὲ ταῦτα καὶ Ἀράβιοι ποιεῦσι. L. 1. cap. 199. [2] Solin. Polyhiſt. c. 1. Plin. l. 7. c. 15. *Nihil facile reperiatur mulierum profluvio magis monſtrificum. Aceſcunt ſuperventu muſta, ſteriloſcunt tacta fruges; moriuntur inſita; exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus inſedere, decidunt: ſpeculorum fulgor aſpectu ipſo hebetatur: acies ferri perſtringitur, eborisque nitor: alvei apum moriuntur: ac etiam ac ferrum rubigo protinus corripit, odorque dirus: & in rabiem aguntur, guſtato eo, canes, atque inſanabili veneno morſus inficitur: quin & bituminum ſequax alioquin & lenta natura, in lacu Judææ, qui vocatur Aſphaltites, certo anni tempore ſupernatans, nequit ſibi avelli, ad omnem contactum adhærens, præterquam filo, quod tale virus infecerit. Etiam formicis, animali minime, ineſſe ſenſum ejus ferunt: abjicique guſtatas fruges, nec poſtea repeti.*

CAPUT XVI.

Lex pro Feſto expiationis ſolemnis die decima ſeptimi menſis.

℣. 1. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, poſt mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti ſunt. 2. Et præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo ſuper oraculum) 3. Niſi hæc ante fecerit: Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocauſtum. 4. Tunica linea veſtietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti: hæc enim veſtimenta ſunt ſancta: quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur. 5. Suſcipietque ab univerſa multitudine filiorum Iſrael duos hircos pro peccato, & unum arietem in holocauſtum. 6. Cumque obtulerit vitulum, & oraverit pro ſe, & pro domo ſua, 7. Duos hircos ſtare faciet coram Domino in oſtio Tabernaculi Teſtimonii: 8. Mittenſque ſuper utrumque ſortem, unam Domino, & alteram capro emiſſario; 9. Cujus exierit ſors Domino, offeret illum pro peccato: 10. Cujus autem in caprum emiſſarium, ſtatuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces ſuper eo, & emittat eum in ſolitudinem, 11. His rite celebratis, offeret vitulum, & rogans pro ſe, & pro domo ſua, immolabit eum. 12. Aſſumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, ultra velum intrabit in Sancta: 13. Ut poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum, & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium, & non moriatur. 14. Tollet quoque de ſanguine vituli, & aſperget digito ſepties contra propitiatorium ad orientem. 15. Cumque

que mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat e regione oraculi. 16. Et expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, & a prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. Juxta hunc ritum faciet Tabernaculo Testimonii, quod fixum est inter eos, in medio fordium habitationis eorum. 17. Nullus hominum sit in Tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro se, & pro domo sua, & pro universo cœtu Israel, donec egrediatur. 18. Cum autem exierit ad altare, quod coram Domino est, oret pro se; & sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua ejus per gyrum: 19. Aspergensque digito septies, expiet & sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel. 20. Postquam emundaverit Sanctuarium, & Tabernaculum, & Altare, tunc offerat hircum viventem: 21. Et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta, atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum, in desertum. 22 Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto, 23. Revertetur Aaron in Tabernaculum Testimonii, & depositis vestibus, quibus prius indutus erat, cum intraret Sanctuarium, relictisque ibi, 24. Lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestibus suis. Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum, ac plebis, rogabit tam pro se, quam pro populo: 25. Et adipem, qui oblatus est pro peccatis, adolebit super Altare. 26. Ille vero, qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua, & corpus aqua, & sic ingredietur in castra. 27. Vitulum autem, & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in Sanctuarium, ut expiatio compleretur, asportabunt foras castra, & comburent igni tam pelles, quam carnes eorum, ac fimum. 28. Et quicumque combusserit ea, lavabit vestimenta sua, & carnem aqua, & sic ingredietur in castra. 29. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum: Mense septimo, decima die mensis, affligetis animas vestras, nullumque opus facietis, sive indigena, sive advena, qui peregrinatur inter vos. 30. In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris: coram Domino mundabimini. 31. Sabbatum enim requietionis est, & affligetis animas vestras religione perpetua. 32. Expiabit autem sacerdos, qui unctus fuerit, & cujus manus initiatæ sunt, ut sacerdotio fungatur, pro patre suo: indueturque stola linea, & vestibus sanctis, 33. Et expiabit Sanctuarium, & Tabernaculum Testimonii, atque Altare, Sacerdotes quoque, & universum populum. 34. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israel, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur, sicut præceperat Dominus Moysi.

℣. 1. LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN POST MORTEM DUORUM FILIORUM AARON. Hoc animadvertendum censuit Moyses, eo forte consilio, quod cum gemini illi Sacerdotes morte sua crimen expiassent illati temere pedis in Tabernaculum, idcirco Deus Festum Expiationis constituerit pro expiandis id generis peccatis, si quæ forte deinceps committi contingeret. Facile etiam hoc Caput extra suum locum huc translatum est.

QUANDO OFERENTES IGNEM ALIENUM INTERFECTI SUNT. De hoc igne alieno nihil Hebræus: fert enim tantum: *Cum accesserunt ad facies Domini, & mortui sunt*. Sed Chaldæus, & Syriacus Vulgatæ lectionem tuentur.

℣. 2. NE OMNI TEMPORE INGREDIATUR SANCTUARIUM. Pro consueto more Sacerdos pedem intra Sanctuarium non inferebat, nisi semel per annum, nimirum die Expiationis, & cum movenda essent castra, & colligenda vasa. Sed extraordinario more sæpius penetralia illa sancta ingrediebatur, uti cum oraculum consulendum esset: tunc autem dignitatis suæ insignibus omnibus ornatus intro sese insinuabat.

S. Augustinus (1), & post illum Theophylactus (2) autumarunt, Summum Sacerdotem nulla non die intra Sanctuarium se contulisse ad thymiama offerendum; semel vero per annum ad Expiationem solemnem. Maluit Sigonius, quotidie non solitarium, sed comitantibus Sacerdotibus eo venisse; solitarium vero die Expiationis. S. Epiphanius in Lucubratione de duodecim gemmis Rationalis Aaroniei, docet, Summum Sacerdotem Pontificiis ornatum insignibus ter Sanctuarium introisse; in Paschate nempe, Pentecoste, & Festo Tabernaculorum: sed hæc opposita sunt menti cæterorum Interpretum omnium qua Judæorum, qua Christianorum (3).

Afferunt Hebræi, sub priori Templo Pontifices tanta excelluisse pietate & scientia, ut nullo licet docente per se implerent officia omnia muneris sui in cæremonia solemnis Expiationis; cum vero post captivitatem, & sub secundo Templo Pontifices & ingenio, & merito, & virtute a prioribus illis degenerassent, id curabat Sanhedrin, ut Pontifex ille integra hebdomada ante Festum reciperet se in cellam Templi, omnes cæremonias edocendus; in pervigilio autem Festi ne cibi caperet plurimum prohibebatur, metu ne saturo obreperet somnus: neque enim somni quidquam capere nocte diem illam festam præcedente fas erat. Cavebatur autem maxime, ne quid cibi apti ad maculam inducendam illi pararetur: si quid enim

[1] August. tract. 49. in Joan. n. 27. & qu. 183. in Exod. & qu. 33. in Levitic. [2] Theophylact. in Luc. cap. 1. [3] Vide Cunæum de Repub. Hebr. l. 2. c. 4. & 8.

enim ejusmodi illi accidisset, impar erat muneri ea die implendo. Ejusdem rei gratia seligebatur secundus alius Pontifex, seu vices gerens Pontificis, qui paratus esset die Expiationis solemnis sacra implere munera, si quid forte Sacerdoti accidisset, quo a sacro ministerio arceretur. Sed Rabbinica hæc omnia vanitatis evincit historia illa a Josepho recitata, *Antiq. l. 17. c. 8. Matthias ea nocte, quæ præcedebat diem jejunii, visus est sibi per somnum cum uxore congredi: & cum ob hoc ad rem divinam faciendam non esset idoneus, Josephus, Ellemi filius, adjutor vicarius propter cognationem ei datus est.*

℣. 3. Vitulum pro peccato offeret, et arietem in holocaustum. Offerebat Summus Sacerdos victimas illas vivas; sed non immolabat nisi post cæremonias quasdam, deductas in subsequentibus versiculis usque ad undecimum. Pro *vitulo* reddi posset *juvencus*. Victimam hanc suo sumptu sufficiebat Summus Sacerdos; pro peccato enim suo & Sacerdotum ac Levitarum sacrificabat.

℣. 4. Tunica linea vestietur, In hoc Festo Expiationis lineis utebatur Summus Sacerdos, pro more vulgarium Levitarum, Tunica, vestis genus illud ad renes, zona, & capitis integumentum ex lino erant. Sunt etiam qui contendant, vestes illas Summi Sacerdotis in hac cæremonia e simpliciori & minus pretioso lino paratas fuisse, quam in reliquis Festis. Summæ dignitatis insignia nulla tunc præferebat, non tunicam hyacinthinam, non ephod, non rationale; sua enim & populi peccata expiaturus veniebat: quare supplicis habitu & insignibus sistebat se Tabernaculo. Affirmat nihilominus Josephus (1), Summum Sacerdotem die Expiationis solemnis prætulisse consuetas dignitatis vestes; ducemque illum in ea re sequuntur cum priscis quibusdam Patribus Scriptores quidam nostrates, Repugnant huic tamen Scriptura, & Rabbini (2).

℣. 5. Suscipiet arietem in holocaustum. Aries iste non immolabatur nisi tota cæremonia absoluta, Vide ℣. 4. Quamquam ad exordium rei sacræ sistebatur summo Sacerdoti.

℣. 6. Cumque obtulerit vitulum. . . , [℣. 7.] duos hircos stare faciet coram Domino. [℣. 8.] Mittensque super utrumque sortem, unam Domino, et alteram capro emissario, Hunc versiculum ita legit Epistola S. Barnabæ: *Sumite duos hircos bonos & similes; & accipiat Sacerdos unum in holocaustum. Maledictus unus; & conspuite illum omnes ac lancinate: & imponite lanam coccineam circa caput ejus, & sic in desertum emittatur.* Prosequitur idem Author, narrans, hircum hunc deduci in desertum, ibique detractam ab illo lanam coccineam super rubum poni. Addit, floccum illum coccineæ lanæ typum esse spinei serti, quo Jesus Christus in Passione sua redimitus fuit. Sed modo ad ordinem cæremoniæ hic descriptæ,

Summus Sacerdos non pedibus tantum manibusque, ut in vulgaribus sacrificiis, sed toto corpore prius lotus, induebatur lineis inornatis vestibus, Tum vitulum immolabat, pro se ac Levitis omnibus sacrificium; imponens simul capiti victimæ manum, ac peccata sua profitens. Sistebat tunc populus geminos hircos præ foribus Tabernaculi. Super illos jactæ sortes distinguebant, uter immolationi coram Domino, uter libertati destinaretur. De ratione jaciendi sortes illas, varii varia. Sunt qui inscriptas chartulas sorte extractas dicant a Summo Sacerdote, sed illud præstitum ab alio, quam ab eo Sacerdote, alii censent (3). Non incongrue reputaremus, geminas parari schedulas vel lapillos, quorum uni inscriberetur nomen Dei, alteri *Hazazel*. Tum propius adducebatur aries uterque; statimque sorte educta ex iis schedulis una, de sorte utriusque ferebat sententiam. Secundum hæc, si Judæis testibus credas, Summus Sacerdos alias sumebat vestes prioribus pretiosiores (4). Josephus non obscure tradit, ornatum illum insignibus dignitatis suæ pedem intulisse in Sanctuarium; iisdemque vestibus nonnisi ea die usum (5). Ac re ipsa quidem innuitur infra ℣℣. 23. 24. Summum Sacerdotem splendidissimis vestibus ornari, cum inferret se intro in Sanctuarium. Imponebat ex Altari holocaustorum sacras prunas thuribulo: thus paratum & exquisitum plena utraque manu stringebat; & antequam ingrederetur in Sanctuarium, juxta nonnullos, vel, ut alii malunt (6), cum intus esset, thus illud igni dabat; quo sublatus ex eo vapor totum brevi sanctum Locum obumbrans id efficeret (7), ne curiosius indagaret Sacerdos figuram Propitiatorii, quod perinde ac Domini thronus habebatur.

Post datum thus, e Sanctuario egrediebatur; tum assumens eruorem vituli jam immolati, iterum redibat intro; atque digitum suum sanguine illo tingens, aspergebat septies inter Arcam & velum oppansum ante aditum Sanctuarii. Secundum hæc, egrediebatur iterum, immolaturus ad latus Altaris holocaustorum hircum, qui sorte Domino destinabatur, cujus pariter sanguinem inferebat in Sanctuarium, peracturus de more septem illas aspersiones digito, eo sanguine intincto, inter velum & Arcam. Restituebat se demum Tabernaculo, aspergebatque undique; cum interim nemo e Sacerdotibus consistere auderet intus in atrio. Tum ad Altare holocaustorum accedebat; oblinebatque quatuor ejus cornua cruore hirci & vituli, & septies eodem sanguine aspergebat.

Ita expiatis Sanctuario, Tabernaculo, & Altari, adduci ad se jubebat summus Sacerdos hircum libertati permittendum; cujus capiti imponens manum suam, profitebatur peccata & sua pariter & populi; rogabatque Deum, ut in caput ejus victimæ converteret debitam utrisque ultionem. Vir aliquis ad eam rem destinatus (vel Sacerdos, juxta nonnullos) deducebat hircum in desertum locum & remotum, agebatque in præceps, vel dimittebat liberum. Vide quæ infra disputabimus. Tactu hujus hirci, tamquam si maculam aliquam contraxisset Sacerdos, positis vestibus, totum corpus lavabat. Tum priores lineas vestes repetebat, vel, juxta alios, Summi Sacerdotis ornamenta (8), conferebatque se ad immolanda holocausta duorum arietum, pro se scilicet, ac pro populo, Adipem hirci immolati pro peccato ponebat in Altari; reliquiæ omnes victimæ illius, pellis, intestina, pedes & carnes, extra castra elatæ, cremabantur a viro ad id destinato, qui non prius restituebat se castris, quam post elutum corpus simul & vestes; atque id pariter imperatum erat viro, qui hircum *hazazel* deduxerat in Desertum.

His cæremoniis agebatur sacra Expiationis dies inter festivas solemnis, *sabbatum requietionis*, vel juxta Hebræum שבת שבתון היא *Sabbatum Sabbatorum, requies requierum*. Israelitæ æque omnes, qua naturales, qua Proselyti justitiæ, inter Israelitas versantes, præcepto jejunii obligabantur, jejunii, inquam, quo, juxta Rabbinos, abstinendum erat *a cibo, a potu, ab ablutione, unctione, indutione calcei, & ministerio lecti*, idest, usu connubii. Hanc jejunii ideam habent Orientales omnes, rati abstinendum esse tunc a cibo omni, potuque, & si quid sensus voluptate recreet, id totum abjiciendum, Prorogant inediam a media nocte

(1) Joseph. de Bello l. 5. c. 15. Vide Sigon. & Bertram. de Repub. Hebr.
(2) Vide Cunæum de Repub. Hebr. l. 2. c. 1.
(3) Tostat.
(4) Braun. lib. 1. c. 2. art. 5. de vestit. Sacerd. Hebr.
(5) Joseph. de Bello Jud. l. 5. c. 15. in Græc. p. 919.
(6) Vide quæ diximus in ℣. 1.
(7) Philo de Monarchia.
(8) Vide ℣. 24.

nocte ad occasum usque solis: usum vero carnis non habent interdictum. Die igitur esuriali, quoadusque illuxerit sol, cibi aliquid capere nefas est: occumbente Sole, vescuntur indiscriminatim omnibus.

Sunt qui hujus Capitis lustrationibus expiari credant omnia Sacerdotum, & populi crimina; sed Talmudistis (1) probatur, sola ignorantiæ peccata tolli: ad quorum expiationem sacrificia Lex præscribit, habita tamen resipiscentia intima, de commissis pœnitudine, eaque vitandi in futurum proposito: imo posita prius Legis, fratrisque sui satisfactione: adeo ut, juxta doctrinam Judæorum, dies Expiationis solemnis ad sola delicta ignorantiæ, atque ab imprudentibus commissa definiretur. Reliqua graviora crimina, & quæcumque prudens quis suadente tumore mentis, & in malum propensione admisisset, unus expiabat amor virtutis oppositæ, perfectæ charitati conjunctus. Nihil hic Moyses de Sacrificio vaccæ rufæ, per hoc Festum immolandæ extra castra; qua de re vide Numeros XIX.

Exponendæ sunt modo voculæ quædam, in Textu hujus Capitis occurrentes. Omnium prima, & potissima, quæ Commentariorum Scriptores distrahit in partes, est עזאזל *Hazazel*. Sunt qui designati illa credant hircum libertati permissum. Id nomen reddiderunt Septuaginta ἀποπομπαῖος *Apopompæum*; quod in aureo linguæ Græcæ sæculo tantumdem valeat, ac mala avertens. Olim id nomen apud Paganos obtinebant certa quædam Numina, quibus insita virtus tribuebatur avertendi, seu liberandi miseros a certorum quorumdam malorum infestatione (2). Sed aliam indidisse significationem voci *Apopompæos*, creduntur hic Septuaginta. S. Cyrillus, Theodoretus, & Sanctus Hieronymus (3) dictum interpretati sunt de animali in libertatem dimisso. Symmachus verterat hircum ἀπερχόμενον *emissum*. Aquila: Ἀπολελυμένον *liberatum*; quasi scilicet Hebræum *Hazazel* coalesceret ex *hez*, hircus, & *azal*, abiit. Reddi commode posset: *Caprum vagum & aberrantem sine custode*. Sacra erant apud Græcos animalia quædam certis quibusdam Numinibus; hæc autem libertati suoque arbitrio permittebantur (4). Lucianus in Lucubratione de Dea Syra notat, in atrio Templi Jerapolitani contineri boves, equos, aquilas, ursos, & leones sacros, & cicures. Athenas cum venisset Epimenides, luem averruncandi gratia, liberos dimitti jussit arietes nigros, albosque, quos fugientes insequi homines jussit, & quo loco stetisse illos nanciscerentur, ibi immolarent Deo, cui maxime convenirent (5).

Censent plures, *Hazazel* peculiare montis esse nomen; quem Rabbinorum quidam (6) removent a Jerosolymis spatio XC. stadiorum. Sed cur, rogo, Moyses non accuratius monet, sermonem habere se de monte? cur Rabbini certum ejus situm non docent? Censet Bochartus, *Hazazel* puram, putamque Arabicam esse vocem, qua remotio, discessus significatur. Spencero designat Dæmonem: itaque cum, ait ille, Scriptura mittit hircum ad *Hazazel*, perinde hoc accipiendum est, ac si permissum Diabolo animal affirmetur. Re ipsa quidem Marcus Princeps Marcotianorum (7) Dæmonem illum, quo adjutore ad præstigia utebatur, Hazazelem nominabat. Cabalistæ, & Julianus Apostata (8) eadem ac Spencerus reputabant; nec ab ea sententia abhorrere videtur Origenes (9). Sed numquid fieri poterat, ut Deus adigere voluisset Israelitas, ut crederent, genere quodam Sacrificii litari Dæmoni? quæ revera fuit Judæorum quorumdam opinio, ut Spencerus animadvertit. S. Clemens Alexandrinus in sua Epistola XXXIX. ad Acacium, opinionem hanc valide refutat, quæ fert, e geminis hircis alterum transmitti in deserta ad impium Dæmonem.

D. Clericus vertit *azazel*, *præcipitium*. Fulcit versionem hanc suam authoritate ℣. 22. ferentis, hircum mitti in desertum במדבר ubi & legitur: אל ארץ גזרה *In terram præruptam*. Revocat autem *Hazazel* e duabus illis voculis Arabicis, עזה *Haza*, *durum esse*, & אזלה *Azala*, *in angustia versari*. Conjecturæ istæ omnes invalidissime adstruuntur; quare nobis reputandum succurrit, illorum opinionem, quæ derivat *Hazazel* ex Hebræo *Hez*, *hircus*, & *Azal*, *abiit*, optimam esse inter omnes. Syriacus nomen *Hazazel* usurpavit pro Deo fortissimo; Arabi est mons *Azaz*, quod denotat montem arduum, & præruptum.

Addimus hic aliqua ex gentium exterarum disciplina, quæ aliquid de Mosaicis hisce præferunt. Jubet Moyses, Summum Sacerdotem, dum impositas manus capiti victimæ tenet, fateri crimina populi, eorumque ultionem avertere in caput ejusdem hostiæ. Iisdem moribus olim Ægyptii undique tenebantur (10). Immolatæ jam victimæ caput præcidebatur, & post oneratum illud maledictis, rogabantur Numina, ut si quid mali Sacrificulis vel populo per universam Ægyptum imminebat, totum id revocarent in caput ejusdem victimæ. Tum caput ipsum venum exponebatur in foro, emendum ab exteris mercatoribus, si qui forte essent in loco, vel projiciendum in Nilum, si pareret nemo. Ex his ducenda est Ægyptiorum religio, ab esu capitis animalis cujuscumque abstinendi. Sanctum id erat in Theologia Paganorum (11), nihil degustandum esse eorum, quæ immolanda destinabantur ad mala averruncanda. Post hæc sacrificia, balneo se purgabant; neque enim audebant in Urbes, sive in ædes pedem inferre prius, quam vestibus induti sese mersissent in amne, vel in fonte. Ad hircum illum emissarium, e rupe deserti præceps actum, utcumque referenda est vetus illa & crudelis Massiliensium Religio. Tradit de illis Petronius, in moribus positum habuisse, e rupe agere præcipitem hominem ab ipsis morti devotum. *Hic*, ait ille in fine Satyrici, *ornatus verbenis & vestibus sacris circumducebatur per totam civitatem; cum execrationibus, ut in ipsum reciderent mala civitatis: & sic de rupe projiciebatur*. Paria de Atheniensibus affirmat Suidas in voce Περίψημα.

Tota ea cæremonia, quæ die solemnis Expiationis festa gerebatur, typus erat futuri; ejusque abdita mysteria reserat Apostolus ad Hebræos IX. 11. Summus Sacerdos, inferens sese in Sanctuarium cum sanguine victimarum, ipse est Jesus Christus, Pontifex futurorum bonorum, ingrediens non in Sanctuarium quidem manu hominum fabricatum, nec ferens sanguinem hircorum, & taurorum, sed pedem intro ferens in Sanctuarium æternum, sanguinem gerens suum. Ingreditur in Cœlum, ut sistat se patri, intercessurus pro nobis. Nec indiget ille quidem ingressum illum in Sanctuarium renovare quotannis, ferens sanguinem alienum; semel enim Cœlum tenuit, destructo prius per mortem suam peccato. Notat insuper Apostolus, quemadmodum extra castra cremabantur cadavera animalium, quorum san-

(1) Talmud. cod. Jomah cap. ult. 6. 8. (2) Suid. Pollux, Hesych. Ἀποπομπαῖος, ἀλεξίκακος, ἀποτρόπαιος. (3) Ἀποπομπαῖος, quia emittebatur. Hieronym. Emissarius. Theodoret. qu. 22. in Levit. Ἀποπομπαῖος ἐκλήθη ὡς ἀποπεμπόμενος εἰς τὴν ἔρημον. Vide Cyrill. adv. Julian. (4) Vide Marsham. can. Ægypt. sæcul. 2. (5) Τῷ προσήκοντι Θεῷ. Vide Bochart. de animalib. sacris, lib. 2. cap. 54. & Spencer. Dissert. de hirco emissario (6) Jonathan, Rabb. Saad. Gaon, Rabb. David, Kimchi, Salom. Abenezra, Vatab. Oleaster, Talmudici. (7) Vide Epiphan. hæres. 34. (8) Cyrill. lib. 9. contra Julian. (9) Origen. lib. 6. contra Celsum. (10) Herodot. lib. 2. c. 39. (11) Porphyr. de abstin. l. 2. n. 44.

sanguis ferebatur in Sanctuarium; ita pariter & Jesum Christum mortem subiisse extra urbem, ut populum sanguine suo sanctificaret.

Vident Patres in duplici illo hirco, quorum alter offerebatur Domino, alter amandabatur in desertum (1), imaginem Jesu Christi, cujus dum quidquid est hominis submittitur morti, quidquid est Dei interim perseverat immortale. Duplicem adventum Jesu Christi in gemino hirco videre sibi visi sunt Scriptores quidam cum Tertulliano (2): primum quidem adventum Christi, mortem perferentis extra portas Jerosolymæ, peccata nostra ferentis, exhibet hircus emissarius; cum vicissim hircus alter oblatus Domino, atque a Sacerdotibus in Tabernaculo comestus referat alterum adventum Domini, qui hoc interim spatio Ecclesiæ suæ se tradit in cibum.

℣. 11. His rite celebratis (desunt hæc in Hebræo) offeret vitulum. Sunt qui credant, Summum Sacerdotem consuluisse se iterum ad imponendas victimæ manus, & confitenda peccata sua ante immolationem. Prima illa confessio Summi Sacerdotis exprimitur ℣. 6. Constat utique ex libris cæremonialibus Judæorum plures tota ea die criminum exomologeses fieri consuevisse; primam scilicet vespere pervigilii ante cœnam; tum alteram post cœnam; tandem mane diei Festi, & per totam eam diem decies, ob decies pronunciatum ea die nomen Dei a Summo Sacerdote. Iteratarum ejusmodi confessionum meminit utrumque Thalmud, Jerosolymitanum, & Babylonicum, cum pluribus Rabbinis, quos vide apud Buxtorfium (3), & P. Morinum (4). Malunt alii, Confessionem, de qua in hoc versu, unam esse eamdemque cum ea, quæ agebatur, cum vitulus sisteretur.

℣. 12. Assumptoque thuribulo. Solemne est nostris Pictoribus exhibere Summum Sacerdotem ducentem magnifici operis Thuribulum, catenis commissum longissimis, uti pro nostro more: sed affirmandum nobis est, thuribula illa veterum Hebræorum figuram retulisse plane diversam. Capsulæ erant, vel arculæ cum ansa, vel manubrio, vel etiam absque illo, quas Summus Sacerdos seu ponebat super Altare Thymiamatis, seu inferebat in Sanctuarium. Agens S. Joannes in Apocalypsi v. 8. de thuribulis, quæ tenebant quatuor illa animalia, ac vigintiquatuor Seniores, designat illa tantum nomine patinarum: *Phialas plenas odoramentorum*. Quis hic non intelligat aliam plane a nostris thuribulorum figuram? Thuribulum, quod Summus Sacerdos inferebat in Sanctuarium, appellat Philo in secundo de Monarchia, [illegible], *ignitarium carbonibus plenum, & thure*, e quo sublata vaporis nubes ipsis ejus oculis occultabat quæcumque in Sacro illo loco recondebantur, nec curiosius circumferre oculos permittebatur. Thuribula ad id tantum destinata, ut ponerentur super Altare Thymiamatis, commode referre poterant vel arculas simplices, vel clibanos magnificos, vel etiam tripodes, iis persimiles, quos adhibebant Pagani, cum Numinibus adolerent suffimenta. Visuntur in nummis Simonis Macchabæi thuribula fumantia tanquam scyphi quidam, vel calices super pedem stantes. Hodie pariter capsulæ, persimiles thuribulis absque catenis, obtinent apud Turcas. Servatur inter cymelia Abbatiæ S. Genovefæ Parisiis thuribulum vetus æneum cum ansa ejusdem metalli. Operis est satis compressi, labium habens parvum, & diametrum in latum quatuor digitorum. Vetera nostrarum Ecclesiarum thuribula perinde reputemus oportet ac mensarum nostrarum loculos. Animadversum est, in secundo Ordine Romano præscribi: *Thuribula per Altaria portantur, & postea ad nares hominum, & per manum fumus ad os trahitur*. Apud Græcos, qui thura dat, oris halitu fumum dirigit ad illum, qui suffitum recipit; ac legisse me memini in historia Martyris cujusdam, habuisse illum penes se in privato conclavi thuribulum fictile.

Sermo est apud Hebræos de ansulis veterum thuribulorum in usum Templi; num vero hoc de catenulis, an de ansulis, quales sunt nostrorum loculorum, accipiendum sit, ambigo. Tradunt, Summum Sacerdotem uti consuevisse thuribulo brevissimi manubrii; longioris vero die Expiationis solemnis (5). De amplitudine autem hujus vasis argumentum capias ex iis, quæ ab Authoribus illis traduntur; affirmant enim, Summum Sacerdotem prunas excipere in thuribulo argenteo, capiente quatuor cabos (est cabus mensura unius pintæ cum dimidia, ac octava pintæ parte, digito cubico, & aliquanto amplius). Ex his prunis aliquid transferebat in aliud thuribulum, capiens tres cabos: die vero Expiationis, addunt illi, adhibebat thuribulum trium caborum, nec aliud mutabat.

Hauriens manu compositum thymiama in incensum. Hebræus: *Capiens plenitudinem volarum suarum suffimento aromatum contrito*, mixto. Sumebat cochleari thymiama contusum paratumque ut inferretur in thuribulum; imponebat incensum illud igni, tunc quidem cum pedem inferebat in Sanctuarium, quo scilicet sublatus e prunis vapor, quadam nube tegeret Arcam, & Propitiatorium, ut curiosum obtutum prohiberet: quæ in re si defecisset, morti reum adjudicaret Deus. Docet Maimonides, sub secundo Templo sustenuisse Hæresiarcham quemdam, Principem Saducæorum, impie docentem, incensum igni tradendum a Summo Sacerdote ante ingressum in Sanctuarium. Cum autem glisceret is error in populum, metusque suboriretur, ne in constitutam a Moyse disciplinam, ad id usque obtinentem, vitii aliquid inferretur, moribus induci cœptum est, ut quotannis novo jurejurando obstringeretur Summus Sacerdos in pervigilio Festi Expiationis, integras conservaturum veteres consuetudines (6).

℣. 14. Tollet de sanguine vituli, et asperget digito septies contra Propitiatorium ad Orientem. Primo igitur aspergebat rite inter velum & Propitiatorium, cavens ne sanguinis guttæ neutrum contingeret, inquiunt Judæi. Hebræus ad literam (7): *Et asperget in digito suo coram propitiatorio ad orientem; & coram Propitiatorio asperget septem vicibus de sanguine in digito suo*. Quod impletum est maxime. Facile decernitur, ut Sacerdos inter Arcam & Velum medius consistens aspergat septies digito sanguine intincto contra Velum ad Orientem, & septies itidem contra Propitiatorium ad Orientalem partem. Maluit Arabs, aspersionem hanc semel quidem contra Velum præscribi, tum septies contra Propitiatorium. Doctores Judæi (8) tradunt, asperga semel superiorem partem Propitiatorii, septies inferiorem. Proxime sequens versiculus eamdem ceremoniam imperans, quod ad sanguinem arietis, jubet aspersionem hanc sanguinis peragi על הכפרת ולפני הכפרת, *super Propitiatorium, & ad facies Propitiatorii*. Ex his versiculis neuter quidquam innuit de velo inter Sanctum & Sanctuarium medio. Eamdem in duobus hisce versibus sectionem servasse videntur Septuaginta; cum utrumque vertant: [illegible]. *Super pro-*

(1) Theodoret. qu. 22. in Levit. Cyrill. Alex. lib. 9. contra Julian. (2) Tertull. lib. contra Judæos c. 14. & l. 3. contra Marcion. c. 7. Justin. Dialog. cum Tryphone; Orig. homil. 9. in Levit. (3) Buxtorf. Synag. Jud. cap. 20. (4) Morin. lib. 2. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. 22. l. 4. c. 35. 36. (5) Massechet Joma cap. 4. Halac 4. & 5. apud Braun. de vestitu Sacerd. Heb. l. 1. c. 7. art. 5. (6) Petrus Cunæus, de Republica Hebræor. l. 2. c. 6. (7) והזה באצבעו על פני הכפרת קדמה ולפני הכפרת יזה (8) Vide Outram. de sacrific. l. 1. c. 16.

propitiatorium, secundum faciem propitiatorii: ex quo conjecturæ locus, vocem פני irrepsisse in ℣. 14.

℣. 15. Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra velum. Arbitrantur nonnulli, a summo Sacerdote immolandum fuisse hunc arietem cum vitulo, de quo in superiori versiculo: utriusque autem victimæ cruorem, sive in uno eodemque mixtum vasculo, sive in duplici distinctum, intulisse in Sanctuarium: bis autem eamdem cæremoniam iterasse in Sancto Sanctorum, intincto scilicet prius digito in sanguine vituli, deinde in sanguine hirci. Hæc illi quidem reputant ad evitandas salebras, quæ in eo offensuros se reputant, si bis Sanctuarium adiisse Sacerdotem affirment. Repugnat enim id Apostolo, docenti in Epistola ad Hebræos ix. 12. semel tantum aditum sacri loci Sacerdoti patuisse. Sed commode illud *semel* Apostoli acciperetur, una vice quotannis, idest, una anni die, quamquam ipsa eadem die non semel ingrederetur: quater, docent Rabbinorum nonnulli (1).

℣. 16. Expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel. Peccatis populi Tabernaculum ideo pollui docet Scriptura, quod ea patrarentur in castris coram ipso Tabernaculo Domini, adeoque non sine injuria quadam ejus sanctitatis & majestatis. Reputari etiam posset, per eam festam diem expiari potissimum peccata, in sacros ritus & exteriorem rerum sacrarum religionem admissa. Unica hac toto anno die aditus patebat Summo Sacerdoti in Sanctuarium: quod Apostolus (2) accipit velut emblema redemptionis, nobis a Jesu Christo procuratæ: *Hoc significante*, ait illa, *Spiritu Sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore Tabernaculo habente statum ... Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius Tabernaculum non manufactum, idest, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.*

Sua erant Paganis Templa nullius temeranda ingressu; & alia pariter semel tantum per annum adeunda (3). Meminit Pausanias *in Bœoticis* Templorum Dindymenæ, & Eurynomes in *Arcadicis*, Orci *in Eliacis, Libro* 2. quorum semel tantum in anno fores recludebantur; meminit & *in Arcadicis* fani Neptuni equestris, quod nunquam patebat.

In medio sordium habitationis eorum. Pro *Sordium* legunt vetera plura, & recentia Exemplaria *sortium*, errore manifesto.

℣. 17. Nullus hominum sit in Tabernaculo, id est nemo eorum, quibus alioqui permissus est in Tabernaculum aditus, uti Sacerdotes, & Levitæ, tunc ibi consistant (4). Docent insuper Rabbini apud Fagium, ipsum pariter Summum Sacerdotem post impositum suffitum igni, retrogradum recepisse se retro, significatione quadam obsequii; cum vero in Sanctum perveniret, inquiunt illi, brevem nuncupabat precem pro populo extra Tabernaculum tunc versante cum Sacerdotibus. Porro precem hanc paucis absolvi oportebat, ne forte anxietatis aliquid admitti contingeret, metu ne sinistri aliquid Sacerdoti contigisset. Hæc ejus formula: *Placeat tibi Domine Deus noster, ut annus calidus sit, & pluvius: Ne auferatur sceptrum de domo Juda, & populus tuus non egeat rebus ad vitam necessariis; nec exaudias preces itinerantium* (5); id est, preces stultas; plerumque enim itinerantes convenientia sibi precantur, nihil commoda aliorum, & quæ maxime terræ conducunt, curantes: Vertunt alii: *Ne exaudias preces peccatorum*. Tradit Philo (6), ire illum postulatum a Deo bonorum omnium largitatem, felicem annum, atque communem omnibus pacem.

℣. 18. Cum autem exierit ad Altare, quod coram Domino est, oret pro se. Hebræus præfert, Summum Sacerdotem, cum referret pedem e Sanctuario, emundare Altare Thymiamatis (7). Pro illo *oret pro se*, Hebræus idem legit: *Expiabit super illud* [Altare], vel *illud purificabit*. Docet Josephus (8), Summum Sacerdotem, post illatum in Sanctuarium sanguinem tauri, & hirci, intinctu eo sanguine digito irrigasse septies integumentum, & septies itidem pavimentum Tabernaculi, ac totidem vicibus interiora Tabernaculi, ambitum Altaris aurei, & ambitum majoris Altaris sub dio positi, in vestibulo Tabernaculi. Hæc plane multum discrepant a fide historiæ Mosaicæ, in qua nihil de Expiatione Altaris holocaustorum, nisi quis mentionem fieri illius contendat in ℣. 20.

℣. 20. Tunc offerat hircum viventem. Hanc hostiam non immolabat quidem, sed sistebat tantum coram Domino ob confessionem infra imperatam. Perhibet Tertullianus (9), hircum hunc emissarium vittis purpureis veluti circumvolvi, antequam in agrum deduceretur; adduntque Rabbini (10), vittam illam, quæ cornibus animalis alligabatur, in album mutari, siquidem Deus populi delicta remitteret. Fabulæ!

℣. 21. Confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel. Hanc confessionis formulam servant Rabbinorum volumina: *O Domine, peccarunt, inique egerunt, prævaricati sunt in te populus tuus, domus Israel. Obsecro, Domine, dimitte nunc peccata, iniquitates, & prævaricationes, quibus peccaverunt, inique egerunt, & prævaricati sunt coram te populus tuus, domus Israel: Sicut scriptum in lege Mosis servi tui: quoniam in die isto expiationem faciet pro vobis, ut emundet vos ab omnibus iniquitatibus vestris, & coram Domino mundi sitis*. Excipiebant hæc populus, & Sacerdotes: *Nomen venerabile Regni ejus laudetur in sæcula sæculorum*. Meminimus ad versiculum undecimum variarum confessionum, quæ Judæi die solemnis Expiationis præstabant.

℣. 22. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam. Reddi posset Hebræus (11): *Et portabit homo hircum super se cum omnibus iniquitatibus eorum, in terram sejunctionis*. Arabs fert pariter, virum ad id destinatum extulisse hircum humeris suis: *Portabit hædum super collum suum pro omnibus culpis eorum, in terram sejunctam*. Sed Vulgatæ sensum, quem pronius offert Textus, sequuntur Versiones pleræque.

℣. 24. Induetur vestibus suis, nempe consuetis, ait Vatablus, cujus dictum acciperetur commode, sive de vestibus Summo Sacerdoti peculiaribus, sive de familiaribus, quibus induebatur ante cæremoniam. Primum illum sensum præferimus: *Postquam egressus obtulerit*. Egrediebatur ille quidem non e Tabernaculo vel ex atrio, sed e Sanctuario tantum; & post lotionem operabatur Sacrum, offerens holocaustum arietis sibi oblati a populo, ℣. 5.

℣. 28. Quicumque combusserit ea, lavabit vestimenta sua. Quamquam Moyses, cum de Sacrificiis pro peccato differit (12), nullibi præscribit vestium lotionem illi, qui victimæ reliquias effert ad rogum extra castra, id tamen semper executioni mandatum fuisse nullus dubito: id autem

(1) Hiskuni, Moses de Cotzi, Moses Ægyptius apud Drus. (2) Heb. ix. 8. 11. 12. (3) Minut. Felix: *Quædam fana semel anno adire permittunt; quædam ex toto nefas visere*. (4) Grot. (5) ואל תכנס לפניך תפלת עוברי דרכים (6) Philo de legat. ad Cajum. Εὐξάμενος φορὰν ἀγαθῶν, εὐετηρίαν καὶ κοινὴν ἅπασιν εἰρήνην. (7) ויצא אל המזבח אשר לפני עליו (8) Joseph. Antiquit. l. 3. c. 10. (9) Tert. l. 3. contra Marcionem: & contra Judæos cap. 14. (10) Apud Boch. & Fagium. (11) ונשא השעיר עליו את כל עונותם (12) Vide Levit. iv. & v.

tem aperte injunctum est in Numeris (1) illi, qui vaccam rufam igne consumpsisset. Id genus victimarum pro peccato perinde habebantur, ac omnia tulissent in se omnia crimina ejus, qui sacrificium offerebat, vitiumque inde contractum transmitterent in alios.

Pro peccato Sacrificia erant nonnulla, in quibus victimæ portio cedebat Sacerdotibus, quæ victima ab immolantibus in loco Sacro comedebatur. At in Sacrificio Expiationis solemnis de hostia nihil non dabatur igni: cum enim destinaretur Expiationi non minus totius populi, quam Sacerdotum, par utique erat, ut ab ea Sacerdotes perinde ac cæteri abstinerent. Minus utique decere videbatur, ut ex iniquitatibus suis alerentur, & commodum aliquod ex victima referrent, quæ propria illorum delicta sustinebat.

In Theologia Paganorum dogmate sanctum erat, neminem admitti oportere ad degustandas hostias oblatas pro malo averruncando. Quicumque vero ejus tactu sese pollueret, illi imperabatur, ut lustrationes in Religione præscriptas adhiberet; nec pedem inferre sive in Urbem, sive in ædes suas audebat quispiam, nisi prius eluto corpore, & vestibus, equa profluente, sive fontana (2). Porro hujus opinionis vetustatem sive apud Judæos, sive apud Profanos ex justitia, & ratione petitam esse, nemo prudens dubitabit.

℣. 29. Mense septimo, decima die mensis. Componebatur hoc Festum cum decima mensis *Tizri*, qui septimus est mensis anni Sancti, & primus civilis, respondetque partim Septembri, & partim Octobri. Festum illud, ad requiem quod attinet, inibatur die nona in vesperis, absolvebaturque diei decimæ eadem hora. Atque ita conciliatur Textus Levitici XXXIII. 32. quo fertur, Expiationis Festum illud celebrari die nona, cum Textu hujus capitis, diem decimam legente.

Affligatis animas vestras, jejunio nempe, abstinentia, dolore, pœnitudine. Idem erat Festi, & jejunii exordium: a cibo prorsus abstinebatur a vespera diei nonæ adusque vesperam, seu ad exortum siderum diei decimæ; ante horam enim illam nemini Judæorum fas erat (3) cibi aliquid capere tota esuriali die. Die Expiationis prorogant inediam spatio XXVIII. horarum (4). Præceptum jejunii obligat mares XIII. annorum ætate majores; puellas vero absoluto ætatis undecimo: pueros, ut vires illis tribuunt. Quid potissimum ferret jejunium illud, supra adnotatum est: alimenti genus omne removent, balnea, suffitus, unctiones; nudis pedibus incedunt, nec lavant corpus: continent se ab usu connubii. Samaritani in sua Epistola ad D. Huntington narrant, diem illam Expiationis agere se totam ab una ad alteram lucem, die simul ac nocte continuata, in canticis, & precibus. Mares, & fœminæ, vel etiam infantes ad ubera jejunium observant; vicissim autem Judæi pueros septennio minores eximunt.

Fama est (5), Judæos religiosiores anticipata pœnitudine vel plurium dierum, vel etiam XL. dierum (quæ est studiosissimorum Religio) præparare se ad Festum Expiationis. Plerumque tamen duris afflictationibus exercent se, a prima die mensis usque ad decimam; & die nona obtinet alicubi, ut assumant singuli gallum gallinaceum, si fieri potest, album; fœminæ gallinam, prægnantesque itidem fœminæ gallum cum gallina: quibus, post cæremonias aliquas superstitiosas, fauces præcidunt, tum projiciunt in terram, decoquuntque, rati id victimæ expiatoriæ genus esse. Confitentur peccata sua, excipiuntque XXXIX. flagrorum ictus, pacem cum adversariis componunt, veniamque rogant pro illata injuria. Festum id institutum dicit Maimonides in *More Neboch*, *par.* 3. ut perennis esset memoria ejus diei, qua Moyses tertio descendens e monte (6), venit nunciaturus populo, Deum remisisse illi totum Idololatriæ vituli aurei crimen. Maluit Usserius ad A. M. I, ejus sanciendi rationem fuisse memoriam prævaricationis Adamicæ.

Sive indigena, sive advena; id est, Israelitæ e genere, & Proselyti justitiæ, qui Mosaicæ Legis jugum subierunt; non enim Festum illud advenæ obiter in Regione versantes participabant, uti neque ii, qui sedes habebant tantum ibi constituras.

℣. 30. In hac die Expiatio erit vestri. Asserunt Judæi, sed temere prorsus, Deum judicare homines ad anni ineuntis exordium, eosque omnes in tres classes distinctos tribus distinctis voluminibus adnotare. Scribuntur Justi in libro viventium; impii in libro mortis; medii inter illos homines suspensa Judicis sententia adusque decimam diem mensis expectant; tunc autem sive ad Justos accedent merito absolutæ pœnitudinis, sive libro mortis adscribentur in pœnam criminis. Agens Apostolus ad Hebræos IX. 7. de delictis, quæ hac cæremonia expiabantur, peccata ignorationis appellat: *Non sine sanguine, quem offert pro sua & populi ignorantia*; sive scilicet quod pleraque ignorantibus seu incautis obreperent; sive quod victimæ tunc offerendæ ejusdem essent generis, ac victimæ pro delictis ignorantiæ, a Lege præscriptæ.

℣. 31. Sabbatum requietionis est. Hebræus שבת שבתון, *Sabbatum Sabbatorum*, vel requies requierum, vel Sabbatum sanctitatis eximiæ, sanctiori religione ac perfectiori, quam cæteri omnes, servandum. Vetitum est ea die quod cæteris diebus festis præstari fas est, puta cibos parare.

(1) Num. XIX. 7. Vide Outram. de sacrific. l. 1. c. 17. (2) Πάντες ἐν τούτῳ ὁμολογοῦσιν οἱ θεολόγοι, ὡς οὐ γευστέον ἐν ταῖς ἀποτροπαίοις θυσίαις τῶν θυμάτων, καθαρσίοις τε χρηστέον· μὴ γὰρ ἴτω τις εἰς ἄστυ, μηδ' εἰς οἶκον ἴδιον, μὴ πρότερον ἐσθῆτα καὶ σῶμα ποταμοῖς, ἢ πηγῇ ἀπολουσάμενος. Porphyr. de abstin. l. 2. §. 44. (3) Hieron. lib. 2. advers. Jovinian. (4) Buxtorf. Synag. Jud. c. 21. (5) R. Aser, tract. de anni principio, in fine; R. Jacob, in orac. chaiim. (6) Buxtorf. Synagog. Jud. c. 20. (7) Primo descendisse legitur in Exodo XIX. 3. secundo, ibidem, ℣. 20. tertio, XXXIV. 2. 3. &c.

CAPUT XVII.

Lex de non offerendis sacrificiis, nisi in Tabernaculo: de abstinendo ab esu sanguinis animalium, & carnis morticinorum, vel captorum a feris.

℣. 1. ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere Aaron, & filiis ejus, & cunctis filiis Israel, dicens ad eos: Iste est sermo, quem mandavit Dominus, dicens: 3. Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bovem, aut ovem, sive capram, in castris, vel extra castra, 4. Et non obtulerit ad ostium Ta-

bernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit: quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui. 5. Ideo sacerdoti offerre debent filii Israel hostias suas, quas occident in agro, ut sanctificentur Domino ante ostium Tabernaculi Testimonii, & immolent eas hostias pacificas Domino. 6. Funditque sacerdos sanguinem super Altare Domini ad ostium Tabernaculi Testimonii, & adolebit adipem in odorem suavitatis Domino: 7. Et nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt. Legitimum sempiternum erit illis, & posteris eorum. 8. Et ad ipsos dices: Homo de domo Israel, & de advenis, qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum, sive victimam, 9. Et ad ostium Tabernaculi Testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo. 10. Homo quilibet de domo Israel, & de advenis, qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo, 11. Quia anima carnis in sanguine est: & ego dedi illum vobis, ut super Altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit, 12. Idcirco dixi filiis Israel: Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem, nec ex advenis, qui peregrinantur apud vos. 13. Homo quicumque de filiis Israel, & de advenis, qui peregrinantur apud vos, si venatione, atque aucupio ceperit feram, vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, & operiat illum terra: 14. Anima enim omnis carnis in sanguine est. Unde dixi filiis Israel: Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est: & quicumque comederit illum, interibit. 15. Anima, quæ comederit morticinum, vel captum a bestia, tam de indigenis, quam de advenis, lavabit vestimenta sua, & semetipsum aqua; & contaminatus erit usque ad vesperum: & hoc ordine mundus fiet. 16. Quod si non laverit vestimenta sua, & corpus, portabit iniquitatem suam.

℣. 3. HOMO QUILIBET DE DOMO ISRAEL. Addunt Septuaginta; *Vel Proselyti, qui appositi sunt in vobis*, Sunt tamen exemplaria quædam Septuaginta, in quibus additamentum istud non legitur.

SI OCCIDERIT BOVEM . . . . IN CASTRIS, VEL EXTRA CASTRA, (℣. 4.) ET NON OBTULERIT AD OSTIUM TABERNACULI OBLATIONEM DOMINO, SANGUINIS REUS ERIT. In expositione hujus Textus Patres & Interpretes dissident. Theodoretus (1) autumasse videtur, agi hic de animalibus, quæ privatus quisque occidit ad usum, Reputat ille, singulis imperari, ut sistentes se præ foribus Tabernaculi, Deo saltem offerant sanguinem animalis ad privatum usum mactati. Quod vero attinet ad illud tempus, quo Israelitæ fixerunt sedem in terra Promissionis, suspicatur ille, in singulis urbibus suos fuisse Sacerdotes, qui oblata animalia ad privatam mactationem, ipsis suis manibus immolarent.

Tradit autem, Judæos legem illam adhuc servare in locis, ubi versantur; ut nimirum animalia ad usum cibi jugulanda tradant manibus Sacerdotis. Moyses (2) permittit Hebræis immissis jam in possessionem Chanaanitidis, ut mactent degustentque de animantibus omnibus puris pro voluntatis arbitrio; ea tamen conditione, ut effundant sanguinem, madensque cruore illo solum humo operiant. Jubet etiam (3) dari Sacerdotibus armum, ventriculum, & mandibulas animalium, quæ in singulis Urbibus mactantur; unde conjecturam licet capere, cedere hæc Sacerdotibus in mercedem fortasse operæ præstitæ in mactatione animalium, ad usum privatum. Quare lex hic data tempus itineris per desertum unice respicit; quæ vero in Deuteronomio descripta est, valet pro tempore fixæ sedis in Chanaanitide.

Verum S. Augustinus (4), Grotius, Junius, & alii plures recentiores Interpretes defendunt, vetare hic Moysem ne offerantur cujusvis generis sacrificia, quocumque tandem in loco, alteri plane a Domino, ac alibi quam in Tabernaculo. Ante institutum ordinem & destinatam familiam Sacerdotalem, pro privata cuique religione Deo, ubi sors, seu voluntas ferret, sacrificare sive manu sua sive alterius, quem quis selegisset, integrum erat: verum cessavit ea facultas, ut Tabernaculum erectum certo in loco stetit. Vetat pariter Deus, juxta nonnullos (5), ne populus suus carnes alias in deserto degustet, quam victimarum Domino oblatarum. Verba illa ℣. 4. *Non obtulerit oblationem Domino*; & alia pariter ℣. 5. *Hostias quas occident in agro &c.* sicut & totus contextus, favent huic expositioni. Contrariam huic opinionem viri plures docti tuentur; & admissa distinctione temporis itineris per desertum, ac fixæ in Palæstina sedis, quæcumque adversus expositionem hanc opponuntur incommoda, statim omnia tolluntur.

℣. 4. SANGUINIS REUS ERIT. Paulo aliter ab Hebræo, & Vulgata legunt hunc versiculum Samaritanus, & Septuaginta. Ita ergo illi reddi possunt: *Si ad ostium Tabernaculi testimonii non adduxerit illud, ut faciat illud holocaustum, aut pacifica Domino ad expiationem vestram, in odorem suavitatis; Et qui mactaverit illud extra, & ad ostium Tabernaculi testimonii non adduxerit, ad offerendum illud munus Domino, ante Tabernaculum Domini, sanguis imputabitur huic homini: sanguinem effudit, ideo exterminabitur homo ille de medio populorum suorum.* Sistebatur primo victima adhuc vivens ad ostium Tabernaculi, id est, inter Altare holocaustorum & Tabernaculum: tum jugulatæ sanguinem offerebat Sacerdos Domino, effundens ad basim altaris. An Sacerdoti cederet aliquid ejus victimæ, non docet Moyses. Ajunt Hebræi, nunquam offerri victimam, cujus capiti manus non essent impositæ, excepta victima Paschali, & victima decimæ, quæ immolabatur. Porro impositio hæc manus in atrio præstanda erat, conversis oculis & ore ad Sanctuarium. Ex magistrorum

(1) Theodoret. qu. 21. in Levit. (2) Deut. XII. 15. 16. & 21. 22. (3) Deut. XVIII. 3.
(4) Aug. qu. 56. in Levit. (5) Hebræi apud Outram de Sacrific. l. 1. c. 11.

rum etiam Hebræorum doctrina discimus, victimas quidem generatim omnes offerendas fuisse intus in atrio; licuisse tamen interdum extra illud pariter immolare, uti cum offerens pedem ulterius ferre non permittebatur, quod e. g. esset Paganus vel Proselytus domicilii: sed in his rerum eventibus obtinebat plerumque, ut pecunia ex illis acciperetur, qua empta victima intus in atrio immolabatur.

Tradit Lucianus *de Dea Syra*, in Urbe Hierapoli sacrificia nulla immolari intus in Templo Deæ Syræ; sed post constitutam victimam juxta Altare, peractasque rite libationes, reduci in ædes, ubi immolabatur.

℣. 5. Ideo Sacerdoti offerre debent filii Israel hostias suas, quas occident in agro. Insinuatum videtur a Textu, licuisse Israelitis sacrificia peragere in agro, dummodo tamen prius obtulissent hostiam suam Sacerdoti præ foribus Tabernaculi: repugnat id tamen Scripturæ, & disciplinæ Hebræorum, reputantium nunquam sibi datum fuisse, ut res sacras operarentur extra Tabernaculum, seu quo tempore iter agebant per desertum, seu quo Arca & Tabernaculum sedem habebant certo in loco constitutam. Alio vero tempore, e. g. cum Arca stetit in Galgalis, Masphat, Nobe, Gabaone, integrum sibi reputarunt Judæi sacrificia offerre extra Tabernaculum. Examinabitur id in Josue VIII. 31.

Lyranus ita reddit hunc Textum: Non immolabunt hostiam in agro, sicut facere consueverunt: non sacrificabunt nisi in Tabernaculo. Alii tandem verbum *occideat*, non referunt ad Israelitas, sed ad Ægyptios vel Paganos: *Idea Sacerdoti afferre debent filii Israel hostias suas, quas* [Ægyptii] *occidunt in agro*. Huic expositioni fidem adstruunt ex ℣. 7. ferente: *Nequaquam ultra immolabant hostias suas Dæmonibus, cum quibus fornicati sunt*. Quasi scilicet verbis hisce insinuaretur, Israelitas ultra non se collaturos ad offerenda sacrificia Dæmonibus, quos adorarunt Ægyptii, & ipsi pariter Israelitæ ad id usque non respuerunt. Nobis autem persuademus, ferire hanc Legem Hebræos, intus in corde fovantes Idolorum amorem, quibus etiam in itinere per desertum impendebant cultum, non in castris quidem palam, sed clam in locis quibusdam.

Et immolent eas hostias pacificas. His verbis cujusque generis sacrificia contineri censent Interpretes quidam (1), placet tamen aliis, literæ rigorem tenentibus, dictum accipere de solis eucharisticis sacrificiis, quæ omnium familiarissima erant.

℣. 7. Nequaquam ultra immolabunt Dæmonibus. Hebræus (2): *Non sacrificabunt hircis* [seu *villosis*, quam versionem servat Aquila: Τοῖς τραγίοις]. Eo pariter nomine Idola appellantur in secundo Paralipomenon XI. 15. & Isaias (3) spectra, seu tristis ominis animalia designare videtur sub nomine *Sebirim*. Septuaginta: Τοῖς ματαίοις, *vanis*, Idolis, seu Diis vanis. Paraphrastæ Chaldæi, Syriacus, Arabs, & Interpres Samaritanus dictum accipiunt de Dæmonibus, ut est in Vulgata: & recentiores plures vertunt *Satyris*. Hisce omnibus conciliandis reputari posset, Idola ab Israelitis culta figuram exhibuisse hirci, vel Satyri; vel forte genuinos hircos in Aris consecratos fuisse. Perhibet Diodorus Siculus *libro* I. Ægyptios tanta religione coluisse hircum, ut cum filii in Sacerdotium paternum successuri essent, juberentur initiandos se tradere mysteriis illorum hircorum, antequam in collegium Sacerdotum cæterorum Numinum adsciscerentur. Refert Herodotus (4), in vico Mendesio inferioris Ægypti capram, & hircum, quod sacra haberentur Numina, non immolari; hircorum tamen majorem esse, quam caprarum religionem. Numen illud eadem plane imagine, ac apud Græcos Pan, exprimebatur, caprinis scilicet rictu, ac feminibus; non ideo scilicet quod Numen eam figuram referre crederent, neque enim ea in re distingui ab aliis Diis arbitrabantur; sed quod ita ferret receptus apud gentem mos, cum opinione Deos in imaginibus suis eam figuram amare. Apud Mendesios, ait Strabo lib. XVII. colitur Pan, & vivens hircus. Porro Græcus cultus impensus Pani, Faunis, Sileno, Sylvanis, & Satyris reliquis, e vetusta Ægyptiorum superstitione repetebatur. Quicumque Scriptores meminerunt hirci Mendesii, exposueruntque rationem, & causas impii cultus, abunde sufficiunt conjecturas, quibus fulcitur hæc Scripturæ phrasis; *Cum quibus fornicati sunt*. Adeas Herodotum (5), Strabonem libro XVII. Ælianum (6), Plutarchum in Grillo, Diodorum libro I. Bochartum (7), & Spencerum (8). Egerant Israelitæ diu in Ægypto, satis proxime ad regionem Mendesiam superstitione hirci infamem; distinguebat enim inter illam, & vicum Taniticum ramus quidam Nili medius interfluens; in agro autem Tanitico Moyses prodigia sua omnia patravit. Vero igitur propius autumaremus, Israelitas morem illum ex Ægyptiis deduxisse, nec alio spectare Moysem in nostro Textu.

℣. 10. Obfirmabo faciem meam contra animam illius. Furoris mei pondus sentient. Facies est enim sæpe loco iræ posita. *Ignis a facie ejus exarsit*, ait Propheta. Si crimen notum esset & publicum, reus deposcebatur ad supplicium; occulti, & secreti animadversio Deo remittebatur. Legis hujus ferendæ scopus fuit, ut prohibiti Judæi degustare sanguinem, a sævitia desuescerent.

Frustra hodie id generis sanctiones urgerentur: efferatis adeo moribus nullus est homo, qui bibere audeat sanguinem animalis, nedum hominis; non ita vero olim apud Veteres. Massagetæ, quæ Scytharum est gens, educto sanguine ab equis, vel ab hostibus suis sitim extinguebant (9); quod pariter & apud Tartaros hodie usque obtinet;

Longaque Sarmatici solvens jejunia belli
Massagetes qua fugit equo.

Claudianus;

Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes.

Virgilius (10) narrat, Gelonos equorum sanguinem cum lacte potare:

Acerque Gelonus
Et lac concretum cum sanguine potat equino.

Interdum etiam homines humano sanguine poti sunt; quod hodie pariter apud Barbaras quasdam gentes perseverat.

℣. 11. Anima carnis in sanguine est. Reputari utique posset, agi hic tantum a Moyse de brutis animalibus, quorum anima a materia non distinguitur, totaque immergitur in sanguine, sed in ℣. 14. magis etiam generaliter loquitur: *Anima enim omnis carnis in sanguine est*; quæ verba sane hominem æque ac cætera animantia spectant. Et re ipsa quidem si anima hic accipiatur de vita corporis, qua corpus ipsum sentit, & cietur, pronum est utique ut dicamus, animam hominis versari in sanguine; sanguis enim fons est vitalium spirituum, & vehiculum ferens in omnes corporis partes alimenta: sicut etiam ablato sanguine, de vita viribusque omnibus animalis actum est. Ponit non semel Scriptura nomen *anima* pro vita sentiente, & animali; uti e. g. in Deuteronomio XII. 23. *Non debes animam comedere cum carnibus*, idest carnem stillantem sanguine, vel

(1) Menoch. Malv. a Junio. (2) ולא יזבחו עוד את זבחיהם לשעירים (3) Isai. XIII. 21. & XXXIV. 14. (4) Herod. l. 2. c. 46. (5) Herod. l. 1. c. 46. (6) Ælian. l. 7. c. 19. (7) Bochart. de animal. sacr. part. I. l. 2. c. 83. (8) Spencer. de legib. Hebr. Ritual. l. 3. dissert. 8. c. 3. (9) Lucan. Pharf. l. 3. (10) Georg. l. 3. v. 463.

carnem viventis animalis. Et in Numeris XXIII. 10. *Moriatur anima mea morte justorum*. S. Paulus in Actis XX. 24. profitetur: *Nec facio animam meam* (vitam meam) *pretiosiorem*, *quam me*. Agnoscit hic Apostolus in se ipso animam ratione utentem, quam præfert animæ sentienti, Sæpe in Scriptura *Sanguis* perinde est ac sentiens anima. Psalmus XXIX, 10. *Quæ utilitas in sanguine meo?* idest, in vita mea. Virgilius, *Æneidos* II. in eumdem sensum impetrandum esse dicit a Numinibus reditum Græcorum per sanguinem; immolandamque animam Græci;

Sanguine quærendi reditus, animaque litandum Argolica.

DEDI ILLUM VOBIS, UT SUPER ALTARE IN EO EXPIETIS. Deus, tanquam Summus naturæ Dominus, reservat sibi sanguinem, cujus unicum usum permittit hominibus, scilicet in Sacrificia. Mandat tamen, ut effundatur super Altare ad extinguendum furorem suum in eos; jubet offerri sibi sanguinem, & vitam animalis in expiationem animæ, & vitæ redimendæ pretium,

℣. 13. SI VENATIONE, ATQUE AUCUPIO CEPERIT FERAM, VEL AVEM, QUIBUS VESCI LICITUM EST, Sermonem hic esse censent plures cum Tostato, de venatione per retia, per sagittas, & arma, & non per canes venatorios; si quam enim feram, vel prædam canes momordissent, vel suffocassent, eam in cibum admitti Lex negabat: canis enim impurum est animal, & Lege interdictum est degustare carnes animalis ab aliis animalibus dilacerati. An Hebræi venatoriis canibus uterentur, ambigo, cum nuspiam mos ille occurrat in Scriptura. Turcæ, & Persæ in usum venationis adhibent leones, pardos, tigrides, pantheras, ursos. Tollunt illos in terga equorum quibus insident, ac vittam illorum oculis opponunt. Cum incidunt in prædam, amovent ex oculis feræ vittam, statimque insiliens bellua in prædam, arripit, & detinet (1),

Arabes canes suos habent in classe immundorum, quibus tamen verbis abblandiuntur, nutriunt egregie, sed tactu illorum se fœdare non audent, præsertim cum madescunt, Madidos enim canes ne ad se quidem accedere permittunt, metuentes ne vel gutta aquæ ex illis decidua vestes suas tangat; tunc enim apprecando numini fieri se ineptos putant. Qui tamen rem venaticam amant, canes venaticos, canesque, qui prædam sistunt, alere nequaquam ducunt religioni, obtendentes e comuni lege illos eximi cum semper capturæ insistentes immundum nihil vescantur. Pari causatione catellos excipiunt. Nemo hominum apud eos canes lædit, & si quis præmeditato consilio canem occideret pœnas in judicio daret. D'Arvieux mores Arabum c. 8. pag. 182. Vide pariter Busbequium epistola 3. pag. 168. edit. Elzevir. Persæ Leopardis utuntur in usus venaticos canum loco. Vide Itin. Mosch. tom. 1. pag. 510. Vide Eccli. XIII. 23. & Mandorlium itin. Indic. tom. 2. pag. 227.

FUNDAT SANGUINEM EJUS, ET OPERIAT ILLUM TERRA. Id vult Deus, ut sanguis, ceu sacrum aliquid, & inviolabile habeatur; quare nec homines, nec animalia quidquam de illo gustent. Olim apud Magos evocabantur animæ per sanguinem in scrobe contentum. Ulysses consulturus Tiresiam (2) jam fatis functum, constituerat se nudato gladio ante scrobem oppleram sanguine, prohibiturus ab accessu animas mortuorum. Offerens se illi Tiresias monuit: *Recede a scrobe, & ensem recende, ut haustum cruoris bibam, & veritatem aperiam*. Hercules ad inferna descendens, statuensque lauto convivio animas excipere, mactavit illis e bubus Plutonis unum, obtulitque sanguinem (3), Ab his superstitionibus, cæterisque omnibus abusibus per sanguinem, removet Moyses Israelitas, jubens aggesta humo sanguinem operiri, Nullum degustabant illi animal, cujus sanguis non effluxisset: a carne suffocati abhorrebant. Animalis suffocati mortem impuram appellat Philo (4), Apostoli (5) in Concilio Jerosolymitano vetuerunt Gentibus ad Christiana sacra transeuntibus dapes e suffocato.

℣. 15. ANIMA, QUÆ COMEDERIT MORTICINUM, VEL CAPTUM A BESTIA. Vide Exodum XXII. 31. & Leviticum XI. 39. Abhorrebant etiam ab his dapibus Pagani. Ita ea de re Phocilides (6): *Cave ne comedas animal immatura morte peremptum, & ne utaris carne animalis capti a fera; Relinque illas currentibus canibus; bestiæ bestiis vescantur.*

CONTAMINATUS ERIT &c. Ex quo scilicet vitium suum agnoverit, adusque vesperum perseverabit in sorde, nec expiabitur nisi eluto corpore & vestibus. Id generis carnes vendi peregrinis jubet Moyses (7). Dogma erat Hebræis sanctum, animal non reputari impurum, nisi captum & occisum vel dilaceratum ab impura bellua: *Non erit immundum, nisi fuerit morticinum; ideo debet esse morticinum & raptum simul*. Hebræus habet: *Morticinum & raptum*, & non *morticinum vel raptum*, addita disjungendi particula. Si tantum vulnerabatur præda, a vitio erat immunis.

(1) Chardin voyage de Perse tom. 2. p. 32.
(2) Homer. Odyss. Λ.
Ἀλλ' ἀποχάζεο βόθρου, ἄπισχε δὲ φάσγανον ὀξύ,
Αἵματος ὄφρα πίω, καί τοι νημερτέα εἴπω.
(3) Apollodor. lib. 2. c. 6. Biblior. Βουλόμενος δὲ αἷμα ταῖς ψυχαῖς παρασχέσθαι, μίαν τῶν Ἅδου βοῶν κατέσφαξε.
(4) Θάνατον ὁ ἀκάθαρτον τὸν δι' ἀγχόνης ὑπομένων.
(5) Act. XV. 20.
(6) Phocilid. apud Euseb. Scaliger. v. 131. & 136.
Μὴ κτήνη θοινᾶσθε κατὰ μέτρον ἔδειν.
. . . .
Μηδέ τι θηρόβορον δαίσῃ κρέας, ἀργίποσι δὲ
Λείψανα λεῖπε κυσίν. θηρῶν ἄπο θῆρες ἔδονται.
(7) Deut. XIV. 21. *Peregrino qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei.*

CAPUT XVIII.

Vetat Deus Israelitis commercia & fœdera cum Ægyptiis & Chananæis; tum & connubia inter necessarios in gradibus hic expressis. Vetat insuper consecrari filios Moloch, & naturæ injuriam pudendis criminibus inferre.

℣. 1. LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Ego Dominus Deus vester. 3. Juxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis: & juxta morem regionis Chanaan, ad quam ego intro-

introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. 4. Facietis judicia mea, & præcepta mea fervabitis, & ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vester. 5. Custodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. Ego Dominus. 6. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. 7. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies; mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. 8. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies: turpitudo enim patris tui est. 9. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi, vel foris genita est, non revelabis. 10. Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis ex filia non revelabis: quia turpitudo tua est. 11. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non revelabis. 12. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies: quia caro est patris tui. 13. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eo quod caro sit matris tuæ. 14. Turpitudinem patrui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. 15. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est, nec discooperies ignominiam ejus. 16. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis: quia turpitudo fratris tui est. 17. Turpitudinem uxoris tuæ, & filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus, & filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus: quia caro illius sunt, & talis coitus incestus est. 18. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente. 19. Ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accedes, nec revelabis fœditatem ejus. 20. Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commistione maculaberis. 21. De semine tuo non dabis, ut consecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. 22. Cum masculo non commiscearis coitu fœmineo, quia abominatio est. 23. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei: quia scelus est. 24. Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum, 25. Et quibus polluta est terra; cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos. 26. Custodite legitima mea, atque judicia, & non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena quam colonus, qui peregrinantur apud vos. 27. Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. 28. Cavete ergo, ne & vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos. 29. Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui. 30. Custodite mandata mea. Nolite facere, quæ fecerunt hl, qui fuerunt ante vos, & ne polluamini in eis. Ego Domious Deus vester.

℣. 4. JUDICIA MEA ET PRÆCEPTA MEA. Hebræus: *Jura & statuta*; præcepta judicialia, & moralia.

℣. 5. QUÆ FACIENS HOMO, VIVET IN EIS. Dictum hoc exponit Chaldæus de vita æterna sive diuturna: *Vivet vitam sæculi*. De vita æterna pariter interpretantur Jesus Christus, & Apostolus (1). Sponderi hic a Deo fidelibus suis in legem morigeris, vitæ hujus felicitatem, vitam gratiæ ac tandem gloriæ, censet Lyranus. Contendunt alii (2) literam hujus Textus ferre tantum, studiosam harum legum obedientiam ponere homines in tuto ab ultione Dei, & gladio Magistratuum. *Qui hæc observaverit, vivet in eis*, idest, de pœnis in transgressores decretis nihil sentiet; e medio populi sui non exterminabitur. Sed constat utique, altiora hic polliceri, saltem in penitiori significatione, Deum, quam meram a temporalibus pœnis exemptionem.

℣. 6. OMNIS HOMO AD PROXIMAM SANGUINIS SUI NON ACCEDET. Hebræus אל כל שאר בשרו *Ad omnem carnem*, vel *ad omnes reliquias carnis suæ*, idest, ad omnes quicumque ab eo duxerint seu proaimam seu alio intermedio originem. Syriacus, & Septuaginta Polyglottorum Antuerpiensium, & Parisiensium, Munsterus, Junius, & Tremellius legunt in masculino: Πρὸς πάντα οἰκεῖον σαρκὸς αὐτοῦ, *Ad proximum*, vel *ad domesticum carnis suæ*. Verum Septuaginta Editionis Romanæ neutri articulum tenent: Πρὸς πάντα οἰκεῖα σαρκὸς αὐτοῦ; *Ad omnia domestica carnis suæ*. Ex subsequentibus vero intelligimus, quousque cautio illa extendatur. Sub nomine *omnis hominis*, juxta Rabbinorum doctrinam, non Israelitæ tantum & Proselyti Justitiæ, sed & Pagani etiam quicumque, saltem quoad illicitos coitus, designantur; illicitas nempe vel cum matre, vel cum sorore ex eadem matre, vel cum uxore alterius viri, commixtiones contra naturam (3). Hæc omnia, inquiunt illi, jure ipso naturali vetantur.

℣. 7. TURPITUDINEM PATRIS TUI, ET TURPITUDINEM MATRIS TUÆ NON DISCOOPERIES. Non unus esse potest Textus hujus sensus: Non accedes ad matrem tuam, quod nonnisi in injuriam atque ignominiam patris tui cederet. Vel forte: Filia non despondeat se patri suo, nec filius matri. Sive etiam: Ne contamines torum patris tui, accessum tentans ad matrem tuam: patri enim tuo illa unice reservata est: *Turpitudo patris tui est*. Sub patris ac matris nomine remotiores etiam pa-

(1) Matt. xix. 17. & Paul. Rom. x. 5. & Galat. iii. 12.
(2) Selden. de jure natural. & gent. l. 5. cap. 11.
(3) Est. Men. Tir. Oleast. Grot. alii.

rentes designatos accipias, nempe avos vel avias, quocumque distent intervallo. *Inter eas personas, quæ parentum, liberorumve locum inter se obtinent, contrahi nuptiæ non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & usque in infinitum.* Ita declarat Justinianus in Jure Romano. Quæ condendæ legis hujus ratio fuerit, insinuatur in prioribus versiculis hujus capitis, recitantibus latam a Deo cautionem Israelitis, ne imitentur vicinas gentes, apud quas solemnia erant incesta connubia inter filios & matres, fratres & sorores. Xanthus apud S. Clementem Alexandrinum (1) refert, Magorum opinione receptum fuisse, connubia inter fratres & sorores nihil inferre criminosum; quare apud illos probrosum religiosumque non esse, si ad matres & sorores suas accedant. Gemina imputat Bardesanes (2) Persis & Magusæis, iisdem facile ac Magis. Fratres & sorores copulabantur inter se connubio diu apud Ægyptios; eumdemque morem authoritate sua firmabant leges (3). Id autem exemplo suo invexisse Isidem prospero connubio conjunctam fratri suo, tradit Diodorus Siculus libro 1.

Animadvertit Philo (4), Solonis lege permissum fuisse Atheniensibus adsciscere in thorum sorores e communi patre, sed e matre diversa natas; additque, Lacedæmonum Legislatorem uterinis non interdixisse connubio, sed solis eodem patre genitis. At Ægyptii ridentes utrorumque simplicitatem & semiperfecta placita, laxavere libidinem, & auxere in corporibus animisque malum intemperantibus, permissa licentia ducendi sorores, sive per alterutrum parentem, sive per utrumque cognatas, ne gemellis quidem exceptis. Absurda hæc omnia sapientissime correxit Moyses.

Ut legum ejusmodi Mosaicarum cum naturali lege harmonia demonstretur, illa S. Augustini (5) argumentatio solet adduci. Voluit Deus fœderibus adstringere inter se homines, quæ ingens mortalibus bonum concordiæ & unionis parerent; id autem consequi necesse est, cum per connubiales junctiones familiæ aliæ in alias migrant, transferuntque secum charitatem, & amorem, ac devinciunt sibi alienas antea personas, non corpore tantum, sed & spiritus rerumque omnium communione. Ad homines sanguine inter se conjunctos ita effatur S. Chrysostomus (6): Numquid non satis magnum inter vos vinculum mutuæ charitatis intercedit, quin nexum addatis connubii? *Cur in angustum redigis latitudinem charitatis? Cur causam tuæ amicitiæ in tua familia consumis, per quam potes etiam tibi parare aliam occasionem amicitiæ foris ducta uxore, & propter illam, cognatorum seriem, & patrem & matrem, & sorores, & eorum necessarios?* Duæ adhuc adducuntur rationes Legum hujus capitis ferendarum. Prima, insitus quidam a natura pudor, & honestatis dictamen quoddam, vetans ne qui natura ipsa jubente observantiam aliquam sibi exhibere invicem tenentur, vel conditionem æquent, vel pariter alter alteri præstet; id autem tunc contingeret, cum e. g. filius in uxorem adscisceret matrem, & mater filium duceret. II. Plena discriminis res esset, si in eadem coacti domo versari, & consuetudinem habentes inter se familiarem, ita se invicem respicerent, ut qui demum Lege connubii jungendi essent. Tandem vero propius autumaremus, ut vir doctissimus observat (7), incestas hasce nuptias, seu expressa, seu tacita lege interdictas fuisse omnibus late hominibus, sive ab ipso mundi exordio, sive saltem post diluvium, cum Deus severa adeo animadversione puniverit crimina illa in Chananæis, aliisque finitimis gentibus, quamquam Hebræorum Legi non subditis. *Ne polluamini*, indicit Deus populo suo (8), *in omnibus his, in quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum.*

℣. 8. Turpitudinem uxoris patris tui. Uxoris scilicet patris, quamquam alia sit a matre tua, ac viro suo, qui & pater est tuus, viduata: *Turpitudo patris tui est*; in patrem tuum id recideret; ducta enim ejus uxore, quæ per connubium in unum cum illo corpus coaluit, in ipsum peccare convinceris: alterius probrum in alterum recidit.

℣. 9. Turpitudinem sororis tuæ non revelabis. Fratres, & sorores, sive ex utroque, sive ex alterutro parente nati jungere inter se connubia vetantur, sive nati sint ambo in eodem lecto, & in eadem domo, sive discreta habeant omnia. Poscebat utique rei necessitas, ut ab exordio mundi, & aliquanto etiam post diluvium, ac in Coloniis, quæ raris incolis frequentabantur, fratres sororibus jungerentur; sed aucto jam satis hominum genere, facultatem illam adimere visum est: quod licentiæ genus, ut sapienter animadvertit S. Augustinus (9), *quanto est antiquius, compellente necessitate; tanto postea factum est damnabilius, prohibente religione.*

Hebræorum quidam (10) reputarunt, incesta connubia tamdiu non fuisse vetita, quamdiu Legem non rogavit Moyses; quorum tamen sententiam reprobamus. Nec exemplum in ea re Abrahami, siquidem verum sit Saram habuisse sororem suam pariter & uxorem, aliquid inferre credimus momenti in contrarium. Cum Moyses Leges istas omnes de incestis nuptiis rogat, orationem suam verbis hisce claudit: ℣. 24. 25. *Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum; & quibus polluta est terra; cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos.* Demonstrant utique hæc omnia, Deum summo horrore etiam in ipso naturæ statu respicere nefarias illas commixtiones, fratres inter & sorores, quemadmodum & reliqua omnia incestus crimina. Defendit S. Epiphanius *Hæresi* 39. diu ante Legem Mosaicam nuptias illas reprobatas fuisse; nec Plato id generis fœdera (11) mitius habet, ea traducens tanquam criminosa, & Deo odiosa. Fatetur Seneca (12): *Matrimonia Deorum jungimus, & ne pie quidem, fratrum scilicet, & sororum.* Ceu abominabiles incestus nuptias illas detestabantur Romani, apud quos & capitalia fuisse ea crimina affirmat Plutarchus (13). Si quæ sint apud Græcos ejusmodi fœderum exempla, rara ea sunt, & reprobata. Id religionis animos Barbarorum non tangebat. Teste S. Hieronymo (14), Persæ, Medi, Indi, Æthiopes passim ducebant in uxores matres, avias, filias, & neptes. Indus quidam Domino Bernier profitebatur: Nihil me remoratur, quin manum extendam ad decerpendum fructum arboris, quam ipse plantavi; insinuans hisce, quid ipse meditaretur de conjugio patris cum filia.

Affir-

(1) Clemens Alex. Strom. l. 3. ex Xanto in Magis. Μίγνυσθαι δὲ μάγους μητράσι καὶ θυγατράσι, καὶ ἀδελφαῖς μίγνυσθαι θεμιτὸν εἶναι. (2) Euseb. præparat. l. 6. c. 10. (3) Clemens Rom. Recognit. l. 2. & Selden. de jure nat. & gent. l. 5. c. 11. (4) Philo de special. leg. ad 6. præcept. (5) Aug. de Civitate Dei l. 15. c. 16. *Habita est enim ratio rectissima charitatis, ut homines, quibus esset utilis atque honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur, &c.* (6) Chrysostom. homil. 34. in 1. ad Corinth. (7) Grot. l. 2. de jure belli & pac. c. 5. art. 3. (8) Levit. XVIII. 24. 25. (2) Aug. l. 15. de Civ. c. 16. (10) Rabb. Salom. in Genes. XX. 12. & alii. (11) Plat. l. 8. de leg. Μιαρὸν ὅσιον, καὶ θεομισῆ. (12) Seneca apud August. l. 6. de Civit. c. 10. (13) Parall. c. 52. (14) Hieron. l. 2. contra Jovinian. c. 2.

Affirmat pariter Hermione apud Euripidem (1), conciliari apud Barbaros connubia patris cum filia, filii cum matre, fratrum ac sororum inter se, neque ulla lege apud illos ea connubia prohiberi. Affirmat nihilo secius Herodotus, non cœpisse connubia cum sororibus apud Persas nisi a Cambysis ætate. Vide quæ contulimus supra ℣. 7.

SORORIS TUÆ, QUÆ DOMI VEL FORIS GENITA EST. Textum exponunt quidam: Cave ne conjugem ducas sororem tuam, sive e legitimo connubio, sive e crimine natam. At Syriacus dictum aliter accipit: *Filiæ matris tuæ, genitæ ex patre tuo aut ex alio viro, ne detegas dedecus ejus.* Chaldæus: *Filiæ matris tuæ, quæ genita est a patre tuo ex alia uxore, aut a matre tua ex alio viro.* Eadem Lex recurrit ℣. 13.

℣. 10. TURPITUDO TUA EST. Persimilis videtur loquendi phrasis, ac quæ infra ℣. 12. 13. *Caro est patris tui: Caro est matris tuæ.* Illud, *Turpitudo tua est*, perinde valet ac alterum: *Caro tua est.* Neptis tua ex filio tuo nata, perinde est ac si ex te nata esset; neptis tua, non secus ac ex te nata filia, *caro tua est*.

℣. 11. TURPITUDINEM FILIÆ UXORIS PATRIS TUI NON REVELABIS. Dictum exponunt Septuaginta de sorore e communi patre, sed matre diversa (2). Eadem est fermè lex, ac quæ rogatur ℣. 9. Male hic torquentur Interpretes, quo utriusque versiculi discrimen aperiant; quod quidem mihi nullum esse videtur, nisi forte prolixitas in priori major, minor in præsenti. Contendit tamen Ludovicus de Dieu, superius ℣. 9. vetari connubium inter filium e secunda uxore patris natum, cum filia e prima uxore ejusdem patris; hic autem interdictum esse filio e priori connubio ducere sororem e secundo connubio natam; quod quidem ea sub specie fieri potuisset, quia scilicet viri mater, utpote ante ortam sororem defuncta, ejus socrus nunquam futura fuisset. Censent alii (3), vetare Moysem in versu 11. filiofamilias, ne conjugam accipiat filiam a patre genitam ex vidua fratris sui absque liberis defuncti. Sermonem hic esse de filia adoptiva patris, sentire videtur Grotius.

℣. 13. QUIA CARO EST PATRIS TUI. Uxor est patris tui, quare & in unam cum illo carnem coaluit.

℣. 14. TURPITUDINEM PATRUI. Nefas esto sociam thori habere amitam, uxorem scilicet patrui. Sed permissa censent Judæi connubia patrui cum neptibus: quod probant exemplo Nachoris, nuptias, inquiunt illi, conciliantis cum Melcha nepte sua. Ita pariter & Abrahamum Sarai neptem suam duxisse credunt; & Amramum Jocabedam neptem itidem suam, ex quibus natus est Moyses (4). Tandem simili exemplo Othoniel duxit Axam &c. Nec desunt quibus persuadeatur, S. Josephum patruum fuisse SS. Virginis. Herodes Antipas junxerat sibi Herodiadem uxorem fratris sui, superstite adhuc Philippo fratre suo, ejusque viro; quas sane incestas nuptias horrori habuisse omnes constat. Sed nec Evangelium, nec Josephus eo nomine improbatas innuunt, quod Herodias neptis esset Antipæ; utpote e fratre ipsius Aristobulo, filio Herodis magni, nata. Salome filia Herodiadis nuptum tradita est Philippo Tetrarchæ patruo suo, nemine eas nuptias reprobante. Vide Josephum *Antiquit. lib. 18. cap. 7.* Sed e nostris Interpretibus plures certant, legis præcepto utrosque obligari, patruum & neptem, nepotem & amitam; exempla tandem in contrarium producta vel incertæ esse fidei vel nullius. Claudius Imperator (5) Agrippinam neptem suam sibi adscivit in conjugem, cujus probri invidiam ut leniret, lata lege permisit id generis connubia; sed Imperatoris exemplum neminem secutum fuisse, præter unum Romanum, notant Historici. Familiaria tamen hæc erant, & nulla legis sanctione interdicta apud cæteras gentes: permissa etiam fuisse Athenis intelligimus ex Isæo & Plutarcho (6). Amphidamas amitam suam duxerat; amitam pariter & Diomedes. Vide Homerum.

QUÆ TIBI AFFINITATE CONJUNGITUR. Hebræus דודתך הוא, *amita tua est*. Septuaginta: Συγγενὴς γάρ σου ἐστίν, *cognata enim tua est*.

℣. 16. TURPITUDINEM UXORIS FRATRIS TUI NON REVELABIS; excipe tamen, cum frater sine liberis obiisset, ut imperat Deuteronomium xxv. 5. S. Augustinus *in quæstione LXI. in Leviticum* putat, vetari fortasse hac Lege, ne frater, fratre superstite, fœminam ducat, quam ille repudiarit: rudis enim vulgus facile credidisset, concesso divortio, permitti etiam, ut fœmina a fratre repudiata in conjugem adsciscceretur. Quod, ex hujus Patris sententia, hac lege interdicitur.

℣. 17. TURPITUDINEM UXORIS TUÆ, ET FILIÆ EJUS. Cavet, ne inducantur in thorum mater & filia, vel ambæ simul, vel altera post mortem alterius, quamquam filia illa alterum habuisset patrem: *talis coitus incestus*. Hebræus זמה הוא *Nefas est*. Aquila: Μῦσος, *abominatio est*. Septuaginta: Ἀσέβημά ἐστι, *impium factum est*.

℣. 18. SORORGEM UXORIS TUÆ IN PELLICATUM ILLIUS NON ACCIPIES, ADHUC ILLA VIVENTE. Ita expressus Textus vetitum innuit ducere simul & semel geminas sorores; quod præstitum scimus a Jacobo, adsciscente simul Rachelem cum Lia, sed permissum, ut altera post alteram ducatur; qui sensus est verborum planior & magis probatus.

Attamen non incongrue redderetur Hebræus (7): *Non accipies alteram uxorem, adhuc priori vivente.* Vetari hac lege polygamiam, censent plures (8); quæ est opinio Judæorum Caraitarum, Saducæorum, & quorumdam Interpretum, ut, inter cæteros, Junii. Alii, uti Drusius, num permissa sit lege polygamia Judæis, ambigunt. Malunt credere vetitam quidam lege, sed contrario more probatam. Docent equidem veteres mores Hebræorum etiam sanctissimorum, uti Davidis, polygamiam perinde habitam fuisse apud Judæos, ac aliquid in medio positum; & ipsa pariter Moysis lex non obscure nec semel innuit, polygamiam toleratam fuisse in populo. Uti e. g. cum distinguit inter filios uxoris dilectæ, & alterius minus caræ; cum vetat, ne Rex plurimas uxores adsciscat in thorum (9). Satis hisce insinuatur, non vetari in lege utcumque polygamiam, sed uxorum nimium excessum damnari.

Quod spectat ad voces Textus, ferentes: *Non accipies sororem uxoris tuæ cum illa;* ultro fatemur, voces *frater* & *soror* usurpari non raro de homine quocumque ejus gentis. Constat insuper, Filium Dei (10), & S. Paulum (11) certum constituisse, adversari polygamiam primæ connubii institutioni, & proposito Creatoris. Sed nunquam negasse illi videntur, polygamiam olim non toleratam fuisse legibus & moribus Judæorum.

IN

(1) Τοιοῦτον πᾶν τὸ βάρβαρον γένος,
Πατήρ τε θυγατρὶ, παῖς τε μητρὶ μίγνυται,
Κόρη τ' ἀδελφῷ . . . . .
Καὶ τῶνδ' οὐδὲν ἐξείργει νόμος. Euripid. in Andromache v. 173.

(2) Ὁμοπατρία ἀδελφή. מולדת אביך. (3) Nebrissens. Lucabrat. Franktal. c. 6. in Synopsi critic. (4) Ex eorum sententia, qui duas Jacobedas ponunt. Vide Exod. II. I. VI. 20. Num. XXVI. 59. (5) Svetonius in Claudio. Tacit. l. 12. Annal. *Nova nobis in fratrum filias conjugia; at aliis gentibus solemnia, nec lege ulla prohibita.* (6) Vide Grot. de jure belli & pacis l. 2. c. 5. (7) ואשה אל אחתה לא תקח לצרור (8) Vide Drusium in hunc locum, Hammondum, & Willetam, in Synopsi laudatum. (9) Deuteron. XVII. 17. (10) Matth. XIX. 5. (11) I. Cor. VI. 15. & VII. 2.

In pellicatum ejus. Septuaginta: Γυναῖκα ἐπ' ἀδελφῇ αὐτῆς οὐ λήψῃ ἀντίζηλον, *quæ sit ei causa æmulationis*. Chaldæus: *Ut sit ei in tribulationem*: quod postremum vim originalis לצרור melius referre videtur. Dimittens Jacobum Labanus admonuit (1): *Intueatur, & judicet Dominus, si introduxeris alias uxores super eas* (filias meas.) Fama est, hodie pariter apud Turcas pacta convehta sanciri, ut maritus alteram ab ea, quæ sibi traditur, uxorem non adsciscat: vel si duxerit aliam, non habeat loco uxoris primariæ vel matronæ, sed concubinæ tantum.

Quatuor hisce versiculis continentur gradus omnes cognationis, quibus vetantur hoc capite connubia:

Nata, soror, neptis, matertera, fratris & uxor,
Et patrui conjux, mater, privigna, noverca,
Uxorisque soror, privigni nata, nurusque,
Atque soror patris, conjungi Lege vetantur.

Gradus etiam ab his alii suppetunt nonnulli, qui e prioribus hisce analogia quadam deducuntur; sed ex analogia non semper tutum est judicium de legibus, quas positivas vocant: juvat potius semper ad usum moresque confugere. Hisce omnibus addunt Rabbini; 1. Matrem matris; 2. Matrem quæ patrem matris genuit; 3. Matrem patris; 4. Matrem avi; 5. Avi uxorem; 6. Uxorem avi, ex quo mater nata est; 7. Uxorem fratris soceri, qui frater matrem duxit; 8. Uxorem fratris suæ matris, sive ille frater sit ex matre, sive ex patre; 9. Nurum filii, & nurum nepotis; 10. Nurum filiæ; 11. Filiam natam ex filia filii; 12. Filiam nepotis; 13. Filiam neptis; 14. Filiam ex filio filiæ; 15. Filiam natam ex filia filii uxoris; 16. Filiam ex filia filiæ uxoris; 17. Matrem, ex qua mater patris uxoris; 18. Matrem, ex qua mater matris uxoris; 19. Matrem patris, unde mater uxoris. Intelligent profecto omnes, frustra torqueri in gradibus hisce supputandis ingenia; sed eo usque accurati sunt Rabbini (2).

℣. 19. Ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accedes. Capitale est id utrique conjugi (3); fortasse enim putabantur commixtiones ejusmodi discriminis aliquid inferre sive matri sive filiis. Ferunt (4), legem viguisse apud Judæos, qua capite damnabatur pater filii membris vitiati, quod scilicet reputaretur ex intemperantia patris vitio hoc filius affici. Reputat S. Augustinus (5), expressam in hoc versiculo legem hodie pariter obligare Christianos: concedunt in hanc sententiam Interpretes nonnulli (6), rati, vetari id quidem sed veniali, ut ajunt, crimine, & mitioribus quam olim pœnis. Quas inferant animadversiones Judæi nostrates in eos, qui ad menstruatam accedunt, habes deductas apud Buxtorfium *Synag.* 43.

℣. 20. Cum uxore proximi tui non coibis. Vetat hic Deus adulterium, inter ea crimina recensens, quæ superius deducta sunt, eidemque cum illis pœnæ submittit, exterminii scilicet, de qua infra, ℣. 29. Porro de exterminii pœna vide quæ contulimus ad Exodi xx. 14.

℣. 21. De semine tuo non dabis, ut consecretur Idolo Moloch. Hebræus (7): *E semine tuo non dabis ad faciendum transire Moloch*. De Moloch fusius egimus in peculiari Dissertatione, quam consulas. Sunt qui (8) ad literæ rigorem accipiant illa, *de semine tuo non dabis*, veluti scilicet hoc sacrificii genere litaretur Moloch, fœdis nempe coram illo criminibus admissis. Vulgo tamen exponitur de cautione, ne Moloch offerantur in sacrificium filii. Id autem præstari credunt quidam, traductis tantum per ignem filiis, lustratione scilicet, ne prophanis quidem ignota.

Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos,
Trajicias celeri strenua membra pede.
Omnia purgat edax ignis, &c.

Aliter quam reliqui omnes Interpretes, exponit Syriacus; vetari enim hic a Deo credit commercium cum fœminis alienigenis: quam pariter interpretationem repetit ad Levitici xx. 2. Spencerus cum Rabbinis nonnullis evincere conatur, filios non absumi igne, sed tantum per duos ignes medios trajici, vel saltem transiliendo per ignem traduci, uti jam supra dictum est. Nec Septuaginta censuisse videntur, pueros illos in honorem Moloch interfectos fuisse; verterunt enim: *De semine tuo non dabis servire Principi*, λατρεύειν ἄρχοντι. Docet Scholiastes (9), vetare Deum Hebræis, ne consecrentur filii addicti obsequiis Dei Moloch, vel alicujus Principis Exteri, & Idololatræ. Mitiorem aliquam ideam, quam necis, suggerere videtur Author Vulgatæ verbis illis: *Ut consecretur Idolo Moloch*. Cum tandem Deus nullam addicat peculiarem pœnam, neque hic, neque in Deuteronomio xviii. 10. conjecturam suppeditat reputandi minus scelestum aliquid, quam quod litera offerat. Quod autem hisce omnibus validius multo videtur, illud est, nimirum agi in Scriptura de filio Achaz (10) oblato Moloch, qui tamen post obitum patris superstes utique in Regno successit: non ergo sacrificium nece sua consummavit.

Reponitur hisce omnibus, 1. crebris Scripturæ testimoniis (11) probari luculenter, sacra Moloch flamma absumptos fuisse in Numinis honorem filios. 2. Septuaginta, & qui fidem illorum sequuntur Interpretes, legerunt העביד *Herbid*, *addicere* servitiis alicujus, pro *Heebir* העביר, *traducere*. Quæ prior lectio mendosa utique videtur, cum posterior altera non semel alias eadem occasione recurrat. 3. Quis certo doceat, Achaz unum illum tantum habuisse filium, quem consecravit Moloch? Forte genuit & alios, quos reliquit successores Regni. 4. Tandem tam longe abest Lex, quin pœnam nullam assignet huic crimini, ut potius capite damnet reos consecrati filii Moloch (12); & Deus pariter scelus hoc severa exterminii animadversione se ulturum indicat. Rabbini plures docent (13) tamdiu traduci per medios duos ignes filios, donec incendio pereant. Ferunt, Numinis hujus Sacerdotes vel pueros pedibus per medium ignem traxisse, vel cremandos constituisse in ulnis Moloch, cujus æneum simulacrum prius injecto intus igne incendebatur, uti a nobis alias fusius deductum est. Addas hisce omnibus, humanarum victimarum sacrificia obtinuisse olim late per Orientem, ac potissimum in propinquis ditioni Israeliticæ Provinciis, ut Ægypto, Arabia, Idumæa, & Phœnicia (14). Iisdem moribus censebantur & Rhodii, ex homine cæso sacra operantes Saturno; humanis etiam victimis in Insula Cypro colebatur Agraulus filius Cecropis. In Insula Chio discerptus homo gratum exhibebat sacrifi-

(1) Genes. xxxi. 5. (2) Vide Grot. de jure belli & pacis lib. 2. cap. 5. art. 13. (3) Levit. xx. 18. *Interficientur ambo de medio populi sui*. (4) Æneas Gasæus apud Drus. observat. 3. 20. (5) August. lib. 3. de peccator. meritis, cap. 12. & quæst. 64. in Levit. (6) Vide Bonfr. & Villet. (7) ומזרעך לא תתן להעביר למלך Aqu. Sym. Th. Παραβιβάσαι τῷ Μόλοχ. 70. Λατρεύειν ἄρχοντι. (8) Vide Lyran. Cajet. Malv. (9) Scholiast. in nov. edit. Hex. hic. Ἀπαγορεύει τούτῳ τὸ τοὺς παῖδας ἱεροδούλους τῶν εἰδώλων προσφέρειν, ὡς δὲ τινὲς φασὶ, τὸ τινὶ ἄλλῳ ἄρχοντι διδόναι τὸν παῖδα, ὥστε εἶναι αὐτοῦ οἰκέτην, &c. (10) 4. Reg. xvi. 3. collatum cum 4. Reg. xviii. 1. (11) Vide Psalm. cv. 37. 38. Jerem. vii. 31. Ezech. xxiii. 37. 39. Vide & quæ dicemus in 4. Reg. xvi. 3. (12) Levit. xx. 2. 3. 4. (13) Fagius in hunc locum. (14) Vide Porphyr. de abstin. lib. 2. pag. 202. & seq.

crificium Baccho *Omadio*, seu crudæ carnis voratori. In Insula Laodicæa, juxta Syriam, immolata puella litabatur Minervæ. Sacrificia ex humanis victimis cruenta retinuerunt Carthaginienses usque ad ætatem Iphicratis, Idumæorum gens Dumæi quotannis litabant infante cæso, & sub Altari, quod loco simulacri habebant sepulto. Veteres omnes Græci, ait Plutarchus apud Porphyrium, ex quo superiora hæc omnia deduximus, propitiabant sibi Deos suos, antequam manum confererent cum hostibus, humanarum victimarum cruore. Quos etiam sævissimos ritus a se alienos non censebant Thraces, Scythæ, Galli, Athenienses. Ab Adriano primum barbarum hunc morem abolitum fuisse tradit Pallas; at decedentis illius exempla, ceu vestigia, diu perseverarunt. Post hæc autem quis credat, Judæos, gentem sævam feramque, solos ferme hominum abstinuisse ab hominibus immolandis?

Nec polluis nomen Dei tui, elogium illud honoris communicans fictis aliis Numinibus; vel potius: Cave ne ansam tribuas gentibus obtrectandi de nomine Dei, accusando illum tanquam sævum, & cruentum, quippe qui exigat humanas victimas, & cultorum suorum sævos illos mores probet. Summum nomini suo haberi obsequium mandat Deus, ac caveri, ne nisi magna cum cautione pronuncietur: *Nefas est*, ait Philo de Decalogo, *per os, quo profertur nomen illud sanctissimum, quicquam turpe progredi, Quæratur tam loci quam temporis opportunitas. Novi enim quosdam in profanis impurisque locis, ubi nec patris, nec matris, nec cujuslibet viri honesti mentionem deceret fieri, dejerare, & quasi conceptis verbis jusjurandum texere multis Dei cognominibus, præter omne decorum, cum impietate maxima.*

℣. 22. Cum masculo non commiscearis coitu femineo. Si qua fides Bardesani apud Eusebium (1), Transeuphrateæ gentes tanto horrore crimen hoc prosequebantur, ut ejus maculam in se ipsis eluerent, vel cæde sua pariter, si ejus criminis accusarentur. Vicissim autem Græci id sibi ducebant honori. In Oriente si quis fœdi aliquid in se ipso ab alio fieri permisisset, neci tradebatur sive a parentibus, sive a propinquis, carebatque honore sepulturæ. Hæc ille, ætatis suæ testis; sed plura utique docet de hoc argumento Scriptura, quæ satis demonstrant coercendos sanctione hac fuisse Israelitas, in crimen qua vitio naturæ suæ, qua exemplo Chananæorum plus nimio propendentes. Vera reputare nos satis docent, quæ in Sodomis gesta narrantur Genesis xix.

℣. 25. Cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos. Ad literam: *Evomet habitatores suos*; vel, *ut evomat habitatores suos*. Ad præteritum tempus revocant Septuaginta: Προσώχθισεν ἡ γῆ τοῖς ἐγκαθημένοις ἐπ' αὐτῆς, *Exhorruit terra eos, qui insident super eam*; fastidivit, moleste tulit habitatores suos. Agit etiam Vulgata inferius ℣. 28. de fastidio hoc terræ Chanaanitidis, quo ad emovendos habitatores suos coacta est; meminit, inquam, tanquam rei præteritæ. Ad præteritum etiam revocarunt hunc 25. versiculum Interpretes Samaritanus, Chaldæus, Syriacus, Arabs. Æque tamen verum est, terram nondum excussisse Chananæos, sed paratam fuisse excutere; & Moyses Prophetam hic agit, ita res futuras commemorans ceu præteritas.

℣. 29. Peribit de medio populi sui. Crimina hæc omnia obnoxia erant exterminio, de quo vide Exodum xii. 15.

[1] Præparat. l. 6. c. 10.

CAPUT XIX.

Obsequium erga parentes & senes. Leges pro religione Sabbati. Vitanda Idololatria. Cautio ne de hostiis pacificis quidquam degustetur tertia die; ne ad imum usque solum messes præcidantur; ne reliquiæ colligantur; ne jurent falsa; ne calumniam struant in proximum; ne differant stipem mercenario; ne obloquantur de surdo; ne ponant cæco offendiculum. Leges pro Judicibus in obtrectationem, in odium proximi, & ultionem. Vetitum ne conjungantur simul duplicis generis animalia; abusio ancillæ: colligendi fructus arborum recens satorum tribus prioribus annis; esus sanguinis; somniorum conjectationes, & auguria: attonsio comæ, incisiones, & procurata filiarum prostitutio. Injungitur charitas erga exteros & cura justitiæ, ponderum & mensurarum.

℣. 1. LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad omnem cœtum fi-
liorum Israël, & dices ad eos: Sancti estote, quia ego sanctus sum, Do-
minus Deus vester. 3. Unusquisque patrem suum, & matrem suam timeat. Sabbata
mea custodite. Ego Dominus Deus vester. 4. Nolite converti ad idola, nec deos con-
flatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester. 5. Si immolaveritis hostiam paci-
ficorum Domino, ut sis placabilis, 6. Eo die, quo fuerit immolata, comedetis eam,
& die altero: quidquid autem residuum fuerit in diem tertium, igne comburetis. 7.
Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit, & impietatis reus: 8. Portabitque iniquitatem suam, quia sanctum Domini polluit, & peribit anima illa de po-
pulo suo. 9. Cumque messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum su-
perficiem terræ: nec remanentes spicas colliges. 10. Neque in vinea tua racemos,
& grana decidentia congregabis, sed pauperibus, & peregrinis carpenda dimittes. Ego
Dominus Deus vester. 11. Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet unus-
quisque

quisque proximum suum. 12. Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. 13. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. 14. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus. 15. Non facies, quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo. 16. Non eris criminator, nec susurro in populo. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus. 17. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. 18. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego Dominus. 19. Leges meas custodite. Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus: Agrum tuum non feres diverso semine. Veste, quæ ex duobus texta est, non indueris: 20. Homo si dormierit cum muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nubilis, & tamen pretio non redempta, nec libertate donata: vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera. 21. Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonii arietem: 22. Orabitque pro eo sacerdos, & pro peccato ejus coram Domino, & repropitiabitur ei, dimitteturque peccatum. 23. Quando ingressi fueritis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. 24. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. 25. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma, quæ proferunt. Ego Dominus Deus vester. 26 Non comedetis cum sanguine. Non augurabimini, nec observabitis somnia. 27 Neque in rotundum attondebitis comam: nec radetis barbam. 28. Et super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis. Ego Dominus. 29. Ne prostituas filiam tuam, ne contamineturr terra, & impleatur piaculo. 30. Sabbata mea custodite, & Sanctuarium meum metuite. Ego Dominus. 31. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester. 32. Coram cano capite consurge, & honora personam senis: & time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus. 33. Si habitaverit advena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei: 34. Sed sit inter vos quasi indigena: & diligetis eum quasi vosmetipsos: fuistis enim & vos advenæ in terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. 35. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. 36. Statera justa, & æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. 37. Custodite omnia præcepta mea, & universa judicia, & facite ea. Ego Dominus.

℣. 2. SANCTI ESTOTE, QUIA EGO SANCTUS SUM. Sanctos, ac puros servate vos ab omnibus externis, & legalibus maculis, quia ego sanctus sum; & sanctitatem hanc exteriorem idcirco a vobis exigo, quia excellentioris alterius sanctitatis est symbolum. Id potissimum petit a nobis Deus, ut purum cor, & a sorde peccati mundum conservemus.

℣. 3. SABBATA MEA CUSTODITE; Festa scilicet mea, tum ordinaria, cum extraordinaria. Id pariter repetitur infra ℣. 30.

℣. 4. NOLITE CONVERTI AD IDOLA. Hebræus (1): *Ne respiciatis ad inutilia*.

℣. 5. SI IMMOLAVERITIS HOSTIAM PACIFICORUM DOMINO, UT SIT PLACABILIS. Hebræus (2): *Cum sacrificaveritis sacrificium pacificorum, ad vestram voluntatem sacrificabitis*, sponte & religiosi cordis affectu. Nulla quidem Lege exigit Deus id generis sacrificia. Commode etiam redderetur Hebræus ad sensum Vulgatæ, & Septuaginta.

℣. 7. PROFANUS ERIT, ET IMPIETATIS REUS. Varie admodum redditur Hebræus: פִּגּוּל הוּא לֹא יֵרָצֶה, *Immundum*, seu profanum, *est: non acceptabitur*. Septuaginta: Ἄθυτόν ἐστι, οὐ δεχθήσεται, *Insacrificabile est*, quod sacrificari nequit, *non acceptabitur*. Aquila: Ἀπόβλητον, *abjiciendum est*. Alii: Abominatio est, abominandum.

℣. 9. NON TONDEBIS USQUE AD SOLUM SUPERFICIEM TERRÆ. Hebræus (3): *Non consummabis angulum agri tui in metendo*. Idem & Septuaginta (4). Idest, Messes e toto late agro tuo non colliges. Syriacus: *Ne exacte metatis margines agrorum vestrorum*.

Docent Rabbini (5), extremitatem illam agrorum, quod commodis pauperum relinqui jubet Lex, æquare saltem debuisse sexagesimam agri portionem; id autem accipiendum esse non de solis agris frumento satis, sed de arboribus etiam fructiferis, ac de cæteris, quæ de terra proveniunt.

NEC REMANENTES SPICAS COLLIGES; [℣. 10.] NEQUE IN VINEA TUA RACEMOS, ET GRANA DECIDENTIA CONGREGABIS. Addit Syriacus olivas, & uvas, vetatque etiam colligi, quæ sponte decidunt ex arbore. Minuta plura in eas Leges edisserunt Doctores Judæi; vetari enim dicunt spicas, vel botros uvæ, quæ vel seorsum, vel bina cadunt: eaque

[1] אל תפנו אל האלילים [2] כי תזבחו זבח שלמים ליהוה לרצונכם תזבחהו [3] לא תכלה פאת שדך לקצור [4] Οὐ συντελέσετε τὸν θερισμὸν ὑμῶν; &c. [5] Apud Selden. de jure nat. & gent. l. 6. c. 6.

eaque si colligeret, herus furti reus argueretur in pauperem, cujus commodis Deus ista concessit. Verum si tres simul spicæ, vel tres simul botri cadant, heri sunt. Ad racemos, de quibus in Textu, quod attinet, Legem accipi oportere dicunt de racemis justo minoribus.

Pauperibus et Peregrinis. In regione, cujus incolæ agriculturæ tantum munere alebantur, nec alii, præter incolas, possidebant latifundia, res utique poscebat, ut in pauperes & peregrinos provida miseratio non deesset, necessario enim aliorum opera conducti & mercede, qui vendere se coacti fuissent in servitutem, ut vitam tolerarent. Peregrinorum nomine Septuaginta, Syriacus, & alii plerique designari credunt Proselytos, & alios, quibus unis datum erat commorari inter Hebræos; excludi autem ab ea appellatione Chananæos.

Ego Dominus. Despotico jure de Hebræorum rebus decernit Deus, tum & de fructibus terræ, qui laboribus populi sui respondent.

℣. 11. Non facietis furtum. Ne cogantur fateri, repeti hic præceptum illud Decalogi, vetans furtum, Textum ita exponunt nonnulli: Ne tibi vindices dolo malo depositum fidei tuæ commissum. Alii planius: Non facies furtum, nec illius te conscium reddes, vel silentio, vel alia quacumque ratione (1). Tandem juncto hoc textu cum proxime sequenti: *Ne mentiamini*; vel ne perjurio neges depositum fidei tuæ commissum. Sed cur tanta religione cavendum est, ne repetitum aliquid hic agnoscamus?

Non mentiemini. Hebræus: *Non negabitis*, vel non recusabitis reddere commissum vobis depositum (2). Aliter: Non mentiemini, excusando vos ab eleemosynis erogandis: *Non extenuabitis vos* (3); quasi scilicet indigentis, quam pro veritate, majori teneamini. Sed cur literæ rigor non retineatur cum Vulgata? Ea vitæ ratio instituenda est, ut affirmantibus nobis perinde credatur ac juratis. Siquis vero cogatur jurare, sit Philo (4), ab extremo hoc perinde quis se proripiat, ac a naufragio; sacramenta præstans ex mera veritate.

Nec decipiet unusquisque proximum suum. Septuaginta: Οὐ συκοφαντήσεις, *calumniam non facietis*. Reddi posset Hebræus: לא תשקרו *Non mentiemini*: quod ita explicatur: Ne postuletis indebita (5).

℣. 12. Non perjuratis in nomine meo. Septuaginta: Οὐκ ὀμεῖσθε τῷ ὀνόματί μου ἐπ᾽ ἀδίκῳ, *Non jurabitur nomine meo super. injusto*. Inter scelera scelestissimum id est, & maxime injuriosum Deo, ut Numen statuatur testis mendacii. Pejerans quis, Deum ex imo corde, si ore non audet, ita affatur audacissime (6): Te, Deus, voco testem mendacii mei; affere illud testimonio tuo; magnum mihi præsta auxiliatricem in maleficio & deceptione: ut nominis mei dignitatem apud homines retineam, hæc una datur via, si celem veritatem; id ergo committito, ut improbum te præstes in gratiam alieni hominis, & hominis scelesti, tu qui optimus es & Deus. Docent Hebræi (7), si forte quis temere juraverit præstiturum se aliquid, etiam post rei executionem, absolvi posse ab jurisjurandi religione per virum sapientem: hic nisi adsit, per tres e vulgo homines. Siquis absolutionem illam neglexisset, Judicum sententia damnabatur flagris.

℣. 13. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Reddi posset Hebræus (8): *Non opprimes proximum tuum, neque illi auferes quidquam*. Idest, juxta Grotium: Cave, ne retineas quidquam eorum, quæ ad alium pertinent; cave ne ab illo tollas quicquam quod illius sit. Septuaginta (9): *Non facies injustitiam proximo tuo, neque rapies bona illius*. In Vulgata sæpe ponitur *calumnia* pro violentia & injustitia.

Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. Merces solvebatur ad exitum diei, cujus moris habes exemplum in parabola operariorum, quos conduxit Paterfamilias in vineam suam, apud S. Matthæum xx. 8.

℣. 14. Non maledices surdo. De muto Textum exponit Procopius; de muto & surdo alii (10), sunt enim duo hæc plerumque sociata corporis incommoda. Quæ vox legitur apud Septuaginta, Οὐ κακῶς ἐρεῖς κωφὸν, utrumque commode insinuare potest. Nihil est utique illiberalius, nihil iniquius, quam aggredi eum, qui resistendo est impar. Sed obloqui de surdo, effundere in illum injurias, perinde est ac insultationem nectere injustitiæ; est pariter velut exprobratio quædam vitii, quod non sponte miser incurrit, & malo, quo premitur ille, proficere. Porro sub ea legis sanctione conseri possunt quicumque obloquuntur de aliis, vel absentibus vel longe remotis, qui audiendo sunt impares; quique clam ac veluti per cuniculos nocent proximo, & laqueos in ejus ruinam parant, Porro callida hæc & secreta nocendi ratio odiosior est & iniquior, quam injuriæ in faciem jactatæ, & quæcumque intuenti & intelligenti proximo mala inferuntur. Lege vetuerat Solon: Μὴ λέγειν κακῶς τὸν τεθνεῶτα, *Ne quis obloqueretur de mortuo*, vel etiam ab ejus filiis lacessitus.

Nec coram cæco pones offendiculum. Posterior hæc sententia, quemadmodum & superior, accipi potest prono illo sensu, qui legenti primus offertur. Exhibet autem aliquid humanitatis plenum & sapientiæ. Idem inculcare videtur Moyses in Deuteronomio xxvii. 18. *Maledictus qui errare facit cæcum in itinere*. Sed latior magis sensus assignari potest Textui. Ne te præbeas offendiculum imbecillibus; ne prava suggeras; ne decipias rudes homines; ne favorem præstes cæcæ & in præceps ruenti affectioni. Porro hac lege falsitatis arguitur crimen illud adscriptum Judæis a Priscis nonnullis; accusant enim homines eo nomine quod viam monstrare denegent omnibus, præterquam gentilibus suis; fontem ad potandum non indicent, nisi communem religionem profitentibus. Juvenalis Satyra 14.

Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.

℣. 15. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Hebræus ad literam (11): *Non elevabis faciem pauperis, neque decorabis faciem magni*. Septuaginta (12): *Non sumes faciem mendici, neque admiraberis faciem potentis*. Ne res pauperis deploratæ ita te flectant ad miserationem, ut ab æquitate declines; neve metus locupletis exorbites a recto. Judicis est oculum tenere immotum ad justitiam & veritatem. Spectatoris agendæ sunt illi partes, ut in neutram duorum litigantium declinet. Eo rem deducunt Rabbini, ut præcipiant, si quis forte e duobus litigantibus vestes gerat altero pretiosiores, illas deponat reformetque in alias, æmulo non absimiles. Absente altera parte, nemo auscultatur; dum plures concurrunt causæ, imbecillioris res præferuntur validiori.

℣. 16. Non eris criminator, nec susurro in populo tuo. Nonnisi vox *racil* (13) in Hebræo est, quæ reddita sit *criminator & susurra*. Jonathan red-

(1) Grot. & Rabb. in Fag. (2) Var. Grot. Munst. Fag. &c. לא תכחשו (3) Oleast. (4) Philo, de decem præceptis. Δεύτερος δὲ φασὶ πλεῖν, τὸ ὀμνύειν. (5) Grotius, Vatabl. (6) Philo, de decem præceptis. Vide eumdem de specialib. legib. (7) Maimonides, Tract. Schebuoth cap. 6. (8) לא תעשק את רעך ולא תגזל (9) Οὐκ ἀδικήσεις τὸν πλησίον σου, καὶ οὐχ ἁρπάσεις. (10) Philo lib. de Creat. Princip. (11) לא תשא פני דל ולא תהדר פני גדל (12) Οὐ λήψῃ πρόσωπον πτωχοῦ, οὐδὲ μὴ θαυμάσεις πρόσωπον δυνάστου. (13) לא תלך רכיל בעמיך

reddit : *Non eris maledicus in populo tuo* . Onkelos juxta Fagium (1) : *Non comedas placeatas in populo tuo*; idest, ne agas parasitum . Septuaginta: Οὐ πορεύσῃ δόλῳ, *Non ambulabis dolo* . Vatablus: *Non incedas mercator in populo tuo* ; ne mercatorem merces corrumpentem agas . Vel, juxta Abenezram : Ne alterius verba susurreris , ut alteri deinde referas; more mercatoris, qui merces emit , quas deinde alterius admixtione vitiatas pluris vendit . Cajetanus reddit : Ne sis explorator, qui aliorum mores & gesta rimatur, ut calumnias & ludibria in illum struat.

Non stabis contra sanguinem proximi tui . Non urgebis necem proximi tui . Vel : Nihil suscipies in sanguinem proximi tui. Aut tandem: Non deseres proximum tuum; ut liberes illum a discrimine totum te impendes . Qui incuria sua non averit malum , quod proximo suo ab altero imminere novit , ipse se maleficio onerat , quod avertere poterat , inquiunt Doctores Hebræi (2). Legibus Ægyptiis (3) capite damnabatur ille, qui cum proximum videret ab altero male exceptum , promptam non afferebat opem , siquidem valuisset . Res esse videtur in Textu (4) de accusatore vel teste, qui capitis sententiam in alterum urget ; parallela autem videtur sententia alteri, ℣. 18. *Non quæras ultionem , nec memor eris injuriæ civium tuorum* .

℣. 17. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue illum . Deest illud *publice* in Hebræo, Septuaginta, Chaldæo, cæterisque Versionibus . Textus fert tantum (5) : *Corripiendo corripe*; vel *Plane corripe* . Vetat lex ne foveatur simultas in animo , quæ data quondam occasione erumpat in ultionem . Illud tantum læso permittitur, ut debitam satisfactionem pro injuria exigat, cum & arguat crimen lædentis ; vox enim originalis commode designare potest & reparationem injuriæ , & meram correctionem ; sed contextus sermonis postremo huic sensui magis favet.

Ne habeas super illo peccatum . Ne , si forte verbis castigare illum neglexeris, criminis , quod tollere poteras, reum te constituas. Verti etiam posset (6) : *Ne patiaris super illo esse peccatum*. Aliter: *Non tolles super eum peccatum*; ementitum crimen illi non impinges (7) ; Vel etiam : *Non corriges insultando*. Tandem: *Non accipies propter illum peccatum* ; silentio scilicet tuo ne trahas in te seu peccatum seu pœnam peccati . Vel, juxta Hebræos: *Ne illum pudore suffundas , publice arguens* (8) , Animadvertere hic juvat discrimen inter sanctiones Moysis & Evangelicas . Permittit Moyses Hebræis, ut continuo & omni amota cautione arguatur ille, a quo quis injuria est affectus. Eo autem spectabat Legislator , ut tolleret occultas & perpetuas simultates ; ut præveniret ultiones privata authoritate inferendas. Norat, habere se rem cum populo indocili; quare aliquid indulgendum censuit ingenio illorum violento. Primo furentis animi æstui permittit, ut effundat se in amaras adversarii objurgationes, quo majus imminens malum avertat . Contraria omnia placent Jesu Christo (9) ; vetat enim ne privatas etiam nostras injurias verbis palam objurgatoriis prosequamur. Jubet fratrem argui clam & remotis arbitris: si emendare crimen negaverit , coram duobus vel tribus testibus arguatur iterum ; si ulcus fuerit intractabile , tandem res deferatur ad Ecclesiam , Eumdem sibi statuunt finem Moyses & Jesus Christus , ut scilicet charitatem inter homines conservent , præcidantque viam odiis & ultionibus . Primo animi æstui aliquid concedit Moyses in gratiam læsi , ut scilicet acrius & validius reprehendat lædentem: animi æstum suffocat plane Jesus Christus ; mandat enim ut læsus arguat adversarium animo pacato , tranquillo & amico. *Debemus amando corripere , non nocendi aviditate , sed studio corrigendi* (10). Id vero præstandum est , *ne arguendo vindicare te velis , sed potius consulere illi quem arguis* (11). Quædam sunt crimina, quæ argui palam volunt leges Evangelicæ , uti docet Augustinus post Apostolum (12) : *Peccantes coram omnibus argue , ut & cæteri timorem habeant* . Ea vero peccata publica sunt , & cum scandalo patrata . *Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus , quæ peccantur coram omnibus ; ipsa corripienda sunt secretius , quæ peccantur secretius . Distribue tempora , & concordat Scriptura* (13).

℣. 18. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum . Septuaginta (14): *Non vindicabitur manus tua ; & non irasceris filiis populi tui*. Hebræus (15) : *Non ulcisceris te , & non observabis filios populi tui* ; idest, *non strues insidias filiis populi tui* ; vel potius : Ne ad ultionem te pares, nec ulciscendi occasionem quæras . Legem hanc conciliaturi cum aliis , tolerantibus ultionem , claudendam censemus intra fines ultionis subitæ & præcipitis , vel ejus , quam ultor meditatur , differt , & studet exigere , fovens intus odium , & rabiem secretam; vel saltem hoc accipiendum de ultione non tolerata a lege : nisi malueris , Deum etiam atque etiam commendare hic clementiam , & consilia tua de ultione revelare : quippe qui prosequi injuriarum ultionem ex lege talionis non permiserit , nisi ut duro corde Judæis obsecundaret. Ultionis iniquitas vel ipsos Paganos non latuit : noverunt ipsi pariter , motum hunc cordis, quo agimur in adversarios , excitari in ea hominis parte , quam ratio non dirigit , & in qua nihil habemus a brutis discretum (16) . Quærere doloris sui lenimen ex alterius dolore , inter iniqua est iniquissimum . *Ultor est offensore iniquior* , ait Maximus Syracusius , Ὁ τιμωρῶν τοῦ προϋπάρξαντος ἀδικώτερος . *Inhumanum verbum est* , ait Seneca (17) , *& quidem pro justo receptum , ultio ; & a contumelia non differt , nisi ordine . Qui dolorem regerit , tantum excusatius peccat* .

Nefas est homini ultionem procurare; cum enim plus nimio se diligat, in vindicta excederet. Cum sit ipse criminosus , sententiam in se diceret , Quidquid illum offendit, disponente numine accidit ; si ergo ipse se ulcisceretur , arma in Deum caperet. Tota ergo ultio Deo, ad quem pertinet , permittenda est : *mea est ultio* , Ultionem ille quidem differt, sed infert tandem, & sero licet aut cito, semper tamen crimen graviter ulciscitur : *lento gradu ad vindictam divina ira procedit ; sed tarditatem gravitate compensat* . Val. Max.

Diliges amicum tuum , sicut te ipsum . Hebræum *Reecha* (18) æque significat *amicum & proximum tuum* , vel hominem utcumque , quocum nexu aliquo jungamur, quamvis adversarium nostrum se præbeat . Probatur hæc expositio hoc eodem capite, ℣. 34. ubi Deus mandat Hebræis , ut diligant peregrinum , tamquam se ipsos : *Diligetis eum quasi vosmetipsos* ; uti & in Exodo xxiii. 4. 5. ubi jubemur porrigere manum adversario , & operam nostram cum illo conjungere , ut educamus

(1) לא תיכול קרצין בעמך (2) Apud Selden. de jure nat. & gent. l. 4. c. 3. (3) Diodor. Sicul. l. 1. Ἐὰν δέ τις ἐν ὁδῷ κατὰ τὴν χώραν ἰδὼν φονευόμενον, ἢ τὸ καθόλου βίαιόν τι πάσχοντα, μὴ ῥύσηται δυνατὸς ὤν, θανατοῦσθαι ὤφειλεν. (4) לא תעמד על דם רעך (5) הוכח תוכיח את עמיתך (6) ולא תשא עליו חטא (7) Vatab. (8) Apud Selden. l. 4. de Synedr. c. 9. (9) Matth. xviii. 15. 16. 17. (10) Aug. Serm. 82. n. 2. (11) Aug. in Levit. q. 70. (12) 1. Tim. v. 20. (13) Aug. Serm. 82. n. 9. 10. (14) Οὐκ ἐκδικᾶταί σου ἡ χείρ, καὶ οὐ μηνιεῖς τοῖς υἱοῖς τοῦ λαοῦ σου. (15) לא תקם ולא תטר את בני עמך Septuag. Οὐ μηνιεῖς, *Non succensebis* . Alius : Οὐ τηρήσεις, *Non servabis*. (16) *Cogitare quomodo quis remordeat nocentem , & nocenti noceat , feræ est , non hominis* . Muson. (17) De Ira l. 2. c. 32. (18) Vide Genes. xi. 3. Exod. xi. 13. xx. 17. & Judic. vii. 13.

mus bovem ejus in foveam lapsum, & fatiscens sub pondere jumentum ejus relevamus. Sensum hujus præcepti firmavit Jesus Christus (1) adversus male sanas interpretationes Judæorum, ex eo inferentium, fas esse odio prosequi inimicum. Ostendit Christus, homines utcumque proximos esse nostros, quos proinde etiam injurios nobis & inimicos jubemur amare tanquam nos ipsos: non eodem utique amore, ac quo nosmetipsos prosequimur, id enim vix ac ne vix quidem fieri posset; sed ut amemus illos tamquam nos ipsos, idest, ut eadem illis bona procuremus, eadem ab illis avertamus mala, amemus homines Dei causa, quemadmodum & Dei causa nos ipsos diligimus: uno verbo, id præstandum est nobis in proximos, quod ab aliis in nos præstari vellemus. Fas est utique odio insectari vitia, sed non homines (2). Cum autem Deus imperavit Hebræis internecionem Chananæorum, vetuitque ne pacem cum illis componerent unquam, agerentque pacifice, nunquam in fœdus cum ipsis consentirent, sed hostes semper haberent (3); cave tamen credas, permitti Israelitis odium in homines Chananæos. Non enim volebat Deus, ut alio animo Israelitæ gentem illam criminosam respicerent, ac quo ipse respiciebat, Cum autem Deus crimen solummodo detestetur, nec Hebræi pariter odium fovere poterant, nisi in crimina. Ministri erant tantum justitiæ divinæ, justam in eos animadversionem prosequentis. Sensum hujus legis Philo utique pervasit, cum in libro contra Flaccum ita loquentes inducit Judæos Alexandrinos post casum Flacci hostis ejusdem gentis: *Non gaudemus, Domine, pœna inimici, docti tuis sacris legibus condolere calamitati hominum: sed tibi meritas gratias agimus, qui nostri misertus sublevasti afflictiones continuas*,

℣. 19. Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Legis hujus litera prona est. Sed Deus altiori sensu (4) eo spectabat, ut removeret populum suum ab iis commixtionibus, a quibus abhorret natura, & a fœderibus cum populo alterius religionis. Autumat Spencerus (5), vetari hac lege tantum impuras animalium conjunctiones in obsequium Veneris vel Priapi: sed hujus opinionis suæ, plane singularis & novæ, nulla promit idonea documenta.

Agrum tuum non seres diverso semine. Septuaginta: τὸν ἀμπελῶνά σου οὐ κατασπερεῖς διάφορον, *vineam tuam non seminabis, ut duplices fructus ferat*. Satis est enim, si vites alat, quin cogatur laborare ferendis aliis fructibus. Legis hujus symbolicæ rationes non aliæ sunt a præcedenti; sed ægre admodum literales assignarentur, nec facile aliæ supperent quam istæ. Varia hæc semina, & fructus in eodem agro seu vinea sati, nimis destitutum reliquissent solum; quare immodica hæc humoris erogatio hero incommoda accidisset. Docet Plinius libro XVIII. c. 10. *Vetant inter vites arboresque fragiferas seri, terram emaciari hoc satu existimantes*.

Meminit Palladius *in Junio*, *titulo* IX. veteris cujusdam Ægyptiorum superstitionis, legi huic affinis. *Ut proventum futuri cujusque seminis experiantur, aream brevem loco subacto & humido, mense Junio, excolant, & in ea diversis spatiis omnia frumenti vel leguminum semina spargunt. Deinde in ortu caniculæ explorant, quæ semina ortum sidus exarat, quæ illæsa custodiat. His abstinent, illa procurant, quia indicium noxæ aut beneficii, per annum futurum, gerri unicuique sidus aridam præsenti exitio vel salute præmisit*.

Veste, quæ ex duobus texta est, non indueris. Vocis hujus Hebraicæ *Schahatnez* (6) genuina significatio ignoratur. Panni cujusdam Ægyptii, cujus Deus vetat usum Judæis, nomen esse reputavit Grotius. Pannum hunc intextum e lino lanaque docent Rabbini; nec sane aliter docet Moyses in Deuteronomio XXII. 11. Autumat Josephus (7), Deum hac sanctione reservare tantum Sacerdotibus jus habendi id generis vestes solemnes, quippe qui soli uterentur vestibus variatis non colore tantum, sed & textura, ex lana scilicet linoque. Definiunt hanc legem Rabbini ad solas vestes ex lino lanaque simul, adeo ut, si docentes illos audias, nihil in eam legem faciat, qui suit vel admiscet lanam cum cannabe, neque enim apud illos cannabis lini genus habetur: fas & etiam jungere sericum vel gossypium lino: inter lanæ vero genera, nullum vetatur necti lino nisi ovium, & illud, quod appellant *Chalaco*, [est lana pinnæ, piscis ex ostreorum genere], ideo scilicet, quod ad ovis lanam accedat proxime (8). Apud Romanos, teste Servio in ultimum Æneidos, *piaculum erat Flamini*, siquam habuisset tunicam laneam lineo filo consutam.

Sub litera hujus Textus contineri moralem alium penitiorem sensum, quem symbolicis hisce ambagibus tegere voluerit Legislator, ne ambigimus quidem. Id autem nobis duplici hac ratione persuadetur. I. Quod hæ leges iis conjungantur, quæ vetant conjunctiones illicitas, & naturæ contrarias. II. Quod hæc præcepta ad literæ rigorem non satis digna videantur majestate Dei, non satis conducere ad commoda Reipublicæ, neque cum legions œconomiæ congruere: quibus adde, solemne fuisse Veteribus, præcepta moralia sub figuris & emblematibus tradere. Hinc tenuit methodum Pythagoras in docendis discipulis suis: monebat e. g. ne gladio moverent ignem, ne cor suum comederent, ne imaginem Dei gestarent in annulo, ne alerent in domo sua hirundines &c. quæ totidem sunt moralia præcepta. Simile aliquid habet interdum & Salomon (9). Interpretibus nonnullis (10) persuadetur, legum hujusmodi sensum alium esse a literali, quod scilicet Hebræi nunquam sibi duxerint religioni uti mulis, ex coitu equi & asinæ natis (11), quasi scilicet id jumentorum genus procurare illi sibi non potuissent ab exteris. Latens harum legum sensus literalem mandati observantiam non excludebat.

℣. 20. Homo si dormierit cum muliere, quæ sit ancilla etiam nubilis, et tamen pretio non redempta, nec libertate donata, vapulabunt ambo: Siquis homo vitiaverit ancillam puellam alteri desponsatam; seu potius quæ alteri nuptum tradita est loco uxoris secundariæ vel concubinæ, vel empta est a viro aliquo amplissimo in ancillam simul & uxorem, & fœmina illa corrupta deprehendatur antequam redempta sit & manumissa, uterque punietur flagro; sed neutri id crimen erit capitale, uti re ipsa censeretur, si puella esset ingenua. Reddidit Vulgata *nubilis*, quod in Hebræo est נחרפת *Nechorephet*; sed plerique illud vertunt *desponsata*, vel etiam *nupta*. Septuaginta: Πεφυλαγμένη ἀνθρώπῳ, *Reservata homini*. Iidem Septuaginta in nonnullis editionibus legunt, puellam tantum animadversione

(1) Matth. XXII. 39. (2) Aug. l. 19. contra Faust. cap. 24. (3) Exod. XXXIV. 12. *Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias*. (℣. 15.) *Ne ineas pactum cum hominibus regionum illarum*. Deut. VII. 2. *Percuties eas usque ad internecionem: non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, nec sociabis cum eis conjugia*. (4) Vide Theodoret. quæst. XXVII. in Levit. & Guillelm. Paris. lib. de leg. cap. 12. D. Thom. 2. 2. quæst. 102. art. 6. ad 8. (5) Spencer. de legib. Hebr. ritual. l. 2. cap. 20. (6) בגד כלאים שעטנז לא יעלה עליך (7) Joseph. Antiq. lib. 4. cap. 8. (8) Vide Braun. de vestib. Sacerdot. Hebr. l. 1. cap. 5. §. 3. (9) Vide Prov. XXX. 15. 16. 19. 23. & XXXI. 3. 8. & Eccles. XII. 3. 5. 6. &c. (10) Vide Cajetan. Hugon. Cardinal. &c. (11) Vide 2. Reg. XIII. 29. XVIII. 9. & 3. Reg. I. 33.

flagri puniendam esse; quod etiam præferunt Onkelos, & Jonathan cum Arabico; vicissim autem Samaritanus de viro tantum id perhibet: *Vapulabit ipse vir*; vel *vapulatio ipsi viro*, בקרת תהיה לו, pro לא, alii legunt לה.

Defendunt Rabbini, solam mulierem obnoxiam esse animadversioni; cædi vero illam loris e corio bovis; eamque genuinam esse significationem Hebræi (1) *Bikkoreth* affirmant. Addunt, sermonem hic esse de ancilla alterius, qui Judaicam religionem profitetur, non vero de ancilla viri alterius religionis; quare immunem esse a pœna virum. Retinent hodie pariter eumdem morem. Hebræus fert tantum; *Animadversio erit: non morientur*: vel, juxta alios: *Inquisitio erit; non morientur*. Postremum hunc sensum retinent Septuaginta (2). Sed familiari eorum phrasi *inquisitio* ponitur sæpe pro animadversione (3). Sunt qui reddant Hebræum: *Dimittentur liberi: non morientur*.

ORABITQUE PRO EO SACERDOS, ET PRO PECCATO EJUS. Hebræus, Chaldæus, Septuaginta legunt: *Expiabit pro eo Sacerdos in ariete peccati*; offeret in sacrificium expiationis illius arietem.

℣. 23. QUANDO PLANTAVERITIS LIGNA POMIFERA, AUFERETIS PRÆPUTIA EORUM. Hebræus ad literam (4): *Præputiabitis præputium ejus, fructum ejus*. Demendi erant fructus illi vix protuberantes, antequam maturescerent, quemadmodum circumcidebantur infantes die octava ab ortu. Vel forte contrario sensu: Fructus hosce deseretis, tamquam impurum aliquid, & non circumcisum. Chaldæus: *Fructus ejus erit vobis prohibitus tribus annis*. Syriacus: *Relinquite eas tribus annis, & ne comedatis e fructibus earum*. Obtinet alicubi, ut agricolæ præcidant ex arboribus nondum trimulis vel quadrimulis flores, quo arborum illarum succum conservent, impendaturque totus alendæ & confirmandæ arbori. Primi illi fructus plerumque sapiunt minus grate. Cavit Deus, ne sibi offerrentur fructus ante quartum annum; *Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur*. Novæ arboris fructus quarto plantationis vel insitionis illius anno deferebantur ad Tabernaculum; Dei erant omnia, nec ante id temporis quidquam convertebat dominus fundi in usus privatos. *Ligna pomifera*, generatim omnia. Hebræus, & Septuaginta habent ad literam כל עץ מאכל, πᾶν ξύλον βρώσιμον, *omne lignum manducabile*, fructus ferens comestibiles.

℣. 25. QUINTO AUTEM ANNO COMEDETIS FRUCTUS, CONGREGANTES POMA, QUÆ PROFERUNT. Reddi posset Hebræus: *Quinto autem anno comedetis fructum ejus, ut quod illa* (arbor) *feret, crescat vobis*. Vel potius; Ut Dominus augeat affluenter proventuros ex arboribus fructus. Arabs: *Ego Dominus Deus vester augebo vobis fructum earum*. Dum primi arboris fructus colligebantur, tres adessent testes opus fuisse dicunt, quo scilicet eorum assertione constaret, herum præceptum hujus Legis implesse. Ad exordium annorum recens satæ arboris quod attinet, videsis quæ disputavimus in Exodi XXI. 2.

℣. 26. NON COMEDETIS CUM SANGUINE. Septuaginta legerunt in Hebræo הרים *Harim*, *montes*, pro הדם *haddam*, *sanguine*. Vertunt autem: Μὴ ἔσθετε ἐπὶ τῶν ὀρέων, *Non edetis super montes*. Græcus alius Interpres habet: Ἐπὶ τοῦ δώματος, *In tecto*, vel *in domo*. Constat utique, olim offerri consuevisse Sacrificia in editis locis; atque in tectis domorum cultum impensum fuisse Numinibus, perhibet Scriptura (5): nec tamen id valet impetrare a nobis, ut deseramus lectionem Vulgatæ, quam fulcit Hebræus, quæque exprimere potest cautionem, ne degustetur caro animalium nondum probe expurgata sanguine, vel suffocatorum. Legis hujus sanctioni obsecuturi Judices Sanhedrini, qua die morte reus aliquis plectebatur, abstinebant a cibo, inquiunt Rabbinorum quidam. Vertunt autem illi Hebræum (6): *Non comedetis super sanguine*; idest, super sanguinem hominis morte damnati. Malunt alii (7) ita reddere Textum: Non comedetis victimam, cujus sanguis non sit effusus super Altare.

NON AUGURABIMINI, NEC OBSERVABITIS SOMNIA. Vocum originalium hujus Textus genuina significatio ignoratur (8). Convenit inter omnes, vetari hic a Scriptura magica quæcumque, & divinationes; sed quas potissimum designet divinationes, arduum est indicare. Suspicantur nonnulli, primam Textus originalis vocem accipi oportere de divinatione per angues, seu per lances æneas, quod scilicet Hebræum *Nachusch* deligenet æs, & anguem. Porro de auguriis, vel divinatione per angues, Græcis *Ophio-manteja*, sermo est apud Homerum aliosque plures (9); eamdemque per lances æneas divinationem habes apud Plinium libro XXX. capite 2.

De altera, quæ sequitur, voce nihil habemus magis compertum: divinando vertunt Interpretes. Sunt qui reddi posse censeant: *Non oculis considerabitis*, voce deducta ex Hebræo *Hain*, *oculus*: non distingues inter dies fastos, & nefastos, quæ superstitio est Genethliacorum, quorum meminit Apostolus (10). Auguria e rerum Cœlestium inspectione vetari hic, reputat Vatablus. Junius accersit Hebræum ex *Hanan*, *nubes*: *Auguria e nube non captabitis*. Malunt alii: *Non obnubilabitis*, supple, *oculos aspicientium præstigiis*; non fascinabitis oculos. Septuaginta; Οὐδὲ ὀρνιθοσκοπήσεσθε, *Non auspicabimini*, omina ex avium volatu non capietis. Commode retineri potest sensus Vulgatæ.

℣. 27. NEQUE IN ROTUNDUM ATTONDEBITIS COMAM. Finitimæ Judæis gentes tondebant comam; idest, inferiori capillorum parte detonsa, supremi verticis capilli speciem referebant coronæ ambientis caput. Obtinebat id apud Arabes, & apud Macas, populos Lybiæ, teste Herodoto (11); id autem adoptasse se gloriabantur imitatione Dionysii, vel Bacchi, qui eo ritu comatus incedebat. Textus est quidam in Jeremia (12), indicans, Idumæos, Ammonitas, & Moabitas extremam comam præcidisse, idest, facile in gyrum totondisse. Inter gentes abscissas coma recenset pariter idem Propheta XXV. 23. Dedan, Thema, & Buz. Chœrilus vetus poeta Græcus ita describit comam Solymorum, gentis origine & sermone Phœniciæ (13); *Squallidi vertice, abrasi comam in gyrum*. In rotundum tonsos crines habebant Phaselitæ, ait Hesychius; sed Phaselitas cum Solymis vicinis gentibus facile confundit.

Septuaginta vertunt (14): *Non facietis Sisoen ex capite vestro*. Exprimit *Sisoe*, juxta Bochartum, floccum quemdam capillorum, retro post occiput relictum, attonsa circum reliqua coma. Id autem

(1) בקרת תהיה לא יומתו כי לא חפשה (2) Ἐπισκοπὴ ἔσται αὐτοῖς, οὐκ ἀποθανοῦνται. Alius: Ἐπίσκεψις, *Inquisitio*. (3) Vide Psal. LXXXI. 4. Sap. II. 20. III. 6. XIX. 4. Eccli. XL. 6. &c. (4) וערלתם ערלתו את פריו (5) Sophon. I. 5. *Qui adorant super tecta militiam cæli*. Jerem. XIX. 13. XXXII. 29. (6) לא תאכלו על הדם (7) Jonathan, & Maimonid. (8) לא תנחשו ולא תעוננו (9) Homer. Iliad. B. Virgil. Æneid. X. Valer. Max. l. 1. c. 6. Cicer. de divinit. l. 1. Horat. Od. l. 3. 27. (10) Galat. IV. 10. *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos*. (11) Herod. l. 3. cap. 8. Καὶ τῶν τριχῶν τὴν κουρὰν κείρεσθαι φασὶ, καθάπερ αὐτὸν τὸν Διόνυσον κεκάρθαι. Κείρονται δὲ περιτρόχαλα, ὑποξυρῶντες τοὺς κροτάφους. Et id. lib. 4. cap. 175. (12) Jerem. IX. 25. 26. *Visitabo super omnes qui attonsi sunt in comam*. (13) Αὐχμαλέοι κορυφὰς τροχοκουράδες. Apud Joseph. contra Appion. (14) Οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν.

autem facile designatum est Hebræo צִיצִית *Zizit*, apud Ezechielem VIII. 3. ex quo facile pariter deducitur Græcum *Sisoe*. Cyrrhum appellat S. Cyprianus (1). Vetus Scholiastes in Leviticum ita describit Sisoen: Plexus, ait ille, crinium, qui offerebatur Chrono, vel Saturno, [illegible]. Floccos hosce capillorum gerunt Saraceni; idemque in Syria obtinuisse tradit Lucianus de Dea Syra. Hebræus (2), juxta versionem Pagnini fert: *Non in circuitu attondebitis angulum capitis vestri*; idest, tempora, vel crines illa tegentes, quique cadunt in frontem, ac retro post occiput fluunt ad collum, ut vertex tantum superior rotunda coma tegatur.

Nec radetis barbam. Mirari subit, cur Moyses demittat se adeo, ut vel dirigat rationem parandi comam, & barbam. Hæc utique occupare non solent curas Legislatorum. Neque enim qua ratione pili curentur vel tondeantur, id conducit sive ad optimam Reipublicæ politiam, sive ad institutionem cultus, vel Religionis. Hæc utique omnia in eam persuasionem inducunt, latere sub his ambagibus sensum alium occultum, & eo spectasse Legislatorem, ut opponeret se moribus quibusdam superstitiosis Ægyptiorum. Jam supra animadversum est, cautionem latam non attondendi comam, perspicue referri ad mores earum gentium, qui tonsa coma Bacchum colebant. Ita pariter & præceptum non radendi barbam, ad literam (3), *non corrumpendi prorsus angulum*, seu *extremitatem barbæ*, opponi credo receptis aliquibus apud Ægyptios cæremoniis.

Nec Judæi hodie mores hosce veteres penitus exuerunt; tenue etenim barbæ filum relinquunt ab inferiori aure, usque ad medium mentum, ubi longus barbæ floccus relictus pendet; sicut & barbæ est aliquid in inferiori labio: tandem superius labium habet duos distinctos barbæ floccos infra nares.

Neque vetat hic Moyses Judæis, ut barbam utcumque abscindant; sed tantum vetat, ne radant extrema; idest, ritu Ægyptiorum, barbam gerentium unice ab imo mento pendentem, ut animadvertere licet in Mumiis, & in simulacris Numinum Ægyptiorum, quæ nostra ætate supersunt: sunt enim illis tempora, genæ, labia penitus abrasa, ut barbæ nihil habeant, nisi ad imum mentum, unde multa descendit in pectus. Floccus iste barbæ præcidebatur in luctibus Ægyptiorum. Cavet Moyses, ne superstitionem hanc barbæ imitentur Hebræi: vetat abradi barbam ad utraque tempora. Legatos Davidis ludibrio traducturus Rex Ammonitarum recidit illis barbam, non totam quidem, sed dimidiam; rasit illos more plane a familiari Hebræorum altero ac diverso (4).

Commode etiam alter Textui sensus apponitur, inferiore sententia cum superiore conjuncta: *Non abscindetis barbam in gyrum anguli capitis, & non radetis extremitatem barbæ vestræ, & non facietis incisiones pro mortuo aliquo*, vel *pro mortuo*; idest: Non agetis luctum Adonidis, vel Osiridis; nec in ejus obsequium insignia luctus præferetis. Porro insignia illa erant rasio capillorum ac barbæ, & carnis incisiones. Cum interdicit Moyses Judæis, ne totus ager demetatur, phrases adhibet istis persimiles: *Cum messueris, non tondebis angulum agri tui*. Quare non incongrue reputaremus, vetitum radere penitus barbam, & crines; quod ab illo designatur, dum cavet, ne radatur extremum barbæ, idque in honorem mortui alicujus, vel mortui. Tota antiquitate notissimus est mos cædendi comam in funeribus. Post obitum Patrocli (5) milites Achillis cæsis comis suis texerunt cadaver. Ipse pariter Achilles deposuit comam, quam consecraverat amni Sperchio. Pisistratus filius Nestoris nihil se præstare posse mortuis dicebat cum Menelao loquens, quam abscindere crines, & dare lacrymas (6). Obita Ephestionis alte dolens Alexander (7) jubas equorum, & mulorum totius exercitus præcidit. In obitu Masistii, Persæ & suas ipsi, & equorum suorum comas totonderunt (8). Recisa barba, & crinibus, lugere solebant funera sua Ægyptii (9), Moabitæ (10), Babylonii (11), Assyrii (12). Nec funerea hæc luctus insignia insueta fuisse Hebræis, cum funera propinquorum lugerent, scimus, sive quod Legis sanctioni ea in re minus delatum fuerit, sive quod Moyses interdixerit tantum luctum aliquem superstitiosum in honorem Numinis alicujus: quod nos magis probamus.

℣. 28. Super mortuo non incidetis carnem vestram. Hac Legis sanctione nequicquam obstante, Hebræi non abstinebant in luctibus a scalpenda, vel incidenda carne sua (13), ut in Genesi L. jam animadvertimus. Norant id pariter & Pagani (14), quorum in funeribus mulieres scalpebant vultum, ratæ eo sanguine pacari iratos Inferorum Deos. Asserit Plutarchus (15), persuaderi barbaris quibusdam gentibus, acceptissimum esse mortuis, si quis plagas sibi inferat, in auribus, naribus, vel alicubi in corpore. Solamne id erat Scythis in funeribus Regum suorum, ait Herodotus (16). Anna soror Didonis (17) exhibetur

Unguibus ora soror fædans, & pectora pugnis.

Leges duodecim Tabularum edicunt: *Mulieres genas ne radunto* (Radere est hic unguibus cruentare, ait Festus). Morem hunc, cum in sævitiam degeneraret in funeribus Atheniensium, justa moderatione coercuit Epimenides (18). Apud Persas hodie pariter filii & servi virorum clarissimorum incidunt sibi lacertos, dum obire contingit sive parentem, sive herum.

Vetus mos defunctos solemni ritu lugendi perseverat adhuc in Græcia, cæterisque Græci moris Provinciis. Coeunt fœminæ in selectum ad id locum, & primo exoriente diluculo lamentationes suas exordiuntur. Plangunt pectus, scalpunt genas, evellunt miserabiliter crines; utque meliori ordine funebri cæremonia dirigatur, seligunt e suo cœtu eam, cujus est vocis sonus validior, qua præcinente regantur pariter cantus, tonus, & pausæ, atque ita clamores suos prorogant, intermixtis defuncti laudibus, totiusque vitæ narratione, ab ortu scilicet ad obitum. Neque id perfunctorie ac leviter præstant: quædam serio maxime sese tundunt, atque ora scalpunt. Obtinet idem pariter, & multo forte validius, in Syria apud Christianos, & maxime omnium apud Judæos.

Porro Judæi religioni sibi non duxerunt in luctibus præstare quidquid apud finitimas gentes invaluerat; exceptis superstitionibus, quas in funeribus admittere vetabat Lex. Unde nobis persuasio, genuinum Legislatoris consilium in hac lege sancienda illud fuisse, non ut in luctibus interdi-

(1) Lib. 3. testim. 88. (2) לא תקפו פאת ראשכם Aqu. Οὐ περικυκλώσετε τὸ κλίμα τῆς κεφαλῆς σου. Symmach. Οὐ περιξυρήσετε κύκλῳ τὴν ὄψιν τῆς κεφαλῆς ὑμῶν τὸ φαλὸν [melius τὸ φαλαρὸν] τοῦ πώγωνός σου. (3) ולא תשחית את פאת זקנך (4) 2. Reg. X. 4. (5) Iliad. Ψ. (6) Odyss. Δ.

Τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι,
Κείρασθαί τε κόμην βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.

(7) Plutarch. in Alex. (8) Herodot. l. 9. c. 24. (9) Herodot. l. 2. c. 85. 86. (10) Isai. XV. 2. & Jerem. XLVIII. 37. (11) Isai. VII. 20. (12) Strab. l. 16. (13) Jerem. XLI. 5. Ezech. V. 1. (14) Serv. in 3. Æneid. *Varro dicit in exequiis & luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant*. (15) Plutarch. de Consol. ad Apoll. (16) Herodot. l. 4. c. 71. (17) Virgil. Æneid. lib. 4. (18) Plutarch. in Solone.

ceret incisiones, vel unguium lacerationes, sed ne has præstarent in honorem mortui, idest, Osiridis vel Adonidis, uti nos alibi evincere conati sumus. Quæ superstitionis erant in his rerum eventibus, vetat; quæ moris communis, & non criminosi, permittit.

Neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis. Hebræus ad literam (1): *Et scripturam punctorum non dabitis in vobis*. Characteres quosdam in honorem falsi alicujus Numinis, compunctis carnibus, sibi imprimebant Pagani. Ne id præstent Hebræi, vetat Deus. Olim Christiani (2) in cubitis brachii atque in manibus stigmatizabant se cruce, vel nomine Jesu Christi. Stigmata etiam sua superstitiosa, ferreo aliquo instrumento inducta, norant Pagani. Assyrii omnes cauteria imprimebant sibi, alii quidem in collo, alii in manibus, teste Luciano *de Dea Syra*. Hunc eumdem morem non obscure insinuat Philo (3) asserens, homines quosdam, ut Idolorum cultui validius addicant sese, coganturque semel initam religionem non deserere, urenti ferro imprimere carni suæ stigmata, servitutis suæ & devotionis perpetuæ argumenta. Folii hederacei (quæ arbuscula est Baccho sacra) stigmate inuri eos, qui abjectis Judæis sacris ad Pagana deficerent, jussit Ptolemæus Philopator (4). Describit eleganter Prudentius (5) impiam illam superstitionem inscribendi cutem urentibus acubus. Notat pariter Theodoretus (6), morem illum Paganorum fœdendi incisionibus genas in obsequium defunctorum, compungendique carnem aciculis, tum vulnera opplendi nigro quodam pigmento, quæ sacra erat Dæmonum religio. Primum illud superstitionis genus vetat Lex in superiori articulo, secundum vero hic prohibet. An stigmata Numinibus sacra induxerint sibi Israelitæ, nullibi quidem apparet in Veteri Testamento: sed in Apocalypsi XIII. 16. 17. eo non obscure spectatum est: *Et faciet omnes habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus*. Inferunt hæc pariter verba Isaiæ XLIX. 15. 16. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum? . . . & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.*

℣. 29. Ne prostituas filiam tuam. Textum hunc accipiunt optimi Interpretes de more illo parentum prostituendi filios suos in religiosum obsequium Numinum; cujus crebriora, quam pro voto, sunt exempla in Scriptura, & apud Profanos. Frequens recurrit sermo in Libris Regum (7) de adolescentulis prostitutis. Judæis exprobrat Joel III. 3. quod filios & filias prostitui permiserint, ut vinum haberent, quo ingurgitarentur. Strabo libro XVI. Herodotus (8), & Lucianus de Dea Syra, ita de prostitutionibus illis agunt, tamquam de re in toto Oriente familiari. Affirmat S. Augustinus (9), agens de Phœnicibus: *Veneri donum dabant, & prostitutiones filiarum, antequam jungerent eas viris*. Justinus: *Mos erat Cypris virgines ante nuptias statutis diebus, dotalem pecuniam quæsituras, in quæstum ad litus maris ducere, pro reliqua pudicitia libamen Veneri soluturas.*

℣. 31. Non declinetis [a Deo vestro ut eatis] ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini. Reddi posset Hebræus (10): *Ne respiciatis ad pythones*, spiritus futura prædicentes, *nec ariolos*. Vox *Oboth* designat proprie Spiritum familiarem ariolorum (11). Porro deducitur vox illa ex Hebræo *ob*, *lagena*, vas vitreum ampliori ventre. Inducendi nominis hujus ratio ea forte reputanda est, quod Magi ex imo stomacho & ventre loquantur; unde apud Græcos appellati sunt Ἐγγαστρίμυθοι, *engastrimythi*, & apud Sophoclem, Στερνομάντεις, *sternomanteis*, nempe ex imo ventre & pectore dantes vocem.

Secundam illam vocem Textus, quam nos reddimus *Ariolos*, Septuaginta verterunt ἐπαοιδούς *incantatores*. Hebræi nominis vis exprimit, qui occulta & ingenio humano impervia prodere se jactitant, ad literam, *cognoscentes*. Græci vocabuli, quo utuntur Septuaginta, vis reddit eos qui excantationibus suis curandos morbos suscipiunt. Nugantur Rabbini pro more, cum Hebræum *Iddonim* explicant de Magis quibusdam futurorum conjectoribus, utentibus in eam rem osse animalis *Jadduah*, quod tenent inter dentes. Magiam plurimi fecere veteres Philosophi; cujus & discendæ cupidi longa interdum itinera susceperunt (12). Illi ne studeant Hebræi, vetat Deus. Vetus Interpres Græcus, qui Aquila creditur, reddit (13): *Ad voluntarios, & cognitores*.

℣. 32. Coram cano capite consurge. Seniores peculiari obsequio colendi sunt, non idcirco maxime, quod ætate sint venerabiles, sed quod dotes in illis censeantur cultu & honore dignæ, uti sapientia & prudentia, quas diuturna rerum experientia compararint. Ut assurgant coram illis, & stent ipsis præsentibus, mandat lex; quo in more Ægyptii erant Hebræis plane similes. Cum senior aliquis euntibus occurrit, ait Herodotus (14), statim recipientes sese, liberam illi permittunt viam; itemque cum ad locum aliquem venerit senior, assurgunt omnes honoris gratia; cujus plane laudabilis moris imitatores habent inter Græcos, unicos & singulares Lacedæmones. Docent Rabbini, assurgendum esse, cum senior quatuor cubitis prope accedit; sedendumque statim cum transierit, ut aperta ea significatione ille intelligat, id in ipsios honorem solummodo præstitum esse. Chaldæus, & Philo cum Interpretibus nonnullis censent, generali Senis nomine censeri pariter viros in lege consultos: *Coram eo, qui doctus est in lege, surgas*. Quin & Rabbinis nonnullis persuadetur, non ætatem respiciendam esse, sed sapientiam: *Senex non est senex, nec ut senex honorandus, nisi sapiens*. Sed quando de honore seni præstando conveniet, si axioma istud teneatur? Integrum semper erit minoribus colere, vel officium negare senibus, si de merito illorum judicium junioribus permittatur.

℣. 35. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Hebræus (15): *In judicio, in mensione*, metiendo scilicet vel ulna, vel pertica, vel funiculo, *in pondere, in mensura* liquidorum vel aridorum.

℣. 36.

(1) וכתבת קעקע לא תתנו בכם (2) Procop. in Isaiam XL. (3) Philo de Monarch. l. 1.
(4) 3. Macchab. Ἀναγκάζεσθαί τε γινομένων καὶ διὰ πυρὸς εἰς τὸ σῶμα παράσημον Διονύσου κισσοφύλλῳ.
(5) Prudent. hymnn x.
Quid cum sacrandus accidit sphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus:
His membra pergunt urere; utque igniverint,
Quamcumque partem corporis fervens nota
Stigmavit, hanc sic consecratam prædicant.

(6) Theodoret. quæst. 18. in Levit. (7) 3. Reg. XIV. 24. *Effæminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium*. 4. Reg. XXIII. 7. *Destruxit ædiculas effæminatorum, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci*. Vide Osee IV. 14. & Baruch. ult. 42. *Mulieres circumdatæ funibus, in viis sedent, succendentes ossa olivarum*. (8) Herodot. l. 1. c. 199. (9) Aug. de Civ. l. 18. c. 5. (10) אל תפנו אל האבת ואל הידענים (11) Vide 1. Reg. XXVIII. 7. (12) *Certe Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, ad hanc discendam navigavere, exiliis verius quam peregrinationibus susceptis: hanc reversi prædicavere, hanc in arcanis habuere*. Plin. l. XXX. c. 1. (13) Πρὸς τοὺς θελητὰς, καὶ πρὸς τοὺς γνώστας. Ita & Levit. XX. 6. (14) Herodot. l. 2. c. 80. (15) במשפט במדה במשקל ובמשורה

℣. 36. ÆQUA SINT PONDERA. Vel juxta Hebræum, *lapides justi*, seu *lapides justitiæ* (1). Ad examinanda rerum pondera in usu erant lapides (2). Porro fraus parabatur in commercio, vel aucto in stateris pondere, cum res emebatur, vel extenuato, cum vendebatur.

JUSTUS MODIUS, ÆQUUSQUE SEXTARIUS. Hebr. *Epha justum, & bin justum*. Porro epha, mensuræ Parisiensis continet 29. pintas & semis, cum semisextario & octava pintæ parte: *bin* quatuor pintas & semis, cum semisextario, octava pintæ parte, quindecim digitis cubicis, & plus aliquid.

[1] אבני צדק [2] Prov. xi. 1. xvi. 11. xx. 10. 23.

CAPUT XX.

Pœnæ decretæ in eos, qui filios suos consecrant Moloch, consulunt ariolos, verbis injuriosis lædunt parentes; in adulteros, in connubia incesta; in eos qui fœdum aliquid contra naturam admittunt.

℣ 1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Hæc loquere filiis Israel: Homo de filiis Israel, & de advenis, qui habitant in Israel, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur, populus terræ lapidabit eum. 3. Et ego ponam faciem meam contra illum: succidamque eum de medio populi sui, eo quod dederit de semine suo Moloch, & contaminaverit Sanctuarium meum, ac polluerit nomen sanctum meum. 4. Quod si negligens populus terræ, & quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem, qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere: 5. Ponam faciem meam super hominem illum, & super cognationem ejus, succidamque & ipsum, & omnes, qui consenserunt ei, ut fornicaretur cum Moloch, de medio populi sui. 6. Anima, quæ declinaverit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui. 7. Sanctificamini, & estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester. 8. Custodite præcepta mea, & facite ea: Ego Dominus, qui sanctifico vos. 9. Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur: patri, matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum. 10. Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & mœchus, & adultera. 11. Qui dormierit cum noverca sua, & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo, sanguis eorum sit super eos. 12. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus operati sunt: sanguis eorum sit super eos. 13. Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur: sit sanguis eorum super eos. 14. Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est: vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. 15. Qui cum jumento, & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite. 16. Mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo: sanguis eorum sit super eos. 17. Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt: occidentur in conspectu populi sui, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint, & portabunt iniquitatem suam. 18. Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui. 19. Turpitudinem materteræ, & amitæ tuæ non discooperies: qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudavit, portabunt ambo iniquitatem suam. 20. Qui coierit cum uxore patrui, vel avunculi sui, & revelaverit ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum, absque liberis morientur. 21. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit: absque liberis erunt. 22. Custodite leges meas, atque judicia, & facite ea: ne & vos evomat terra, quam intraturi estis, & habitaturi. 23. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus sum eas. 24. Vobis autem loquor: Possidete terram eorum, quam dabo vobis in hæreditatem, terram fluentem lacte, & melle: ego Dominus Deus vester, qui separavi vos a ceteris populis. 25. Separate ergo & vos jumentum mundum ab immundo, & avem mundam ab immunda: ne polluatis ani-

mas vestras in pecore, & avibus, & cunctis, quæ moventur in terra, & quæ vobis ostendi esse polluta. 26. Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei. 27. Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos; sanguis eorum sit super illos.

℣. 2. SI QUIS DEDERIT DE SEMINE SUO IDOLO MOLOCH. Vide caput XVIII. 21. & nostram Dissertationem in Moloch.

℣. 3. EGO PONAM FACIEM MEAM CONTRA ILLUM. Onkelos: *Ego ponam iram meam in viro illo*. In superiori versiculo vidimus, impium illum hominem, qui dare filios Moloch ausus fuisset, lapidibus pœnas dare. Hic vero Deus profitetur, persecuturum se illum tamquam hostem, nec unquam aversurum faciem suam, nisi prius exterminatum ipsum intueatur; quod quidem non de homine ipso lapidibus jam confecto accipiendum est, sed vel de ejus filiis & familia, vel de ipso eodem homine, si in ejus damnatione Judices segniores se præbuerint (1); vel forte si crimen illud ita clam fuerit commissum, ut argui nequeat in judicio.

EO QUOD CONTAMINAVERIT SANCTUARIUM MEUM, alibi quam in Tabernaculo sacrificans (2).

AC POLLUERIT NOMEN SANCTUM MEUM; & Dei nomen & cultum, unice Deo ipsi debitum, transferens in Moloch.

℣. 4. QUOD SI NEGLIGENS, ET QUASI PARVIPENDENS. Hebræus (3): *Et si abscondendo absconderit oculos suos populus terræ a viro illo*, scelestum illud facinus parum curans. Septuaginta (4): *Si autem despectione despexerint indigenæ terræ oculis suis ab homine illo*, non curaverint crimen.

℣. 7. QUIA EGO DOMINUS DEUS VESTER. Samaritanus & Septuaginta: *Quia sanctus ego Dominus Deus vester*.

℣. 8. EGO SUM DOMINUS, QUI SANCTIFICO VOS, Qui sanctos esse vos jubeo, ac removeri a sordibus.

℣. 9. MORTE MORIATUR. Exprimi phrasi hac docent Rabbini mortem e fonte expetitam, laqueo faucibus elisis; cum vero additum est: *Sanguis ejus sit super eum*; designari ea phrasi volunt illatam lapidibus necem. Sed frustra illi: eodem enim hoc capite, ℣. 2. legitur de illo, qui filios suos traduxerit per ignem: *Morte moriatur*; statimque subditur, perimendum esse lapidibus. Præstat igitur reputemus, cum Scriptura de genere mortis nihil determinat, lapidationem plerumque significari, erat enim id supplicii genus familiare, Moysis ætate: vel forte Judicibus decernendi, quam maxime vellent pœnam mortis, potestas censenda est.

SANGUIS EJUS SIT SUPER EUM. Septuaginta: *Ἔνοχος ἔσται, reus erit*. Alii vero Textum ita exponunt: Mortis suæ reus est: sibi suam mortem debet, nec de altero queri potest; vel potius: Illum interficere fas est: suæ necis author ipse, & non alius, imputabitur. Arabs: *Occidione occidatur: jam licitus est sanguis ejus super eum*; pœna mortis ipsius in ipsum recidet (5).

℣. 10. MORTE MORIANTUR ET MŒCHUS ET ADULTERA. Adulterium capitale erat crimen apud Hebræos viro æque ac mulieri, illius convictis. Consuetum eorum supplicium habebatur lapidatio (6), quamquam id Moyses nullibi exprimit. Sunt qui eumdem morem obtinuisse credant apud Græcos, illud Homeri laudantes (7): *Certe nunc lapideam induisses tunicam, malorum gratia, quæ fecisti*. Sermo est ad Paridem. Verum si quæ fides testimonio Philonis (8), statuendum est, adulteros vario suppliciorum genere necatos fuisse, apud Hebræos; affirmat enim, jus omnibus fuisse qui hominem in adulterium deprehenderent, illum impune interficere. Id etiam sancitum erat Romanis legibus duodecim Tabularum: *Mœchum in adulterio deprehensum impune necato*. Permittebat marito Solon (9), ut pro arbitrio ageret in adulterum, quem in crimine cum uxore sua deprehenderet; vetitum tamen (10) gladio in sontem animadvertere. Fœminam in ipso adulterii crimine deprehensam, Solonis lege, mulctari illam affirmat Æschines (11) ornamentis suis, interdici ab ingressu publicorum Templorum; quarum legum si alteram transgrederetur, fas erat omnibus vestes illius dilacerare, ornamenta diripere, habere illam injuriis, & cædere; quin tamen seu nex, seu vitium aliud in membra corporis inferretur. Quæ leges integrum permittebant seu patri, seu marito neci tradere adulteros, in medium Christianismum receptæ sunt, qua tantum parte eximunt interfectores illos a pœnis civilibus, non vero qua immunes declarant a culpa. Porro ea permissio appellatur in Decreto (12) *lex mundana*. Decernit Constantinus (13): *Sacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet*. Et in Codice Theodosiano (14) alia occurrit lex, jubens insui in culeo adulteros, quæ pœna erat parricidarum, vel cremari vivos. Recitatum est alias testimonium Capitolini, ferens, jussu Macrini Imperatoris adulteros igni tradendos fuisse; eademque pœna animadvertit Constantinus in servum, qui furtivis heræ suæ deliciis servit. Intelligimus ex Ammiano, sub Valentiniano & Valente gladio subjectos fuisse utriusque sexus adulteros.

Ut egrediamur ad Moysem, vero propius autumamus, alienum fuisse ab ejus consilio, contra quam Philo autumavit, ut singulis jus permitteret interficiendi adulteros, nulla judiciali Lege servata: credimus enim, confessis, convictisque coram Judice de crimine, testes imposuisse manus suas, simulque totum sibi adscripsisse reatum effusi eorum sanguinis, siquidem insontes perimerentur: tum quicumque aderant, lapidibus reos illos conficiebant. Cum Susannæ causa acta est (15), non tumultuaria quidem nece pœna sumpta est de illa, sed judiciali ritu res tota tractata est. Qui fœminam in ipso adulterio deprehensam coram Jesu Christo statuerunt (16), non illam quidem lapidibus statim conficere moliebantur, sed extorquere volebant a Christo, ut sententiam in illam ferret.

Docent Hebræi, maritum, qui ream violari, seu oculis suis vidit, seu certis convictus argumentis intelligit, si tamen in judicio id probare defectu testium nequeat, repudium illi dicere juberi a Lege; eamque si retineat, nota infamiæ inuri & impietatis, juxta illud Proverbiorum

(1) Vide ℣. 4. & 5. (2) Vatab. Grot. (3) ואם העלם יעלימו עם הארץ את עיניהם מן האיש ההוא (4) Ἐὰν δὲ ὑπερόψει ὑπερίδωσιν οἱ αὐτόχθονες τῆς γῆς τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου. (5) Vide Matth. XXVII. 25. (6) Vide Joan. VIII. 5. (7) Ἦ τέ κεν ἤδη λάϊνον ἕσσο χιτῶνα. Iliad. Γ. (8) Philo, lib. de Joseph. Vide Selden. uxor. Hebr. l. 3. cap. 12. (9) Ἐάν τις μοιχὸν λάβῃ, ὅτι ἂν βούληται χρῆσθαι. (10) Ἄνευ ἐγχειριδίου. Demosth. Orat. in Neæram. (11) Orat. in Timarch. (12) Causa 33. qu. 2. c. 6. (13) Digest. lib. 48. tit. 5. ad leg. Jul. de adulter. numer. 20 & seq. (14) L. tit. de *Mulieribus quæ se propriis viris junxerunt*. (15) Daniel. XIII. 33. 34. & seq. (16) Joan. VIII.

rum xviii. 23. *Qui tenet adulteram, stultus est & insipiens*. Ipsi pariter Doctores tradunt, unius singularis testis authoritatem sufficere ad cogendum maritum, ut removeat a thoro uxorem; puta e. g. si vicinus aliquis, vel famulus in crimine illam deprehenderit; ex quo illatum est, unicum testimonium minus fuisse, quam ut jus daret occidendi adulteros; adeoque nunquam sontes illos oneratos fuisse, nisi post Judicum sententiam, & convictos de crimine. Quibus pœnis subjiciant adulteros Judæi recentiores, habes apud Buxtorfium, *Synag. Jud. cap.* 34.

℣. 11. Qui dormierit cum noverca sua, morte moriantur ambo. Facile hæc dicta accipienda sunt de noverca post obitum patris; siquid enim simile commisisset filius cum noverca, patre adhuc superstite, mitius quam par esset, cum illo ageretur, siquidem pœnas tantum in adulteros latas incurreret. Samaritanus a Scholiaste Græco laudatus præfert: Μετὰ γυναικὸς ἀδελφοῦ, τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *Cum uxore patrui sui*. Hebræus את אשת אביו, & Septuaginta: Μετὰ γυναικὸς τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *Cum uxore patris sui*. Græcus alius Interpres: Μετὰ τῆς μητρὸς αὐτοῦ, *Cum matre sua*.

℣. 12. Scelus operati sunt. Hebræus: תבל עשו *confusionem fecerunt*, naturalem ordinem præverterunt, incesto coitu. Septuaginta: Ἠσεβήκασι, *Impie egerunt*.

℣. 14. Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est: vivus ardebit cum eis. Deest illud *vivus* in Hebræo, Septuaginta, cæterisque Versionibus; supplendum tamen censuit S. Hieronymus, quod verborum sensus aperte postularet. Interpretes quidam censent, igne animadversum fuisse tantum in fœminam, quæ priori alteri superinducta erat; non vero in priorem illam uxorem. Sed Hebræus (1), & Versiones non obscure præferunt: *Vivus ardebit cum eis*; quamquam postremum hoc commode reddi potest distributivo sensu, ut significet alteram ex uxoribus, eam nempe, quæ ream se criminis constituerit.

Supplicium ignis ita describunt Rabbini: Sepeliebatur reus adusque genua in fimo. Tum rudem quemdam pannum lineum tenui altero coopertum obvolvebant collo miseri, ac extremas panni oras trahebant duo testes, donec stricto gutture diducerentur fauces; statimque liquatum plumbum demittebatur in os hominis. Suspecta est nobis maxime hæc Rabbinorum expositio; quæ enim habet Textus Mosaicus, ideam ingerunt ignis exterius admoti ad necem sontis.

℣. 15. Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite; Pecus scilicet validis clavæ ictibus, ait Jonathan, hominem vero lapidibus. Ut abominabile hoc crimen magis magisque detestarentur Hebræi, jubet Lex puniri pecus ipsum, quod vix ut instrumentum crimini succubuit.

℣. 16. Mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento. Id scelus non latuisse Ægyptios, testis est Herodotus (2); neque non alibi per Orbem, ut insinuat Apulejus *Metamor. l.* 10.

℣. 17. Nefariam rem operati sunt. Hebræum חסד הוא *Chesed*, a Vulgata redditum *rem nefariam*, vertunt Septuaginta: Ὄνειδός ἐστι, *improperium est*. Onkelos: *Ignominia*; Jonathan: *Turpitudo*. Poni solet plerumque ad designandam lenitatem, clementiam, misericordiam; quam vocis significationem præferunt Thalmudistæ, quasi scilicet insinuaret Moyses, coitus illos inter fratres, ac sorores permissos quidam fuisse necessaria quadam indulgentia (3) inter filios Adami, modo vero transiisse in crimen extremo supplicio puniendum. Vero propius autumaremus, vocem originalis, quæ vulgo misericordiam significat & lenitatem, innuere hic plane contrarium aliquid, nempe crimen impium & probrosum, ac detestabile adeo, ut vulgaria criminum etiam ingentium nomina minorem habeant vim, quam ut totam explicent hujus enormitatem. Familiaris est Hebræorum phrasis, ut mitioribus quibusdam honestisque nominibus designent res fœdissimas, & odiosas: ita pro *maledicere*, usurpatum est *benedicere*.

℣. 18. Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo (4), interficientur ambo. Interficientur, si crimen veniat in apertum, ut deferatur ad Judices; quamdiu vero non prodiret in publicum, legalem maculam contrahebat vir, quam post septem dies eluebat piamine, de quo Leviticus xv, 24. Jus ergo mulieris fuisse videtur, ut querelas suas ea de re deferret ad Judices.

℣. 20. Absque liberis morientur, Singulare prorsus genus est pœnæ, si literæ rigor teneatur. Hebræus non præfert illud *morientur*, sed tantum: *Erunt absque liberis*, Idest, juxta Scholiastem Græcum Vaticani, & S. Augustinum (5), illegitimi habebuntur eorum filii, ut in paternam hæreditatem non succedant. Vel potius; Nunquam ea connubia benedictione sua prosequetur Deus; nec largietur fœcunditatem (6). Censent alii (7), neci traditos fuisse, antequam liberos haberent, non expectato tempore, quo fœtus formaretur; statim addicebantur supplicio. Legebant Saducæi: *Nudi morientur*. Grotius.

℣. 25. Separate ergo et vos jumentum mundum ab immundo. Genuinam hic rationem assignat Deus inculcatæ illius sanctionis, qua cavendum edicit Israelitis a certis quibusdam escis, quæ impuritatis aliquid præferre videbantur; id enim volebat, ut nunquam non intelligerent dignitatem suam, & quanto Numinis favore discreti essent a cæteris, ut in ejus peculiarem gentem eligerentur.

℣. 27. Quibus Pythonicus vel divinationis fuerit spiritus. De cautione abstinendi a consulendis ariolis, vide quæ contulimus supra in cap. xix. 31. Recurrit hic in Hebræo (8) vox eadem, quæ ibi reddita est *Magos*. Spiritus Pythonis ipse est Spiritus Magiæ, Dæmonis, Apollinis, cui agnomen Pythii conciliavit anguis Python. Apollo noscere futura, ac reddere oracula censebatur.

(1) באש ישרפו אותו ואותהן (2) Herodot. lib. 2. cap. 46. Ἐγένετο δ᾽ ἐν τῷ νομῷ τούτῳ ἐπ᾽ ἐμοῦ τοῦτο τὸ τέρας. Γυναικὶ τράγος ἐμίσγετο ἀναφανδόν. Τοῦτο ἐς ἐπίδειξιν ἀνθρώπων ἀπίκετο. (3) Vide Selden. de jure nat. & gent. lib. 5. cap. 8. (4) דוה *infirma* 70. Ἀποκαθημένης, *Sedente, jacente ob infirmitatem*. Alius: Ἐν αἱμοῤῥοίᾳ, *In fluxu sanguinis*. (5) August. quæst. 76. in Levit. (6) Greg. Mag. Respons. ad Quæst. 6. August. Anglor. Apostoli: *Experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere*. (7) Menoch. Cornel. (8) אוב Ob. 70. Ἐγγαστρίμυθος, *Ventriloquus*; Alius: Θελητής, *Voluntarius*.

CA-

CAPUT XXI.

Leges de connubiis Sacerdotum, & de funeribus. Quæ vitia excluderent a Sacerdotio.

℣. 1. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Loquere ad sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum. 2. Nisi tantum in consanguineis, ac propinquis, idest, super patre, & matre, & filio, & filia, fratre quoque, 3. Et sorore virgine, quæ non est nupta viro: 4. Sed nec in principe populi sui contaminabitur. 5. Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras. 6. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus: incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt. 7. Scortum, & vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam, quæ repudiata est a marito: quia consecrati sunt Deo suo, 8. Et panes propositionis offerunt. Sint ergo sancti, quia & ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos. 9. Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violaverit nomen patris sui, flammis exuretur. 10. Pontifex, idest, sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, & cujus manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet: 11. Et ad omnem mortuum non ingredietur omnino: super patre quoque suo, & matre non contaminabitur. 12. Nec egredietur de sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. Ego Dominus. 13. Virginem ducet uxorem. 14. Viduam autem, & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo: 15. Ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ: quia ego Dominus, qui sanctifico eum. 16. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 17. Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, 18. Nec accedet ad ministerium ejus: si cœcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, 19. Si fracto pede, si manu, 20. Si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. 21. Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo: 22. Vescetur tamen panibus, qui offeruntur in Sanctuario. 23. Ita dumtaxat, ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet Sanctuarium meum. Ego Dominus, qui sanctifico eos. 24. Locutus est ergo Moyses ad Aaron, & ad filios ejus, & ad omnem Israel cuncta, quæ fuerant sibi imperata.

℣. 1. NE CONTAMINATUR SACERDOS IN MORTIBUS CIVIUM SUORUM. Hebræus: לנפש לא יטמא בעמיו *In animam non contaminabit se in populis suis. Nomen rectricis animæ*, ait S. Augustinus in Leviticum, quæstione LXXXI. *etiam corpus accepit anima destitutum*. Nefas erat Sacerdotibus contaminare se cum reliquo populo, ut adessent funeribus: vetitum erat illis officium reddere sepulturæ, nisi summa cogente necessitate, uti cum nemo alius adesset, qui extremum hoc humanitatis officium defunctis præstaret, vel in gradibus necessitudinis infra descriptis. Hujus sanctionis præcepto ita subdebantur Sacerdotes e familia Aaronis, ut ipsos vulgares Levitas non amplecteretur.

Causa assignari maculæ hujus, quæ contrahebatur sive in funeribus sive in luctibus, vix ac ne vix quidem posset. Id tamen longe lateque obtinuisse apud Veteres constat, ut probant exempla deducta superius x. 6. Quærebat Porphyrius (1) ab Anebone Propheta Ægyptio, cur ille quem appellabant Ἐπόπτην, *Inspectorem*, contineret se a tactu cadaverum, cum in rebus sanctis nihil sit ferme auspicatum, nisi intercedat immolatorum animalium mors. Quid Propheta responderit ignoramus; nec Jamblichus expedire se potuit ab ea difficultate. Author lucubrationis de Dea Syra tradit, si forte Sacerdotem aliquem hujus Numinis obire contingeret, defunctum ejus cadaver deferre fratres ad suburbia Hierapolis; eoque relicto, abstinere illos ab aditu Templi septem diebus. Addit Scriptor idem, si quis casu ex iis Sacerdotibus mortuum inspexerit, prohibere se a Templo tota ea die, altera vero mane expiatum prius, ingredi in locum sanctum. Si vero quis e familia ipsorum decessisset, a Templo se arcebant triginta diebus, nec sacra limina tangebant, nisi capite prius eraso. Græci item ac Romani *Funus prosecuti redeuntes, ignem supergrediebantur, aqua aspersi*, priusquam in ædes ingrederentur (2). *Flamen Dialis* (3), *locum, in quo bustum esset, nunquam ingrediebatur; mortuum nunquam attingebat*. Servius in III. Æneidos narrat, *moris Romani fuisse ramum cupressi ante domum funestam* (in qua aliquis obierat) *poni, ne quisquam Pontifex*

(1) Εἰ δὲ ὁ τῶν τῇδε ἱερεὺς, καὶ ἱεροσκόπος, καὶ τάφων ἀπέχεσθαι κελεύει ἑαυτόν τε, καὶ τοὺς ἄλλους καὶ ἀνθρώπων φονίων, καὶ ἐμμήνων, καὶ συνουσίας, καὶ θέας τῶν αἰσχρῶν καὶ πενθικῶν καὶ ἀκουσμάτων πάθος ἐγειρόντων, ἐπεὶ πολλάκις φαίνεται καὶ διὰ τοὺς παρόντας ἀκαθάρτους, ὁ ταράττων τὸν ἱεροσκόπον. Porph. de abstin. l. 2. p. 213. Edit. Lugd. 1620.
(2) Festus in verbo aqua. (3) Aulugell. l. 10. cap. 15.

tifex per ignorantiam pollueretur ingressus. Idem tamen Scriptor in VI. Æneidos scribit: *Cum Pontificibus nefas esset cadaver videre, tamen magis nefas fuerit, si insepultum relinquerent* (1). Docent Rabbini (2), nullum cadaver sepulturæ mandatum fuisse Jerosolymis, nec in urbibus Levitarum & subjecta illis regione, vetante id sanctitate illarum urbium, & metu nequid labis contraherent Sacerdotes.

℣. 3. Et sorore virgine &c. Dicta hæc accipienda sunt de sorore ex utroque parente (3). Si illa nupta fuisset viro, supremum illi reddi officium curasset maritus. Si vero nec funus ejus agere valuisset pater, nec frater, absque honore funeris & sepulturæ mansisset; quod inter mala omnia habebatur extremum.

℣. 4. Nec in Principe populi sui contaminabitur. Hebræus (4): *Non contaminabit se Dominus in populis suis*. Vel potius: *Non contaminabit se Princeps* Sacerdotum *in* funeribus *populi sui*. Septuaginta (5): *Non inquinabitur subito in populo suo*. Sunt qui Hebræum ita reddant: *Ne polluatur maritus inter populares suos*; id autem duplici sensu redditur: I. Ne Sacerdos gerens mariti personam, vitium contrahat, cum uxoris funus ducit: fas illi sit suprema officia reddere uxori. II. Ne se polluat, ducens uxoris funus, idest, caveat ne vetitum hoc admittat. Id postremum præferunt Commentariorum Scriptores quidam (6). Recenset Ezechiel XLIV. 25. sex gradus hominum, quorum funeribus adesse poterant Sacerdotes, sed uxorem inter cæteros non habet. Fatemur equidem, virum hunc sanctum peculiari præcepto prohibitum fuisse, ne uxorem suam lugeret, quasi scilicet novum id esset & inusitatum (7). Sed reponi posset, eo tempore captivitatis, cum Sacerdotes sacri muneris exercitio vacarent, fas esse sibi reputasse, ut minus accurate eam legem observarent, adsisterentque funeribus uxorum. Apud Romanos vel uxorum funeribus pollui se Sacerdotes arbitrabantur. Dedicaturo Syllæ Templum Herculis inhibuerunt Sacerdotes, ne ædium suarum limen attingeret, ne quid contraheret maculæ e funeribus uxoris suæ Metellæ obeuntis. Actutum ille libellum repudii misit ad fœminam, spirantemque adhuc ex ædibus suis alio transferri jussit (8).

℣. 5. Non radent caput nec barbam. Luctus in funere civium nulla sument insignia. Datum erat illis, dum a ministerio suo vacabant, ut luctum agerent quorumdam e necessariis, non vero alienorum, quamvis amicitiæ vinculo sibi junctorum. Jam in Levitici XIX. 27. animadvertimus, vulgo Israelitis non interdici barbam & comam in luctibus radere, modo non certo ritu & in honorem *Mortui*, idest, Adonidis vel Osiridis, radant. Lugubris omnis apparatus permissus erat vulgo Israelitis, ut nulla funesta insignia illis interdicerentur, inter quæ sane primas tenebat rasio capillorum & barbæ; æque tamen hæc omnia interdicebantur Sacerdotibus.

℣. 6. Incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt. Hebræus (9): *Quia ignitiones Domini, panem Dei sui appropinquare ipsi faciunt*. Ejus ara perinde est ac mensa, in quam sacræ illæ dapes inferuntur; ejus Templum perinde est, ac Regia Aula; Sanctuarium est Solium. Septuaginta: *Sacrificia enim Domini munera Dei sui ipsi offerant*; Vel juxta alium Interpretem: *Panem Dei sui*. Quo tenemur in Principes, obsequium vetat, nequis coram illis sistat se nisi decore atque honeste vestitus. Mandat pariter Deus, ut Sacerdotes quotidie Templo suo & Mensæ, nempe aræ, adsistentes, nunquam non dignam majestate sua puritatem & sanctitatem afferant. Quo tempore Sacerdotes Hebræi Templo ministrabant, continebant se ab uxoribus. Qua pariter religione teneri olim Ægyptios, jam supra ad Exodi XIX. 10. animadversum est; nec ignoramus, Hierophantes apud Græcos, quo puros se tempore ministerii servarent, cicutam adhibuisse (10).

℣. 7. Scortum et vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata est a marito. Chaldæus & Septuaginta (11) ita vertunt Hebræum (12): *Mulierem meretricem & profanam* (corruptam, evirginatam) *non accipient, & mulierem ejectam a viro suo*. Interdicebantur igitur Sacerdotibus nuptiæ, I. cum fœmina prostituta; II. cum fœmina non prostituta quidem, sed corrupta, & famæ deploratæ. Quod Rabbini dictum extendunt etiam ad fœminam, quæ cælebs adhuc vi corrupta est: si enim sponte consensisset in adulterium, conlecta lapidibus dedisset pœnam. III. repudiatam fœminam ne ducerent, cautum erat Sacerdotibus. Author Vulgatæ bis exprimit fœminam prostitutam, nec excludit corruptam; infra vero, ℣. 13. binas easdem voces originalis reddit: *Sordidam & meretricem*.

℣. 8. Et panes propositionis offerunt. Hebræus, Chaldæus, Septuaginta, & Versiones cæteræ ferunt: *Et sanctificabis eum: munera Domini Dei vestri iste offert*. Idest, juxta Vatablum, observabitis illum, ac suspicietis tamquam virum sanctum, & consecratum. Alii ita interpretantur: Vestrum erit curare, ut sanctitatem dignam gradu suo & ministerio tueatur: prohibebitis ne se contaminet usu rerum communium & profanarum. Mandat Deus Moysi: *Sanctificabis Aaron*; monebis ut integram omnibus numeris puritatem tueatur, quippe qui destinatus est ministrandis panibus in mensa Domini; quod muneris genus exigit sanctitatem absolutissimam.

℣. 9. Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, flammis exuretur; corruptor vero, ait Grotius (13), conficietur lapidibus. Ad legis hujus rigorem subeundum opus esse ait Paraphrastes Jonathan, ut puella illa desponsa sit viro, adhuc tamen in domo patris retineatur. Ex quo recte inferas, statim ac nupta est viro, & extra domum patris, lege hac liberari, sed unice submitti lapidationi, quæ stata est pœna adulteris. Hanc expositionem juvare videntur sanctionis ejusdem phrases; ratio enim severissimæ hujus legis est, quod illa *profanat patrem suum*. Profecto si viro nupta est, criminis probrum recidit in virum. In cæteris e vulgo puellis fornicationis simplicis crimen nulla corporea pœna puniebatur (14). Cogebatur tantum corruptor solvere dotem puellæ, eamque accipere uxorem, si pater assentiretur; sin minus, soluta dote absolvebatur.

℣. 10. Pontifex, idest, Sacerdos maximus ... caput suum non discooperiet. Tiaram (15) non deponet, quæ potissimum est ejus dignitatis insigne. Ita etiam dictum acciperetur: Non abscinder comam. Vide caput VI. ubi demonstravimus, nefas fuisse Summo Sacerdoti radere crines ad vivum; permittebatur tamen reformare comam forfice.

Vestimenta non scindet. Duplici ratione legis hujus sanctio restringenda esset: 1. Ne scindat vestes

(1) Grot. in ℣. 11. (2) Cunæus de Republ. Judæor. l. 1. c. 7. (3) Vatab. (4) לא יטמא בעל בעמיו להחלו (5) Οὐ μιανθήσεται ἐξάπινα ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ. (6) Cleric. in hunc locum. (7) Ezech. XXIV. 16. *Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga, & non plangеs, neque plorabis.* (8) Plutarch. in Sylla. (9) כי את אשי יהוה לחם אלהיהם הם מקריבם (10) Orig. l. 7. cont. Cels. pag. 365. & Hieron. l. 1. advers. Jovinian. (11) Sept. 13. Γυναῖκα πόρνην, καὶ βεβηλωμένην ... γυναῖκα ἐκβεβλημένην. (12) אשה זנה וחללה לא יקחו ואשה גרושה (13) Ita Jarchius, Abenezra, & Rabb. passim. (14) Exod. XXII. 16. & 17. & Deut. XXII. 29. (15) לא יפרע Septuag. Οὐκ ἀποκιδαρώσει. Alius: Οὐκ ἀτημελήσει.

ftes facras & folemnes ; 2. Ne fcindat veftes in funeribus & in luctibus; quare in cæteris aliis rerum eventibus integrum erat illi veftes dilacerare fuas, ut in publicis calamitatibus, vel cum blafphemum aliquid audiebat (1). Scidit veftimenta fua Caiphas fummus Sacerdos (2), cum evomentem, ut ipfe ajebat, blafphemiam Jefum Chriftum exhorruit. Jofephus (3) narrat, Sacerdotes ac Levitas in ipfo pariter Templo confperfiffe caput pulvere, atque confcidiffe veftes, impetraturi a populo, ut tandem occurreret cohortibus Romanis, atque ita averteret imminens ab illis venientibus malum in locum fanctum. Veftes fcindebat Summus Sacerdos non quidem ad pectus, neque e fuperiori parte, fed ad pedes, & ab infima ora incipiens : viciffim autem reliqui Sacerdotes a fuperiori parte ad inferiorem fcindebant, fi Rabbinos audias.

℣. 11. Ad omnem mortuum non ingredietur omnino. Funera æque omnia interdicebantur fummo Sacerdoti, ut ne parentibus quidem id præftare officii poffet. Unum hoc excipiunt Hebræi, nempe fi Pontifex offendat in via cadaver aliquod projectum ; integrum enim erat illi, ea præftare defuncto, quæ humanitatis effent.

℣. 12. Nec egredietur de sanctis, ideft, de fanctuario, fi tunc ibi verfetur, ad celebranda neceffariorum funera : *Ne polluat Sanctuarium Domini*. Contaminaret fe in funeribus illis, ut nonnifi pollutus reftituere fe poffet loco fancto ; fed numquid non pronum erat eluere maculam illam luftratione, quemadmodum & Sacerdotibus aliis dabatur? Pronum erat utique; fed Deus in hoc capite demonftrare voluit in variis Sacerdotum fuorum gradibus varios illos fanctitatis & puritatis gradus, quos a miniftris fuis petit ; ut quidquid purum eft uni, alteri minus purum & fanctum reputetur. Animadvertit etiam Philo (4), vulgaribus Sacerdotibus plures fuiffe ejufdem minifterii confortes, qui facro muneri implendo fufficerent, fi quis interim abftinere cogeretur ob legalem maculam ; cum vero fummus Sacerdos præftandis muneribus fuis ipfe folus fine focio deftinaretur, res utique pofcebat, ut nunquam fe non paratum exhiberet ad munus illud obeundum, fi neceffitas poftularet.

E reliquo populo non diftinguebantur vulgares Levitæ in iis, quæ pertinent ad luctum neceffariorum. Siquis e familia eorum obiiffet, illius funeri adeffe fas erat vulgaribus Sacerdotibus; Summus vero facerdos, quod ad majeftatem Dei fui propius accederet, prohibebatur luctum pro homine quocumque agere. Minus erat utique, fi ille exuiffet impuritatem: res pofcebat, ut induiffet nunquam, fi quidem fieri poffet, nullamque referret labem five in genere fuo, five in origine, five in uxore, five in filiis, five in corpore, five denique in cæteris omnibus, quibus profani notam aliquam incurrere poffet. Gerit enim dignitatem primam & principem apud Deum fuum.

Oleum sanctæ unctionis. Olei fancti confecratione initiatus eft; quo ritu a reliquis hominibus fegregatur & diftinguitur. Adfiftebat lateri Regum Orientalium, tamquam fecundus ab illis Præfectus ædium Regalium, Princeps aliquis appellatus *Nazer* vel *Nezer*. Eamdem gerit dignitatem in Domo Dei Pontifex. Hebræus (5): *Quia Nazer : oleum unctionis Dei fui fuper eum*. Jofeph appellatur Nazir inter fratres fuos in Genefi XLIX. 26. & Deuteronomio XXXIII. 15. Summæ huic dignitati omnia refpondere par erat, morum puritatem, & vitæ Sanctitatem. Erant autem omnia illa veteris legis typica, & veluti rudia quædam lineamenta eorum, quæ in nova lege abfoluta fpectanda erant, & realia. Intelligant hinc Sacerdotes Jefu Chrifti, quæ ab ipfis petantur dotes, quid poftulet Deus ab illis fupra reliquos e vulgo, atque miniftros inferiores.

At enim quomodo vetitum eft Pontifici, ne efferat e fanctuario pedem, ut funeri Patris fui adfit, cum ad eam Sacerdotii dignitatem non afcenderet, nifi poft obitum patris? Reponunt nonnulli, plures rerum eventus occurrere, quibus Summus Sacerdos ad Principatum illum afcendere poterat ante obitum Patris fui. Sunt autem hi, patris morbus, vel fi forte pater impar redderetur muneribus dignitatis fuæ præftandis : fi tandem tranfiiffet Sacerdotium ex una in alteram familiam &c. Reputavit S. Auguftinus (6), fummum Sacerdotem initiandum fuiffe ftatim poft obitum patris, antequam defuncti funus curaretur ; quod fcilicet, inquit ille, Sacerdotis illius effet quotidie dare fuffitum Domino. Sed vir ille fanctus id conftituit, quod veritati non cohæret, nimirum thus dare non potuiffe alium, quam fummum Sacerdotem.

℣. 13. Virginem ducet uxorem. Hanc autem femel ductam dimittere non poterit, inquit Jofephus (7). Nefas erat illi uxores habere plures, juxta Rabbinos (8). Cum legimus (9) Jojadæ Summo Sacerdoti geminas fuiffe uxores, dicendum eft, I. non fatis conftare, utrum Jojada fupremam gereret dignitatem ; II. duas quidem habuiffe uxores, fed alteram poft alteram, non fimul utramque ; III. facile antequam in Principem rerum facrarum eligeretur, geminas uxores adfciviffe, quarum unam dimittere coactus fuerit ante feftum Expiationis ; aperto enim præcepto vetitum erat Summo Sacerdoti geminas retinere uxores per eam folemnitatem.

Uxor e genere Ifraelitico adfcifcenda erat Summo Sacerdoti, ℣. 14. *Puellam de populo fuo*; quare nec alienigenam, nec alterius religionis ducere permittebatur; quod tamen integrum erat cæteris Ifraelitis, demptis quibufdam rerum eventibus. Narrat Philo Judæus (10) feligi hanc fponfam e genere Sacerdotali ; quod facile infinuare voluerunt Septuaginta, addentes hic: Ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ, *ex genere fuo* ; veluti explicaturi ea, quæ præfert verficulus 14. Ἐκ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, *e populo fuo*. Id pariter infinuatur a Vulgata, quæ legit ℣. 15. *Ne commifceat ftirpem generis fui*. Sed hanc conditionem Rabbini, nec Commentariorum Scriptores exigunt. Docent infuper, non teneri fummum Sacerdotem fanctione legis, jubentis duci viduam uxorem fratris defuncti fine liberis (11): cogi autem viciffim virginem ducere puellam, duodecim annorum & femis ætate majorem. Demofthenes in Oratione in Neæram, fanxiffe Thefeum narrat, ut Rex, qui unice facrificiis curandis præficiebatur apud Athenienfes, uxorem aliam nifi ἀστὴν καὶ παρθένον γαμεῖν, *civem & virginem ducere* non poffet. Apud Ægyptios (12) nefas erat Sacerdotibus plures quam unam ducere ; cum cæteris de uxorum numero nihil effet interdictum.

℣. 14.

(1) Ita Talmudici in fine tractatus Maffechta horajoth. (2) Matth. XXVI. 65. (3) Jofeph. de Bello lib. 2. c. 27. pag. 802. a. b. (4) Philo de Monarch. l. 2. (5) כי נזר שמן משחת אלהיו עליו Aquila: Ὅτι ἀφόρισμα ἐλαίου χρίσματος Θεοῦ αὐτοῦ ἐπ' αὐτῷ. Septuag. Ὅτι τὸ ἅγιον ἔλαιον τὸ χριστὸν τοῦ Θεοῦ ἐπ' αὐτῷ. Sym. Ὅτι τὸ ἀθάνατον ἔλαιον τοῦ χρίσματος τοῦ Θεοῦ αὐτοῦ ἐπ' αὐτῷ. Theod. Ὅτι τὸ Νεζὲρ ἔλαιον τὸ χριστὸν τοῦ Θεοῦ αὐτοῦ ἐπ' αὐτῷ. (6) Aug. quæft 83. in Levit. (7) Jofeph. Antiq. l. 3. c. 10. Μόνῳ δὲ αὐτῷ δίδοται γαμεῖν παρθένον, καὶ φυλάττειν. (8) Gemar. Babyl. Maimonid. Halach Ifchot c. 14. Tertull. lib. de Exhor. Caft. p. 668. & de Monogam. p. 649. & Aut. quæft. ex ver. Teftam. qu. 46. (9) 2. Paralip. XXIV. 3. (10) Philo l. 2. de Monarchia: Γαμεῖν ἐξ ἱερέων. Vide & Origen. homil. 12. in Levit. (11) Vide Selden. de fucceff. in Pontif. l. 2. c. 2. & Uxor. Heb. l. 1. c. 7. (12) Diod. lib. 1. Γαμοῦσι δὲ παρ' Αἰγυπτίοις, οἱ μὲν ἱερεῖς μίαν, τῶν δ' ἄλλων ὅσας ἂν ἕκαστος προαιρῆται.

℣. 14. VIDUAM AUTEM, ET REPUDIATAM, ET SORDIDAM, ATQUE MERETRICEM NON ACCIPIET. Censent quidam (1), hujus & præcedentis legis sanctioni subjici Sacerdotes æque omnes, ut intra parenthesim claudenda sint ea omnia, quæ de summo Sacerdote sancita sunt ℣. 10. adusque totum ℣. 13. Sed Josephus (2), Philo (3), Onkelos, Rabbini, & Vulgata unum Summum Sacerdotem prohiberi docent, ne viduam ducat uxorem; nihil autem ea de re lex edicit vulgaribus Sacerdotibus (4). Æque tamen inferioribus hisce Sacerdotibus, perinde ac Pontifici, imperatum erat, ne sociam thori haberent fœminam repudiatam, liberioris vitæ, & corruptam. Qui Textum hunc ad omnes æque Sacerdotes prorogant, putant in uxorem Sacerdotis adsciscendam non esse viduam, nisi e Sacerdote; quod congruit testimonio Ezechielis XLIV. 22. *Viduam & repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel accipient; sed & viduam quæ fuerit vidua a Sacerdote, accipient.* Hunc sensum Textui vindicant Onkelos, & RR. Jarchi & Kimchi.

Iidem pariter Scriptores (5) nova plane & singulari interpretatione exponunt voces Textus, quas Vulgata reddit *sordidam & meretricem*. Prima illa vox חללה, *cholela, sordida vel profana*, designat, juxta illos, eam *quæ nata est ex eis, quæ Sacerdotibus jungi recte nequeant*, ait Author Paraphrasis adscriptæ Uzieli. Altera vox זנה *Zonah, meretrix*, est fœmina nata ex alienigena, quacum fœdus conciliare nefas est Israelitis; vel etiam fœmina a muliere Israelitide nata, sed commercio in lege vetito. Docet Josephus (6), nefas fuisse Sacerdotibus Hebræorum adsciscere in conjugem fœminas prostitutas, addictas servituti, belli lege captivas, cauponarias, sive eas quæ in domibus suis genus hominum quodcumque excipiunt.

℣. 15. NE COMMISCEAT STIRPEM GENERIS SUI VULGO GENTIS SUÆ. Hebræus & Septuaginta: *Non profanabit semen suum in populis suis.* Uxorem non ducet aliam, nisi e populo suo: connubiale fœdus non stringet cum mulieribus, quas sibi Lex interdicit. Si quam forte ex his fœminis duceret, nati e connubio illo filii excludebantur a Sacerdotio. Sanctione hic Legis vetari censent quidam Sacerdotibus, ne obscuri generis adsciscant uxorem (7).

℣. 17. QUI HABUERIT MACULAM, ex iis quæ statim recensentur. Maculas illas ad CXL. vel CXLII. prorogant Rabbini; quorum tamen in ea re testimonium minus est, quam fidem extorqueat. De dotibus illius, qui renunciandus erat in Pontificem, judicare pertinebat ad Sanhedrin. Contendunt autem (8), in Summo Sacerdote quatuor exigi prærogativas supra cæteros fratres suos; nimirum corporis elegantiam, robustas vires, divitias, & sapientiam.

NON OFFERET PANES Deo suo. Mensæ illius non ministrabit. Nihil enim humile patitur Deus in servis suis, nihil quod extenuet ideam majestatis suæ, & tanti ministerii.

℣. 18. SI CLAUDUS, SI PARVO, VEL GRANDI, VEL TORTO NASO. Hebræus פסח או חרם או שרוע *Claudus, vel simus nasum, vel excrescens*, vel nimia, vel minori membrorum extensione. Septuaginta: Κολοβόριν, ἢ ὠτότμητος, *seu* κολοβόχειρ, *Naso mutilato*, seu *manu mutilata*, *vel auribus sectis*. Postremas duas voces accepit Vulgata pro vitio male affecti nasi; Rabbini vero e duabus illis priorem exponunt de naso compresso inter medios oculos: Thalmudistæ dictum volunt de nasu simo. Hæc utique Hebræa vox nunquam alibi recurrit in Bibliis. Ad ejus significationem distinguendam lucis aliquid affundit Arabs; nam vernaculo eo sermone *charas* est imminuere, demere. Judæi, qui ibi interpretantur de vitio nasi, sex vitia ex hisce removentibus hominem a Summo Sacerdotio recensent; oportere autem dicunt nasum geri nec prolixiorem, nec breviorem minore digito.

Altera vox in Vulgata reddita, *torto naso*, sonat ad literam, *cui superfluit aliquid*; commode autem ea designaretur homo, cui membrum aliquod superest, vel qui habet æquo longiora: quemadmodum superior vox designat illum, cui aliquid deest, vel brevioribus membris instruitur quam par sit. Porro geminis hisce designari videntur vitia omnia proportionis. Hebræi exponunt *de eo, cui membrorum paria sunt imparia*; nempe cui sunt impares oculi, vel aures, vel nares, vel pedes, vel manus.

℣. 20. SI GIBBUS. Hebræam vocem גבן exponunt Interpretes plures de vitio superciliorum, siquidem juncta sint, vel densa nimis, vel tandem si erasa sint penitus. Sed præstat Vulgatam retinere, dictumque accipere de gibbositate dorsi.

SI LIPPUS. Dissidium est maximum in assignanda significatione Hebræi דק *Dak*: placet nobis interpretatio Ludovici de Dieu, quam fulcit Targum, Syriacus, & Interpretes quidam, dictum accipientes de nano. In Exodo XVI. 14. *Dak* exprimit minimum aliquid, & tenue; & *Dak* Æthiopibus est infans. Alii vocem explicant de macula in oculo.

SI ALBUGINEM HABENS IN OCULO. Septuaginta (9): *Maculosus oculos*; vel, *carens palpebris oculos*. Aquila: *Suffusionem habens in oculis* (10).

SI JUGEM SCABIEM &c. De vocibus originalibus hic sese offerentibus, nihil constat certi.

HERNIOSUS. Varie id exponitur. Syriacus, & Septuaginta: *Unum habens testiculum*. Onkelos: *Contritus testiculis*.

℣. 23. INTRA VELUM NON INGREDIATUR. In Sanctum, & multo etiam minus in Sanctuarium. Non offeret suffitum, nec panes propositionis; non incendet aurei candelabri lucernas; uno verbo, pedem non inferet intra velum distinguens Sanctum ab atrio.

Regem Sacrorum eligebant Athenienses hominem egregie dispositum corpore, non vitiatum (11): & ad deferenda Sacra Numinis vasa hominum speciosissimus destinabatur in Elide a Judicibus (12). Secundus ab illo in elegantia corporis deducebat bovem; tertius corollas, vittas, liquores, & cætera ad Sacrificium necessaria.

(1) Grotius, & Marsham. (2) Antiq. l. 3. c. 10. (3) Philo de Monarchia l. 2. (4) ℣. 7. *Scortum, & vile prostibulum, nec eam quæ repudiata est.* (5) Vide Selden de success. in Pontif. l. 2. c. 2. & 3. (6) Antiq. l. 3. c. 3. (7) Lyr. Menoch. (8) Vide apud Outram. de sacrific. l. 1. c. 4. art. 5. (9) תבלל בעינו Septuag. Πτίλος τοὺς ὀφθαλμούς. (10) Aquila: Τείχωμα, *suffusio*. Alius: Λεύκωμα, *albugo*. Alius, στραβός, *strabo*. Alius: Νάνος, *nanus*. (11) Ἀφελεῖς καὶ ὁλοκλήρους; Etymol. mag. voce ἀφελής. (12) Athen. l. XIII. c. 2. p. 566.

C A-

CAPUT XXII.

Qui abstinere debeant ab immolatitiis, rebusque sacris. Quæ dotes immolandarum victimarum.

℣. 1. LOcutus quoque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad Aaron, & ad filios ejus, ut caveant ab his, quæ consecrata sunt filiorum Israel, & non contaminent nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt. Ego Dominus. 3. Dic ad eos, & ad posteros eorum: Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum Dominus. 4. Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his, quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. Qui tetigerit immundum super mortuo, & ex quo egreditur semen quasi coitus, 5. Et qui tangit reptile, & quodlibet immundum, cujus tactus est sordidus, 6. Immundus erit usque ad vesperum, & non vescetur his, quæ sanctificata sunt: sed cum laverit carnem suam aqua, 7. Et occubuerit sol, tunc mundatus vescetur de sanctificatis, quia cibus illius est. 8. Morticinum, & captum a bestia non comedent, nec polluentur in eis. Ego sum Dominus. 9. Custodiant præcepta mea, ut non subjaceant peccato, & moriantur in Sanctuario, cum polluerint illud. Ego Dominus, qui sanctifico eos. 10. Omnis alienigena non comedet de sanctificatis, inquilinus sacerdotis, & mercenarius non vescentur ex eis. 11. Quem autem sacerdos emerit, & qui vernaculus domus ejus fuerit, hi comedent ex eis. 12. Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit: de his, quæ sanctificata sunt, & de primitiis non vescetur. 13. Sin autem vidua, vel repudiata, & absque liberis reversa fuerit ad domum patris sui: sicut puella consueverat, aletur cibis patris sui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem. 14. Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo, quod comedit, & dabit sacerdoti in sanctuarium. 15. Nec contaminabunt sanctificata filiorum Israel, quæ offerunt Domino. 16. Ne forte sustineant iniquitatem delicti sui, cum sanctificata comederint. Ego Dominus, qui sanctifico eos. 17. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 18. Loquere ad Aaron, & filios ejus, & ad omnes filios Israel, dicesque ad eos: Homo de domo Israel, & de advenis, qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota solvens, vel sponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini, 19. Ut offeratur per vos, masculus immaculatus erit ex bobus, & ovibus, & ex capris: 20. Si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile. 21. Homo, qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens tam de bobus, quam de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile fit: omnis macula non erit in eo. 22. Si cœcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem: non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini. 23. Bovem, & ovem, aure, & cauda amputatis, voluntarie offerre potes, votum autem ex eis solvi non potest. 24. Omne animal, quod vel contritis, vel tusis, vel sectis, ablatisque testiculis est, non offeretis Domino, & in terra vestra hoc omnino ne faciatis. 25. De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, & quidquid aliud dare voluerit, quia corrupta, & maculata sunt omnia: non suscipietis ea. 26. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 27. Bos, ovis, & capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ: die autem octavo, & deinceps offerri poterunt Domino. 28. Sive illa bos, sive ovis, non immolabuntur una die cum fœtibus suis. 29. Si immolaveritis hostiam pro gratiarum actione Domino, ut possit esse placabilis, 30. Eodem die comedetis eam, non remanebit quidquam in mane alterius diei. Ego Dominus. 31. Custodite mandata mea, & facite ea. Ego Dominus. 32. Ne polluatis nomen meum sanctum, ut sanctificet in medio filiorum Israel. Ego Dominus, qui sanctifico vos, 33. Et eduxi de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Ego Dominus.

℣. 2. NON CONTAMINENT NOMEN SANCTIFICATORUM MIHI. Hebræus (1) & Septuaginta: *Non profanabunt nomen sanctum meum quæcumque ipsi sanctificant mihi*. Vel potius: *Non polluent nomen sanctum meum, quod debent sanctificare*. Ne quam occasionem præbeant minus accurato mini-

(1) ולא יחללו את שם קדשי אשר הם מקדשים לי

ministerio & obsequio contemnendi nomen Sanctum meum. Si rerum Domino consecratarum usus minori obsequio tractetur, profanatur quodammodo Divini ejus nominis religio.

℣. 3. Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt. Capitale erat Sacerdoti, qui vitium e recensitis hic aliquod contraxisset, quicquam e rebus Domino consecratis degustare, ea perseverante sorde, non carnem, non panem, non vinum, non quidvis ejusmodi. Jejunium illi protogandum erat adusque vesperam, vel degustandæ dapes communes, & non sacræ.

Periret coram Domino. Arabs: *Abscindetur anima illa a mundo meo.* Si pollutus, sponte tamen, & audacia aliqua, vel contemptu rerum sacrarum, palam quidquam de his degustaverit, convictusque criminis teneatur, pœnas dabit morte; sed occulti criminis ultio Deo reservabitur. Docent, gratis quidem, Rabbini Sacerdotem convictum de profanatione rerum sacrarum, Judicum sententia damnari non morte, sed flagris; mortem autem sontis, cujus hic minæ intentantur, Deo relinqui: nihilo tamen secius, addunt, reliqui Sacerdotes raptatum illum extra atrium valide allisis cerebro fustibus interimebant, nemine prohibente (1).

℣. 4. Homo de semine Aaron .... Qui tetigerit immundum super mortuo &c. Agitur hic tantum de contactu rei vitiatæ tactu proximo cadaveris. Quod postremum maculæ genus septem diebus perseverabat (2); cum prius illud vesperis unius diei absolveretur.

Ex quo egreditur semen quasi coitus. Hinc deductum est, Sacerdotes tempore ministerii sui in Tabernaculo continuisse sese ab usu connubii; quæ etenim hic exprimitur macula, componi nequit cum muneribus præstandis in Templo per Sacerdotes.

℣. 8. Morticinum, et captum a bestia. Vide Commentarium in Levitici xvii. 15.

℣. 9. Custodiant præcepta mea &c. Discrepat in hoc versiculo plurimum Hebræus a Vulgata, nec ejus genuinum sensum detegere pronum est, Author Vulgatæ addit *in Sanctuario*, quod deest in Textu, ita ad literam ferente (3): *Custodient custodiam meam* (præcepta mea), *& non portabunt super se*, vel super eo, vel super ea re, *peccatum, & non morientur in eo, cum polluerint eum. Ego Dominus sanctificans eos.* Commode id exponeretur juncta priori sententia: Non tangent sanctificata ad esum, quamdiu perseveraverint polluti. Observent præcepta mea, ne incurrant pœnam transgressionis suæ, ne forte me authore adigantur in mortem, si profanaverint Sanctuarium meum, vel res Sanctas, ad illas impuri accedentes. Sunt (4) qui verba illa, *Custodiant custodiam meam*, sic interpretentur: Observent Sanctuarium meum; vel, Munera ministerii sui præstent.

℣. 10. Omnis Alienigena non comedet de Sanctificatis. Nemo non e familia Aaronis quidquam degustet de sanctificatis, ne Judæus quidem, vel Levita.

Inquilinus Sacerdotis, et mercenarius. Syriacus, & Arabs: *Hospes & mercenarius.* Prius illud תושב כהן designat in Textu servum Hebræum, cui perforatæ sunt aures, inquiunt Hebræi; alterum שכיר notat vulgarem Hebræum servum, manumittendum anno Sabbatico. Neutris datum erat degustare de rebus Domino consecratis; neque enim in jus perpetuum heri sui transiverant; vicissim autem servi ex Alienigenis, quos sibi herus emisset, seu vernæ, nati in ejus domo, perpetua erant Domini possessio, accensebantur ejus familiæ, atque ad degustanda sanctificata admittebantur. ℣. 11. *Quem autem Sacerdos emerit, & qui vernaculus domus ejus fuerit, ipsi comedent, &c.* Sed præstat cum Philone (5) planiorem interpretationem sequi, ut scilicet *inquilinum & mercenarium* accipiamus de opificibus mercede conductis a Sacerdotibus.

℣. 12. De his, quæ sanctificata sunt, et de primitiis non vescetur. Hebræus (6): *De elevatione Sanctitatum non comedet*, de rebus oblatis Domino per elevationem. Septuaginta (7): *De primitiis sanctorum non edet*.

℣. 13. Sin autem vidua, vel repudiata, et absque liberis &c. in domum paternam redierit, integrum habebit usum sacrorum, ut olim ante connubium: si vero liberos habuerit, quos sane ab esu rerum sacrarum prohibitos esse constat; ita pariter & matri nullus erit earum usus, cum nec deserere permittatur filios, nec in domum patris secum reducere. Scribit Philo (8), ejusmodi viduam una cum filiis in domo patris eorum perseverare.

Omnis alienigena comedendi ex his non habet potestatem. Israelitarum nemini, vel inter necessarios Sacerdotis propinquissimo, jus erat gustandi res Domino oblatas, si unam excipias Sacerdotis uxorem, servos emptitios, & servos ex Hebræis in eadem familia & domo natos. Hic vox *alienigena* ita accipienda est, uti supra ℣. 10. eadem etiam hic sanctio repetitur, quæ ibi, vetans scilicet degustare res sanctificatas.

℣. 14. Addet quintam partem cum eo quod comedit &c. Agitur hic de laico, qui imprudens & inscius aliquid degustaverit e rebus Domino consecratis, uti decimis, primitiis &c. Multabatur ille solutione quintæ partis Sacerdotibus, ac præterea tantumdem rependere quantum comedisset. Repetenda hic non censet Moyses, quæ statuerat supra ℣. 15. de sacrificio arietis, quod præscriptum erat ad expiandum peccatum hoc ignorantiæ.

Et dabit Sacerdoti in Sanctuarium. Hebræus (9), & Septuaginta: *Et dabit Sacerdoti Sanctum.* Rem comestam solvet, & præterea quintam partem. Verum si prudens sciensque & per contemptum comedisset (10), capite pœnas dabat.

℣. 15. Nec contaminabunt sanctificata filiorum Israel. Ex his, quantum arbitror, intelligimus, sermonem hic esse de Sacerdotibus, superius vero de Israelitis reliquis. Interdicitur hic Sacerdotibus usus indiscretus oblationum, quæ Domino a populo sistebantur; oblationum scilicet spontanearum, quas Tabernaculo populus offerebat: has enim ipsi comedere tenebantur.

Sed versiculi hujus cum præcedenti connexio interpretationem hanc excludit. Non incongrue redderetur Textus: *Non contaminabunt sancta filii Israel, quæ elevant coram Domino*; id est, filii Israel puras dabunt & sine macula oblationes; vel potius: Filii Israel non contaminabunt oblationes suas, illas per se tangendo, vel sibi ex illis aliquid reservando; omnia enim cedunt Sacerdotibus.

℣. 16. Ne forte sustineant iniquitatem delicti sui. Hebræus (11): *Ne portare faciant populo iniquitatem eorum, & peccatum eorum.* Ne Sacerdotes populum in peccato suo relinquant, ejus oblationibus extra Tabernaculum comestis. Vel potius: *Ne portare faciant sibi iniquitates & pec-*

I *cata*,

(1) Vide Selden. lib. 2. de Syned. cap. 1. pag. 31. (2) Num. xix. 11. (3) ושמרו את משמרתי ולא ישאו עליו חטא ומתו בו כי יחללהו (4) Grotius. (5) Philo, lib. 2. de Monarch. (6) בתרומת הקדשים לא יאכל (7) Septuag. Τῶν ἀπαρχῶν τῶν ἁγίων οὐ φάγεται. (8) Philo, lib. 1. de Monarchia, ad finem. Ταῖς δὲ καὶ θυγατράσι τῆς τοῦ γεννήσαντος ὁμοίως ἔστιν, εἰ ταύτῃ συνυφήγηνται περὶ τῆς μητέρας. (9) ונתן לכהן את הקדש (10) Num. xv. 5. (11) והשיאו אותם עון אשמה באכלם את קדשיהם

cata, in comedendo sanctificata sua. Ne populus reus criminis fiat munerum suorum, quæ solis Sacerdotibus debentur.

℣. 18. HOMO DE DOMO ISRAEL, ET DE ADVENIS, QUI OBTULERIT OBLATIONEM SUAM. Sensus hujus versiculi, juxta Hebræum, est; *Quisquis e domo Israel, & peregrinus in Israel, qui accedere fecerit oblationem suam in omnia vota sua, & in omnia spontanea sua*, (oblationes spontaneas) *quæ appropinquare fecerint Domino in holocaustum* (℣. 19.) *Ad bonam voluntatem suam*. Sive: Ut placatum sibi faciat Deum; Vel: Ad hoc ut hostiæ sint acceptæ (1). *Masculus integer* (erunt victimæ) *erit ex bobus, aut ex agnis, aut ex capris*. Utrum peregrinis fas esset sacrificia offerre, vide in ℣. 25. *Peregrinum* hic Proselytum Justitiæ aliqui explicant; advenam scilicet, qui ad Judæorum sacra transierit. Moyses hic repetit accuratius, quæ hoc eodem in libro, I. 3. leviter attigerat de holocausti qualitatibus. Asserit Philo (2), *probatissimos Sacerdotum peritissimosque ab extremis pedibus exorsos, per totum victimæ corpus inquirere quæ sunt conspicua, ne ventre feminibusque celetur vel minima labecula*. Quæ intus celantur, cum oculos fugiant, eorum nulla ratio habebatur. Victimarum vitia, quæ illas ab immolatione arcent, longius deducunt Rabbini; quas quisquilias si ames, vide Misnam, & Gemarram Babylonicam.

Insita hominibus a natura Numinis idea profanos impulit, ut varias de victimarum electione leges promulgarent. Author est Porphyrius, innumeras in hanc rem animadversiones occurrere in libris, quos de rebus scripserunt spectantibus ad eorum munus, quos Σφραγισταὶ, *Obsignatores* vocant. Scholiastes in primum Iliados, v. 66. scribit, victimas appellari τελείους, *perfectas*, quod ætas ac valetudo in eis perfecta, integris sanisque omnibus membris, exigeretur. Ac Servius in eum locum VI. Æneidos: *Lectas de more bidentes*; narrat, olim in victimis cavisse, ne acutam caudam, vel fissam linguam, aut nigras aures haberent. Plinius (3) de victimis, quas Romani immolabant, agens ait, caveri ut vituli cauda ad articulum suffraginis descenderet; secus, ineptum esse sacrificio. *Hoc quoque notatum, vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare; sicut nec claudicante, nec vitiata, nec aliena hostia Deos placari, nec trahente se ab aris*.

℣. 22. SI CICATRICEM HABENS. Hebræum חרוץ *Charuz* diversimode explicatur. Onkelos habet פסיק *concisum*, uti & reddit Vatablus. Eugubinus: *Elisum*, vel membro aliquo vitiatum. Jonathan: *Cujus supercilia percussa sunt*. Rabbini explicant de labiis, vel naribus, vel auribus, seu palpebris fissis. Septuaginta: Γλωσσότμητον, *sectum lingua*: quod etiam vitium in Romanis victimis evitabatur, ut superius ex Servio adnotavimus.

SI PAPULAS. Vocem Originalis יבלת plures explicant de *verrucis*. Si hanc versionem sequaris, intellige callosum tuber, quod sæpe in animalibus cernitur. Septuaginta exponunt de eo verrucæ genere, quod μυρμηκιῶν, *myrmecion* appellatur. Jonathan: *Cujus oculi albo & nigro maculati sunt*.

℣. 23. AURE ET CAUDA AMPUTATIS. Septuaginta & Syriacus itidem ac Vulgata explicant. Rabbini tamen, plerisque novorum Interpretum consentientibus, duas Originalis voces שרוע וקלוט de animali explicant, cui alterum e membris paribus est longius, brevius alterum. Onkelos: *Superfluus aut diminutus*. Jonathan: *Redundans aut deficiens testiculo*. Vox Hebræa *Scharuah*, ajunt, sonat: is cui e. g. alter pes, vel manus altera est longior; & *Kalut*, cui brevior. Author Vulgatæ, cap. XXI. 18. vertit: *Nasus distortus*, pro eadem voce, quam hic: *Aure amputata*. Vide Bochartum *De animal. sacr. p. 1. l. 2. c. 46.*

℣. 24. OMNE ANIMAL QUOD VEL CONTRITIS... TESTICULIS EST, NON OFFERETUR DOMINO. Ita plerique Interpretes, post Vulgatam, Septuaginta, Chaldæum, & Rabbinos. Hebræus tamen habet solum (4): *Compressum, & contusum, & evulsum, & excisum non offeretis*; nulla animalis parte descripta. Syriacus etiam partes silet: *Quod est contusum, & resectum, & ruptum*. Arabs: *Contusum & contritum, atque mutilatum cornibus, & exsectum*.

ET IN TERRA VESTRA HÆC OMNINO NE FACIATIS. Josephus (5), & Rabbini (6), cum Interpretum turba, ajunt, vetari hac lege non modo ne bruta, sed ne homines evirentur. Strabo libro XVI. scribit, Judæos circumcidi, & homines ac bruta evirare: quod falsitatis arguitur ex Josephi laudato mox testimonio. Ita etiam Syriacus exponit: *Neque sacrificetis* (ejusmodi victimas) *in terra vestra*. Idem etiam sensus Hebræo accommodari posset. Verbum *facere* apud Latinos & *asah* apud Hebræos sæpe significant *sacrificare*.

℣. 25. DE MANU ALIENIGENÆ NON OFFERETIS PANES. Tostatus, Cajetanus, aliique plures panis nomine oblationes ac sacrificia cujusvis generis intelligunt; cum in aliquibus Scripturæ locis hostiæ immolatæ *Panis Dei* nominentur. Volunt hi, hac lege Sacerdotibus interdici, ne ipsi ex alienigenarum manu oblationem ullam in sua specie accipiant Deo offerendam; permitti vero, ut pecunias accipiant, quibus victimæ emantur: sive præcipi ut oblatam in sua specie rem vendant, relataque ex pecunia victimam emant. Sunt qui contendant, ipsam vel pecuniam ex alienigenis accipi non potuisse. Quæ tamen sententia vetere Judæorum more (7) confutatur, qui alias ex Ethnicis holocausta, non alias victimas (8), acceperunt; panis enim, ajunt Rabbini, una cum aliis sacrificiis offerendus erat, quem offerre Ethnicis nefas erat: holocaustum vero cum solum immolari posset, licebat. *Panes* intelligunt varios panes, seu panes propositionis, vel oblationes placentarum, quæ semper sacrificia voluntaria & pro peccato comitabantur. Si Ethnicus hostiam pro peccato obtulisset, immolabatur ritu in holocausti oblatione usitato; neque alia ex ipso victima accipiebatur, nisi iis conditionibus prædita, quas in Israelitarum victimis Deus postulabat.

QUIDQUID ALIUD DARE VOLUERIT, QUIA CORRUPTA ET MACULATA SUNT OMNIA, NON SUSCIPIETIS EA. Ut hic versus cum 18. concilietur, quo permittitur alienigenis ut holocausta offerant, dum victimæ perfectæ sint, ac integræ, nullaque labe vitiatæ, ut ex Judæorum more descripsimus; ita explicandus est: Nullam victimam de manu alienigenæ non accipietis, nisi vitiis mox descriptis caruerit. Hunc sensum satis aperte fert Hebræus totius hujus versiculi: *Et de manu filii extranei non offeretis panem Dei vestri ex omnibus istis* animalibus impuris, de quibus mox, *quia corruptio eorum in eis, macula in eis: non placeant vobis*; vel: *Deum vobis non propitiabunt*. Ac si diceret: Hæ leges non ad solos Israelitas fratres vestros pertinent: omnes eos amplectuntur, qui sacrificia vel oblationes Domino sistere voluerint. Nihil ex eis accipietis, nisi his conditionibus præditum.

Chaldæus, cæteræque versiones hunc sensum

mox

(1) Chaldæus uterque, Septuag. Syr. Arab. (2) De victim. initio. (3) Plin. lib. 8. cap. 45. (4) ומעוך וכתות ונתוק וכרות 70. Ἐκτεθλιμμένον, ἐκτομίας. Aqu. Συγκεκλασμένον, κεκομμένον. (5) Joseph. lib. 2. cont. Appion. (6) Gemar. Basil. ad tit. Chagiga, cap. 2. Mos. mikotzi, præcept. negat. 120. Maim. Hal. isurishia, cap. 16. (7) 2. Macc. III. 3. 1. Esd. VI. 9. Joseph. Antiq. lib. 18. cap. 7. & l. 13. cap. 8. Phil. l. de legatione ad Cajum. Joseph. de bello Jud. l. 2. c. 30. & 31. (8) Vide Selden. de jure nat. & gent. l. 3. c. 4. & 7.

mox relatum sequuntur. Paraphrastæ Chaldæi (1) vertunt *corban*, oblationem, pro Hebræa voce (2), quæ panem sonat. Septuaginta reddiderunt δῶρα, *munera*, oblationes, sacrificia. Munera ex auro & argento, vel rebus aliis pretiosis, Templo oblata, accipiebantur, servabanturque. Testis est Philo (3), in Templo Jerosolymitano munera ex tota ferme Augusti familia fuisse. Suæ etiam liberalitatis indicia ibi reliquisse scribit Juliam Augustam, ac Marcum Agrippam.

℣. 27. Bos, OVIS, ET CAPRA SEPTEM DIEBUS ERUNT SUB UBERE MATRIS. Bruta nonnisi post octavum ab ortu diem perfecta & apta in cibum habebantur. Hac eadem lege, & sequenti humanitas docetur (4). Suis fœtum Romani nonnisi quinta ab ortu die sacrificabant (5): antea impurus censebatur. Aries & hœdus post octo dies, bos post mensem mactabantur. Coruncanus hostias, quas *ruminales*, scilicet ruminantes, vel lactentes, appellabant, puras censeri negavit quamdiu dentibus iis carerent, quos habent cæteris longiores. Hebræi, quamvis post octo ab ortu dies immolare possent, nonnisi elapso mense mactabant.

(1) לא תקרבון ית קורבן (2) לא תקריבו את לחם (3) De legat. ad Cajum. (4) Tert. cont. Marcion. lib. 2. (5) Plin. lib. 8. cap. 51. *Suis fœtus sacrificio die quinto purus est, pecoris, die octavo, bovis, trigesimo. Coruncanus ruminales bestias, donec bidentes fierent, puras negavit.* Suis fœtum nonnisi decima ab ortu die aptum sacrificio putat Varro lib. 2. de Re Rustica cap. 4.

CAPUT XXIII.

Lex de Festis Judæorum, de Sabbatho, de Paschate, de Pentecoste, de Festo buccinarum, Expiationis, ac Tabernaculorum.

℣. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere filiis Israel: & dices ad eos: Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas. 3. Sex diebus facietis opus; dies septimus, quia sabbathi requies est, vocabitur sanctus: omne opus non facietis in eo, sabbathum Domini est in cunctis habitationibus vestris. 4. Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis. 5. Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est: 6. Et quintadecima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis. 7. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque: omne opus servile non facietis in eo. 8. Sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus, dies autem septimus erit celebrior, & sanctior: nullumque servile opus facietis in eo. 9. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens. 10. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem. 11. Qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis, altero die Sabbathi, & sanctificabit illum. 12. Atque in eodem die, quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini. 13. Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum: liba quoque vini, quarta pars hin. 14. Panem, & polentam, & pultes non comedetis ex segete, usque ad diem, qua offeretis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum in generationibus, cunctisque habitaculis vestris. 15. Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, 16. Usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, idest, quinquaginta dies: & sic offeretis sacrificium novum Domino. 17. Ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini. 18. Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos, anniculos, & vitulum de armento unum, & arietes duos, & erunt in holocaustum cum libamentis suis, in odorem suavissimum Domino. 19. Facietis & hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum. 20. Cumque elevaverit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus. 21. Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque sanctissimum: omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, & generationibus vestris. 22. Postquam autem messueretis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum, nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus, & peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester. 23. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 24. Loquere Filiis Israel: Mense septimo, prima die mensis, erit vobis sab-

ſabbathum memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur ſanctum: 25. Omne opus ſervile non facietis in eo, & offeretis holocauſtum Domino. 26. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 27. Decimo die menſis hujus ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus: affligetiſque animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino. 28. Omne opus ſervile non facietis in tempore diei hujus, quia dies propitiationis eſt, ut propitietur vobis Dominus Deus veſter. 29. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis ſuis: 30. Et quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo ſuo. 31. Nihil ergo operis facietis in eo, legitimum ſempiternum erit vobis in cunctis generationibus, & habitationibus veſtris: 32. Sabbathum requietionis eſt, & affligetis animas veſtras die nono menſis: A veſpera uſque ad Veſperam celebrabitis ſabbatha veſtra. 33. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 34. Loquere filiis Iſrael: A quintodecimo die menſis hujus ſeptimi erunt feriæ tabernaculorum ſeptem diebus Domino. 35. Dies primus vocabitur celeberrimus, atque ſanctiſſimus: omne opus ſervile non facietis in eo. 36. Et ſeptem diebus offeretis holocauſta Domino: dies quoque octavus erit celeberrimus, atque ſanctiſſimus, & offeretis holocauſtum Domino: eſt enim cœtus, atque collectæ: omne opus ſervile non facietis in eo. 37. Hæ ſunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas, atque ſanctiſſimas, offeretiſque in eis oblationes Domino, holocauſta, & libamenta juxta ritum uniuscujuſque diei: 38. Exceptis ſabbathis Domini, doniſque veſtris, & quæ offeretis ex voto, vel quæ ſponte tribuetis Domino. 39. A quintodecimo ergo die menſis ſeptimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ veſtræ, celebrabitis ferias Domini ſeptem diebus, die primo, & die octavo erit ſabbathum, ideſt requies. 40. Sumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro. 41. Celebrabitiſque ſolemnitatem ejus ſeptem diebus per annum, legitimum ſempiternum erit in generationibus veſtris. Menſe primo feſta celebrabititis, 42. Et habitabitis in umbraculis ſeptem diebus. Omnis, qui de genere eſt Iſrael, manebit in tabernaculis: 43. Ut diſcant poſteri veſtri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cum ducerem eos de terra Ægypti. Ego Dominus Deus veſter. 44. Locutuſque eſt Moyſes ſuper ſolemnitatem Domini ad filios Iſrael.

℣. 2. HÆ SUNT FERIÆ DOMINI, QUAS VOCABITIS SANCTAS. Hebræus ad literam (1). *Conventus Domini, quos appellabitis eos, convocationes ſanctitatis*. Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta in fine verſiculi addunt; *Iſta ſunt ſolemnia mea*.

℣. 5. PHASE DOMINI, Paſcha Domini. Satis de hoc Feſto egimus in Exodo, XII.

℣. 8. OFFERETIS SACRIFICIUM IN IGNE DOMINO SEPTEM DIEBUS. Præter ordinaria ſacrificia quotidiana, alia (2) extraordinaria offerebantur per ſeptem octavæ Paſchalis dies. Septuaginta vertunt: *Adducetis holocauſtomata Domino ſeptem diebus*; revera enim per eos dies holocauſta immolabantur.

DIES SEPTIMUS ERIT CELEBRIOR ET SANCTIOR. Hebræus & Septuaginta habent tantum: *In ſeptimo die convocatio ſanctitatis*. Neque aliud addit Textus ℣. 7. ubi legitur in Vulgata: *Celeberrimus ſanctiſſimuſque &c.* Prima tantum & ſeptima Feſti dies habebantur feriatæ.

NULLUM SERVILE OPUS FACIETIS IN EO. Non legitur tantum; *Nullum opus facietis in eo*; quod imperatum eſt pro die Sabbati ſupra ℣. III. Feſtæ enim dies feriatæ tantum erant ab opere ſervili, licebatque parare ſibi ad eſum cibos. Illud autem *ſervile* indicat, vacandum eſſe ab operibus labore præſtitis ad lucrum captandum, & ab iis, quæ domi vel in agro præſtant ſervi, vel mancipia.

℣. 10. FERETIS MANIPULOS SPICARUM, PRIMITIAS MESSIS VESTRÆ AD SACERDOTEM. Vide quæ contulimus ad Levitici II. 14. Notat Joſephus (3), non prius iniri meſſes, quam poſt oblatas Domino primitias. Offerendarum autem hunc ritum ætatis ſuæ teſtis deſcribit. Seligebatur manipulus hordei, ex quo excutiebant grana, torrentes igne ſupremum ſpicæ cacumen. Purgatum triticum illud pinſebatur in mortario quodam, ſeu potius molebatur. E frumento ita parato implebatur Aſſaron, ideſt, menſura trium pintarum Pariſienſium; quo ad Sacerdotem delato, Sacerdos ille pugillum implens imponebat igni Altaris, reliqua ſibi ſervabat. Hac abſoluta cæremonia, integrum erat ſingulis metere meſſes. Totius populi nomine oblatio illa præſtabatur: privatos autem ſingulos id pro ſe præſtare Religio jubebat.

Ad primitias illas colligendas conferebant ſe veſpere diei XV. Niſan, poſt occaſum ſolis (4). Evoluta prima die Feſti Paſchalis, & inita jam ſecunda, nullis feriis religioſa, Domus Judicii tres deſtinatos viros mittebat ad colligendum ſolemni ritu manipulum hordei. Ad hujus ritus ſpectaculum undique ex Urbibus confluebant: metebatur autem hordeum in agro Jeroſolymis ſubjecto. Deſtinati in eam rem viri interrogabant ter, utrum ſol occubuiſſet; terque quærentibus reponebatur, occubuiſſe. Ter poſtulabant facultatem colligendi meſſem; ac ter pariter illis dabatur. Tres viri metebant una ſimul cum tribus falcibus e tribus diſtinctis agris. Collectas ſpicas, & reliqua omnia diſtinctis tribus arculis condebant, atque ita deferebant in atrium Templi, ubi excuſſo tritico, plenum eo gomor ſeligebatur, probe purgato, toſto, molitoque. Affundebatur deinde huic tritico Log olei (menſura erat ſemiſextarii, octavæ pintæ partis, & pollicis cubici), addi-

(1) מועדי יהוה אשר תקראו אתם מקראי קדש (2) Vide Num. XXVIII. 19. (3) Antiq. lib. 3. cap. 10. (4) Cod. Menachot. VI. 3. Vide & Maimonid. in Temedim & Moſaphim, c. 7.

addito pugillo thuris: atque hæc simul omnia Sacerdos agitabat coram Domino, sistens ad quatuor mundi partes in formam crucis. Tandem oblationis illius portione igni altaris injecta, habebat sibi reliqua.

Genus erat aliud primitiarum, quod privatus quisque jubebatur sufficere Sacerdotibus, sed pendebatur illud sive e rebus ipsis, sive pecunia substituta; neque ullæ addebantur ceremoniæ hic præscriptæ pro oblatione manipuli vel gomor tritici primitiarum. Quam large primitiæ ejusmodi a privatis offerendæ essent, nihil quidem definit Scriptura; sed mos invaluerat, ut dominus fundi solveret inter quadragesimam, & sexagesimam portionem fructuum. Qui minimum, intra sexagesimam non dabant, qui maximum, non excedebant quadragesimam. Notat Philo, morem illum offerendi Deo primitias e fructibus, quos terra sufficit, parem hominibus vetustatem referre. Primitias obtulisse suas Deo primævos mortales, narrante Genesi IV. 3. 4. scimus. Religio hæc transivit in Patriarchas; & qui tandem mos spontanea pietate obtinuerat, rogata lege transivit in præceptum. Quotæ essent primitiæ, idem Scriptor in libro Περὶ φιλανθρωπίας non determinat: docet tantum, oblatas fuisse pro qualitate hæreditatis, atque ubertate fructuum. Addit, solemni pompa deferri consuevisse ad Templum in canistris cum hymnis, & carminibus Dei laudes insonantibus, quæ supersunt adhuc in sacris libris.

Usum offerendi Deo primitias norant gentes late omnes, ut portio reputanda sit naturalis religionis. Illi primitias dabant Ægyptii, teste Diodoro Siculo, quippe quam colerent tanquam inventricem agriculturæ & messium: eum autem inter vetustissimos mores suos, vetustissimum esse affirmabant. Obtinebat apud Carthaginienses, ut quotannis mitterent e bonis suis primitias ad Herculem Tyrium; eodemque religionis genere fraudare Deos, id impietatis accusat Porphyrius (1). Narrat ille, Thoes Thraciæ vicinos populos uno simul casu omnes periisse, una cum Urbibus domibusque suis, ut ne vestigium quidem ullum eorum maneret, eas autem dedisse pœnas, quod sacrificia & primitias penitus neglexissent. Docet Theophrastus apud Porphyrium, homines post prorogatum diu morem colendi Numina mera tantum & simplici primitiarum oblatione, invexisse tandem execrabilem, & crudelem (ita enim appellat) ritum offerendi victimas cruentas. Veteres Romani, teste Plinio (2), *nec gustabant quidem novas fruges & vina, antequam Sacerdotes primitias libassent*. Apud Græcos colligebantur e tritico primitiæ, quarum esset usus in conviviis religiosis, & in Festis Numinum suorum (3). Sui erant destinati Præfecti ad colligendas eas primitias singuli in sua Tribu & loco assignato. Appellabantur illi olim apud Veteres *Parasiti*; quæ ab exordio quidem dignitatis erat appellatio, successu dein temporis probrum ac invidiam e probrosis Parasitorum assentatorumque moribus duxit.

Offerebantur plerumque apud Judæos primitiæ per religiosissimorum Festorum dies. Cum Festum Paschatis incideret in exordium messis hordei, sicut & Pentecostes post messem frumenti recurreret (4), utriusque illius Festi celebritatem augebant primitiæ, hordei quidem in Paschate, frumenti in Pentecoste. Quamquam enim messes frumenti colligebantur ante Pentecosten, illud tamen scimus, ante oblatas primitias quidquam ex illo degustare nefas fuisse (5). Omnium, quotquot innotuerint apud Paganos, Festorum vetustissima illa sunt, quæ constituta erant pro collectis fru-

gibus; cujus rei causam assignat Aristoteles (6), nimirum vacuum tunc operibus populum, facilius colligi in cœtus religiosos atque rebus sacris incumbere.

Feretis manipulos spicarum. Hebræum עמר *Homer*, quod Vulgata reddit *messis*, exprimit etiam mensuræ genus quoddam, appellatum *Gomor*, vel *Assaron*. Facile hic nihil aliud, quam mensuram illam designat; intelligimus enim ex Josepho, offerri consuevisse Sacerdoti certam aliquam parati tritici portionem.

℣. 11. Elevabit fasciculum coram Domino. Hebræus: והניף את העמר, *Agitabit homer ad facies Domini*.

Altero die Sabbati vel Festi; die secunda septimanæ Paschalis. Onkelos: *Postridie bonæ diei*. Jonathan: *Postridie diei festi*. Septuaginta: Τῇ ἐπαύριον τῆς πρώτης τῶν Σαββάτων, *Crastina die a prima Sabbatorum*. Hinc exordium ducebant quinquaginta illi dies, qui in Pentecosten desinebant.

℣. 13. Libamenta. Hebræus: מנחה *Mincha*, oblationes farinæ, quæ igne altaris absumebantur *in incensum Domini*. Vide Levitici II. 1.

℣. 14. Panem, et polentam, et pultes. Est hic polenta, cujus vocis vis nulla vernacula expleri potest, est, inquam, farina hordei vel frumenti igne tosti, & farina aqua subacta; vel tandem massæ genus aliquod, ex illis confectum, quo vescebantur. Hebrææ voces לחם וקלי וכרמל ita plerumque redduntur: *Panes, granum contusum, spicæ tostæ*, Septuaginta: Καὶ ἄρτον, καὶ πεφρυγμένα χίδρα νέα, *Et panem, & frumentum novum, tostum, & manu excussum*. Vide Leviticum II. 1.

In cunctis habitaculis vestris. In cunctis scilicet, etiam extra Terram promissionis, quod præcepto huic peculiare esse notat Grotius.

℣. 15. Numerabitis ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas; idest, a die decima sexta primi mensis, usque ad sextam tertii. Loco septem hebdomadarum, quæ leguntur in Septuaginta & Vulgata, præfert Hebræus: *Septem Sabbata*. Est autem Sabbatum pro hebdomada positum stylo Judæorum, & Hellenistarum. Porro e secunda illa die Paschatis nomen referebant suum Sabbati dies omnes, recurrentes a secunda eadem Paschatis die, vel XVI. Nisan, usque ad Festum Pentecostes, vel diem sextam tertii mensis: atque ita primum, quod sese offerebat, Sabbatum appellabatur: *Primum Sabbatum post secundam diem*; & Græce *Deuteroproton*. Quod succedebat Sabbatum, distinguebatur nomine *secundi post secundam diem*. Tertium erat *tertium post secundam diem*; & sic de singulis usque ad diem Pentecostes. Id opportune succurrit Josepho Scaligero (6); atque ita tandem viro feliciter contigit prona expositio Sabbati *secundo primi*, de quo S. Lucas VI. 1. quod crucem ad id usque fixerat Interpretibus. Nomen Pentecoste Græce sonat: *Quinquagesima dies*; quod scilicet Festum illud quinquagesima die a Paschate celebretur. Quinquaginta hosce dies supputant Samaritani (7) a Sabbato, quod proxime succedit Paschati; adeo ut si forte Pascha inciderit in feriam secundam, non ante ducant quinquaginta illos dies, quam a sabbato subsequenti; ex quo factum est, ut Pentecosten celebrent plerumque Samaritani serius, quam Judæi.

℣. 16. Offeretis sacrificium novum Domino. Hebræus: *Offeretis Mincha novum*. Designat *Mincha* oblationes e frugibus, & libationes. Die Pentecostes dabantur e frumento primitiæ, quas exhibebant duo ex frumento panes, e duobus assaronibus similæ fermentatæ singuli. Porro assaron

(1) Porphyr. de abstin. l. 2. §. 7. (2) Plin. l. 18. c. 20. (3) Vide Athen. l. 6. c. 6. p. 234. & 235.
(4) Vide Ludovicum de Dieu, & Ligfootum in Luc. VI. 1. (5) Vide Exod. XXIII. 16. & infra Levit. XXIII. 17.
(6) Aristot. ad Nicomach. l. VIII. c. 12. Αἱ γὰρ ἀρχαῖαι θυσίαι καὶ σύνοδοι φαίνονται γίνεσθαι μετὰ τὰς τῶν καρπῶν συγκομιδάς, οἷον ἀπαρχαί· μάλιστα γὰρ ἐν τούτοις ἐσχόλαζον τοῖς καιροῖς. (7) Joseph. Scaliger l. 6. de emendat. tempor. (8) Lettre des Samaritains a M. Huntington.

capiebat tres pintas Parisienses, vel minus aliquid. Hosce autem panes dabant nomine totius gentis, uti docent Interpretes plerique. Favet Josephus (1), tradens, eos panes mensæ Sacerdotum apponi una cum duobus agnis; ita tamen ut nihil reservandum esset in alteram diem. Sed malunt alii (2), singulas familias præcepto obligari ad similes duorum panum oblationes præstandas. Neutri opinioni victoriam adjudicant voces illæ Originalis: *Ex omnibus habitaculis vestris*. Vero tamen propius autumaremus, primitias illas in ipsa earum specie nunquam oblatas fuisse eodem simul tempore ab omnibus Israëlitis. Fermentatos panes exigit hic Lex, quod singulare est in hac cæremonia Paschatis & Pentecostes. In omnibus autem hisce oblationibus non obscura Deus exhibet argumenta supremæ & despoticæ authoritatis suæ in omnem populum & regionem. Festi Pentecostes instituendi potissima fuit ratio, ut perennaretur memoria Legis rogatæ in Sinai; quæ typus erat Legis gratiæ, datæ cum S. Spiritu illabente in Apostolos die Pentecostes.

℣. 18. Offeretis cum panibus septem agnos &c. Longe aliæ sunt hæ victimæ a victimis præscriptis in Numeris XXVIII. 27. quare præter septem agnos, vitulum, & duos arietes offerendos in holocaustum, hircumque pro peccato, quæ omnia præcipiuntur hic, & in ℣. 19. immolabantur adhuc duo vituli, & aries in holocaustum, septem agni in hostias pacificas, & hircus pro peccato. Omnes hasce hostias simul jungit Josephus (3), narrans, offerri in Pentecoste tres vitulos, duos arietes, quatuordecim agnos, & duos hircos pro peccato. Sunt autem duo illi agni, quorum author meminit, hostiæ pacificæ immolatæ in usum cibi pro Sacerdotibus, quas habes in Lege præscriptas ℣. 19.

℣. 20. Cumque elevaverit eos Sacerdos cum panibus primitiarum, cedent in usum ejus. Totum quidquid erat victimarum, ac panis Domino tunc oblati, nomine totius populi, cedebat Sacerdotibus. Igni Altaris dabatur nihil; nihil redibat ad populum. Contraria erant omnia in vulgaribus Sacrificiis pacificis, in quibus privati dabant victimas, recipiebantque sibi majorem ex illis portionem. Ritus ille elevationis, seu potius agitationis victimarum, in Exodo XXIX. 24. explicatus est. Panes primitiarum parabantur e fermentato; nec poterant offerri in Altari, juxta plures Interpretes. Quorum sententias in eam rem habes deductas ad Levitici II. 11. & VII. 34.

℣. 21. Vocabitis hunc diem celeberrimum. Non satis apertis verbis docet Scriptura, utrum Festo Pentecostes accesserit sua octava; cujusmodi erat Paschati, & Festo Tabernaculorum. Moyses, qui agit de sacrificiis offerendis in hebdomada illa solemni duorum Festorum, nihil habet quod insinuet, simile aliquid & in Pentecoste obtinuisse (*Num.* XXVIII. XXIX.). Nihilo tamen secius Commentatiorum Scriptores plerique certum constituunt, nihil ea in re Pentecosten geminis illis Festis concessisse.

℣. 22. Postquam messueritis. Vide Levitici XIX. 9.

℣. 24. Mense septimo prima die mensis, erit vobis sabbatum memoriale clangentibus tubis. Reddi posset Hebræus: *Dies hæc erit vobis Festum memorabile, & convocatio sanctitatis ad vociferationem buccinæ*. Mensis a Festo Paschali septimus, cui deinde datum est nomen Tizri, caput erat anni civilis. Hujus autem mensis prima dies solemnis habebatur Festo tubarum: enunciabatur exordium primi hujus mensis armonico tubarum concentu, majori, & solemniori ritu quam promulgaretur exordium aliorum mensium, quorum exordium tubarum clangore indicebatur. Quæ Festi hujus essent sacrificia habes in Numeris XXIX. 3. &c.

Autumat Theodoretus (4), instituendi festi buccinarum causam obtulisse consilium perennandi memoriam fragoris reboantium tonitruum, quo insonuit vertex Sinai, dum Lex rogabatur. Malunt Rabbini, reductam eo clangore in animum historiam liberati Isaaci, cujus loco Abraham statuit arietem immolandum; unde obtinuisse credunt, ut in eo Festo non buccinas inflarent, sed cornua arietis. Magis ad rem apposite, quantum arbitror, locutus est Maimonides, docens, concentum illum tubarum valuisse ad indicandum exordium anni civilis, præparandosque Judæos ad sequentis diei jejunium. Nullam affert rationem Moyses constituti hujus Festi; sed non incongrue arbitraremur, sanciendi illius consilium fuisse potissimum, ut agerentur Deo grates pro acceptis elapso anno beneficiis, novisque in annum ineuntem impetrandis. Vespere ejus diei prosperum sibi annum imprecantur invicem Judæi, convivia instruunt consueto lautiora, & tubam inflant tricesies (5).

℣. 27. Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationum erit. Vide caput XXVI. 29. & Numeros XXIX.

℣. 28. Omne opus servile non facietis. Hebræus, Septuaginta, & Versiones habent tum hic, tum ℣. 31. *Omne opus*; unde suspicandi locus datur, diei hujus requiem similem retulisse ac Sabbatum religionem, ut vel cibos parare nefas esset.

℣. 32. A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra. Targum Jerosolymitanum: *A vespera usque ad vesperam jejunabitis jejunium vestrum, & quiescetis in requie vestra, & facietis tempora festivitatum vestrarum cum gaudio*. Solemne erat Hebræis, ut non dies tantum festos, sed & profestos etiam atque esuriales ducerent a vespera in vesperam (6); cujus vetustæ consuetudinis morem retinet adhuc in suo officio Ecclesia.

℣. 34. A quintodecimo die mensis septimi, erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus. Festum Tabernaculorum apud Græcos appellatur *Scenopegia*, ideo scilicet, quod tunc tentoria, vel ex arborum ramis contexta tabernacula erigerentur. Idem autem Festum designat Moyses verbis illis Exodi XXIII. 16. *Solemnitatem in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro*; ipsa enim celebrabatur post messes omnes absolutas, ut hic ℣. 39. insinuatur. Ejus instituendi ratio fuit, tum ut agerentur grates Deo, cum potissimum ut maneret monumentum temporis, quo Israelitæ in Deserto vixere; cujus erant emblema tentoria illa, per eos dies erecta. Meminit hujus Festi Plutarchus (7), tradens, Judæorum Festa affinitatis habere plurimum cum solemniis Bacchi, si tempus & si ritum etiam celebrandi spectes; jejunia enim sua agunt, ait ille, quo tempore major est æstus vindemiæ: tunc autem instituunt e fructibus omnis generis mensas; simul autem quiescunt sub erectis tentoriis, quæ potissimum tegunt pampinis, & hedera (quod utrumque Baccho dedicatum est). Festum illud proxime præcedens dies appellatur Festum Tabernaculorum. Hæc Plutarchus. Festum *Annæ Perennæ*, quod a Romanis sub frondosis tentoriis agebatur, ita pingit Ovidius in Fastis III.

Sub Jove pars durat; pauci tentoria ponunt:
Sunt quibus e ramis frondea facta casa est.
Pars sibi pro rigidis calamos statuere columnis;
Desuper extentas imposuere togas.

Casaubonus (8) meminit etiam Festorum quorumdam, quæ sub tentoriis a Profanis agebantur. Porro id voluit Dæmon, ut sui asseclæ sanctissimas

(1) Joseph. Antiq. l. 3. c. 10.
(2) Vide Menoch. Cornel. Malv.
(3) Joseph. Antiq. l. 3. c. 10.
(4) Theod. quæst. 32. in Levit.
(5) Buxtorf. Synag. Jud. c. 19.
(6) Vide Exod. XII. 6.
(7) Sympos. l. 4. problem. 5.
(8) In Athen. l. 4. c. 9. & l. 5. cap. 5.

mas plerasque veræ religionis cæremonias imitatione corrumperent.

Ỳ. 36. Dies quoque octavus. . . . . est cœtus atque collecta. In Hebræo nihil legitur nisi עצרת *baseretb*, illud scilicet quo aliquid clauditur. Verterunt Septuaginta Ἐξόδιον *Exodion*, ac si diceretur, *Festi exitus*, nempe conclusio solemnitatis. S. Hieronymus maluit explicare de conventu fidelium; revera enim postrema illa Festi dies ad cœtus solemnes destinata erat, ac feriata habebatur. Reddunt plures, *Retentio*, quasi scilicet ea voca designaretur cautio, ne ea die vacaretur operibus, neve desereretur coactus cœtus. In aliis quidem Festis unica tantum dies in locum Sanctum Hebræos colligebat; sed in Festo Tabernaculorum Hebræi per octo continuatos dies retinebantur (1). Postremam Festi hujus diem appellat S. Joannes VII. 37. *Magnum diem festi*. Ex Interpretibus quidam (2) reputant, octava hac die collectas fieri ob eleemosynas. Tradunt alii (3), eadem hac die parari consuevisse quidquid opus erat usibus Templi in reliquum annum; docetque Paraphrastes Jonathan, octavam hanc diem precibus orationibusque, quibus imbres impetrarentur, fuisse occupatam; sed Josephus nullam peculiarem religionem octavæ diei assignat, nisi ferias, & sacrificia vituli, arietis, septem agnorum, & hirci.

Ỳ. 40. Sumatisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ. Tradit Josephus (4), prætulisse Hebræos manibus ramos myrti, salices, & palmarum, e quibus mala citrina suspensa pendebant. Porro hos fructus Judæi nomine fructuum arboris pulcherrimæ donabant. In hunc sensum interpretantur Onkelos, Jonathan, Targum Jerosolymitanum, Syriacus, & Arabs; vertuntque poma aurea, idest, vel citrina, vel quæ Latine *aurea*, Gallice *oranges*, Italice *aranci* appellamus. Sed commode planiusque redderetur illud, *Fructus arboris pulcherrimæ*, de ramis suo fructu onustis.

Ramos ligni densarum frondium. Myrtum his designari, volunt Rabbini cum Syriaco. Constat equidem ex Josepho & Nehemia (5), myrto suum fuisse locum in hac cæremonia; sed nunquam ego Textum definirem ad unicum illud arborum genus; quin potius asserendam illi censeo pronam, & naturalem significationem. Arabs ita reddit: *De ramis ligni textili artificio contextis*.

Salices de torrente. Septuaginta (6): *& salices, & agni ramos de torrente*. Arabs exponit de populi arbore, quæ torrentium ripis gaudet.

Seligunt Hebræi e ramis illis pulcherrimos, quos gestent solemni ritu in Synagoga, ut celebrent *Lulab* לולב; est autem *Lulab* cæremonia, qua dextera manu teneat ramum palmæ, cum tribus myrti, ac duobus ramis salicis in unum simul fasciculum colligatis; sinistra vero gerunt ramum citrinum, fructibus suis divitem, quos omnes ramos alterum alteri admovent, agitantque ad quatuor mundi plagas, additis quibusdam canticis, quæ canunt in Synagogis, ubi quotidie singuli toto eo Festo perseverante semel parvam quamdam Aram, vel Cathedram ibi erectam circumeunt, nunquam interim ramos illos e manibus deponentes. Censent illi, eamdem cæremoniam olim obtinuisse circum Aram holocaustorum in Templo; nec antea cibum capiunt, quam post illam absolutam. Septima die, hac solemni prece alte inclamantes Deum rogant: *Ana hosiahna, ana, Adonai, hasilcha*, idest: *Salva, quæso, Domine, quæso, da nobis eventus felices*. Quæ ratio est, cur ita ramis nomen inditum sit *hosannah*. Eamdem cæremoniam præ oculis habuerunt pueri Hebræorum, cum ingrediente Jerosolymam Jesu Christo, ingenti turbarum satellitio, acclamarunt: *Hosanna filio David*. Reputant (7) nonnulli, Judæos arcto nimis sensu coarctare præceptum hoc Mosaicum; cum enim Legislator præceperit, ut ex arborum hisce ramis Tabernaculum intexeretur, ita accipiunt, quasi ramos illos manu gestare juberentur.

De hac Judæorum cæremonia novit aliquid, sed nihil utique accuratum, Plutarchus in Symposio, problemate V. tradit, gerere illos palmites, ac thyrsos, iisdemque ramis instructos ingredi in Templum; quid autem ibi præstent, se ignorare. Festa illa appellat, *Cladeforia*, & *Tyrsophoria*, nomine indito e ramis illis ac thyrsis: id autem totum in honorem Bacchi præstitum censet. Notat Grotius, innotuisse Atheniensibus Festum, Ὀσχοφορία, *Oschophoria*, in quo non dissimiles a Judaicis hisce cæremoniæ agebantur. Nomen Εἰρεσιώνη, *Eiresione*, quo hic utitur Josephus, teste Suida, designat fasciculum ex oleæ ramo, lana vinctum, unde pendet fructuum quodcumque genus; quem fasciculum puer neutro parente orbatus, conferens se ad januam Templi Apollinis, ibi ponebat die illa festa, quam Græci appellabat *Pyanepsia*.

Lætabimini coram Domino. Instituta in veteri Lege Festa semper erant certis nonnullis gaudii significationibus læta. Sapientissimi erat Numinis, ut crassum, rudemque populum addiceret religioni suæ, pellectu sensibilium augustarumque cæremoniarum, ac rerum quarumdam gratarum accessione. Ea etiam ratione amicitia & societas inter Judæos integra servabatur. Lætos simul agebant conventus ter vel quater per annum in loco ad cultum Domini destinato: pristinos hic agnoscebant amicos, stringebantque nexum semel amoris vinculum; seque invicem magis magisque in amore religionis, & patriæ confirmabant. Vetustissimo id more obtinuisse, qua apud excultas gentes, qua apud Barbaras, ut festa agerent sua oblectamentis quibusdam læta, affirmat Strabo lib. X. *Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerentur, tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum*, ait Seneca. Solemne tamen erat Paganis, ut omnia ad excessum propellerent.

Ỳ. 42. Habitabitis in umbraculis septem diebus. Compotationibus, lætisque conviviis oblectabantur, agebantque ibi diem totam noctemque, juxta plures Interpretes; sed noctem non necessario ibi exigendam fuisse, censet Tostatus.

---

[1] Hiscuni apud Drusium. [2] Fagius. Oleast. [3] Malv. [4] Joseph. l. 3. c. 10. [5] 2. Esdr. VIII. 15. *Frondes myrti, & ramos palmarum*. [6] Καὶ ἰτέας καὶ ἄγνου κλάδους ἐκ χειμάῤῥου. Hebr. ערבי נחל. Alii: ἰτέας ἐκ χειμάῤῥου. Vide 2. Esdr. VIII. 15. [7] Junius & Buxtorf. Synag. Jud. c. 15.

CAPUT XXIV.

Leges pro alendis lucernis aurei Candelabri, imponendisque mensæ panibus propositionis. Historia hominis blasphemi, lapidibus confecti a populo. Pœna ad coercendas blasphemias, & cædes. Lex Talionis.

℣. 1. ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter, 3. Extra velum testimonii in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron a vespera usque ad mane coram Domino, cultu, rituque perpetuo in generationibus vestris. 4. Super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini. 5. Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas: 6. Quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues: 7. Et pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monumentum oblationis Domini. 8. Per singula sabbatha mutabuntur coram Domino suscepti a filiis Israel fœdere sempiterno: 9. Eruntque Aaron, & filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto: quia Sanctum Sanctorum est de sacrificiis Domini, jure perpetuo. 10. Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, jurgatus est in castris cum viro Israelita. 11. Cumque blasphemasset nomen, & maledixisset ei, adductus est ad Moysen. (Vocabatur autem mater ejus Salumith, filia Dabri de tribu Dan.) 12. Miseruntque eum in carcerem, donec nossent, quid juberet Dominus. 13. Qui locutus est ad Moysen, 14. Dicens: Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus. 15. Et ad filios Israel loqueris: Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: 16. Et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur: 17. Qui percusserit, & occiderit hominem, morte moriatur. 18. Qui percusserit animal, reddet vicarium, ideft animam pro anima. 19. Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum: sicut fecit, sic fiet ei. 20. Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet, qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. 21. Qui percusserit jumentum, reddet aliud: Qui percusserit hominem, punietur. 22. Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit: quia ego sum Dominus Deus vester. 23. Locutusque est Moyses ad filios Israel, & eduxerunt eum, qui blasphemaverat, extra castra, ac lapidibus oppresserunt. Feceruntque filii Israel, sicut præceperat Dominus Moysi.

℣. 2. PRÆCIPE FILIIS ISRAEL. A vero non abludit, Moysi hæc imperata fuisse ante erectum Tabernaculum, eum Beseleel operi instaret. Viri blasphemi historia incidit in tempus castrametationis ad Sinai, uti etiam ea, quæ leguntur in capite xxv. 1. & seq. *Locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai &c.*

℣. 6. QUORUM SENOS ALTRINSECUS SUPER MENSAM PURISSIMAM CORAM DOMINO STATUES. Non satis luculenter distinguitur in Textu, & in Versionibus, quæ dispositio esset panum in mensa. Sunt qui in duas veluti columnas, e senis singulas, distributos credant: componunt alii in duos ordines, e regione altrinsecus; ita tamen, ut alter panis alteri succederet. Prius illud magis probamus; vix enim fieri poterat, ut mensa, duodecim cubitis longa, & uno lata, satis pateret, ut aptum præberet spatium ad stratos duodecim panes, sex pintarum farinæ singulos capiendos. Vide Exodum xxv. 30.

℣. 7. PONES SUPER EOS THUS. Septuaginta addunt sal; ducesque illos sequuntur Interpretes qua Veteres, qua Recentiores. Merum etiam affusum censet Villalpandus (1), & facile etiam in phiala probe clausa. Facile fundebatur coram Tabernaculo, dum novi panes sabbato apponerentur; vel forte conservabatur tota hebdomada in scypho super mensam.

UT SIT PANIS IN MONUMENTUM OBLATIONIS DOMINI. Symbolum quoddam erant ii panes alimoniæ, quam Israelitæ Domino tamquam Regi suo, ac Principi sufficiebant. Ministrabatur illi in mensa, veluti Deo viventi. Thus additum ceu monumentum erat oblationum, quæ igne Altaris holocaustorum absumebantur. Thus autem illud adolebatur loco panis singulis sabbatis, cum panes novi substituerentur (2). Septuaginta: *Et panes statuentur coram Domino in monumentum*. Seu potius, ad revocandos illi in mentem Israelitas, quorum nomine hæc offerebantur.

℣. 8. SUSCEPTI A FILIIS ISRAEL FŒDERE SEMPITERNO. Dicta hæc non ita sunt accipienda, quasi Israelitæ per se offerrent panes, quos conficiebant coquebantque suis manibus Sacerdotes. Sunt (3) qui credant, Israelitas suffecisse materiam, nempe farinam, qua conficerentur panes illi a Sacerdotibus: verum S. Hieronymus (4) docet, ex Judæorum traditione, Sacerdotes ipsos per se & se-

(1) L. 4. de Templo c. 17. (2) Vatab. (3) Menoch. Jansen. (4) Hieron. in Malach. c. 1.

& sevisse & messuisse triticum, tum & moluisse, ac tandem confectos panes propositionis decoxisse. Davidis ætate id muneris impositum videtur Levitis e familia Caath (1). Reputandum est igitur, Sacerdotes obtulisse panes illos nomine Israelitarum; quare & Deum eosdem excepisse, quasi datas a populo oblationes.

℣. 19. FILIUS MULIERIS ISRAELITIDIS. Appellatur mulier illa proxime sequenti versiculo *Salnmith*, filia Dabri, e tribu Dan. Censent Rabbini, hominem hunc, reum temerati nominis Dei, filium fuisse Ægyptii illius, quem Moyses necavit (2); & originem illius dissidii, quod natum est inter hunc virum & Israelitam, de quo hic sermo, ex eo repetunt, quod proselytus iste, e matre Israelitide, & patre Ægyptio natus, tentorium sibi eligere vellet inter Danitica, ad quam Tribum ille jure materno pertinebat; sed hæc conantem prohibuit quidam Danita, obtendens, ex utroque parente ad Israelitas illum non pertinere. Re ad Moysem delata, victus cessit Ægyptius: quare furens prorupit in blasphemias. Eo usque videnr Rabbini.

℣. 11. CUMQUE BLASPHEMASSET NOMEN, ET MALEDIXISSET EI. Exemplaria plura Latina ferunt: *Nomen Domini*, vel *Dei*; sed additamentum hoc *Dei* deest in Chaldæo, Septuaginta, Versionibus cæteris, atque optimis quibusque Latinis editionibus. Nihilo tamen secius reputamus, facile pronunciatum fuisse ab illo nomen sacrum *Jehovah*, diris proscinders Israelitam, quocum jurgabatur.

Tacet hic Scriptura nomen Dei religionis gratia, quod de blasphemia sir sermo. Habet igitur tantum, *blasphemasse nomen*. Eam cautionem norant etiam veteres Profani. Sæpe enim jurantes silent nomen Dei, vel Deæ, per quam jurant. Ita e. g. usurpabant: *Per*, reticentque, *Jovem*. E supplicio, cui blasphemus iste adjudicatus fuit, inserunt Hebræi, reipsa hominem hunc pronunciasse nomen *Jehovah*. Dogma est apud ipsos receptum: *Nemo blasphemus dignus est lapidibus, nisi pronunciaverit nomen sacrum ita plane, ut scriptum est*, nimirum *Jehovah*: quamquam enim scriptum illud occurrat sæpius in Bibliis, nunquam tamen pronunciatur a Judæis, qui ejus loco efferunt *Adonai*. Si quis vero in alia Dei nomina blasphemus morte puniatur; id fieri ajunt non ex sanctione Legis hujus, sed civilis alterius Legis vetantis genus quodcumque blasphemiæ, sive per proprium Dei nomen, sive per alia, Dei quidem, sed minus augusta. Non desunt tamen e Scriptoribus illis quidam, qui Legem hanc prorogent ad blasphemias cujuscnmque naturæ & criminis. Constat equidem, Jesum Christum damnatum fuisse morte tamquam blasphemum, quamquam id tantum protulisset (3); *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei*.

Quanta olim & semper veneratione tenerentur Hebræi erga nomen Dei, demonstravimus ad Exodi III, 13. 14. 15. Docet Philo, nefas esse illud pronunciare, nisi tantum hominibus morum puritate, & sanctitate eximiis, cæteros vero ab illo se continere, obsequii, & religionis gratia. Verum nullum licet obsequium majus sit sanctitate nominis Dei, & ejus maxime quod Numinis ipsius naturam ipsam plenius exprimit, superstitionis tamen aliquid in eo agnoscimus, quod ab eo pronunciando homines sese contineant. Asserendum est insuper, aliam fuisse mentem Legislatoris, vetantis tantum, ne blasphemetur, vel juxta vim Hebræi, *ne transfodiatur*, seu temeretur maledictis, vel blasphemiis nomen Dei: nec interdicit, ne sancte, & quo par est obsequio pronuncietur. An credendum est, interdicere Deum populo suo ne pronunciet nomen, quod ipsis revelat; vetare ne eodem ipse compelletur in precibus, in jurejurando, in actibus religionis, & cum prodigia ejus, ac decora efferuntur? Frequens admodum nomen illud recurrit in Psalmis, in Historia populi Dei, frequentissime intermiscetur nominibus propriis hominum, uti Josue, Jonathan, Josaphat &c. Legitur illud in formulis precum, ut in ea, quæ præscribitur Senioribus (4) post expiatum crimen cædis ab ignoto authore in agro patratæ. Mandat Jeremias IV. 2. ut sacramenta præstentur per nomen *Jehovah*. An reputemus in omnibus hisce rerum eventibus continuisse se homines, ne sacrum nomen pronunciarent?

Utitur non semel Scriptura hac phrasi *Nomen Dei*, ad exprimendam Numinis majestatem, quæ loquendi ratio vim & dignitatem habuisse plurimam in vernaculo ejus gentis sermone videtur: ita ferme, uti apud nos grande sonant voces istæ: *Majestas, Celsitudo, Magnus, Eminens, Eximius*. Usurpatur e. g. *Laudate Nomen Domini: Cantate cantica Nomini Domini: Nomen Domini suave: Propter Nomen sanctum tuum salvum me fac, Domine: Erit Nomen meum ibi: Servire Nomini Domini: Sanctum & terribile Nomen ejus*.

℣. 14. PONANT OMNES, QUI AUDIERUNT, MANUS SUAS SUPER CAPUT EJUS. Qua significatione testabantur, reum esse hominem criminis imputati. Imponebant capiti sontis illius & crimen blasphemiæ, & pœnam, cum effusione sanguinis ipsius, simulque tacite rogabant Deum, ut malorum illorum omnium pœna recideret in authorem.

℣. 15. HOMO, QUI MALEDIXERIT DEO SUO, PORTABIT PECCATUM SUUM. Hebræus: איש איש כי יקלל אלהיו, *Quicumque maledixerit Diis suis*, *Elohim*, quod est *Dii*, vel *Angeli*, vel *Magistratus*. Aquila: *Qui blasphemaverit in Deum suum*. Symmachus: *Qui obloquutus fuerit de Deo suo*. Septuaginta (5), Philo (6), Theodoretus (7) ita legunt: *Quisquis execratus fuerit Deum, peccato obnoxius esto*. (℣. 16.) *Quisquis autem nominaverit nomen Domini, capitalis esto*. In quam sententiam hæc animadvertit Philo: *Videtur* (Moyses altero hujus legis membro) *Deum non illum primum & ingenitum mundi conditorem dicere, sed eos qui oppidatim colebantur. Nam hi quoque sic vocantur falso nomine, cum sint pictorum atque fictorum opera, suas artes ostentantium. Non enim extenuasset crimen gravissimum*, execrationem Dei, *tractans id clementius*, damnans solum peccari, cum simplicem Dei appellationem capitalem dicat. *Censuit igitur, ab iis Numinibus abstineri oportere maledictionem, ne quis Mosis discipulus assuescat ullo modo appellationem Dei contemnere, quæ semper amabilis est ac plausibilis. Quod si quis non dico blasphemaverit hominum deorumque Dominum, sed ausus fuerit vel nomen ejus intempestive promere, noxam luat capite. Quandoquidem ne mortalium quidem parentum nomina proferunt ii, quibus est cordi pietas, sed omissis propriis honoris gratia, utuntur naturalibus, patrem appellantes matremque: atque ita profitentur accepta immensa beneficia, simulque suam gratitudinem. Quomodo igitur merentur veniam, qui temere Sanctissimo Dei nomine abutuntur tantum ad explendum sermonem, non aliter quam profanis vocibus?*

Sed hanc Philonis expositionem non fulcit nisi unicus textus Septuaginta, plurimum hic discrepans ab Hebræo. Verisimillimum est, Legislatorem hic unicam & eamdem rem dicere voluisse; id est, illum qui maledicit Deo, reum se mortis constituere, & delicti hujus sui, *peccatum suum*, pœnam in suum caput ita provocare, ut nemini alteri totum illud imputandum sit; ac juste fore damnandum. Eadem res hac phrasi exprimitur,

quæ

(1) 1. Par. 12. 32. *De filiis Caath .... super panes erant propositionis*, &c. (2) Exod. II. 12. (3) Matth. XXVI. 64. (4) Deut. XXI. 8. (5) Ἄνθρωπος ὃς ἐὰν καταράσηται Θεόν. (6) Philo l. 3. de vita Mos. (7) Theodoret. quæst. 33. in Levit.

quæ alibi iis verbis: *Sanguis ejus super eum*. Quod autem ulterius persuadet, vetari hic tantum a Lege ne blasphemi aliquid pronuncietur in Deum, illud est, nimirum extremum supplicium decerni in blasphemum. Porro Moysem severa adeo animadversione providisse, ne injuriis afficerentur nomina fictorum Numinum, quis prudens sibi persuaserit? Prophetæ & viri quique Veteris Testamenti sanctissimi nulla religione absterriti sunt, ne de Numinibus exteris obloquerentur: nihil ergo interdictum sibi a Lege ea de re norant.

℣. 19. Qui irrogaverit maculam . . . . sicut fecit, sic fiet ei. *Maculæ* nomen ad vitia omnia corporis extenditur, & ad incommoda quæcumque & vulnera, quæ alterius cujusque injuria inducta sunt: *Quidquid demum est, quo corpus hominis deterius redditur*, ait Grotius. Defendunt Judæi, legem hanc nunquam ad literæ rigorem executioni mandatam fuisse, sed pœnam pecuniæ solutione redemptam.

Leges Ripuariorum mandant, si forte contigerit hominem sive strue lignorum; sive re quapiam hominum artificio elaborata opprimi, opus illud vel struem reos criminis haberi. Hominis interfecti necessarii in usum suum illam convertebant, absque ullo *fredo*. Ita pariter si quod animal hominem occidisset, leges illæ statuebant, ut fieret inter partes compositio pro damno reparando; sed nihil in *fredum* exigeretur; a nullo enim læsi, nihil ultionis expetere poterant. V. l' Esprit de Loy tom. 2. pag. 288.

℣. 21. Qui percusserit jumentum, reddet aliud; vel pretium, ex sententia Arbitrorum vel Judicum. Repetitio est versiculi 18. Nihil hic legunt Septuaginta, sed repetunt versiculum 17. *Qui occiderit hominem, morte moriatur*.

℣. 22. Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus sive civis peccaverit. Utrique parti æquas aures servabit Judex, jus æquum dicet utrique; auro civium non corrumpetur adversus advenas; vel arctiori sensu: Crimen necis vel injuriæ sive in exterum hominem, sive in civem irrogatum, æque punietur. Præpostere Judæi hic nomen *peregrini* ad Proselytos Justitiæ, sive ad exteros ad Judaica sacra translatos definiunt.

C A P U T XXV.

Annus Sabbaticus. Jubilæus. Lex in fœneratores. Pro mancipiis Hebræis leges.

℣. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen in monte Sinai, dicens: 2. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizes sabbatum Domini. 3. Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus. 4. Septimo autem anno sabbatum erit terræ, requietionis Domini: agrum non seres, & vineam non putabis. 5. Quæ sponte gignet humus, non metes: & uvas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam: annus enim requietionis terræ est. 6. Sed erunt vobis in cibum, tibi, & servo tuo, ancillæ, & mercenario tuo, & advenæ, qui peregrinantur apud te, 7. Jumentis tuis, & pecoribus, omnia, quæ nascuntur, præbebunt cibum. 8. Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, idest, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem: 9. Et clanges buccina mense septimo, decimo die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra. 10. Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse enim est jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque redìet ad familiam pristinam: 11. Quia jubilæus est, & quinquagesimus annus. Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, & primitias vindemiæ non colligetis, 12. Ob sanctificationem jubilæi, sed statim oblata comedetis. 13. Anno jubilæi redient omnes ad possessiones suas. 14. Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed juxta numerum annorum jubilæi emes ab eo. 15. Et juxta supputationem frugum vendet tibi. 16. Quanto plures anni remanserint post jubilæum, tanto crescet & pretium: & quanto minus tempore numeraveris, tanto minoris & emptio constabit, tempus enim frugum vendet tibi. 17. Nolite affligere contribules vestros, sed timeat unusquisque Deum suum, quia ego Dominus Deus vester. 18. Facite præcepta mea, & judicia custodite, & implete ea, ut habitare possitis in terra absque ullo pavore, 19. Et gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini usque ad saturitatem, nullius impetum formidantes. 20. Quod si dixeritis: Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras? 21. Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum: 22. Seretisque anno octavo, & comedetis veteres fruges usque ad nonum annum: donec nova nascantur, edetis vetera. 23. Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos advenæ, & coloni mei estis. 24. Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. 25. Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus ejus, potest redimere, quod ille vendiderat,

derat. 26. Sin autem non habuerit proximum, & ipse pretium ad redimendum potuerit invenire: 27. Computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit, & quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam. 28. Quod si non invenerit manus ejus, ut reddat pretium, habebit emptor, quod emerat, usque ad annum jubilæum. In ipso enim omnis venditio redibit ad dominum, & ad possessorem pristinum. 29. Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus. 30. Si non redemerit, & anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, & posteri ejus in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in jubilæo. 31. Sin autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet, agrorum jure vendetur. Si ante redempta non fuerit, in jubilæo revertetur ad dominum. 32. Ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi: 33. Si redemptæ non fuerint, in jubilæo revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel. 34. Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est. 35. Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi advenam, & peregrinum, & vixerit tecum, 36. Ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti: time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. 37. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges. 38. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Chanaan, & essem vester Deus. 39. Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum. 40. Sed quasi mercenarius, & colonus erit: usque ad annum jubilæum operabitur apud te, 41. Et postea egredietur cum liberis suis, & revertetur ad cognationem, & ad possessionem patrum suorum. 42. Mei enim servi sunt, & ego eduxi eos de terra Ægypti: non veneant conditione servorum. 43. Ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum. 44. Servus, & ancilla sint vobis de nationibus, quæ in circuitu vestro sunt, 45. Et de advenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos. 46. Et hæreditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum; fratres autem vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam. 47. Si invaluerit apud vos manus advenæ, atque peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe ejus: 48. Post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum, 49. Et patruus, & patruelis, & consanguineus, & affinis. Sin autem & ipse potuerit, redimet se. 50. Supputatis dumtaxat annis a tempore venditionis suæ usque ad annum jubilæum; & pecunia, qua venditus fuerat, juxta annorum numerum, & rationem mercenarii supputata. 51. Si plures fuerint anni, qui remanent usque ad jubilæum, secundum hos reddet & pretium. 52. Si pauci, ponet rationem cum eo juxta annorum numerum, & reddet emptori, quod reliquum est annorum. 53. Quibus ante servivit mercedibus imputatis: non affliget eum violenter in conspectu tuo. 54. Quod si per hæc redimi non potuerit, anno jubilæo egredietur cum liberis suis. 55. Mei enim sunt servi, filii Israel, quos eduxi de terra Ægypti.

℣. 2. SABBATIZES SABBATUM DOMINO. Hebræus (1), Septuaginta, & Chaldæus: *Sabbathizabit terra Sabbathum Domino*. Sabbatum hoc, vel hæc requies nihil erat aliud quam vacatio a cultura post evolutam septem annorum hebdomadam: laborabat terra illa quodammodo integro sexennio, septimo tandem anno quiescebat. Hoc voluit emblemate Deus, ut perpetuum maneret Israelitis monumentum creati mundi; vel, uti observat S. Augustinus (2), volebat, ut fixum maneret in eorum mente, Dominum esse se fundorum omnium & regionis, cui proinde tributi aliquod genus solvendum esset. Cum privatus quisque dimittebat hujus anni fructus agrorum suorum pauperibus & advenis, tunc potissimum tributi solutione quadam agnoscebat Dominum. Aliam pariter rationem latæ legis assignat Scriptura, ut scilicet egeni quique servi, advenæ, & animalia seu domestica seu agrestia haberent hoc anno, quo inopiam suam suosque labores solarentur. Docebat Deus Hebræos, ut fidem haberent Numinis providentiæ; novaque semper adversus Ethnicos argumenta creati recens mundi statuebat.

℣. 5. QUÆ SPONTE GIGNET HUMUS, NON METES. Nullo jure vetabatur dominis, e fructibus agrorum suorum, sponte & sine cultu provenientibus, portionem aliquam sibi colligere. Quin & Interpretibus nonnullis visum est (3), domino integrum fuisse aliquid in suum usum e suo agro decerpere, antequam cæteri in illum manus inferrent.

UVAS PRIMITIARUM TUARUM NON COLLIGES, QUASI VINDEMIAM, idest, non ita colliges uvas, ceu de more vindemiam ageres: non offeres ex his primitias Domino. Hebræus ad literam (4): *Uvas Nazareatus tui non vindemiabis*. Constat utique, Nazaræos consecrasse sese Domino, eorumque consecrationis indicium fuisse potissimum, ut mini-

[1] ושבתה הארץ שבת ליהוה [2] August. qu. 91. & 92. in Levit. [3] Tost. Menoch.
[4] את ענבי נזירך לא תבצר Septuag. Τὰ ἁγιάσματά σε. Samarit. Τῶν χειρῶν σε. *Separatorum tuorum*.

minimæ comas tonderent. Hunc morem præ oculis habuisse Moyses videtur, cum vetat dominis, ne vindemient vineas suas. Alio pariter sensu reddi posset Hebræum *Nezer*: Non colliges uvas segregatas & derelictas hujus anni, *Nazar* est separare, sanctificare. Onkelos: *Uvas, quas dereliquisti*, quæ provenerunt e vinea a te non culta. Septuaginta: *Uvam sanctificationis tuæ*, quam sanctificasti. Vertunt alii: *Vindemiam separatorum tuorum*, quam consecrasti Deo, & segregasti in usum pauperum; vel quam consuevisti separare & claudere sepibus. *Non vindemiabis*; reddi posset: Non sepies, nec aditum prohibebis extero.

℣. 6. Sed erunt vobis in cibum. Hebræus (1), Chaldæus, & Septuaginta (2): *Et erit Sabbatum terræ in cibum tibi*. Annus Sabbaticus communia reddebat bona omnia, ut essent in usum cibi domino æque ac alienigenæ.

℣. 7. Jumentis tuis, et pecoribus, Hebræus (3), Septuaginta (4) & Versiones reliquæ legunt: *Jumentis, & feris* (5). Ut populo suo insinuet Deus humanitatis sensum, jubet negligi in agro aliquid, quod vel in usum agrestium animalium cedat.

Narrat Deuteronomium xv, 2. anno illo Sabbatico æs alienum omne remitti; manumitti omnia mancipia (6); coram populo in unum cœtum ad Festum Tabernaculorum coacto legi sacra volumina (7). Privilegia hæc omnia propria erant anni Jubilæi; cui, præter hæc, illud accedebat, ut redderet libertatem servis quoque, qui renunciantes juri anni Sabbatici, aures suas subula perforandas dedissent; pristinisque dominis hæreditates seu venditas seu oppignoratas restitueret.

℣. 8. Numerabis tibi septem hebdomadas annorum. [℣. 10.] sanctificabisque annum quinquagesimum: ipse est enim Jubilæus. Quæstio hic agitatur, utrum Jubilæi annus celebraretur anno nono & quadragesimo, an quinquagesimo. Philo (8), Josephus (9), Eusebius in Chronico, S. Hieronymus (10), S. Augustinus (11), S. Gregorius Magnus (12), S. Isidorus (13), & Scriptores Commentariorum frequentissimi cum Rabbinis pugnant pro quinquagesimo; & Textus, qui annum hunc luculenter quinquagesimum appellat, *Sanctificabis annum quinquagesimum*, litem huic opinioni adjudicare videtur. Sed & æque clare Textus versiculi 8. exprimit nonum & quadragesimum: *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum, idest, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem*. Docti plures Scriptores Commentariorum (14), & Chronologi nonum & quadragesimum decernunt. Suam illi sententiam eo incommodo fulciunt, quod ex duplicis anni vacatione oriretur, se invicem sequentibus anno Sabbatico, & Jubilæo: id autem in omnibus æque jubilæis recurreret, cum Jubilæi annus statim post sabbaticum incideret. Ajunt insuper, Moysem commode appellare potuisse annum Jubilæi quinquagesimum pro quadragesimo nono, numerum hunc quinquagenarium implens anno Jubilæi alterius præcedentis; vel planius id usurpasse illud numeri rotundi gratia, uti apud nos obtinet, ut triginta dies in mensem, octo dies in hebdomadam, quinque annos in Olympiadem supputemus, quamquam re ipsa menses frequenter diem addunt supra triginta, hebdomada septem diebus, Olympias quatuor annis absolvitur.

℣. 10. Ipse est enim jubilæus. Septuaginta: Ἐνιαυτὸς ἀφέσεως σημασία αὕτη ἔσται ὑμῖν, *Annus Remissionis, significatio hæc erit vobis*, ipse annus vobis erit signum remissionis. Hebræum *Jobel* יובל הוא תהיה לכם, sonare libertatem, docet Josephus: sed Rabbinis est *Jobel* cornu arietis, quod scilicet cornu illo insonantes Judæi signum darent ineuntis anni Jubilæi, Opinionem hanc refutat fuse Bochartus (15); demonstratque, cornu arietis ineptum esse, quod indicat clangore suo annum Jubilæi, cum solidum sit intus, non cavum. Est *Jobel* Philoni (16) Ἀποκατάστασις *restitutio*, quod scilicet Jubilæi annus restitueret omnes in pristinum; congruit id autem sententiæ hujus versiculi: *Revertetur homo ad possessiones suas*. Docet Abenezra, Hebræam illam vocem sonare manumissionem, liberationem. Sunt (17) qui *Jabel* ad literam designare credant diffusionem, extensionem ceu fontis alicujus, qui diffunditur in rivos, vel soni, qui longissime spargitur: quare inditi huic anno nominis *Jobel* causam assignant, quod longe lateque sonantibus buccinis annunciaretur. Censet D. Clericus, verbum *Jabal* familiari olim sensu Hebræis significasse, clangere tuba; autumatque, *Jubal*, antediluvianum hominem nomen duxisse suum ex *Jabal*, in ea significatione accepto: reputat pariter, in Exodo xix. 13. & Josue vi. 4. *Jobel* designare tubam, vel hominem inflantem prolixiore ductu tubam. Nobis tamen probatur derivatio vocis ex Hebræo הוביל *Hobil*, quod est revocare, reducere: nihil est enim pronius hac etymologia, singula quippe ad suum principium primumque Dominum revocabantur. Sonus ille tubarum, Festo huic solemnis, revocabat in mentem fragorem, quo insonuit vertex Sinai, cum Deus ibi legem suam Moysi rogaret. Omnia enim tunc reboarunt armonicis quibusdam fragoribus, tubæ perquam simillimis. Festum hoc appellat Philo (18) *Jeromeniam*, idest, sacrum mensem; & tunc inflari tubas affirmat, cum victimæ offerebantur in Templo.

Exordiebatur Jubilæi annus ineunte primo mense anni civilis circa æquinoctium autumnale: sed die tantum ejusdem mensis decima manumittebantur servi, & agri redibant ad pristinum dominum: sacra erat dies illa decima Festo Expiationis generalis, veluti instituto ad præparandos animos, ut annum sancte inciperent: ea primum die palam edicebatur libertas & remissio servis & obæratis, & bonorum omnium ac fructuum agri singulis permissio.

Vocabis remissionem. A prima die mensis ad usque decimam festa erant servorum, qui corollis redimiti in herorum ædibus ceu saturnalia quædam agebant, siqua Doctoribus Hebræis fides (19). Anni Sabbatici, & Jubilæi religio tum cœpit, cum pedem intulerunt Hebræi in terram Promissionis. Desiit Jubilæus post captivitatem Babylonicam, servato anno Sabbatico (20).

Revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque rediet ad familiam pristinam. Qui coacti bona sua vel libertatem vendebant, recipiebant utrumque anno Jubilæi. Hac sancita lege coercuit Moyses locupletum in egenos oppressiones; vetuitque ne hæreditates eorum ad se derivarent; neque æs alienum, & mancipia immodice augerentur. Integrum etiam pro viribus servavit ordinem familiarum, & bonorum æquam conditionem inter privatos. Non alio consilio Lycurgus constituerat æqualitatem bonorum inter Lacedæmones; ejusque rei necessitatem noverat Solon (21), quam didicisse illum ab Ægyptiis, apud

quos

[1] והיתה שבת הארץ לכם לאכלה [2] Καὶ ἔσται τὰ Σάββατα τῆς γῆς βρώματά σοι. [3] לבהמתך ולחיה [4] Τοῖς κτήνεσί σου, καὶ τοῖς θηρίοις. [5] Vide Exod. xxiii. 11. [6] Exod. xxi. 2. [7] Deut. xxxi. 10. [8] Philo l. de charit. [9] Joseph. l. 3. c. 10. Antiq. [10] Hieron. Epist. 127. ad Fabiol. quæ est quarta novæ edit. [11] August. qu. 92. in Levit. [12] Greg. l. 1. Mor. c. 6. [13] Isidor. l. 4. Orig. [14] Hugo Cardinal. Menochius. J. Scalig. Rades. &c. [15] Bochart. de animal. sacr. part. 1. l. 2. c. 42. [16] Philo de Decalogo. [17] Fuller. Miscell. [18] Philo de septenario & festis. [19] Maimonides, Halach Schemitta, Vejobel c. 10. apud Cunæum de Repub. Heb. l. 1. c. 6. [20] Cunæus l. 1. c. 6. ex Talmud. & Maimon. [21] Laert. in Solone.

quos obtinebat, scribit Diodorus Siculus libro 1. Vetitum erat Locris, teste Aristotele (1), ne abdicarent a se bona sua, nisi postquam adductis documentis probassent, cogi se casu aliquo, ut id facerent. Nefas erat Judæis perpetuo jure in alium hæreditates suas transferre: iis tantum licebat eas usque ad annum Jubilæi oppignerare: quo spectat Diodorus Siculus lib. XV. tradens, vetari illis, ne hæreditates suas, τῶν ἰδίων κλήρων, vendant. Servis Judæis privilegio quidem legis restituebatur libertas anno Sabbatico; sed in bona sua non remittebantur, nisi vel redemissent pretio, vel anno Jubilæi.

Docent Hebræorum Doctores, ea quæ alterius donatione in alterum transibant, ad pristinam tandem familiam redire; sed quæ bona possidebantur jure successionis, possidentis esse; sicut & manere intacta pacta conventa venditionis, quæ certum referebant expressum annorum numerum, nihilque illis obesse Jubilæum. Quæ vero pacta fuerant absoluta venditione, hæc Jubilæo terminari (2). Hæc Hebræorum doctrina repugnare videtur & consilio Legislatoris, & verbis Legis: sed recessisse Judæos a mente Legislatoris sui non uno hoc exemplo discimus.

℣. 11. Primitias vindemiæ non colligatis. Eædem hic recurrunt voces, quæ in ℣. 5. Interpretibus nonnullis persuadetur, hoc eodem anno vetari quidem Judæis ne colligerent uvas, ut vinum conficerent, at in cibum permitti. Favent huic opinioni ea quæ proxime sequuntur.

℣. 12. Ob sanctificationem Jubilæi, sed statim oblata comedetis. Hebræus, Septuaginta, Onkelos: *Quia Jobel est: sanctitas erit vobis, dies sancti erunt vobis. De agro comedetis fructus ejus.* Agri fructus omnes Jubilæi anno sanctificantur, ut Dei sint portio: uti illis in cibum, sed non colligere in horrea, & commodis suis servare cum dispendio egenorum & pauperum, quibus diem Deus permisit, nemini licebat. Exemplaria quædam pro *oblata* legunt, *ablata comedetis*; comedetis in loco stantes, non transferentes nec reservantes.

℣. 14. Quando vendes quidpiam civi tuo, ne contristes fratrem tuum. Hebræus (3): *Cum vendideritis, ne opprimatis vir fratrem suum*; vel: Ne iniquum quid inferatis fratri vestro. Docent Rabbini, si in venditione vel emptione læsio intercessisset, ut de rei valore sexta pars decederet, teneri Israelitas sextam illam partem restituere fratri: si vero in transigendo Paganus aliquis injuriam sextæ illius partis retulisset, nihil rependere teneri Judæum (4). Hoc sensu pariter exponunt ℣. 17. Demonstratque Grotius (5), furti reum esse illum, qui minus quam pro rei valore solvit, cum certum ejus pretium novit, venditorem cogens ut minimo pretio sit contentus: in quam sententiam laudat S. Chrysostomum.

℣. 21. Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructum trium annorum. Quies terræ exordiebatur autumno sexti anni; nulla exinde semina spargebantur; totoque perseverante anno nullæ erant messes, nullæ sationes; sed anno demum octavo incipiente serebatur iterum ager, colligebanturque æstate fructus. Quare opus erat, proventus sexti anni ubertes adeo suppeditari, ut eidem illi anno, tum septimo, ac partim octavo sufficerent: idcirco Deus larga benedictione sua fœcundabat sextum hunc annum, ut proferret fructus, qui ad tres annos abunde essent.

℣. 23. Terra quoque non vendetur in perpetuum. Hebræa vox לצמתת, quam Vulgata reddidit, *In perpetuum*, & Septuaginta, εἰς βεβαίωσιν, *in confirmationem*, vertitur ab Interprete Samaritano, *Omnino*. S. Augustinus: *Non adiicietur in profanationem*. Legebat ille facile Textum Septuaginta, εἰς βεβήλωσιν, aliter ac nos hodie legimus. Interpretantur alii Hebræum: *Ad excisionem*; vel *ad exterminationem*; vel, *Lege mancipii*; quæ omnia in unum recidunt. Non vendetis hæreditates vestras, abdicantes vobis jus in perpetuum, ut nunquam redeant ad veterem dominum. Legi huic exceptio quædam apponitur in Capite XXVII. 20. præscribente: Siquis agrum Domino vovisset, nec redimere voluisset, tunc siquis alius agrum illum, tradito Sacerdotibus pretio, emisset, ita in ejus possessionem veniebat, ut pristinus Dominus nullum unquam jus esset in agrum illum habiturus. Utriusque hujus Legis ratio est aperta. Vetat Deus, ne privati fundos suos in perpetuum distrahant, quod scilicet illa jure despotico non possideant, sed tantum usum fructuum retineant: cum vero bona illa in manum Dei, pristini illorum domini, redierint, pleno jure de his ille decernit, adeo ut vetus ille dominus nihil sibi in illa retineat dominii, quasi scilicet transferens rem suam in dominium, nihil sibi reservaverit: si quid vellet, id ipsi emendum erat pretio, ut alieno cuique. Unicum hoc illi reservabatur privilegium, ut quam domum, vel agrum redemisset a Sacerdotibus, hanc vel anno sabbatico retinere posset: si vero alienus emisset, redibat denuo ad Sacerdotes.

℣. 24. Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. Hebræus (6): *In cunctis habitaculis vestris erit redemptio terræ*. Septuaginta (7): *Dabitis pretium terræ*. S. Augustinus: *Dabitis mercedem terræ*. Hoc ita exponunt plerique: Relinquetis jus redimendi hæreditatem suam iis, qui illam vendiderint. Commode etiam interpretaremur: Permittes libertatem terræ, nec submittes culturæ, habebisque illam tanquam libertum aliquem, vel tanquam mercenarium, cui post absolutum opus merces datur; vel tandem: Solves Deo fructus omnes septimi anni, tanquam vectigal Domino; cujus ceu tributi solutione redimes ab illo terram, quam tibi permisit.

℣. 27. Computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit. Hebræus ad literam: *Computabit annos venditionis ejus*, (ex quo vendita est) *& restituat excrescens* (quod superetit) *emptori*. Si quis redimere hæreditatem suam voluerit, eam fructuum æstimationem emptori solvet, quos ille percepisset, si retinuisset emptam hæreditatem usque ad annum Jubilæi; vel, supputata æstimatione fructuum, quos emptor recepit ex hæreditate, redemptor addet incrementum, juste respondens pretio, quod ab illo solutum est, cum hæreditatem ipsam emit: ita si centum siclos solvisset, retulissetque e fructibus sexaginta, reddet hominem indemnem, additis quadraginta. Prior expositio magis congruit menti, & consilio Legislatoris.

℣. 29. Habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus. Sed priori evoluto anno, redimendi jus extinguebatur: nulla remanebat hero facultas recipiendi domum suam, ne privilegio quidem anni Jubilæi; sicut nec venditoris necessariis jus erat ullum domum illam redimendi. Unice Levitis privilegium id erat singulare, de quo ℣℣. 32. 33. 34.

Quod attinet ad discrimen illud constitutum a Moyse inter ædes urbanas, & agrestes, quarum priores redimendi intra annum jus esset, pro aliis vero nullum daretur; nulla Legis hujus ratio alia succurrit, nisi quod urbanæ domus majores ha-

(1) Arist. Politic. l. 2. c. 7. & l. 6. c. 4. (2) Selden. de success. in bona l. 3. c. 24. (3) כי תמכרו .... אל תונו איש את אחיו (4) Vide Selden. l. 6. c. 6. de jure nat. & gent. (5) Grot. de jure belli & pac. l. 2. c. 12. art. 11. & 26. (6) בכל ארץ אחזתכם גאלה תתנו לארץ (7) Κατὰ πᾶσαν γῆν κατασχέσεως ὑμῶν, λύτρα δώσετε τῆς γῆς.

beantur, respiciantur que tanquam potissimus possessoris sui fundus, quo se, & familiam alat: vicissim qui agrestes incolunt ædes, plerumque spem suam alibi collocant, aliisque proventibus vivunt. Jus istud, a Mnyse hic constitutum, persimile ast juri, quod propinquior genere obtiner apud nos intra annum, & diam.

℣. 30. Anni circulus fuerit evolutus. Hebræus שנה תמימה, *Annus perfectus*. LXX. Ἐνιαυτὸς ὅλος, *annus integer*. Hae eadam voce frequenter animal immaculatum designatur; ex qun veteri Græco Interpreti succurrit reddere: Ἐνιαυτὸς ἄμωμος, *Annus immaculatus*, idest annus integer, nec una die minor.

℣. 32. Ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi. Hebræus. Septuaginta, Chaldæus: *Urbes Levitarum & domus urbium possessionum suarum in æternum possunt redimi*. Cum Levitis nulli essent fundi, nisi Urbes, & dnmus, res utique poscebat, ut Urbibus eorum, & domibus ea darentur privilegia, quæ Lex concedit agris reliquorum Israelitarum.

℣. 34. Suburbana autem eorum non veneant. Hebræus: *Et ager suburbii civitatum eorum non vendetur*, cum pascua eorum gregibus sufficiat. Scitum est, in Lege non permitti Levitis, nisi subjectum Urbibus agrum bis mille cubitorum per circuitum, ad commodum gregis (1), qui designatur hic nomine *Suburbanorum*. Hns igitur fundos, qui Urbibus illorum veluti appendices accedebant, ne distrahant unquam, verat Deus; alteri tamen Levitæ vendera jus erat integrum; fas etiam Sacerdoti vendere alteri Sacerdoti modieam hæseditatem suam, dnmum, hnrtum; sed Israelitæ alterius Tribus illa ne transmitterentur, lex vetabat (2). Jeremias emit agtum Hanameelis filii parrui sui, quo tempore Jerusalem Chaldæorum obsidione stringebatur (3).

℣. 35. Si attenuatus fuerit frater tuus et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam. Hebræus ita reddi possat, junctus ℣. 36. *Cum frater tuus inciderit in paupertatem, egestatemque rerum, sublevabis illum; ab advena vero & ab eo qui vixerit apud te* (℣. 36.) *non accipies usuram ab eo*. Dun sunt hic præcepta sape diversa: primum, ut manus afferantur adjutrices Hebræo laboranti egestate: alterum, ne fœnntibus premantur pauperes advenæ. Alium etiam sensum admittit Textus Samaritanus: Si frater tuus inciderit in paupertatam, sublevabis illum; & si advena, vel qui habitat in regione, factus illn potentinr, nppressinnem minitatur misero, una tecum fratrem illum tuum ales. Septuaginta: *Si paupertate laboret frater tuus, qui tecum est, & non valeat manibus apud te* (sese alere) *suscipe eum*.

℣. 36. Ne accipias usuras ab eo, nec amplius, quam dedisti. Hebræus ad literam (4): *Non accipies usuram, neque multiplicationem*; sive, *Non accipias morsuram, neque incrementum*. Uno varbo nec fœnus accipies, nec quidquam fœnoris: contentus esto re tradita, vel ipsa in se restituta, val locn ejus pretin. Gratis tibi serviendum est, & obsequendum voluntati fratris, quemadmodum obsequi illum tibi in simili rerum eventu nptases.

℣. 37. Frugum superabundantiam non exiges. Frugum nomine frumenta nmnia intellige, & quæcumque usu insumuntur. Pro illis exigi verat Lex nisi tantumdem, quantum datum est, sive res illa collata restituatur, seu valor rei, vel retenta sit diu, vel parum.

℣. 39. Non eum opprimes servitute famulorum. Cavet Deus, ne Hebræum, qui libertatem suam pretio vendidit, perinde habeat herus, ac mancipium: jubet respici tanquam ingenuum hominem, qui nperam suam oppignorarit; & tanquam mercede conductus, ita sit apud herum.

℣. 40. Seu quasi mercenarius, et colonus erit. Ingenuitatem suam nunquam nnn jactant Hebræi: *Nemini servivimus unquam*; servitutem suam non nisi arga Dominum prnfitentur. ℣. 42. *Mei enim sunt, & eduxi eos de terra Ægypti*. Vendere libertatem suam nemini datum erat, nisi in extrema rei familiaris angustia, cum consulendi sibi nulla esset spes reliqua, ait Maimnnides.

℣. 41. Postea egredietur cum liberis suis. Ex Hebræorum Doctorum fida constat, neminem Judæum, qui Judæo se vendidisset in servum, ad conditionem suam traxisse vel uxores, vel filios: intacta libertate sua salvi manebant filii, quamquam viverent cum patre, servituti jure emptionis addictn. Porrn herus illa (5) tenebatur alere uxnres, & filios servi sui, tum & servum illum restituere uxori, ac filiis annn Jubilæi. Quicumque filii interim perseverante servituta nascerantur ex uxore quidem legitima, illi jure nullo subdebantur hero; sed integrum erat eidem hero alteram uxnrem superaddere servn sun, ejusdem tamen servilis conditionis, quorum filii in servitute utriusque parentis nati, enmmuni hern cedebant.

℣. 42. Mei enim servi sunt. Docent Rabbini, Hebræorum neminem ita submitti potuisse homini, ut serviret servitute, quam vocant intrinsecam, statum hominis immutante; sed tantum servitute, quam vocant axterinrem, quæ plane servitus genuinam libertatem non tnllit; nbligat enim tantum ad civilem quamdam subjectionem & obsequium erga illos, quibus seu vi seu alia ratione subduntur. Priori illa servitute nunquam servisse se Judæi alte jactitant, Vide ℣. 40.

℣. 43. Ne affligas eum per potentiam. Onkelos: *Ne habeas illum dure*. Jonath: *Ne servire illum facias nimis duram servitutem*. Septuaginta (6): *Non opprimes eum in labore*. Reddi posset Hebræus (7): *Ne domineris superbe*, vel *severe*, vel *aspere*.

℣. 44. Servus et ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt. Privilegin illn anni Jubilæi snli fruebantur ex Hebræo genere nati servi, exclusis cæteris omnibus, etiam Proselytis justitiæ, qui ad Hebraica sacra transierant; illis enim perpetuum subeundum arat servitium (8).

℣. 49. Sin autem ipse potuerit, redimat se. Si famulus parsimonia sua tantum sibi pecuniæ comparare valuerit, quantum satis sit sive ad justum pretium servi, sive ad rependendam summam, cujus gratia sese nppignoravit, redimendi libertatem suam integram habebit facultatem. Eodem privilegio utebantur servi apud Athenienses.

℣. 50. Supputatis dumtaxat annis a tempore venditionis suæ. Textus iste duplicem sensum patitur. Primn, referetur in censum spatium temporis, quod fluxit ab inita servitute, & quidquid pariter servitutis superest usque ad annum Jubilæi; deductisque iis, quæ servus ille lucrari potuisset per eos annos quos exegit serviens, tantumdem detrahetur a summa pecuniæ ad redimendam libertatem snlvenda: Ex. gr. Si viginti ante Jubilæum annis vendiderit libertatem suam, & decennalem iam egerit famulatum, detracta æstimatinne decennalis hujus servitii, quod restat

(1) Num. xxxv. 2. & seq. (2) Hieronym. in Jerem. xxxii. 7. *Suburbana sacerdotum nulli alii poterant venumdari, usque ad annum remissionis, nisi in quem propinquitas sanguinis expectabat.* (3) Jerem. xxxi. 7. 5. 9. (4) נשך ותרבית. 70. Τόκον, οὐδ' ἐπὶ πλήθει. Alius: Οὐδὲ πλεονασμόν. Alii: Οὐδὲ ἐπὶ πλεονασμῷ, *Neque duplicationem.* (5) Selden. de jure nat. & gent. l. 6. c. 1. (6) 70. Οὐ κατατενεῖς αὐτὸν ἐν τῷ μόχθῳ. Alius: Οὐ παιδεύσεις ἐν αὐτῷ ἐν ἐμπαιγμῷ, *Non corripies eum cum ludibrio*. Ita & ℣. 46. & 53. infra. (7) לא תרדה בו בפרך (8) Lyranus & Menochius.

stat pretii solvet hero: ut puta, si pretio centum siclorum sese vendidisset, cum dimidium servierit, e summa illa demendum erat medium, ita ut pro manumissione sua penderet tantum quinquaginta. Alter sensus, quem Textus excipit, petitur ex Hebræo, quem hic damus: *Et supputet cum eo, cui se comparavit, ab anno quo venditus est ei, usque ad annum Jubilæi, & erit pecunia venditionis ejus secundum numerum annorum; juxta dies mercenarii erit cum eo.* Si quis servus libertatem suam redimere voluerit, supputato reliquo temporis spatio usque ad Jubilæum, pro ratione longioris vel minoris illius temporis solvet hero pretium. Verum cum recipiendi hæreditatem suam nullum sit famulo jus ante Jubilæum, si hero illi suo servire libens consenserit usque ad Jubilæum, ut in *bona sua* tandem immittatur, serviet deinceps non tamquam famulus, sed mercenarii loco, mercede pro opere præstito accepta.

Sunt qui ambigant, num in his rerum eventibus, servis Hebræis intactum maneret privilegium anni Sabbatici; agit enim hic Moyses tantum de anno Jubilæi. Verisimillimum quoque est, Hebræo, qui Proselyto Justitiæ serviret, jus fuisse integrum exuendi servitutem anno Sabbatico. Incertum est tamen, an Legislator idem concesserit servo Hebræo, qui famulatum suum vendiderit Proselyto domicilii, de quo est hic sermo. Tandem cum nullus hic sermo de anno Sabbatico habeatur, utique fateamur oportet, ex hoc silentio Moysis nihil satis certi deduci posse sive adversus privilegia ejus anni, sive adversus ea, quibus legis beneficio servi anno Sabbatico gaudent.

CAPUT XXVI.

Commoda eorum, qui Legibus Dei obtemperant. Minæ & pœnæ in transgressores.

ỹ. 1. EGO Dominus Deus vester: Non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum:
ego enim sum Dominus Deus vester. 2. Custodite sabbatha mea: & pavete ad San-
ctuarium meum. Ego Dominus. 3. Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata
mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, 4. Et terra gignet
germen suum, & pomis arbores replebuntur. 5. Apprehendet messium tritura vindemiam;
& vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque
pavore habitabitis in terra vestra. 6. Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, & non
erit, qui exterreat. Auferam malas bestias: & gladius non transibit terminos vestros.
7. Persequimini inimicos vestros, & corruent coram vobis. 8. Persequentur quinque
de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gla-
dio in conspectu vestro. 9. Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, &
firmabo pactum meum vobiscum. 10. Comedetis vetustissima veterum, & vetera novis
supervenientibus projicietis. 11. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non
abjiciet vos anima mea. 12. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis
populus meus. 13. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum,
ne serviretis eis, & qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti. 14.
Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, 15. Si spreveritis leges
meas, & judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quæ a me constituta sunt, &
ad irritum perducatis pactum meum: 16. Ego quoque hæc faciam vobis: Visitabo vos
velociter in egestate, & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas ve-
stras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. 17. Ponam faciem meam
contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subjiciemini his, qui oderunt vos:
fugietis, nemine persequente. 18. Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam corre-
ptiones vestras septuplum propter peccata vestra, 19. Et conteram superbiam duritiæ
vestræ. Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, & terram æneam. 20. Consume-
tur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.
21. Si ambulaveritis ex adverso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras
in septuplum propter peccata vestra: 22. Immittamque in vos bestias agri, quæ consu-
mant vos, & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant, desertæque fiant viæ ve-
stræ. 23. Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso
mihi: 24. Ego quoque contra vos adversus incedam, & percutiam vos septies propter
peccata vestra. 25. Inducamque super vos gladium ultorem fœderis mei. Cumque con-
fugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medio vestri, & trademini in manibus ho-
stium, 26. Postquam confregero baculum panis vestri: ita ut decem mulieres in uno
clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus: & comedetis, & non saturabimini.
27. Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaveritis contra me: 28. Et ego

incedam adversus vos in furore contrario, & corripiam vos septem plagis propter peccata vestra: 29. Ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum, & filiarum vestrarum. 30. Destruam excelsa vestra, & simulacra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, & abominabitur vos anima mea, 31. In tantum ut urbes vestras redigam in solitudinem, & deserta faciam Sanctuaria vestra, nec recipiam ultra odorem suavissimum. 32. Disperdamque terram vestram, & stupebunt super ea inimici vestri, cum habitatores illius fuerint. 33. Vos autem dispergam in Gentes, & evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, & civitates vestræ dirutæ. 34. Tunc placebunt terræ sabbatha sua cunctis diebus solitudinis suæ. 35. Quando fueritis in terra hostili, sabbathizabit, & requiescet in sabbathis solitudinis suæ, eo quod non requieveris in sabbathis vestris, quando habitabatis in ea. 36. Et qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium: terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium: cadent, nullo persequente, 37. Et corruent singuli super fratres suos quasi bella fugientes, nemo vestrum inimicis audebit resistere; 38. Peribitis inter Gentes, & hostilis vos terra consumet. 39. Quod & si de iis aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, in terra inimicorum suorum, & propter peccata patrum suorum, & sua affligentur: 40. Donec confiteantur iniquitates suas, & majorum suorum, quibus prævaricati sunt in me, & ambulaverunt ex adverso mihi. 41. Ambulabo igitur & ego contra eos, & inducam illos in terram hostilem, donec erubescat incircumcisa mens eorum: tunc orabunt pro impietatibus suis. 42. Et recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Jacob, & Isaac, & Abraham. Terræ quoque memor ero: 43. Quæ cum relicta fuerit ab eis, complacebit sibi in sabbathis suis, patiens solitudinem propter illos. Ipsi vero rogabunt pro peccatis suis, eo quod abjecerint judicia mea, & leges meas despexerint. 44. Et tamen etiam cum essent in terra hostili, non penitus abjeci eos, neque sic despexi, ut consumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum, 45. Et recordabor fœderis mei pristini, quando eduxi eos de terra Ægypti in conspectu Gentium, ut essem Deus eorum, ego Dominus. Hæc sunt judicia, atque præcepta, & leges, quas dedit Dominus inter se, & filios Israel in monte Sinai per manum Moysi.

℣. 1. NON FACIETIS VOBIS IDOLUM ET SCULPTILE. Septuaginta (1): *Non facietis vobis metipsis manufacta, neque sculptilia*. Interdicit Deus Hebræis Idoli sculpti vel ficti, vel aliud genus quodcumque. Vide Exodum XX. 4.

NEC TITULOS ERIGATIS. Hebræum מצבה *Matzebah* significat columnam, vel statuam, vel lapidem quemcumque, seu erectum aliud monumentum. Cavet Moyses, ne monumenta illa in regione erigantur, discrimen omne idololatriæ submoturus. Jacob (2), Josue (3), & ipse pariter Moyses (4) erexerunt monumenta; sed eo tantum consilio, ut perennem largitionum Divinarum memoriam servarent: vel mera essent publica monumenta, nihil sacri referentia, nihil quod allicere posset incautos in superstitionem; quare legis hujus sanctione non comprehendebantur. Monumentorum ejusmodi varia genera notant Pagani. En locum Apuleji, *in Floridorum initio*, paucis plerasque ejusmodi superstitiones amplectentem. *Neque enim justius religiosam moram viatori objecerit, aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel etiam colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus*. Non dissimilia his monumenta, in Idololatriam & ad corrumpendum genuinum Dei cultum propellentia, præ oculis habuisse Moyses non immerito crederetur.

NEC INSIGNEM LAPIDEM PONETIS IN TERRA VESTRA. Onkelos: *Lapidem adorationis*. Targum Jerosolymitanum: *Lapidem erroris*. Arabs: *Lapidem elaboratum*. Interpres Samaritanus: *Lapidem in Signum*: Septuaginta, & Tertullianus: Λίθον σκοπόν, *Lapidem scopum*. Reddunt plures Hebr. אבן משכית *Lapidem figuratum*, vel *pictum*. Verti etiam posset: *Lapidem aspectus*, qui e longinquo prospicitur. Varia hæc eo collimant omnia, ut significent lapides in via regia erectos, sive in editis locis. Interdum lapides erant rudes, expoliti interdum; erant quidam oleo consecrati, nonnullis tribuebatur vitæ vel motus aliquod genus, & interdum oracula reddere censebantur. Egimus ad Genesis XXVIII. 18. de lapide, quem Jacob erexit in Bethel. Ita vero describit Strabo lib. XVII. lapides hosce erectos in Ægypto juxta vias Regias, quos facile lapides designavit Moyses nomine *insignium lapidum*. *Per totam fere viam*, ait ille, *videre erat utrimque multis in locis, in morem Mercurialium tumulorum, qui viis apponi solent, petram arduam, rotundam, politam, propemodum sphæricam, e nigro ac duro lapide, ex qua mortaria fiunt, majori saxo impositam, ac rursum super ea aliam; nonnullæ per sese jacebant: earum maxima erat non minore* XII. *pedum diametro; atque omnes ceteræ* (ex iis quas ipse vidit) *majores quam hujus dimidium*. Eodem Strabone teste, plures ejusmodi lapides in montibus Libani visebantur, Religioso adeo obsequio monumenta illa suspiciebant Syri & Ægyptii, ut cultu etiam non indigna censerent. Superstitionem hanc adoptantes Græci, struem lapidum excitabant juxta vias in honorem Mercurii. Moris hujus meminere Proverbia XXVI. 8. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii; ita qui tribuit insipienti honorem*. Sed ægre admodum persuaderemur, eos acervos spectasse Salomonem. Commode enim He-

(1) Οὐ ποιήσετε ὑμῖν αὐτοῖς χειροποίητα οὐδὲ γλυπτά. Hebr. אלילים ופסל (2) Genes. XXVIII. 18.
(3) Josue IV. 4. 5. 6. (4) Exod. XXIV. 4.

Hebræus aliter redditur : *Sicut qui ligat lapidem in funda ; ita qui tribuit insipienti honorem*. Illud certe constat, Interpretem Latinum præ oculis habuisse hanc superstitionem, indicatam in Epigrammate, quod Scaliger recitat (1) : *Me sacrum Mercurio lapidum acervum transeuntes homines effuderunt*, Tradit Vincentius Bellovacensis, morem hunc coacervandi lapides ex India transiisse ad Arabes, apud quos Mahometi ætate in honorem Veneris adhuc perseveraret. Notat Scaliger, hanc struem lapidum collegisse transeuntes in quadriviis ante pedes quadratorum simulacrorum, quæ ibi Mercurio sacra stabant, Hinc facile derivata est superstitio illa, in quibusdam adhuc provinciis apud nos perseverans, qua scilicet pertranseuntes conjiciunt lapidem ante crucem in viis regiis erectas,

℣. 2. Pavete ad Sanctuarium meum. Pavete ne religionis defectu provocetis Numen. Docent nos Hebræi, qua olim religione Patres sui se Templo sisterent (2), Pedem inferebant intra sacrum limen posito scipione, positisque soleis, neque tunica marsupiis vel erumenis instructa vestiti, non fœdati pulvere, vel sordibus pedes. Cavebant ne per medium sacrum illum locum, tamquam per viam aut compitum, itineris compendio transirent : deflectebant potius iter, locum circumeuntes; neque enim illum, nisi religionis gratia, ingrediebantur. Cum vero expletis religionis officiis redeundum erat, retrogradi in humeros incedebant, ne terga darent Sanctuario,

℣. 3. Dabo pluvias temporibus suis. Jam alibi animadversum est, frequentissime agi in Scriptura de pluvia, quæ duplici anni tempore cadebat in Palæstina, scilicet ad exordium veris ante messem ; & per autumnum post messem, cum frumentum & hordeum seritur.

℣. 5. Apprehendet messium tritura vindemiam. Docet Plinius (3), in Græcia & Asia frumentum omne seri exeunte æstate, *vergiliarum occasu*; cum alibi frumenta partim serantur autumno, partim vere. Affirmat pariter, apud Ægyptios colligi messem hordei post sex menses, frumenti post septem a satione ; idest, seri frumenta omnia cadente æstate, cum jam Nili aquæ recesserunt. Eadem ferme agriculturæ erat ratio in Judæa : frumentum & hordeum mandabantur terræ labente autumno, circa mensem Octobris, hordeique messis inibat post Festum Paschatis, circa dimidium Martii ; & uno post mense, vel sex hebdomadibus, circa Pentecosten, colligebatur frumentum: eaque messis pro majori vel minori ubertate, ultra vel infra mensem producebatur. Post messem frumenti succedebat vindemia, & collectio fructuum. Hebræis in Deum morigeris spem facit Moyses, nullum intercessurum temporis intervallum inter messem & vindemiam, inter vindemiam & sationem: tanta futura erat fructuum ubertas. Hæc autem eo validius illos pupugisse credenda sunt, quod ex ea nuper regione venirent, in qua per tres fere menses incolæ clausos se continere intra urbes cogebantur, ne pedes ferrent in agrum, inundantibus late Nili aquis, prohibiti.

℣. 13. Confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederatis erecti. Duram Judæorum in Ægypto servitutem exprimit hic Moyses allegoria jugi boum cervicem opprimentis. Originalis voces (4) designant vel temonem, cui hæret jugum, vel jugum ipsum, vel tandem vincola, quibus adstringitur collo, vel cornibus animalis. Arabs vertit: *Confregi seras carceris vestri, feci vos liberos*.

℣. 16. Visitabo vos velociter in egestate et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas vestras. Varie admodum versiculi hujus Hebræus Textus (5) redditur ; videnturque Interpretes non satis assequi genuinam significationem vocum Originalium. Interpres Samaritani Textus vertit: *Visitabo vos in morbo, cum tabe & ardore consumentibus oculos, & cruciantibus animam*. Chaldæus: *Visitabo vos in conturbatione, egestate & ardore ; obscurantibus oculos, & expirare facientibus animam*. Septuaginta (6) : *Obfirmabo super vos solicitudinem, egestatem & scabiem, & morbum regium consumentem oculos vestros ; & animam vestram languentem faciam*. Syriacus : *Visitabo vos phthisi & lepra, & elephantiasi, & fluxu consumente oculos, & liquefaciente animam*. Alius Græcus Interpres (7) : *Visitabo vos dedita opera corruptione aeris, & ardore consumente oculos*. Spectare hic Interpres videtur illud urentis venti genus, quo interdum Ægyptii affliguntur, aliique innumeri morbi oculis inducuntur. Exprimit autem, sa dedita opera serio, totaque animi contentione id præstiturum.

Hebræum בהלה *Behalah*, quod in Vulgata redditur *velociter*, designare potest turbas, vel subitum pavorem, seu fugam præcipitem. Vox altera succedens השחפת sonat, uti creditur, morbum, quo consumitur, infirmaturque corpus; vel, juxta alios, tumescit gignitque pustulas & tumores, vel ipsam pariter hydropisim. Tertia vox הקדחת est ardor intimus, depascens ossa; vel ardens febris, affligens oculos. Hæc damus ex fide Grammaticorum ; nihil tamen esse certi scias.

℣. 18. Addam correptiones vestras septuplum. Positum est hic *septuplum* pro *pluries* ; quod etiam in toto capite servatum est. Mala vestra augebo, & nova supplicia in vestram perniciem excogitabo.

℣. 19. Conteram superbiam duritiæ vestræ. Septuaginta : *Τὴν ὕβριν τῆς ὑπερηφανίας*, *contumeliam superbiæ vestræ*, vel audaciam vestram, qua Deum & homines aggredimini. Chaldæus: *Conteram gloriam fortitudinis vestræ*, brachii vestri robur, quo gloriamini. Reddi posset Hebræus: *Conteram gloriam roboris vestri* ; quod accipi potest de Tabernaculo, gloria profecto & robore Israelitarum.

Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, et terram æneam. Cœlum hoc ferreum, & terra ænea optime sane exprimunt Cœlum pluviis carens, aridamque & sterilem humum, ut explicat Onkelos. Si quis hujusmodi loquendi phrases explicare nitatur, vim earum infirmet.

℣. 21. Si ambulaveritis ex adverso mihi. Septuaginta (8): *Si post hæc ambulaveritis obliqui*. Hebræus (9): *Si ambulaveritis mecum in occursu* ; ceu duo homines, quorum alter alteri occurrit. Chaldæus : *Si ambulaveritis adversus me in duritia* ; vel potius : Si pervicaciter obfirmaveritis in me animum, si restiteritis mihi adversi (10).

℣. 22. Desertæ fiant viæ vestræ. Nemo per regiones vestras transibit. Vel potius: Nemo audebit dare se itineri, ne in belluam, vel in adversarium incurrat. Hebræus ad literam נשמו דרכיכם *Desolabuntur*, vastabuntur, *viæ vestræ*. Nec advenæ nec incolæ regionis tutum habebunt per illas iter ; nullum deinceps commercium, nulla libertas, securitas nulla. Persimili phrasi pingit Isaias xxxiii. 8. regionem ab hoste occupatam : *Dissipatæ sunt viæ ; cessavit transiens per semitam*.

[1] Scalig. lib. 5. de emend. tempor. Ἑρμῆ ἑρμαῖε με παρερχόμενοι ἔχευαν Ἄνθρωποι λίθινον σωρόν.

[2] Apud Outram. l. 1. de sacrific. c. 3. n. 7. [3] Plin. l. 18. c. 18. Vide Hesiod. opera & dies l. 2.

[4] אשבר מטה עלכם [5] הפקדתי עליכם בהלה את השחפת ואת הקדחת מכלות עינים ומדבת נפש

[6] Sept. Ἐπιστήσω ἐφ' ὑμᾶς ἀπορίαν, τήν τε ψώραν, καὶ τὸν ἴκτερον, σφακελίζοντας τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν, καὶ τὴν ψυχὴν ὑμῶν ἐκτήκουσαν. [7] Quid. Gr. Ἐπισκέψομαι ὑμᾶς σπουδῇ τῇ ἀνεμοφθορίᾳ, καὶ τῷ συμφρυγμῷ, ἀπολλύντα ὀφθαλμούς. [8] Ἐὰν μετὰ ταῦτα πορεύησθε πλάγιοι. Alius: Ἐναντίοι, Contrarii, adversi.

[9] אם תלכו עמי קרי [10] Vide ℣. 28. 40. 41.

℣. 26. Postquam confregero baculum panis vestri, idest, id quod vos alit, nempe panem. Est *baculus panis* formula quædam proverbii. Succidam culmum frumenti vestri nondum in aristam flavescentis, vel nondum collecti. Vel: Subducam e pane vestro vim illam naturalem nutriendi (1). Vel tandem: Destituam vos alimento quo indigetis (2), ut vel necessaria vobis desint.

Ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, et reddant eos ad pondus. Eo deveniet rerum caritas, ut unus clibanus sufficiat coquendis panibus decem familiarum; & matres familias panem hunc domesticis suis & filiis distribuant ad pondus & mensuram (3), ut singuli minus quam pro voluntate accipiant. Numerus decem valet pro majori numero & indefinito (4).

Comedetis et non saturabimini. Arctus adeo suppetat cibus, ut satiare non valeat; vel forte in eo, quem supra innuimus, sensu: Panis vester nutriendi virtute destituetur.

℣. 28. Ego incedam adversus vos in furore contrario. Hebræus: *Ambulabo vobiscum in furore occursus.* Ita me geram vobiscum, uti vos mecum: Vos adversarios mihi vos ipsos præbetis; & ipse pariter vobis resistam: vos me provocatis; id ego efficiam, ut pondus furoris mei sentiatis. Vel aliter: Si vos removebimini a me, ego removebor a vobis. Si erigetis in me cervicem, ego vos puniam severissima ultione: Si obfirmare animum vestrum in me, & me insultando impetere audebitis; ego in furore meo vos subvertam;

℣. 29. Comedatis carnes filiorum vestrorum. Crudelitatis extremum illud est; cujus tamen exemplum non unicum suppetit apud Judæos; uti in obsidione Samariæ, urgentibus urbem copiis Benadad Regis Syriæ (5), in obsidione Jerosolymæ per Nabuchodonosorem (6); ac tandem in suprema obsidione ejusdem Urbis per Romanos (7).

℣. 30. Destruam excelsa vestra. Mos colendi Deos in editis locis, constituendique in excelsis Templa, in Scriptura æque ac apud Profanos innotescit. Celsissimorum montium vertices ascendebant Persæ, ibi sacra operaturi, ut Herodotus (8), Xenophon (9), & Strabo (10) testantur. Trojana Templa constituit Homerus (11) in Ida monte, vel in arce Urbis. Romæ Athenisque augustissima Templa in editissimo urbis loco considebant. Templum Salomonis, Deo vero sacrum, in edito loco excitatum est.

Et simulacra confringam. Hebræum חמניכם *Chamanim*, redditum hic *simulacra*, designat, juxta nonnullos, imagines, quæ figuram currus præseferebant, Soli dicatas. De curribus hisce Solis sermo esse fertur in quarto Regum XXIII. 11. ubi Josias igni tradidisse dicitur currus a majoribus suis Soli consecratos. Fertur (12) insuper, singula Altaria huic astro consecrata magicis ejusdem Numinis emblematis, ornata fuisse, quæ ut orientis Solis radios sensissent, statim candescere videbantur, ingentique fragore resonabant. Verum Eruditorum plerique tenent, *Chamanim* ingentia fuisse claustra sub dio patentia, qualia describunt Strabo ac Herodotus. Postremus hic appellat ea septa Πυρεῖα, *Pyreia*, atque in edito loco collocata fuisse affirmat. Erant Persæ cultui Solis addictissimi; eidemque Numini consecrabant septa illa, perpetuum ignem alentia. Affirmat Strabo libro XV. in Cappadocia frequentissima occurrisse id generis Templa, quæ appellat ipse Πυραιθεῖα *Pyratheia*, ædificia dicata Deæ *Anaitidi*, & Deo *Homano*. Nec ambigens ego quidem reputaverim, Deum hunc Homanum eumdem esse ac Hebræum *Choman*, unde *Chomanim*. Nec forte ex alio fonte deductum est nomen Achemeniorum, quo viri Principes inter Persas distinguuntur, facile quod majori erga Solem, qui *Choman* appellabatur, religionem præstarent.

Cadetis inter ruinas Idolorum vestrorum. Hebræus (13): *Ponam cadavera vestra super cadavera abominationum vestrarum, & abominabitur anima mea vos*; vos evomet, ut ingratum cibum stomachus. Si vos cæco adeo errore teneamini, ut deducendos vos tradatis ad cultum brutorum, quæ divinis honoribus coli in Ægypto vidistis, vos ego Deosque vestros una exterminabo; & cadavera vestra cum illis mixta abjicientur neglecta sub dio, & honore sepulturæ privata. Ægyptii condiebant balsamo, servabantque religiosissime cadavera sacrorum animalium, quæ apud illos obiissent (14). Commode etiam illud, *Cadavera Deorum vestrorum*, de ruderibus confractorum simulacrorum possit explicari.

℣. 31. Deserta faciam sanctuaria vestra. Dictum hoc exponunt plures de Delubris Numinum; sed quæ sequuntur, determinant sensum de Templo Domini: *Nec recipiam ultra odorem suavissimum*; idest, sacrificia vestra, vel suffitus, in odorem suavissimum gratissimumque ultra non recipiam.

℣. 32. Stupebunt super ea inimici vestri; testes severissimæ illius ultionis, qua ego vos affligam. Chaldæus: *Deserti erunt super ea inimici vestri*: inimici vestri regionem hanc discurrent, tanquam per desertum, nihil nacti quod aviditatem suam expleat; tanta regionem tenebit ac tam atrox desolatio.

℣. 34. Tunc placebunt terræ sabbata sua. Nihil erit, quod tellurem turbet, ut quo eo tempore religiosa quies illi conceditur a Deo, culturam invita patiatur. Hæ omnes minæ ceu præcedentia oracula eorum videntur, quæ manabant Judæos sub captivitate Babylonica. Afflictas illas populi res spectare videtur hujus sermonis contextus, res, inquam, ita afflictas, ut Israelitarum regionem totam late teneret desolatio atque subversio. Hanc autem dederunt pœnam Israelitæ ob neglectam religionem anni Sabbatici. Quietem egit tunc terra iis invitis, ait Theodoretus (15); & septuaginta solidis annis nullo fuit cultu exercita: qui annorum numerus numero annorum Sabbaticorum responderunt, quot per CDXC. annos a regno Saulis usque ad captivitatem Babylonicam fluxerunt, qui scilicet a Judæis religiose servandi, prorsus ab iis neglecti fuerunt.

Reddi etiam posset Hebræus (16): *Tunc expiabis terra Sabbata sua*. Deo satisfaciet pro neglecta religione Sabbatorum. Eadem occurrit vox quæ reddita est infra ℣℣. 41. & 43. *Rogabunt pro peccatis suis*; vel *expiabunt peccata sua*, seu *veniam postulabunt pro peccatis suis*. Eadem pariter vox recurrit sæpe in hoc Libro, cum sermo est de sacrificiis; redditur autem plerumque a Vulgata (17): *Acceptabilis erit*. Reddunt alii: *Erit hæc hostia pro expiatione peccati sui*, vel *hostia expiatoria*.

℣. 35. Requiescet in sabbatis solitudinis. Sabbatum hic accipitur non tantum de septem diebus hebdomadæ, sed etiam de septenis quibusque annis, sicut & de undequinquagesimo, vel quinquagesimo, scilicet Jubilæo. Reparabit tunc terra spatio

[1] Quid Gr. Εἰς τὸ συντρῖψαι με ὑμῖν στήριγμα ἄρτων. [2] Sept. Ἐν τῷ θλῖψαι ὑμᾶς σιτοδείᾳ ἄρτων.
[3] Vide Ezech. IV. 16. [4] Genes. XXXI. 7. Num. XIV. 22. Job XIX. 3. 2. Esdr. IV. 12. Eccl. VII. 20.
[5] Vide 4. Reg. VI. 28. [6] Jerem. Lament. IV. 10. [7] Joseph. de bello Jud. l. 7. c. 8.
[8] Herod. l. 1. c. 12. [9] Xenophon. l. 8. Cyropæd. [10] Strab. l. XV. [11] Homer. Iliad. Ψ. 170. [12] Beniamin in Itinerario. [13] ונתתי את פגריכם על פגרי גלוליכם וגעלה נפשי אתכם [14] Herodot. & Ammian. Marcell. [15] Theodoret. qu. 37. Eodem ferme sensu explicat Scaliger; unum enim & triginta Jubilæos ab ingressu Israelitarum in Chananitidem usque ad supremam Templi destructionem numerat. Can. Isag. 3. [16] אז תרצה הארץ את שבתותיה [17] Vide Levit. I. 4. XXII. 20. 27.

tio illo LXX. annorum dispendium, quod sensit ex neglecta quiete religiosa annorum a Deo decretorum. Vividis hisce phrasibus exhibetur terra, tamquam animatum aliquod, capax doloris & sentiens injuriam.

℣. 36. Et qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum, in regionibus hostium. Habita præcedentium ratione vertendum videtur: *Vastabo terram vestram, & dispergam vos per gentes*. [36] Siquis autem ex vobis illæsus evaserit (vel malis hisce supervixerit mansecitque in regione) ego *pavorem in illum injiciam*, uti in regione sua sibi timeat, perinde ac *inter hostes*. *Hoste volantis murmure terrebitur*, eoque inspecto *ita fugiet, quasi ad gladium &c.* Hebræum מרך *Morech*, quod hic redditur *pavorem*, designat mollitiem effracti animi. Adimam ab illis vigorem omnem & robur. Septuaginta habent δουλείαν, *Servitutem*. Ingeram illis spiritum servilem & malis servituris fractum. Sed alii codices (1) legunt δειλίαν, *timiditatem*, quod commodiorem sensum reddit: *Superducam formidinem illis in media regionis hostium suorum*.

℣. 37. Corruent singuli super fratres suos; ut sæpe accidit in fuga præcipiti, & effusa. Septuaginta: *Despiciet frater fratrem*. Saluti suæ quisque prospiciet, nihil interim sollicitus de fratre. Sed Rabbini ita exponunt: *Frater corruet super fratrem*. Portabit quisque pœnam criminis fratris sui, quod scilicet delicto illius non restiterit; uti ferunt dira invicem ab altero in alterum proferenda in montibus Garizim, & Hebal. Sensus hic plane est singularis.

℣. 38. Hostilis vos terra consumet. Miserabili fato peribitis in terra hostili, quin ullas ibi sedes collocare fas vobis sit: neminem nisi implacabilem hostem nanciscemini, & impedimenta nulla vi superanda, quæ quietem vestram, & stabilem securitatem prohibebunt. Israelitæ ad explorandam Chananæitidem missi, retulerunt ad Fratres, terram esse illam, quæ incolas suos voraret. In terra non dissimili captivitatem patientur.

℣. 39. Tabescent in iniquitatibus suis, ימקו בעונם, scilicet seu conscientia criminis remordente, seu premente iniquitatum suarum ultione. *Iniquitates* hic designare possunt iniquitatum ultionem. Pœnas dabunt tum pro suis, cum pro criminibus patrum suorum, quæ imitatione adsciverunt: *Tabescant*, arescent. Septuaginta: Καταφθαρήσονται, *Corrumpentur*, absumentur. Arabs: *Supplicabunt pro delictis suis*. Veteres Interpretes Græci ferunt omnes: Τακήσονται, *Tabescent*, dolore scilicet, vel terrore, in pœnam scelerum suorum.

℣. 40. Ambulaverunt ex adverso mihi: [41] Ambulabo igitur et ego contra eos. Septuaginta (2): *Quoniam ambulaverunt coram me obliqui; & ego ambulavi cum eis in furore obliquo*. Chaldæus: *Quod ambulaverunt coram me in duritia*. Syriacus, & Arabs: *Quia incesserunt mecum contumaciter*, superbe; *etiam ego incedam cum eis contumaciter*. Vide ℣. 21.

℣. 41. Donec erubescat incircumcisa mens eorum. Paraphrastæ Chaldæi (3): *Donec conteratur insipiens cor eorum*. Aliter: *Donec humilietur incircumcisum cor eorum*. Septuaginta: *Tunc confundetur cor eorum incircumcisum*.

Tunc orabunt pro impietatibus suis. Expiabunt crimina sua. Syriacus: *Tunc oblectabuntur iniquitate sua*. Sentient quæ sit in offensa mihi irroganda voluptas. Hebræus (4) reddi posset ad literam: *Iniquitas eorum placebit eis*. Iniquitas est hic pro pœna iniquitatis posita. Sed ironica sunt hæc. Vide etiam ℣. 43. in Hebræo: *Complacebunt in iniquitate sua*; placebit illis crimen suum, gustabunt voluptatem de offenso Numine, sentient indignationis ipsius pondus.

℣. 45. Hæc sunt judicia, atque præcepta, et Leges, quas dedit Dominus in monte Sinai. Præcepta omnia & Leges, in hoc Libro & in majori Exodi portione contentæ, rogatæ sunt populo, interprete Moyse, sive in monte, sive ad radices montis Sinai in Tabernaculo. Aliæ in sequentibus, ibi pariter latæ, occurrent.

(1) Ita Bibl. Antuerpiens. & Paris. & S. Aug. *Superducam formidinem seu timiditatem*. (2) Ἐπορεύθησαν ἐναντίον μου πλάγιοι, καὶ ἐγὼ ἐπορεύθην μετ' αὐτῶν ἐν θυμῷ πλαγίῳ. Hebr. הלכו עמי בקרי אף אני אלך עמם בחמת (3) אז יכנע לבבם הערל (4) אז ירצו את עונם

CAPUT XXVII.

Leges pro redimendis rebus devotis & consecratis Deo, ac pro decimis.

℣. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Homo qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium. 3. Si fuerit masculus a vigesimo anno usque ad sexagesimum annum, dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram Sanctuarii. 4. Si mulier, triginta. 5. A quinto autem anno usque ad vigesimum, masculus dabit viginti siclos: fœmina decem. 6. Ab uno mense usque ad annum quintum, pro masculo dabuntur quinque sicli: pro fœmina, tres. 7. Sexagenarius, & ultra masculus dabit quindecim siclos: fœmina decem. 8. Si pauper fuerit, & æstimationem reddere non valebit, stabit coram sacerdote: & quantum ille æstimaverit, & viderit eum posse reddere, tantum dabit. 9. Animal autem, quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit. 10. Et mutari non poterit, idest, nec melius malo, nec pejus bono: quod si mutaverit, & ipsum, quod mutatum est, & illud, pro quo mutatum est, consecratum erit Domino. 11. Animal immundum, quod immolari Domino non potest, si quis voverit, adducetur ante sacerdotem: 12. Qui judicans utrum bonum, an malum sit, statuet pretium. 13. Quod si dare voluerit is, qui offert, addet supra æstimationem quintam partem. 14. Homo si voverit domum suam, & san-

sanctificaverit Domino, considerabit eam sacerdos utrum bona, an mala sit, & juxta pretium, quod ab eo fuerit constitutum, venumdabitur: 15. Sin autem ille, qui voverat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra, & habebit domum. 16. Quod si agrum possessionis suæ voverit, & consecraverit Domino, juxta mensuram sementis æstimabitur pretium: si triginta modiis hordei seritur terra, quinquaginta siclis venumdetur argenti. 17. Si statim ab anno incipientis Jubilæi voverit agrum, quantum valere potest, tantum æstimabitur. 18. Sin autem post aliquantum temporis: supputabit sacerdos pecuniam juxta annorum, qui reliqui sunt, numerum, usque ad jubilæum, & detrahetur ex pretio. 19. Quod si voluerit redimere agrum ille, qui voverat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, & possidebit eum. 20. Sin autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venumdatus, ultra eum qui voverat, redimere non poterit: 21. Quia cum jubilæi venerit dies, sanctificatus erit Domino, & possessio consecrata ad jus pertinet sacerdotum. 22. Si ager emptus est, & non de possessione majorum sanctificatus fuerit Domino: 23. Supputabit sacerdos juxta annorum numerum usque ad jubilæum pretium, & dabit ille, qui voverat eum, Domino. 24. In jubilæo autem revertetur ad priorem dominum, qui vendiderat eum, & habuerat in sorte possessionis suæ. 25. Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur. Siclus viginti obolos habet. 26. Primogenita, quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit, & vovere; sive bos, sive ovis fuerit, Domini sunt. 27. Quod si immundum est animal, redimet, qui obtulit, juxta æstimationem tuam, & addet quintam partem pretii: si redimere noluerit, vendetur alteri quantocumque a te fuerit æstimatum. 28. Omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum sanctorum erit Domino. 29. Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine non redimetur, sed morte morietur. 30. Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur. 31. Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum. 32. Omnium decimarum bovis, & ovis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. 33. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur, Si quis mutaverit; & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur. 34. Hæc sunt præcepta, quæ mandavit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai.

℣. 2. HOMO, QUI VOTUM FECERIT, ET SPOPONDERIT DEO ANIMAM SUAM, SUB ÆSTIMATIONE DABIT PRETIUM. Versieuli hujus Textus Hebræus (1) concisus est, & obscurus; ita enim sonat ad literam: *Vir cum separaverit votum, in ordinatione tua, animarum Domino.* Igitur ita paraphrastice exponi potest: Qui voverit atque consecraverit Domino animam, idest, vivum animal, sen hominem, seu brutum, si devotam hanc rem voluerit redimere, solvet juxta æstimationem factam a Sacerdote; idest, judicabit Sacerdos de conditionibus, qualitate, atque ætate rei devotæ, simulque inspiciet statum voventis, ac tunc demum ad eam normam judicabit de pretio; & juxta sententiam illius, pretium illud ejusdem manibus tradetur.

Datum erat vovere se Domino, vovere filios suos (℣. 5. & 6.) domesticos, animalia, bona, pro quibus singulis redimendis suæ hic Leges assignantur. Si nulla fieret redemptio, homines quidem per totam vitam obsequiis Tabernaculi manebant addicti; res autem vendebantur in Templi commodum, vel Sacerdotum. Animalia ad Sacrificium apta immolabantur; inepta vendebantur.

℣. 9. ANIMAL, QUOD IMMOLARI POTEST DOMINO, SI QUIS VOVERIT, SANCTUM ERIT. Constituta hac Lege, voluit Deus intelligerent homines, res Numini semel consecratas sanctitatem quamdam, atque inviolabilem dignitatem acquirere, quæ usu communi ne deinceps adhiberentur, prohibebat, Si Deus permisisset commutationem animalium inter se deterioris in melius, data hac facultate abusi fuissent homines, substituto deteriori loco melioris.

℣. 11. SI ANIMAL IMMUNDUM. Si vitio aliquo, vel natura sua ineptum sit ad sacrificium. Vide infra ℣. 27.

℣. 13. QUOD SI DARE VOLUERIT IS QUI OFFERT, ADDET QUINTAM PARTEM. Addere tenebitur quintam pretii partem, præter Sacerdotis æstimationem. Igitur si res æstimata fuisset XL. siclis, solvendi erant L. quam dare cogebatur pœnam vovens pro levitate animi sui, ne facilis obreperet voluntas redimendi, quæ Deo fuerant voto nuncupata. Ex subsequenti lege (℣℣. 14. 15.) innui videtur, sanctionem hanc accipiendam esse de eo, qui voto aliquid nuncupaverit; cui mulctæ loco solvendum erat, præter rei æstimationem, incrementum quintæ partis; si vero res devota alteri venderetur, hæc ratio cessabat; vix enim alioqui res habuisset emptores. Merito igitur author Vulgatæ supplendum censuit, *Is qui offert*, quod deest in Hebræo.

℣. 14. HOMO, SI VOVERIT DOMUM SUAM. Pretium venditæ hujus domus impensum fuisse in sartis tectis Templi, quod domus est Domini, tradunt Rabbini. Porro de venditione domorum eadem reputanda videntur ac de agrorum ℣. 19. sicut etiam portio illa quintæ, ab hero solvenda præter æstimationem rei factam a Sacerdote, id-eir-

(1) איש כי יפלא נדר בערכך נפשת ליהוה Apud Theod. *Θαυμαστώσῃ*. Admirabile fecerit. *Sym.* Separaverit, Septuag. Voverit.

ciro præscripta videtur, ut rependeretur damnum, quod in ea redemptione subire cogebatur Sacerdos: si enim domum, vel agrum herus redemisset, jure perpetuo sibi illa addicebat; cum interim ad alios emptores revoluta, redirent demum ad Sacerdotes anno Jubilæi, a quibus iterum venumdabantur: neque enim sibi retinere fas illis erat, quod fundos possidere illis lege interdiceretur. Si quis autem herus domum suam, vel agrum e manibus Sacerdotis in Jubilæo recipere voluisset, tunc præter æstimationem rei nihil incrementi superaddendum fuisse videtur: quæ enim ratio imperabat illi solutionem quintæ partis, penitus excidebat; quippe cum hæreditatem illam perpetuo jure tunc non acquireret, sed Sacerdoti in Jubilæo reddere cogeretur (1).

℣. 16. Quod si agrum possessionis suæ voverit. Integrum erat illi consecrare voto portionem hæreditatis suæ, ac bonorum paternorum, non vero eorum, quæ ipse per se pecunia sua emisset; neque enim illa sibi acquisierat, nisi usque ad Jubilæum: quare nec jure perpetuo transferre poterat in Sacerdotes.

Juxta mensuram sementis æstimabitur pretium. Illud, *Mensuram sementis*, accipiunt quidam de provenientibus agri; sed nunquam hanc phrasim זרע hoc sensu adhibet Scriptura: designat tantum semen solo illi mandatum. Nec equidem ulla suppetebat Legislatoribus mensura certior ad æstimandos agros, quam inspecta seminis, quod admittunt, quantitate; neque enim inter agros, & fructus eadam semper est proportio, quod inæquales sint annorum vices, soli qualitas diversa. Ratio pariter habenda erat ubertatis agri cæterarumque ejus qualitatum, quibus soli illius valor augebatur: sed nihil ea de re Moyses.

Si triginta modiis hordei seritur terra, quinquaginta siclis venundetur argenti. In Hebræo pro modiis est *chomer*. Chaldæus, Syriacus, Arabs legunt, *Corus*, qui idem est ac *chomer*. Continet *chomer* Parisiensis mensuræ 298. pintas cum media pintæ parte, hemisextario, & plus aliquid, igitur si xxx. *chomer* frumenti adhibenda essent ad serendam portionem illam hæreditatis devotæ, solvare jubebatur herus Sacerdoti L. siclos quotannis, idest, LXXX. libras monetæ nostratis circiter. Volunt quidam, summam hanc L. siclorum semel tantum solvendam fuisse pro omnibus annis a Jubilæo ad Jubilæum labentibus; atque ita singulos siclos singulis annis respondisse. Docent insuper, ex eo pretio non solvi, nisi pro ratione annorum, quot ad Jubilæum futurum intercedebant: sed hæc opinio & male fulcitur, & raros habet assertores. Reputat Vatablus, solvendos fuisse omnino L. siclos pro singulis *chomer* seminis, quæ serenda erant: id autem non incongruum nos pariter reputamus. Porro ex ea pecunia detrahendi erant quotquot recurrerent in eo intervallo anni Sabbatici, cessationem a messe inferentes; sicut & quotquot effluxissent jam anni a præcedenti Jubilæo usque ad tempus nuncupati voti, quod aperte in ℣℣. 17. & 18. animadvertitur.

℣. 19. Quod si voluerit redimere agrum ille qui voverat, addet quintam partem &c. Supra pretium annuorum proventuum, quod solvendum fuisse demonstravimus in superioribus versiculis, addebatur etiam æstimatio rei a Sacerdote taxata, cum quintæ partis additamento. Rationem hujus dedimus ad ℣. 14.

℣. 20. Sin autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venumdatus, qui voverat, redimere non poterit. Redimere scilicet jure perpetuo, tanquam hæreditatem suam revindicans. Fas illi erit redimere tamquam extraneo cuilibet, cum conditione restituendi Sacerdotibus tamquam heris, anno Jubilæi; id autem ℣. 21. imperatur.

℣. 21. Sanctificatus erit Domino, et possessio consecrata, adeo ut pristinus dominus nunquam restituendus sit jure in rem suam; perinde enim illam habebit tamquam deperditam. Hebræus (2): *Sanctitas Domino, ager anathematis*, res Deo ita devota, ut nunquam redire possit in naturam cæterarum hæreditatum, neque impendi in usus communes & profanos.

℣. 25. Siclus viginti obolos habet. Hebræus: *Viginti Gerah*. Valebat siclus 32. solidis, 6. denariis, & tribus octavis denarii partibus.

℣. 26. Primogenita nemo sanctificare poterit; sunt enim hæc per se proprio jure Deo consecrata (3). Dicta hæc potissimum accipianda sunt de animalibus; homines enim, licet prærogativa primoris natu Domini essent, ac proinde sistendi essent illi, & redimendi pretio, poterant tamen a parentibus suis voto adstringi Domino, & ejus servitiis consecrari arctiori religione, uti reipsa Samuel a parentibus suis devotus est.

℣. 27. Si immundum est animal. Contendunt quidam (4), sermonem hic esse de primore natu, qui aliquo vitio impurum sit, uti si oculo captum, si gibberum, si claudum, si membro aliquo vitiatum. Cum nefas esset illud Deo sacrificare, ita pariter domino illius imperabatur, ut sive illud datu pretio sibi redimeret, sive altari venderet. Vide supra ad ℣. 11. ubi egimus de animalibus casu aliquo impuris, puris licet natura sua, uti de bobus, capellis, ovibus. Malunt alii, Textum hunc, & facile etiam versiculum 11. exponendum esse de animalibus natura sua impuris, sacrificio offerri ineptis, aptis tamen voto nuncupari Domino, uti de equo, asino, mulo, camelo, qui omnes pretio redimendi erant.

Juxta æstimationem tuam. Manuscripti codices plures habent *suam*; quam pariter lectionem servant Chaldæus cum Septuaginta, Sed Hebræus cohæret Vulgatæ.

℣. 28. Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur. Hebræus (5): *Omne anathema, quod anathematizaverit homo Domino, ex omnibus quæ possidet*. Agitur hic de consecratione seu destinatione sacra rei, longe alia a superiori. Porro sermo est hic *de anathemate*, cui olim devovebantur hostes Dei cum agris suis, gregibus, urbibus. Ita vero devoti homines & greges tradebantur neci, exscindebantur urbes domusque, agri vero & latifundia consecrabantur Domino, ejusque ministris jure irrevocabili. Cum enim agri illi permittebantur manibus Laicorum certis quibusdam conditionibus a Jubilæo ad Jubilæum, locationis id potius genus reputandum erat, quam venditionis. Anathematum ejusmodi plura suppetunt in Scriptura exempla. Moyses Dei nomine devovit anathemati Amalecitas (6); quod tandem executioni mandavit Saul (7).

Num hujus legis vi privato cuique jus esset devovendi anathemate subjectos sibi homines, e. g. patrisfamilias filios suos vel servos, ambigitur. Nostrorum plerique censent, pronunciandam fuisse ab ipso Deo sententiam hujus anathematis, vel id decernendum saltem fuisse a legitimo totius populi consessu. Postremæ hujus devotionis exemplum exhibet Achan, cujus caput una cum familia universa & gregibus anathemati subditum est (8). Jus parentum in filios fusius examinabitur alibi, occasione voti a Jephte nuncupati.

℣. 29. Omnis consecratio quæ offertur ab homine, redimetur. Reddi posset Hebræus (9): *Omne devotum, quod devovebitur ab homine*, sive omnis

---

(1) Tostat. (2) קדש ליהוה כשדה החרם Septuag. Ἡ γῆ ἀφωρισμένη, *Terra segregata*. Alius: Ὁ ἀγρὸς τοῦ ἀναθέματος, *Ager anathematis*. (3) Exod. XIII. 2. &c. (4) Menoch. Cornel. a Lap. Jans. (5) כל חרם אשר יחרם איש ליהוה (6) Exod. XVII. 14. (7) 1. Reg. XV. (8) Josue VII. Vide etiam Num. XXI. 2. (9) כל חרם אשר יחרם מן האדם לא יפדה

omnis homo qui devovebitur, *non redimetur*, omnino interficietur; vel: Quidquid privatus e suis bonis & animalibus devoverit, omni præcisa redimendi spe interimetur, si de animali res est, vel addicetur Sacerdotibus, si quid fuerit ab animali diversum (1). Commode etiam verteretur: Animalia omnia devota, excepto homine, interimentur, nec redimi a quoquam poterunt. Conclusio est eorum, quæ huc usque dixerat. Arabs vertit: *Et omnis perditus, qui meretur interire ex hominibus, ne redimatur, sed occisione occidatur.* Redigit hoc Grotius ad hostes & desertores militiæ, qui omnino perimebantur, cum devoti erant anathemate; sed morti nemo alius ex hominibus devovebatur.

℣. 30. OMNES DECIMÆ TERRÆ DOMINI SUNT. Afferenda sunt hic quædam de vetustate decimarum, ex Seldeno & Spencero potissimum accepta. Nihil in hoc argumento vetustius succurrit, quam decimæ Abrahami solutæ Melchisedecho Regi Salem (2), e manubiis omnibus devictorum ab ipso Regum. Hanc avi sui pietatem imitatus Jacob (3) consecravit Domino ex universis, quæ sibi acquirenda fuissent in Mesopotamia, decimas. Datam hanc fidem suam liberasse illum ab eo itinere reducem, nullus dubito: latet tamen num decimas illas in manus viri alicujus Deo dicati tradiderit, an sacro igne absumpserit. Sequebantur in ea re Patriarchæ vetustiorem traditionem, cujus certam originem nemo indicet; quæcumque tamen vetustas mori huic concedatur, nunquam tamen demonstrari posset, perinde obtinuisse ceu lege lata imperatam; religiosissimi enim quiqun nunquam sibi decimas, tanquam datum pensum reddendas duxerunt. Primus omnium Moyses lege jd iauciyit, nec sanctionem banc executioni mandatam prius spectamus, quam post acquisitam ab Israelitis terræ Promissionis pacificam possessionem.

Eorum in solvendis decimis cura minor fuit majorque, prout magis minusve mandatis Legis Domini inhærebant. Narrat e. g. Scriptura (4), solvi accuratissime cœpisse decimas sub Ezechia; unde conjectura ducitur sub ejus Prædecessoribus neglectas illas jacuisse. Exprobrat Malachias III. 10. ætatis suæ Judæis negligentiam reddendi tributum Templo. Soluta jam captivitate, muneri in ea re suo defuisse Judæos, intelligimus ex 2. Esdræ XIII. 12. quare instituere visum est Inspectores, quos נאמנים *Nemanim* appellabant, viros ad eas colligendas destinatos. Affirmat Maimonides (5), post secundam Templi Dedicationem per Judam Macchabæum cessasse decimarum quoddam vectigal, de quo nos infra; satisque habitum fuisse, si darentur primitiæ, & decima, quæ *Therumah* appellabatur.

Successu deinde temporis Pharisæi, ut sese inter cæteros distinguerent, accuratius Legis hujus studium affectabant. Ex oleribus omnibus solvebant decimas (6); quam eorum religionem non reprobat Jesus Christus: *Illa non oportuit omittere.* Rabbinorum plerique non reputant extendendam esse legem decimarum ultra id, quod appellant תבואת *Thebuath*, *proventus*; intra quos olera non continentur. Veteri tamen Judæorum traditione fertur, quidquid in clbi usum esse, quidquid servari potest, quidquid humo gignitur, offerendum esse & elevandum Domino, ac decimæ subjacere (7). Author Testamenti duodecim Patriarcharum (8) docentem Levi inducit, offerendos esse Domino fructus duodecim arborum foliis suis semper virentium; quod observandum esse, ipse per se Abraham tradiderit.

Jam inde ab eversione Templi Jerosolymitani per Romanos, solutos se lege solvendi primitias, oblationes, & decimas reputant Judæi: præterquam enim quod destituti sunt Templo, ministris Domini, ac possessione terræ Chanaan, quæ sola tributo huic obnoxia erat, ex illis nemo hodie satis aperte demonstrare posset, se genus referre suum e Levi, cui uni jus erat exigendi fratrum suorum decimas.

Quod attinet ad varia genera primitiarum & decimarum, hæc potissimum observanda sunt. I. Dabantur Deo primitiæ e fructibus septem generum: e frumento, hordeo, ficubus, uvis, olivis, pomis granatis, & dactylis (9). De quantitate primitiarum offerendarum nihil in Scriptura decretum legimus. Sunt qui relictum eredant arbitrio offerentis, ut ejus religio dictaret: alii decretam earum mensuram ex consuetudine reputant, ut nimirum ex fructibus agrorum pendenda esset intra quadragesimam & sexagesimam portionem fructuum decima, quemadmodum a nobis superius animadversum est.

II. Dabatur Sacerdotibus oblatio, quam appellabant תרומה *elatam oblationem*; dabatur, inquam, e frumento, vino, oleo, lana. Liberalissimi, siqua fides Rabbinis, dabant quinquagesimam, reliqui sexagesimam.

III. Segregabatur decima ex iis omnibus, quæ supererant post solutas oblationes & primitias. Conferebantur illæ ad Levitas in urbem Jerosolymam, uti docet Josephus (10), & Tobias I. 6. Levitæ (11) e collectis illis decimis omnibus seponebant decimam pro Sacerdotibus; neque enim Sacerdotes e populi manibus illas accipiebant; nefas autem erat Levitis aliquid sibi adsciscere e collectis illis decimis, nisi reddita Sacerdotibus portione, quæ ad illos attinebat.

IV. E novem illis partibus, quæ dominis post solutam decimam supererant, nova adbuc decima segregabatur, mittenda Jerosolymam, vel fructibus ipsis eo missis, vel si longius distaret locus, dato pretio, addita insuper totius tributi quinquagesima. Ita docent Rabbini: saltem Lyranus in Deuteronomium XXVI. 12. est author, decimam hanc inventum esse Rabbinicum, nullis certe Scripturæ locis fulciendum. Hac vero decima convivia religiosa in Templo instruebantur; quibus non male dixeris, Agapas veterum Christianorum fuisse simillimas. Hoc decimarum genus agnoscunt Rabbini in illo Deuteronomii XII. 12. 13. *Decimas manuum vestrarum conferetis: ibi epulabimini coram Domino Deo vestro.*

De se affirmat Tobias I. 6. se reddidisse integra fide singulis trienniis *proselytis, & advenis omnem decimationem*; idcirco facile quod in loco suo deessent Levitæ. Postremi hujus generis decimæ, distribuendæ Levitis, & egenis, agnoscendæ sunt in illo Deuteronomii (12): *Anno tertio separabis aliam decimam, & repones intra januas tuas.* Hanc decimam tertii cujusque anni ita solvendam esse egenis, ut nihil officiat decimæ quotannis transmittendæ ad Templum, docuisse videtur Josephus, qua admissa sententia, ultra præscriptas superius decimas, nova hæc alia accederet solvenda Levitis, & egenis, singulis trienniis. Nobis tamen ea sedet persuasio, cum ea decima in Templum Jerosolymitanum inferri deberet, ejus rei loco semel singulis trienniis in loco sui domicilii ad egenorum, & Levitarum subsidium insumi consuevisse.

Insinuat Scriptura (13), Reges Orientis arrogasse sibi jus exigendi e proventibus subjectarum

sibi

(1) Vide Num. XVIII. 14. (2) Gen. XIV. 20. Hebr. VII. 9. (3) Gen. XXVIII. 22. (4) 2. Paral. XXXI. 5. (5) Maimon. c. 9. de Decimis. (6) Luc. XI. 42. & Matth. XXIII. 23. (7) Talmud. Seder zeraim, Massec Machser. (8) Author Testamenti XII. Patriarch. Testament. Levi num. 9. Δώδεκα δένδρων ἀεὶ ἐχόντων φύλλα ἀπάρχας τῷ Κυρίῳ, ὡς καμὲ Ἀβραὰμ ἐδίδαξε. (9) Talmud in Seder-zeraim, Massecher, Biccurim. (10) Joseph. Antiq. l. 4. c. 8. (11) Num. XVIII. 28. (12) Deut. XIV. 28. & XXVI. 12. (13) 1. Reg. VIII. 15. & 16.

sibi gentium decimas. Samuel pro concione Israelitis exposuit; *Hoc erit jus Regis .... Segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit .... greges quoque vestros addecimabit*. Jure autem meritoque Deus id sibi vectigal reservavit ob alendos Sacerdotes suos, & ministros, sicut idem sibi pariter jus arrogabant Reges ad sumptus exercitus, & aulæ sufficiendos. Prodit hoc non obscure Samuel de Regibus; & Malachias III. 10. de Deo: *Inferte omnem decimam in horreum; & sit cibus in domo mea*.

Commode hic animadvertimus, Barbaras quasque gentes, Græcos etiam Romanosque, Religionis suæ semper esse duxisse, ut Numinibus conferrent decimas. Id sibi vectigal gentes quædam induxerunt latis Legibus; aliis Religionis spontaneæ affectu. Affirmat Plinius (1), mercatores Arabes, qui thura vendebant, merces illas suas venum non exposuisse ante solutam decimam Deo Sabi. Religionis Persarum in offerendis Numinibus e manubiis hostium decimis, meminit non semel Xenophon (2). Nec alienos se præbebant a decimis Apollini conferendis Scythæ, testibus Solino (3) & Mela (4). Urbem Sardium, quam Cræso eripuerat Cyrus, e direptione victor ille Princeps exemit, ajens devovisse se ejus decimas Jovi (5).

Religionis suæ frequentissimum exhibuerunt specimen veteres Græciæ incolæ, sistentes Numinibus decimas bonorum suorum, messium, & captæ ex hostibus prædæ. Additum est Apollini nomen *Decatephoros*, veluti si diceretur, decimis coronatus; & quidquid illi dedicatum erat, appellabatur primitiæ decimarum (6). Ad Solonem scribens (7) Pisistratus, ut ipsi reditum Athenas persuaderet, revocavit illi in mentam solvi ibi a singulis decimas, non mihi quidem, ait ille, sed ad sumptus sacrificiorum, cæterarumque rerum, quas Reipublicæ salus exquirit. E reliquo tamen vitæ Solonis contextu intelligimus, decimas illas ipsi Pisistrato solutas fuisse. Vigesimam tantum e proventibus exigebant Hippias, & Hipparcus filii Pisistrati (8). Cypselus Corinthius (9) e bonis singulorum Civium suorum obtulit Jovi decimas. Incolæ Bœotiæ, & Chalcidis ab Atheniensibus victi, pretio redemerunt hæreditatem suam; pretium autem illud totum Minervæ consecratum est. Rhodope Meretrix (10) dedit Apollini totidem virgas, quot redderent bonorum suorum decimam. Sexcenta hujus moris exempla alia suppetunt apud Græcos.

Solemne erat Carthaginiensibus, ut quotannis mitterent Tyrum, unde ducebant originem, bonorum suorum decimas in tributum (11); narratque Justinus (12), transmisisse illos ad Herculem Tyrium e capta Sicilia decimas manubiarum. Paulo ante captam Tyrum ab Alexandro Magno, navis decimarum Carthaginiensium eo pervenerat (13). Vix res hujus urbis restitui cœpere, cum Carthaginienses religionem suam erga Herculem Tyrium prosecuti sunt, uti Polybius est author (14).

E Græcis, uti facile credimus, decimarum Religio transivit ad Italos. Pelasgi, qui e Græcia migraverant in Italiam (15), jussi sunt ab Oraculo (16) decimas suas ad Apollinem Delphicum mittere. Hujus moris apud Romanos origo refertur ad Recaranum, Evandro coævum. Cato in priori *libro de Originibus* a Macrobio (17) laudatus tradit, Mezentium indixisse Rutulis, ut solverent sibi primitias, quas Diis solvere consueverant. Meminit non semel Plutarchus (18) moris apud Romanos solemnis, consecrandi Herculi decimas manubiarum. Decimas e præda ex hostibus referenda Apollini vovit Camillus. Diu hæc perseverarunt apud Romanos; sed nunquam nisi spontanea (19): *Si decimam quis bonorum vovit, decima non prius esse in bonis desinit, quam fuerit separata; & si forte quis decesserit ante depositionem, hæres ipsius hæreditario nomine decimæ obstrictus est*.

℣. 32. QUÆ SUB PASTORIS VIRGA TRANSEUNT, QUIDQUID DECIMUM VENERIT, SANCTIFICABITUR DOMINO. Per angustam januam e caula emittebantur, uti fertur, singulæ oves; stabatque ante ostium Pastor tenens virgam, cujus extremitas colore aliquo imbuta notabat eam, quæ decima egrediebatur. Hæc ovis, quæcumque tandem obtigisset, saginata, vel macie confecta, vitiata, vel secus, erat Domini. Idem pariter servabatur cum capellis, bubus, & vaccis; tria enim hæc tantum animalium genera decimæ obnoxia erant. Si vero decimum hoc, quodcumque esset, aptum erat Sacrificio, offerebatur; sin minus, mactatum comedebatur. Ex illo etiam cum offerretur in Sacrificium, nihil concessum videtur Sacerdoti; tota enim caro cedebat domino animalis, qui decimas Domino solvebat. Victima erat ejusdem cum victima Paschali ritus, de qua in mercedem operis ipsius nihil ex Lege dabatur Sacerdoti (20).

Cum vero decima hæc dari Domino scribitur, dictum illud perinde accipiendum est, ac valeat, jubere Dominum illam sibi in Sacrificium eucharisticum offerri. Solemne autem erat Sacrificiis illis, ut qui sufficiebat victimam, ipse haberet sibi carnem post oblata in Altari, & Sacerdotibus sanguinem, adipes, & alia minora. Instruebantur ex his convivia amicis, necessariis, familiæ, & dapes etiam egenis, ac Levitis.

(1) Plin. l. 12. c. 14. (2) Xenoph. Cyropæd. l. 4. l. 5. & l. 7. (3) Solin. c. 27. (4) Mela l. 2. cap. 5. (5) Herodot. l. 1. (6) Ἀπὸ τοι ἀκροθίνια δεκατηφόροι αἰεὶ ἀπαρχαὶ πέμπονται. Callimac. hymn. in Delum. (7) Apud Laert. l. 1. (8) Thucyd. l. 6. (9) Aristot. Oeconom. l. 2. (10) Herod. l. 2. cap. 135. (11) Δεκάτην ἀποστέλλοντες τῷ Θεῷ πάντων εἰς πρόσοδον πιπτόντων. Diod. l. 20. (12) Justin. l. XVIII. c. 7. (13) Q. Curt. l. 4. c. 2. (14) Excerpta Polyb. leg. CXIV. (15) Dionys. Halic. col. 1. Δεκάτην ἐκπέμψαντες φοίβῳ. (16) Cass. apud Victor. de origin. gent. Rom. (17) Macrob. Satur. l. 3. (18) Plutarc. quæst. Rom. & in Lucullo. Idem in Camill. (19) Digest. l. 1. tit. 12. de pollicit. §. 2. leg. 2. (20) Vide Rabbin. apud Outram. de sacrific. lib. 1. cap. 11.

FINIS LEVITICI.

IN NUMEROS
PROLEGOMENON.

HEbræum hujus Libri nomen ex primis verbis in Textu forte occurrentibus repetitum est וידבר *Vajedabber*. Alii inter Judæos ex quinto ejusdem Textus verbo appellant במדבר *Bemiddebar*, facile quod historiam rerum gestarum in itinere per desertum spatio XXXIX. annorum contineat. Apud Græcos Ἀριθμοὶ & Latinos inscribitur *Numeri*; quod scilicet priora Libri capita censum populi & Levitarum referant.

Perfecto jam & consecrato Tabernaculo, Moyses jussus a Deo censum populi habuit (1); singulæ Tribus sigillatim censitæ sunt; omnium postrema & seorsum Tribus Levi. Cum autem propediem iter in Chanaanitidem maturandum esset, Moyses regulas in castrametationibus, & in itinere inter singulas Tribus servandas, sicut etiam cujusque familiæ Leviticæ munera, direxit. Succedunt in quinto, sexto, octavo & nono capite peculiares leges quamplurimæ, uti de iis, quos contracta aliqua legalis macula extra castra amandabat; de aquis Zelotypiæ, de Nazaræis. Descripta simul leguntur munera a singulis Tribuum Principibus Tabernaculo post ejus erectionem oblata; sicut etiam nonnulla repetuntur de partibus Tabernaculi, Sacerdotum consecratione, & Festo Paschatis. Quod tandem signum movenda atque figenda castra ediceret, in iisdem capitibus præscribitur. Castra igitur e Sinai mota sunt (2) die vigesima secundi mensis anni secundi post egressum ex Ægypto. Ea occasione Jethro, qui paulo ante supervenerat in castra, minime exorari se a Moyse passus, patriam repetiit, filio tamen Hobab cum socero relicto. Tridui itinere in Pharan exercitus venerat, cum & viæ tædio (3) & mannæ fastidio, fessæ in murmur abire turbæ cœperunt. Brevi tamen excitato divinitus incendio, quo pars castrorum absumpta, repressa seditio est. Tum Deus coturnices cupientibus carnes suppeditavit; vixque optatis escis pastos immissa subito plaga quam plures exterminavit. Hinc nomen loco inditum: *Sepulchra concupiscentiæ*. Hac occasione Deus L. Seniores ex universo populo, Spiritus sui illapsu præditos, adjutores Moysi in regimine Israelitarum dedit.

Redierat paulo ante ad virum Sephora Moysis uxor (4): quam non rectis oculis aspicientes Aaron & Maria, nescio quid adversus Moysem obloquuti sunt. Deus rem tulit indigne; quare immissa in Mariam lepra septem dierum spatio e castris exulare coegit.

Motis tandem castris e Sepulchris concupiscentiæ, populus venit in Cadesbarne; unde missi a Moyse in Chanaanitidem exploratores (5). Illi ad castra regressi expeditionis discrimen & difficultatem adeo exaggerarunt, ut territus populus in seditionem abiret. Hunc motum compescere, æquiora narrantes, frustra Josue & Caleb, ambo e numero explorarorum, conati sunt. Quare Deus, sumpto iterum flagello, seditiosos dispersurus omnes videbatur, nisi Moyses precibus suis intercessisset. Audita hac Dei indignatione populus, seditione pacata, Dominum rogare; petere insuper ut in hostes duceretur. Sero tamen preces, lata enim jam a Deo sententia omnes oppetenda in deserto morte spatio XL. annorum, quo errabundi per solitudinem deducendi erant, damnati sunt. Audaciores quidem aliqui per angustias aditum tentarunt in Chanaanitidem; sed ab incolis, loca superiora occupantibus, pulsi iter vertere coacti sunt. Spe igitur frustratus populus diuturnam in Cadesbarne moram traxit, ubi sumptum credimus lapidationis supplicium de viro violatæ religionis Sabbati, lignis colligendis, reo (6).

Erratum est diutius a populo in montibus Seir: variarumque in eo itinere mansionum nomina a Moyse accurate recensentur (7). Namque e Cadesbarne ventum est in Hazerot; succedunt deinde ordine Rethma, Remnon-Phares, Lebna, Ressa, Ceelatha, mons Sepher, Adar vel Arad, Macelot, Tahat, Thare, Metca, Hesmona, Moseroth, Bene-jacan, Gadgad, Jetebata, Hebrona, Elat, Asiongaber; Cadesbarne iterum, Mosera, Salmona, Phunon, Oboth, Jeabarim, Torrens Zared, Mathana, Nahaliel, Bamoth Arnon, in finibus Moab, & ditionis Sehon. Dum castra haberentur ad Jetebata, uti facile credimus, Core, Dathan, & Abiron collatas Moysi & Aaroni supremas Reipublicæ dignitates gravius ferentes, populi seditionem concitarunt; quam statim sumpta de authoribus gravissima pœna excepit. Hiscens enim subito terra Core ejusque socios absorbuit; tum & delapso Cœlitus igne XIV. M. ac DCC. viri absorpti sunt. Neque hic prodigiorum finis; sed Deus, quo Aaronis Sacerdotium ratum etiam atque etiam maneret (8), jussit virgam ejus in Tabernaculo una cum cæteris Principum singularum Tribuum deponi, quam deinde mane alterius diei solam virentem & floribus ornatam exhibuit. Per illud XXXIX. annorum spatium, quo Israelitæ per desertum errarunt, traditis antea legibus, nonnullæ ad Religionem, Sacerdotes, & Politiam spectantes adjectæ sunt, de quibus in cap. XVIII. & XIX.

In

[1] Num. cap. I. II. III. IV. [2] Cap. X. XI. [3] Cap. XI. [4] Cap. XII.
[5] Cap. XIII. XIV. [6] Cap. XV. [7] Num. XXXIII. [8] Cap. XVII.

In ſecunda caſtrametatione ad Cades, Maria ſoror Moyſis deceſſit (1). Ibi etiam penuria aquarum laborans populus murmur in Ducem excitavit; quare Deus juſſit Moyſem ſilicem percutere, e qua ſtatim aquæ erumperent. Ille indignatione in populum tam inſigniter infidelem commotus, de fide prodigii aliquanto ſubdubitare, ſilicem percutiens, viſus eſt. Culpam pœna ſequuta eſt; nam & extra Terram Promiſſionis obeundum ipſi, & extra illam ſepulcrum ferendum eo uno de crimine fuit. Mox Aaron in caſtrametatione ad Muzera, in monte Hor in finibus Idumææ diem clauſit.

Sub hæc, Moyſes Regem Idumææ per nuncios rogavit, ut liberum per regionem ſuam tranſitum in Chanaanitidem Hebræis faceret. Eo recuſante, circumduci exercitum, ut ab altero latere aditus tentaretur, oportuit. Euntibus Arad Rex Chananæus hoſtis occurrit, commiſſoque prælio, inclinare primum Iſraelitæ, deinde reſumptis viribus plenam de hoſtibus victoriam retulerunt; redactaque in poteſtatem regio, anathemati ſubjecta eſt (2).

Hujus victoriæ lætitiam luctus excepit; nam pro inſita gentis indole ad murmur reverſi Iſraelitæ, immiſſis ſubito in caſtra ſerpentibus immedicabili morſu afflicti ſunt. Salutare fuit, æneum anguis ſimulacrum, quod, in haſta juſſu Moyſi erectum, ſanitatem reſpicientibus reſtituebat. Hæc in caſtris ad Salmona contigiſſe creduntur.

Cum ad torrentem Arnon perveniſſent, rurſus tentando in Chanaanitidem tranſitu per regionem Amorrhæorum, nuntii ad Sehon regem ejuſdem gentis miſſi ſunt. Ille non recuſavit tantum, ſed exercitum in Hebræos duxit. Victoria Iſraelitis ſtetit, atque victoriæ pretium Regnum fuit. Commiſſum eſt etiam alterum prælium cum Og Rege Baſan, eodem ſucceſſu. Interim Rex Moab, ne quid ſimile ſibi contingeret metuens, (quod & ipſe tranſitum Iſraelitis negaverat) Balaam celebratiſſimum Præſtigiatorem e Meſopotamia accivit (3). Sed ille veniens pro maledictis fauſta omnia in populum apprecari coactus eſt.

Magus hæc ſibi invito accidiſſe, ſimulque & itineris labore, & expectatione præmiorum, quæ ſibi a Rege Moab ſperare poterat, fruſtratum ſe dolens, pernicioſum in Iſraelitas, quin & Regem ipſum, atque in ſe tandem malum authorem, conſilium eidem Regi ſuggeſſit. Perſuaſit enim, ut miſſis ex Madian & Moab in caſtra hoſtium puellis, ad idololatriam illos & ſcortationem pelliceret. Res pro voto ſucceſſiſſet, niſi gliſcens jam inter Hebræos malum, Levitarum zelus in cædem ſcortantium irruens repreſſiſſet. Ea occaſione ad xxiv. m. virorum trucidata ſunt (4). Juſſit deinde Deus bellum inferri Madianitis, quod tamen uſque poſt peractum non diu poſt populi cenſum (5), dilatum eſt. Conſtitutæ etiam a Moyſe leges (6) pro dirigenda hæreditate puellarum, quæ patre ſine maribus decedente, in bona paterna ſucceſſiſſent; quemadmodum & puellis Salphaad tunc accidiſſe conſtabat. Conſtituta pariter quædam pro Feſtis, Sacris, Votis &c.

Tandem ad prælium cum Madianitis, quod poſtremum fuit omnium ſub Moyſe geſtorum, proceſſum eſt (7). Ex hoſtibus nemo, qui in poteſtatem Hebræorum veniret, ſervatus eſt, exceptis puellis innuptis; eodemque cum cæteris fato Balaam ſublatus. Tota regio inter Tribus Ruben, Gad, & dimidiam Manaſſe diſtributa; ea tamen conditione, ut fratribus ſuis in expeditione Chanaanitidis ſuppetias laturi venirent (8).

Cum Moyſes denegari ſibi a Deo Jordanis tranſitum certo noviſſet, diviſioni Chanaanitidis, latis edictis (9) antea providit; addito ſimul mandato, tum ut nemini Chananæorum parceretur, cum ut ſors de ſingulis portionibus diſtribuendæ regionis decerneret. Juſſit inſuper ſeparari Urbes in Levitarum ſedem, ex quibus aliquæ jure aſyli pro iis, qui imprudentes hominem interemiſſent, ſacræ haberentur. Interdicta tandem connubia illa, quibus diſtributiones agrorum per ſingulas Tribus turbarentur. Hæc Libri Numerorum ſumma.

Hunc Librum digeſtum a Moyſe credunt ſub vitæ ſuæ exitum, ex Ephemeridibus a ſe antea pro data occaſione ſcriptis.

---

[1] Cap. xx. [2] Cap. xxi. [3] Cap. xxii. xxiii. xxiv. [4] Cap. xxv. [5] Cap. xxvi. [6] Cap. xxvii. xxviii. xxix. xxx. [7] Cap. xxxi. [8] Cap. xxxii. [9] Cap. xxxiii. ℣. 51. xxxiv. xxxv. xxxvi.

DISSERTATIO

De Politia sive Ratione juris dicundi apud Hebræos & potissimum de Sanhedrio.

REipublicæ Hebræorum constitutæ crepundia ex lata a Deo in Monte Sinai Lege, susceptoque a Moyse populi regimine, ac tandem invecta ad normam Divinarum Legum politia repetenda sunt. Frustra enim in populo, dum in Ægypto versabatur, certam politiam, certosque Judices Israelitas pleno jure potientes, exquiramus: quos enim operibus fratrum præpositos (1), sive quos Seniores appellatos (2) in Scriptura novimus, iis sponte quidem populum paruisse, nullam tamen eos cogendi habuisse authoritatem, planum est. Moyses omnium primus plenum in populum suum jus supremamque authoritatem obtinuit. Solus omnia Reipublicæ onera sustinuit; donec monente Jethro socero suo, in partem laboris selectos ex fratribus accivit. Consultissimus enim ille Senex animadvertens; unicum virum juris dicundi inter populum majus ferre pondus quam quod sustineri posset, selectos sibi viros ut adsciceret, Moysi author fuit (3). Ejus igitur consilia sequutus Moyses (4), *Electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios & Decanos, qui judicabant plebem omni tempore. Quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo judicantes.*

Hæc politia parum mansit; ab adventu scilicet Jethro in castra Israelitarum, paulo ante quam Israelitæ e Cadesbarne moverent, usque ad castramerationem ad Sepulcra concupiscentiæ, quo tridui itinere e monte Sinai populus venit. Ibi enim Deus Senatum septuaginta virorum selegit, quos Divini Spiritus illapsu instructos Moysi assignavit adjutores. Ibi Sanhedrii Defensores prima constituti illius celebratissimi Senatus, de quo nos infra fusius, fundamenta collocant. En igitur Senatus e LXX. Senioribus constitutus, cui Moyses præerat; omnesque simul pro eo, quem a Deo habuerant, prophetiæ spiritu jura populo dabant. Mansit tamen simul constituta authore Jethro antea politia; quibus Judicibus collatam credimus authoritatem dirigendi res civiles, ad politiam & militiam pertinentes; quemadmodum & judicia ordinaria ad Senatum Septuaginta deferebantur; exceptis causis gravioribus, de quibus Moyses ipse cognoscebat. Malunt tamen Rabbini, nec injuria fortasse, hosce septuaginta Seniores ex ipso Judicum sub Jethro constitutorum numero fuisse.

Ita constitutæ res toto itineris per desertum spatio, scilicet XXXIX. annis circiter, obtinuerunt. Nec sane aptior alia politia invehi potuisset, imo vix aliter deducendus videbatur populus, qui in unum veluti cœtum coalescens, ambulantis Civitatis speciem referebat. Cœtus faciles erant & communes, litium pars maxima, quod agrorum & latifundiorum divisio nulla esset, succisa, quare parvus Judicum numerus totam Rempublicam facile administrabat.

Verum caute reputans Legislator futurum, ut in Terra Promissionis ea politiæ ratio haberetur incommoda, jussit constitui in singulis Urbibus Judices & Magistratus (5) pro causis civium cognoscendis, ita tamen, ut si quid gravius emersisset, illud ad locum a Domino selectum deferretur, a Sacerdote de familia Aaronis, penes quem tunc temporis suprema esset authoritas, judicandum: hujus autem judicio non acquievisse, capitale decrevit (6). Alibi etiam jubet, si homicidium aliquod, cujus author lateat, commissum deprehendatur, acciri statim Sacerdotes, ad quos attinet (*Deut.* XXI. 5.) *omne negotium, & quidquid mundum vel immundum est* (Hebræus *omnis causa, & omnis plaga*): ab illis vero, adhibitis etiam Senioribus vicinioris Urbis, crimen expiandum, tum & iram Dei a populo avertendam. Eadem Sacerdotum judicialis authoritas asseritur etiam *Deut.* XIX. 16. *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu Sacerdotum & Judicum qui fuerint in diebus illis; cumque diligentissime perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum, mendacium reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit.* Paraphrastes Onkelos, cujus interpretationes maximi sunt inter Rabbinos ponderis, verba illa Deuteronomii XXIII. 9. 10. *Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos;* explicat de Sacerdotibus, qui in causis judicandis rectam judicii lancem tenent, ut solam respiciant veritatem, & æquitatem, nihilque in carnem & sanguinem inclinent: quæ sane interpretatio ex subsequenti versiculo confirmatur, cum de filiis Levi sermo est, *qui servaverunt*, ait Moyses, *judicia tua, o Jacob, & legem tuam, o Israel*. In eamdem sententiam loquitur Ezechiel XLIV. 24. *Cum fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & judicabunt. Leges meas & præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient.* Samaritani in sua ad Scaligerum Epistola testantur, summam apud se authoritatem esse penes Summum Sacerdotem, ad cujus judicium undique ex Urbibus conveniunt. Ita porro ille populum judicat, ut vel in ipsas cogitationes ferat sententiam: omnia ad ejus nutum terminantur: felicem profecto qui Sacerdotis illius dicto audiens est; infelicem, qui jubentem contemnit. Is igitur rerum Judaicarum status fuit, cum pax & Religio in tranquillo manserunt.

Nec sane aliter Legislatoris mentem Josephus interpretatus est, tradens constitutos ab illo in singulis Urbibus septem Judices, qui adhibitis duobus Levitis jus civibus dicerent. Majoris tamen indaginis causæ, ait, ad Urbem a Domino selectam, Summo Sacerdoti, Prophetæ, & Senatui cognoscendæ deferebantur (7). Ipsi pariter Regi inconsultis Summo Sacerdote & Senatu, nihil agere fas erat. Atque in Opere contra Appionem, de politia Hebræorum agens (8), nullam constitui unquam posse ait Politiam neque æquio-

(1) Exod. III. 16. (2) Exod. V. 6. (3) Num. XI. 16. (4) Exod. XVIII. 25. 26.

(5) Deut. XVI. 18. *Judices & Magistros constitues in omnibus portis tuis.* (6) Deut. XVII. 8. 9. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris ... & judicum intra portas tuas videris verba variari; surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus; veniensque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit eo tempore, quæresque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem. . . . Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.* (7) Antiq. l. X. c. ult. (8) Cont. Appion. l. 2. c. 6. Καὶ τὸ ἐπίτασσειν αὐτοῖς τοῖς ἱερεῦσι τῶν ἀμφισβητουμένων καὶ κολάσαι τοὺς κατεγνωσμένους οἱ ἱερεῖς ἐπετάχθησαν.

æquiorem neque fanctiorem, quam quæ Deum authorem habet supremum rerum arbitrum. Deus autem iste magnus omnibus simul Sacerdotibus rerum sacrarum majoris momenti administrationem reliquit; authoritatem in reliquas res omnes penes Summum Sacerdotem esse decrevit. Horum igitur curæ datur, addit Josephus, ut Legis sanctiones & disciplinæ ratio salvæ perseverent & integræ: de controversiis ita judicant, ut & animadvertendi in sontes jus habeant. Quid igitur sanctius, quam Hebræorum politia? Itaque ex Josephi sententia (1) Judæorum Respublica neque ad Monarchiam, neque ad Democratiam referebatur, sed genus quoddam politiæ constituebat, quod Deum habens supremum arbitrum, Theocratia jure recteque appellaretur. Nec sane Sacerdotes aliique primores Judices aliter de caussis cognoscebant, quam delegata sibi a Deo authoritate; ejusque veluti Tribunali assidentes, coram Arca & in loco a Deo selecto judicia ferebant. In caussis discutiendis Legum oracula consulebantur; nec raro Judices Divinitus inspirati sententias, tanquam e tripode, proferebant: quin & in caussis gravioribus Summus Sacerdos non prius judicabat, quam Urim & Tummim ferens, a Deo edoceretur. Porro, ait Josephus (2), Summo Sacerdoti potissimum incumbebat Leges fartas tectas servare, dijudicare de controversiis, atque reos sententia damnatos punire; quicumque Sacerdoti parere recusasset, in eum tanquam læsæ majestatis Divinæ reum, ultimo supplicio animadvertebatur.

Ad hanc politiæ normam Hebræorum Rempublicam nunquam non reformandam curarunt viri illi religiosi, qui hanc provinciam identidem susceperunt. Quare si non adeo constans ejus successio in Historia populi appareat, in causa fuisse credendum est, quod nec Judices neque Principes, recti semper tenaces, apud illos regnarunt, quodque segnior quandoque populus Religionis suæ exercitium negligeret, ac tandem bellis non raro regio turbaretur. Qui enim e. g. fieret, ut Leges & judicia ordine a Legislatore præscripto servarentur inter persecutiones & captivitates, quæ Judicibus regnantibus malorum successione quadam populum opprimebant? Satisne religionis ad Leges servandas in populo fuisse crederetur, dum eousque irreligionis processerat, ut in scelera omnia & idololatriam prolaberetur? Frustra quis in ea rerum turbatione Legum tranquillum contlanteinque statum requirat; satisque erit ad propositum, si pro vario populi in religionem studio, accuratior modo, remissior aliquando ejus politiæ ratio obtinuisse videatur.

Post obitum Moysis, Josue rerum potitus constitutam a Decessore Reipublicæ formam in Chanaanitide statim invehere non potuit. Prius enim sub jugum mittenda regio fuerat, deinde in Tribus dividenda. Nec post eam inductam divisionem, pacatamque provinciam diutius Josue supervixit. Sub eo Duce, cui ad sapientiam ac religionis studium nihil fuit reliqui, leges & politia Hebræorum floruerunt. Antequam is rerum status constitui potuisset, ipse Josue cum Summo Sacerdote, & Senioribus Israelis Rempublicam administrabant. Hinc populus universus, quemadmodum olim in verba Moysis, ita post ejus obitum in verba Josue juravit (3), eiusque imperium detrectare capitale futurum edixit. Seniores populi una cum Josue fœdus cum Gabaonitis strinxerunt (4). Ipse Josue una cum Eleazaro Summo Sacerdote divisioni Chanaanitidis per selectos singularum Tribuum viros factæ præerat (5); ac tandem ætate jam affecta Josue *omnem Israelem, majoresque natu, & Principes, ac Duces & Magistros* in concionem vocavit (6); idest Judices & Magistratus ex Moysis præscripto in regione constitutos accersens, fœdus inter Dominum & Israelem innovavit.

Ordinatæ a Josue Reipublicæ politia tamdiu mansit, donec Israelitæ omni jugo Principatus excusso in funestam illam anarchiam devenerunt, quæ & altam Divinarum Legum oblivionem induxit, & variis captivitatibus, sub variis identidem populis, miserrimam gentem oppressit. Lætis tristia vicissim successerunt pro modo criminum, & resipiscentiæ, quibus Deus sive ad veniam, sive ad ultionem excitabatur. In tanta rerum vicissitudine vix fieri poterat, ut exacta quædam politiæ ratio apud Hebræos spectaretur. Injuriæ in uxorem Levitæ irrogatæ historia, quemadmodum & belli per eamdem occasionem cum Tribu Benjamin gesti, ideam ingerit populi, qui nullo quam voluntatis singuli suæ arbitrio regerentur. Ejusdem etiam rei argumentum est historia Michæ, & Danitarum transmigratio; cujus occasione monet Scriptura, ea ætate singulos suæ voluntatis arbitrium sequutos, ac neminem in Israele Regem constitutum fuisse.

Judices a Deo pro data occasione identidem excitati, non populum moderabantur, ut despoticam sive in judiciis, sive in populum universum authoritatem obtinerent. In ea tantum regionis parte, quam jugo servitutis levaverant, principatum gerebant; cum interim cæteri sive aliis servirent, sive suo regerentur arbitrio. Fateamur etiam oportet, totam regiminis eorum rationem latere nos; nihilque haberi exploratum eorum, quæ ad Judicum authoritatem, & judicandi Israelis politiam pertinerent. Major politicæ gubernationis, & constantior ratio sub Samuele animadvertitur. Judicavit ille populum universum xx. annis; quotannis totam percurrebat provinciam, atque tribunali in Bethel, Galgalis, & Masphat erecto, de caussis cognoscebat (7). Porro in judiciis præscriptus a Moyse ordo tunc servabatur. Seniores, & Judices populi in caussis majoris momenti Samuelem convenisse leguntur (8); Propheta nomine Domini sententias pronunciabat. Cum affectæ jam ætatis esset, filios suos judices constituit in Bersabee; sed recti minus tenaces juvenes adeo Seniorum Israelis animum offenderunt, ut de constituendo Rege cogitare cœptum sit (9). Rei gestæ historia explorata est.

Tunc constituta a Moyse politia omnis eversa est. Norat tamen providus ille Legislator, Hebræorum animos tandem in Regem inclinandos, nonnullasque etiam leges Regi scripserat. Verum sive ille leges ad politiam constituendam frustra crederet futuras, cum Reges pro arbitrio omnia disponant, sive Deus præcepta ea de re sua daturum sibi reservarit, quod sane in electione Saulis ore Samnelis præstitit; sive tandem Moyses politiam a se constitutam cum authoritate & despotico Regum imperio constare posse crederet, nihil sane in eam rem peculiare sancivit. Saul vero ad Regnum evectus nihil nisi res bellicas curasse videtur, cætera Judicibus & Sacerdotibus, quemadmodum & ante Regem constitutum fieri solebat, reservata sunt. Samuel quo tempore in vivis mansit, tum a populo universo, cum a Rege ipso semper observatus est, summoque in honore habitus, tanquam Propheta Domini, & consiliorum ipsius interpres; quæ viro authoritas usque ad inunctum Davidem mansit.

David vix rerum potitus, pacatoque belli Regno, nihil antiquius habuit, quam ut per seipsum de caussis populi cognosceret. Ipsa narrante Scri-

(1) Idem eodem lib. Θεοκρατίαν ἀπέδειξε τὸ πολίτευμα, Θεῷ μᾶλλον μόνῳ τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος ἀναθείς.
(2) Ibid. Φυλάξει τοὺς νόμους, δικάσει περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων, κολάσει τοὺς ἐλεγχθέντας. (3) Josu. I. 16. 17. (4) Josu. IX. 15. (5) Josu. XIV. 1. 2. (6) Josu. XXIII. 2. & XXIV. 1. (7) 1. Reg. VII. 15. 16. (8) 1. Reg. VIII. 1. 4. (9) 1. Reg. VIII. 2. 3. 4.

ptura (1) scimus, Absalomum ejus filium, Regnum affectantem (2) præ aulæ januis quotidie consedisse, ubi singulos ad Regis tribunal venientes alloquens, de eorum negociis sciscitabatur, tum æqua eos postulare dicebat; *sed*, addebat, (3) *non est, qui te audiat constitutus a Rege. Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, & juste judicem?* Joab, adhibita fœmina Thecuitide, veniam pro Absalomo, occisi fratris reo, a Davide postulavit; mulier autem illa aliquid se a Rege pro filio suo, quem subita oborta altercatione fratrem occidisse dicebat, impetraturam se venisse simulans, coram illo stetit.

Salomon patris exemplum secutus, pro foribus aulæ jus dicebat. Extat in Libris Sacris constructi ab ipso throni descriptio (4); tum narratur sagacitas in judicio ferendo in nota illa duarum fœminarum altercatione, mutuo sese de occiso alterutrius filio accusantium (5). Legimus etiam Regem ipsum Gabaonem se contulisse (6) comitantibus Principibus, Centurionibus, aliisque Ducibus populi, adeoque & omnibus, qui juxta Moysis leges in singulis Urbibus constituti fuerant. Erant apud Salomonem a consiliis Seniores & sapientissimi quamplures viri, qui post ejus obitum prudens Roboamo consilium suggesserunt, quod præpostere ab ipso neglectum (7) est.

Diviso Tribuum Principatu, decem ex Tribubus Jeroboami partes secutis, sicuti res omnes, ita & politiam Israelis vehementer turbari contigit. Impius ille Rex tunc demum rebus suis consulturum se ratus, si omnem Religionem subverteret, nihil etiam integrum reservavit eorum, quæ Moyses constituerat. Quare traditionem & constantem veræ disciplinæ & politiæ successionem nonnisi in Regno Juda deinceps scrutari oportet.

Cum Josaphat ditionem suam reformare statuisset, non aliam sibi proposuit normam, quam politiam a Moyse præscriptam (8): *Constituit Judices terræ in cunctis Civitatibus Juda . . . & præcipiens Judicibus: Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite; non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. In Jerusalem quoque constituit Levitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum* (duo scilicet tribunalia, alterum ex Sacerdotibus, alterum ex Laicis) *ut judicium & causas Domini judicarent* (nempe Sacerdotes) *ubicumque quæstio est de Lege, de Mandato, de cæremoniis, de justificationibus. Amasias autem*, ait, *Sacerdos, & Pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit*. Alterius Tribunalis Princeps erat Zabadias *Dux in domo Juda, super opera, quæ ad Regis officium pertinent*; idest, præerat Zabadias causis politicis, quæ ad Rempublicam, & cives pertinerent.

Eadem, quæ sub Josaphat constituta legimus tribunalia, Jeremias, sub Joakimo Rege Juda scribens, designat (9). Cum enim Prophetam illum Sacerdotes, & Pseudo-Prophetæ judinio damnassent, quod scilicet sinistra aliqua in Templum prænunciasset oracula, populus universus in Templum ad eam rem convenit. Tunc Principes Juda, certiores de omnibus facti, ex aula Regis, ubi Senatum habere consueverant, in Templum se conferentes, a Sacerdotibus, Scribis, & populis cognitam causam ad se avocarunt. Sacerdotes & Prophetæ reum mortis Jeremiam postulabant; sed Principes eorum sententias abrogarunt: tum Seniores populi iniquitatem prioris judicii in Prophetam lati pro concione exposuerunt, aliorum Prophetarum exempla proferentes in medium, qui in Urbem, & Templum impune oracula pronunciarunt. Ex his omnibus de authoritate Senatorum & Principum aulæ argumentum capimus; tum & fabellam arguimus eorum, qui de authoritate Sanhedrii mira venditarunt.

Ea porro valebant authoritate Principes Juda, ut vel a Regibus timerentur, ea potissimum ætate, cum politiæ rebus prostratis, eorum Principum potentiæ neque resistere Reges vellent, nec possent. Cum Jeremias expugnandæ a Chaldæis urbis Jerusalem oraculum pronunciasset (10), Principes tradi sibi Prophetam nova spargentem in vulgus, a Rege postularunt; eumque veluti Reipublicæ hostem puniendum dicebant: quibus Sedecias: *Ecce in manibus vestris est*, inquit, *nec enim fas est Regem vobis quicquam negare*.

Curtim etiam spectanda est hac occasione Summi Sacerdotis authoritas, Semeias, datis Babylone ad Sacerdotem Sephoniam literis, ita scribit: *Dominus dedit te Sacerdotem pro Joiada Sacerdote, ut sis Dux in Domo Domini, super omnem virum arreptitium, & prophetantem, ut mittas eum in nervum, & in carcerem. Et nunc quare non increpasti Jeremiam, qui prophetat vobis?* (11). Et Phassur Princeps Domus Domini & Sacerdos, tristia in Urbem prophetanrem Jeremiam percutiens, in carcerem simul detrusit (12).

Facile credimus illos *septuaginta Viros Seniores* domus Israel (13), quos Ezechiel thura adolentes coram Idolo per visum spectavit, sicut & alios xxv. Viros, quos inter Templum & Altare holocaustorum terga vertentes Templo, & pronos orientem Solem adorare vidit; facile, inquam, credimus Viros illos spectatæ dignitatis ipsissimos esse Judices Templi & Aulæ, de quibus supra. Cum autem viri illi clarissimi essent, atque potentissimi in tota regione, ideo translati in captivitatem, una cum Joachimo in Scriptura memorantur (14): *Transtulit Joakim in Babylonem . . . & Judices terræ duxit in captivitatem &c.*

Historia (15) judicii in Susannam lati argumento est apertissimo, in causis cognoscendis apud Judæos leges aliquas observari in captivitate consuevisse, sicut & suos fuisse vernaculos gentis Judices. Sed quænam leges illæ? quis Judicum numerus, authoritas, & ordo? Esdras in Palæstinam redux (16) plenam ab Artaxerse obtinuit authoritatem Judices in regione constituendi, qui de causis cognoscentes, parere reos, vel ipso ultimi supplicii metu cogerent. Josephus de hac politia (17) post captivitatem agens, ait, Aristocraticam quamdam Oligarchia mixtam Rempublicam constitutam fuisse, in qua potissimæ essent Sacerdotum partes, stetisse autem ait usque ad Asmonæos, quo primum tempore ad Monarchiam Judæi regressi sunt. Hæc omnia quadrant cum historia Jaddi Summi Sacerdotis, qui Principia Judæorum anthoritate & nomine Alexandrum Magnum Jerosolymam venientem excepit (18); quemadmodum & eum literis Arii Regis Spartarum, ad Oniam Summum Sacerdotem, & Ducem gentis Judæorum dati (19). Extant etiam ejusdem ætatis rescripta Regnm Ægypti, & Syriæ pro Judæis utrique Regi succedente tempore servientibus, quibus juxta suas Leges vivere permissum esset; ea tamen conditione, ut tributa Regibus debita solverent. Verum in Republica, cujus prostratæ penitus erant res, certam recteque dispositam politiam cur exigamus nihil est.

Quæcumque tamen tunc temporis esset Reipu-

blicæ

(1) Ibid. (2) 2. Reg. xiv. 7. (3) 2. Reg. xv. 3. (4) 3. Reg. x. 18. 19. (5) 3. Reg. iii. 16. &c. (6) 2. Par. 1. 2. (7) 3. Reg. xii. 6. &c. (8) 2. Par. xix. 5. (9) Jerem. xxvii. 9. 10. (10) Jere. xxxviii. 5. (11) Jerem. xxix. 26. (12) Jerem. xxx. 2. (13) Ezech. viii. 11. 16. 17. (14) 4. Reg. xxiv. 15. (15) Dan. xiii. 2. 24. (16) 1. Esdr. vii. 20. (17) Antiq. lib. 11. cap. 4. (18) Antiq. l. 11. c. 1. (19) 1. Macc. xii. 20. & Joseph. Antiq. lib. 12. cap. 5.

blicæ Judaicæ œconomia, hanc totam Antiochus Epiphanes, mota in illos persecutione, subvertit. Afflictis tamen rebus Mathathias ejusque filii, comparato fidelis populi exercitu, ita succurrerunt, ut certam simul Reipublicæ formam redderent. Judas Macchabæus in sulemni populi concione ad Maspham, Duces populi constituit, Tribunos, Centuriones, quemadmodum & Præfectos super quinquaginta, & super decem (1). Jonathas, qui fratri Judæ in imperio successit, utraque in se conciliata, Sacerdotali scilicet, & Regia dignitate, ita populum moderatus est, ut una cum Senatu, quin & adhibito etiam populo, de rebus deliberaret. Ita sane colligimus ex literis Judæorum nomine ad Romanos & Lacedæmones missis. Hebræorum tum temporis politia veram Rempublicam referebat, Aristocratia & Democratia mixtam. Ea occasione Sanhedrin omnium ore celebratissimum cœpit.

Aristobulus, filius Joannis Hircani, Regis nomine & insignibus assumptis, pristinum ferme ordinem in politia integrum manere voluit. Magna semper stetit Senatus authoritas, quamvis a suffragiis ferendis populus tandem excludebatur; sed & temporis successu Regum ea cura fuit, ut authoritatem suam etiam atque etiam promoventes, Senatum etiam atque etiam in arctum concluderent. Ita labentes quotidie pristinæ politiæ res, Pompejus tandem, redacta in ditionem & in Provinciam Romanorum Judæa, penitus dejecit. Superveniens aliquanto post Gabinius (2), quinque Tribunalia, singula in singulis florentissimis Provinciæ Urbibus constituit hoc ordine; Jerusalem, Gadaræ, Amath, Jericho, Sephoræ. Sua singulis hisce Tribunalibus attributa in Provincia ditio, e qua ad assignatam sibi Urbem incolæ concursum facerent.

Julius Cæsar restituto in Summum Sacerdotem Hircano, jus supremum cognoscendi de causis ad Judaicam Legem pertinentibus asseruit (3). Herodes, privatæ adhuc authoritatis vir, in jus coram Judicibus Jerosolymitanis accitus, acceptam ab illis injuriam post acquisitum Regnum ultus est. Omnes ille Judices, excepto Sammea viro inclyto, ultimo supplicio damnavit. Jus sanguinis ademptum Judæis XL. annis ante eversionem Templi vel ipsi Rabbini fatentur; quin & de causis pecuniariis CL. annis antea cognosci desitum esse traditur in Gemara (4). Defuncto Herode, Archelaus ejus filius a Regno & Patria extorris actus, per Romanos Viennam relegatus est; tum & jus gladii omne Judæis ademptum. Legitur etiam Albinus Judææ Procurator gravius habuisse Ananum Summum Sacerdotem, quod inscio Procuratore Senatum coegisset; idque ut sibi deinceps permitteretur, Judæi, missis clam legatis, Agrippæ authoritatem implorarunt.

In Libris N. T. Summus Sacerdos Senatui, vel Concilio nunquam non præest. Caiphas Concilii Princeps capitalem sententiam in Jesum pronunciat: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo* (5). Summus Sacerdos silentium indicit Apostolis, in jus coram se vel Concilio vocatis (6): datis ad Principes Synagogarum literis, persequendi Fideles Saulo jus asserit (7). Idem Saulus, e persecutore in vas electionis transformatus, coram Summo Sacerdote Anania deductus, Pontificis jussu colapho cæsus fuit (8). Ananum Pontificem in obsidione Jerosolymitana belli curas in se suscepisse ex Josepho *de bello l.* 2. intelligimus. Ex hisce historiæ monumentis politiæ Judaicæ status, & vices eo temporis tractu, quod inter constitutam a Moyse Rempublicam & eversionem usque Jerosolymitanam intercedit, satis colligitur.

Post eversum Templum, & Urbem, nulla certæ Reipublicæ forma apud Hebræos uspiam fuit. Quare Rabbini mansisse Sanhedrinum in Judæa usque ad sæculum post Christum quartum, nonnisi per summam impudentiam asseruerant. Si quod enim ejus vestigium toto illo tractu, qui inter Vespasianum & Adrianum intercessit, forte deprehendatur; nullus certe judicialis in Judæa cœtus Hebræis mansit, ex quo Adrianus ipse omnem populo aditum in eam regionem interdixit. Id sane probat Seldenus, Sanhedrii in primis fautor, adductisque Scriptorum exoticorum & Judæorum testimoniis ita rem demonstrat, ut extra controversiam ponat (9).

Huic de politia Judæorum ideæ ex S. Scriptura & Josepho conceptæ, vix ac ne vix quidem congruunt ea, quæ a Rabbinis venditantur; quibus proinde falsi non levis suspicio ea de causa creatur. Cum enim nullus Rabbinis alius fons illimis præter Scripturam supersit, unde traditiones suas derivent; si quid Scripturæ absonum asseruisse convincantur, statim præjudicio damnati sunt. Si varia Hebraicæ Raipublicæ tempora inter se conferantur, variasse etiam apud illos politiam; nec eam quæ a Moyse sancita est, constanti traditione ad Judices & Reges transisse statim intelligemus. Moyses Monarchicum se me imperium exercuit, cui Senatus LXX. Judicum, de quibus in Numeris legimus, accedebat. Sub Judicibus varius Reipublicæ status fuit: modo sine Principe unusquisque suo ducebatur arbitrio, modo Judicibus, modo hostibus coacti parebant. Veteres Reges Juda per semetipsos jus populo dicebant; cujus rei exempla in Davide, Salomone, Jonathan filio Azariæ (10) suppetunt. Labente Reipublicæ statu penes Principes populi summa ferme authoritas mansit. Post captivitatem usque ad Asmonæos, Summi Sacerdotes rerum potiebantur, Aristocraticum Democratico mixtum imperium exercentes. Tandem sub Asmonæis Regibus in Monarchiam Reipublicæ status recidit; donec Romanorum armis, & natio, & Respublica universa deleta est.

Hæc simul omnia contemplantes, consilium habuisse Moysem credimus, ut is Reipublicæ status constitueretur, in quo Sacerdotes una cum Principibus, sive Judicibus a Deo suscitatis, nec non inferioribus aliis Judicibus in singulis Urbibus præpositis res gubernarentur; ita tamen ut Sacerdotes, majori quippe scientia instructi, atque minus rebus gerendis occupati, de causis Legis & Religionis cognoscerent. *Non peribit Lex a Sacerdote*, dicebant apud Jeremiam Judæi (11). Voluit insuper, ut Judicum Summus Princeps, atque supremus Judex Summus Sacerdos agnosceretur; ad quam arduas omnes & majoris momenti causas deferri jussit. Principem occupatum esse voluit rebus belli & pacis tractandis, politia Legibusque asserendis; ac tandem ut idem exerto gladio Legum Divinarum violationem ulcisceretur, etiam atque etiam præcepit. Ita temperata Republica, *Regale Sacerdotium*, seu mixtum Sacerdote & Rege imperium invexit. Is autem politiæ status maxime congruebat populo, qui ex Ægypto recens egressus, Sacerdotes in altissimæ dignitatis culmine constitutos norat. Ipsi enim apud Ægyptios leges præscribere nedum cæteris, sed & Regibus consueverunt; ipsi Reges constituere, necnon semel constitutos proscribere. Sacerdotium hæreditario jure possidebatur, Regnum electione. Juri dicundo Sacerdotes præerant; quin e Sacerdotio ad Regnum non semel aditus patuit. Si vero aliunde quam e Sacerdotum numero Rex assumeretur, statim sacris erat initiandus. Parem Moyses disciplinam apud Hebræos invehere cogitabat, quam-

[1] 1. Macch. III. 55. [2] Vide Joseph. l. 14. Antiq. c. 8. 9. 10. & de bell. l. 1. c. 5. [3] Antiq. l. 14. c. 17. [4] Selden. de Synedr. l. 2. c. 15. art. 11. [5] Jo. XVIII. 13. 14. [6] Act. V. 6. 18. [7] Act. VI. 1. 2. [8] Act. IX. 1. 2. [9] De Syned. l. 2. c. 7. art. 6. & in addend. pag. 729. & lib. 2. cap. 16. [10] 4. Reg. XV. 15. [11] Jerem. XVIII. 18.

quam ejus consilio vix quidquam delatum fuisse sequiori ævo, ex iis quæ supra animadvertimus, satis intelligitur.

Si ea tantum quæ in S. Scriptura traduntur de hoc argumento, Scriptores prosequi voluissent, hic finem Dissertationi tandem imponeremus: cum vero plura addere Rabbinis in mentem venerit, iisque plus nimio fidem habuerint Interpretes plurimi nec infimi subsellii, eos ab errore revocandi negotium nobis capessendum duximus. Qua in re Lectores rogamus, ut non Viros inspiciant, sed adducta ab illis argumenta sedulo perpendant: neque enim in hoc argumenti genere viri authoritas quidquam, sed dictorum ratio momenti aliquid confert. Rabbinis igitur, quos recentiorum Scriptorum turba magistros sequitur, visum est, prima instituti Sanhedrii cunabula in electione LXX. Seniorum Israelis constituere. Porro cœtum istum semper apud Hebræos mansisse ferunt, non ad eversionem Urbis sub Vespasiano tantum, sed inde usque ad Adrianum, & diu etiam ultra. Huic autem Senatui despoticam tribuunt authoritatem, tum in gentem universam ac Tribus, cum in Regem, Pseudo-Prophetas, Summum Sacerdotem, ac tandem in arduis quibuscumque tam civilibus, quam Ecclesiasticis causis. Constabat LXXI. Judicibus, si una Moyses, totius Senatus Princeps, recenseretur. Quibusdam tamen Christianis Authoribus visum est LXXII. Judices, sex pro singulis Tribubus, adnumerare. Verum Doctores Hebræi tantum LXX. recensent; quibus addunt totius Sanhedrii Principem (1). Nomen *Sanhedrin* ex Græco *Synedrion*, nempe Senatus, seu viri simul assidentes, corrupto derivatur. Apud Macedones adlecti in Senatum Patres *Synedri* appellantur (2).

Præerat Sanhedrio *Nasi*, seu Princeps; cui secundus in dignitate ad dextram Principis assidens, succedebat Pater. Sequebantur cæteri Patres in hemicyclum ad lævam Principis assidentes, juxta Maimonidem, seu potius hinc inde ad utrumque Principis latus. Locus habendi Senatus consuetus erat Aula Templi, dicta *Aula lapidibus strata*; cum tamen die Sabbati, seu feriata cogendus esset; tunc locus destinatus erat Aula in antemurali sita, in ipso montis, ubi Templum constitutum erat, ingressu. Verum sive iis diebus, sive die Solemnitates vel Sabbatum præcedente, sicut etiam nocte, nullus judicialis actus fieri poterat. Quamquam si ante noctem aliquid incepissent, nocte subeunte absolvere fas erat. Stante adhuc priori Templo, nempe ante captivitatem Babylonicam, nulla dies erat a Sanhedrio feriata, si festa excipiantur, quemadmodum & Sabbata, ac dies Solemnitatibus præcedentes. Verum post Esdram habendo Senatui dies constitutæ sunt secunda, & quinta feria. Porro Patres primo mane sub tempus matutini Sacrificii cogebantur, nec nisi ad vesperam sub tempus Sacrificii vesperrini, scilicet sole occidente, ad propria remeabant. Judicia alia inferiora, ut Consilium Trium, & Viginti trium, sub meridiem solvebantur.

Patres in Sanhedrium adlecti ex Judicibus inferioribus, nempe ex cœtu XXIII. Judicum eligebantur (3). Initiabantur autem manuum impositione, qua potestas largiendi Spiritum Sanctum conferebatur; adduntque post Moysem nunquam commissum fuisse, ut Spiritus Sanctus charum sibi Sanhedrium desereret. Adlegebantur autem ii, quorum origo pura & sine crimine: frequenter e genere Sacerdotum sive Levitarum; nulla tamen lege præceptum erat, ut e Tribu Levi assumerentur. Israelitæ omnes eligi poterant, quin & ii, qui ex matre tantum genus traherent ab Israelitis; filii enim jure Hebraico maternam conditionem sequuntur.

Porro Judices illi in scientia Legis scriptæ & non scriptæ consultissimi esse debebant, nec leviter aspersi magia, divinatione, variisque sortilegiorum generibus, quo de omnibus hisce æqua judicare possent. Nec etiam alienum erat illis studium Medicinæ, Astrologiæ, Arithmeticæ, & Linguarum; ut traditione certum teneant Judæi, calluisse illos LXX. idiomata, nempe quotquot in Orbe nota sunt, cum Judæi LXX. tantummodo Linguarum genera distinguant. Si quis deformis esset corpore; si quis Eunuchus, quorum ut plurimum animus efferatus; si quis ætate esset grandævus; si quis aleator, fœnerator, seu fœnus accipiens, hos omnes in Sanhedrium adlegere nefas. Idem jus esto in eos, qui instruerent columbas tum ad literas deferendas, tum ad seducendos ad suas turres columbarias aliorum pullos; (mos iste est apud Orientales, & præsertim Ægyptios familiaris. Vide Bochartum de Animal. sacr. l. 1. c. 2. 4. & d'Arvieux t. 5. p. 496.) qui fructus septimi anni vendunt emuntve; tandem in Regem, cui in faciem resistere arduum esset. Sunt qui crediderint, sed temere prorsus, vel ipsum Summum Sacerdotem a Sanhedrio exclusum fuisse. Legimus apud Ecclesiasticum (4), opifices omnes, veluti fabros lignarios, ferrarios, atque figulos, *super sellam Judicii non sedere*. Quare Judicum dotes erant divitiæ, corporis & oris venustas, ac tandem ætas provectior.

Quantas in omnibus fabellas vendiderint Rabbini, frustra nos ob oculos Lectorum poneremus; e. g. ea quæ de studio Magiæ & Sortilegiorum jactitant; iisque cæteris Judices quibus instructos esse oportebat. Ejusdem saporis est scientia LXX. Linguarum, quas singulos Judices calluisse volunt; præterquamquod enim vix est, ut tantum Linguarum numerum unius viri memoria complectatur, Josepho etiam asserente novimus, id studii genus Judæos prorsus neglexisse (5); & in Libro quodam Hebræorum legimus anathematis formulam in eos, qui filios suos scientiis Græcorum instruunt (6). Novimus etiam quo tempore bellum Romanorum in Judæos sub Vespasiano ardebat, cavisse Judæos lato decreto, ne filii Hebræorum unquam Græcum sermonem docerentur. Relatione Evangelistarum notum est, Jesum Christum captum fuisse, accusatum, & damnatum per Sacerdotes Judæos, cum nox processisset, quin & die Festa, & Sabbatum præcedente; quod sane juri Hebræorum, si Rabbinis fidem habeamus, repugnat.

Constanti Judicum Sanhedrii successioni a Moyse usque ad Christum natum & ultra etiam demonstrandæ, viri quidam scientia & eruditione præstantes, argumentis ex Scriptura congestis sedulo laborarunt. Grotius in suis Commentariis nullam labi occasionem patitur, quam Sanhedrio ingerendo aptam reputaverit; cujus ipse Sanhedrii veritatem in primo Libro de Jure Belli, & Pacis pluribus firmare conatur (7). Seldenus tribus illis *de Synedriis* voluminibus, quorum postremum ne absolveret mors intercessit, nullum sibi alium potiorem finem præscribit. Sane post institutum Sanhedrium, uti illi quidem autumant anno ab egressu ex Ægypto secundo, ad Josue usque constans, & non interrupta successio facile demonstratur. Post obitum Josue censet Bonfrerius (8), cœtum illum virorum loco Principis, quorum nullus in populo constitutus erat, stetisse. Josue mortuo, Judices successere; dein Prophetarum, Principum Sanhedrii, successio ab Heli

Sum-

[1] Selden. de Synedr. l. 2. c. 4. art. 8. 9. 10. [2] Liv. l. 45. c. 42. *Pronunciatum quod ad statum Macedoniæ pertinebat, Senatores, quos Synedros vocant, legendos esse, quorum consilio Respublica administraretur.* [3] De Sanhedrio Vigintitrium diximus ad Deut. XXIII. 18. [4] Eccli. XXXVIII. 38. [5] Antiq l. 20. cap. ult. [6] Vide Selden. Synedr. l. 2. cap. 9. art. 2. [7] Lib. 1. de Jure Bell. & Pac. cap. 3. art. 20. [8] In Josue 1.

Summo Sacerdote per Samuelem, & Davidem deducta, ad captivitatem usque Babylonicam excurrit. Sunt qui Saulem Principem Sanhedrii, & Jonatham ejus filium, *Patrem* (quæ secunda dignitas est) constituant. Non desunt, qui huic successioni asserendæ, perpetuos Sanhedrii Principes, Reges Juda fuisse arbitrentur. Rabbini Sanhedrii Patres agnoscunt in cœtu *Cerethi & Pheleti*, qui sub Davide noti fuerunt; sicut & in illis cc. viris, qui partes Absalomi, consiliorum ipsius ignari, secuti sunt (1). In ipso Cantico Canticorum Salomonis Sanhedrium explorasse Paraphrastes Chaldæus sibi visus est (2). Sancte affirmant, post divisas decem Tribus a reliquis, adlectos in Sanhedrium Patres ex reliquis duabus Juda & Beniamin tantum: quod, inquiunt illi, usque post captivitatem Babylonicam servatum est. Grotius Sanhedrium agnoscit in Senatu Jerusalem, de quo in Judith (3), in Judicibus a Josaphat constitutis (4), in Principibus a Joram occisis (5), in Principibus Juda, qui damnatum Jeremiam absolverunt (6), in LXX. Senioribus, quos Ezechiel per visum spectavit (7). Ad eum cœtum pertinebant viri illi LXIX. numero, quos Nabuzardan captivos in Babyloniam duxit (8); ex quibus, si fides illis Scriptoribus, successio Judicum in captivitate mansit. Sed qui Judices illi damnatæ Susannæ (9) rei? Eos certe in numero Sanhedrinorum haberent, si historia esset apud illos canonicæ authoritatis. Contendunt Talmudistæ, Scribas illos, qui olim in Jabes Galaad (10) sedem habebant, Patres fuisse Sanhedrinos. Quid? eo usque confidentiæ deventum est, ut LXX. viri Bethsamitæ percussi a Deo in pœnam visæ sine integumentis Arcæ, ad Sanhedrium spectasse affirmentur (11)? Hæc sane omnia miseratione digna sunt; atque sententiam, cui, meliorum defectu, patrocinium ex levioribus hisce quæritur, deserendam suadent.

Rebus Judaicis in captivitate Babylonica plane prostratis, nihil tamen in successionem Sanhedrii gravius intentatum fuisse Hebræi asseruerunt. Baruc, inquiunt illi, ad cœtum illum ante captivitatem pertinens, in Babyloniam deductus successorem Esdram reliquit. Esdras in Chanaanitidem restitutus, impetrata a Rege Artaxerse facultate, & veterem politiam, & ordinem Judiciorum restituit (12). Sunt qui crediderint, Judicum numerum usque ad CXX. sub Esdra prorogatum fuisse; qua de re plures Hebræorum Doctores (13). Voces *Principes & Senatus*, quæ in Libris Macchabæorum leguntur (14), apertissime Sanhedrium exprimere Grotius autumavit. Porro cœtus iste usque ad Simonem Justum, qui Principem in eo locum tenuit, sub Alexandro Magno perseveravit. Vacuam obitu Simonis dignitatem Antigonus Socæus non obtinuit tantum, sed & novam Principum seriem instituit. Antigonum enim excepit Jose filius Joazar; hunc Josue filius Perachia, quem virum Rabbini impudentissime asserunt Christum habuisse Discipulum, seque illi socium in Ægypto adjunxisse, Scilicet vir CL. annis Jesu Christo antiquior, hæc præstare facile potuit. Dein Principatus ad Judam filium Tabai transivit; ex quo ad Samaiam; hinc ad Hillel; atque ordine demum ad Rabban Jochanan filium Zachai. Aliis tamen placet, Simonem filium Hillelis post patrem Sanhedrio præficere; cui Gamaliel filius successit. Porro Gamaliel, si Rabbinis fides, ipsissimus est, quem S. Paulus Præceptorem audivit. Gamaliele vita functo, locus factus est Simoni ejus filio, qui eodem cum Jerosolymis fato intercidit. Post Simonem sequitur alter Gamaliel filius Simonis, qui dignitatem Simoni filio Simonis II. reliquit; dein ordine Judas Sanctus filius Simonis, Gamaliel filius Judæ, Judas filius Gamalielis, Hillel secundus filius Judæ, Judas filius Hillel, dein alter Hillel filius Judæ (15), ac tandem Gamaliel filius Hillelis, de quo sermonem esse credunt in Codice Theodosiano *tit. B. lib. 16. l. 22.*

Per hos gradus Sanhedrium constanti successione a Moyse usque ad initum Christianæ æræ sæculum quintum deducunt. Quamquam inter Sanhedrii patronos non satis etiam hac in re convenit: sunt enim qui (16) exitum hujusce Senatus constituant in cæde Judicum, qua Herodes initi a se Regni gaudia funestavit (17); simulque variis fortunæ vicibus factum esse credunt, ut constans illa Sanhedrii successio aliquoties interrumperetur, Sed nihil vicissitudinibus Rabbini permittunt, integrum successionis filum usque ad tempus quod diximus, ita ducentes, ut in varia politiæ & Reipublicæ fortuna, idem semper mansisse Sanhedrium, loco solummodo & forma quandoque variatum, adstruant.

Moysis enim ætate, inquiunt illi, locus habendo Senatui ante fores Tabernaculi Testimonii destinatus erat, Post constitutas in Chanaanitide sedes, idem erat & Sanhedrii & Tabernaculi Domini locus; quare prius in Silo, dein ordine in Maspha, Galgalis, Nobe, Gabaone, in domo Obededom, ac tandem in Jerusalem Sanhedrini Patres coacti sunt. Porro in Jerusalem, ubi tandem constitit, sedes Concilio assignata est in *Aula lapidibus strata*: extra quem locum capitalem sententiam dicere (quod unice Supremo huic Tribunali, cæteris inferioribus denegatum, jus relinquebatur) nefas erat, inquiunt Talmudistæ. Hinc factum esse addunt, ut variata tandem Sanhedrii sede, nullam Patres capitalem sententiam amplius pronunciarint. Contigit ea transmigratio XL. annis circiter ante postremam Templi eversionem, scilicet anno Jesu Christi circiter XXX. Quod sane cum Evangelio quadrat; cum in passione Christi Judæi apertis verbis nullum sibi esse jus hominem ultimo supplicio damnandi, professi sint (18). Quamvis id etiam contendant Rabbini, (ea est eorum fides & sinceritas) nimirum in Aulam rediisse ea occasione Patres, ut Christum damnarent (19). Ex Aula igitur Templi migrarunt Patres Sanhedrini in Hanot, locum in monte, cui Templum insidet; dein intra Urbem Jerusalem, postea Jamniam, tum Jericho, atque ordine in Usam, Sepharvaim, Betsanim, Sephorim, ac tandem Tiberiadem translati sunt. Harum vicissitudinum caussam assignant Rabbini non vim aliquam seu authoritatem quæ Sanhedrium cogeret, omnia enim eo Tribunali inferiora erant, sed totam mali rationem criminibus atque plus nimio frequentibus Judæorum sceleribus imputandam dicunt; ac si Judices & Medicos ideo potissimum destituisse Urbem par esset, quod illa eorum ope maxime indigeret.

Sed Rabbinorum fastus atque inanis jactantia tunc maxime apparet intolerabilis, cum authoritatem Sanhedrii in immensum exaggerant. Huic enim, si Rabbinos audias, subjicitur non universa tantum Gens, sed & Reges, Summi Sacerdotes, & Prophetæ, subjiciuntur, inquam, eo servitutis genere, ut pro levibus quandoque culpis ipsi

[1] Ita Author Tradit. Hebr. in Paralip. Pett. Dam. Lyr. Grot. &c. [2] Vide Paraphr. Chald. Cant. VII. 2. [3] Judith. XV. 8. [4] 2. Par. XIX. 8. [5] 2. Par. XXI. 4. [6] Jerem. XXVI. 10. 16. [7] Ezech. VIII. 11. [8] 4. Reg. XXV. 18. [9] Dan. XIII. [10] 1. Par. II. 54. [11] 1. Reg. VI. 19. [12] 1. Esdr. VII. 9. [13] Selden. de Syned. l. X. cap. 16. art. 6. [14] 1. Macch. I. 17. & XII. 6. [15] Seldenus putat de hoc Hillele sermonem esse in Epist. 25. Juliani Imp. [16] Grot. ad 1. Par. XXI. 4. Postel. de orbis concord. l. 4. Galatin. de arcan. l. 4. cap. 6. [17] Joseph. Antiq. l. 14. cap. 18. [18] Jo. XVIII. 31. [19] Toliph. ad Gemar. Babyl. tit. Sanhed. c. 4.

ipsi Reges flagrorum supplicio damnarentur. Illud tamen commodi accedebat, quod flagrorum illud supplicium non ita, quemadmodum apud nos, servile apud Judæos haberetur, uti Sanhedrii patronis visum est. Si Rex contra Legem deliquisse quidquam convinceretur, statim coram Sanhedrio vestibus exutus flagrorum ictibus crimen expiabat. Si Rex uxores ultra XVIII. duxisset; si equos aluisset plures quam quos currus ab eo possessi exigerent, si auri & argenti plus aliquid comparasset, quam quod in Ministros impendendum esset, statim ad flagra. Genus id erat exomologesis; cui Principes ea occasione subdebantur, suoique ipsi tortores eligebant. Statim a flagris Regiam dignitatem repetebant.

Sed Tribunalis hujus venerabilis maxime forma spectabatur; cogebantur enim Patres in Aulam ita constructam, ut medii extra Templi claustra, medii vero intra atrium continerentur: cum autem in atrio Templi assidere nefas esset, quæ Aulæ pars atrio respondebat, hæc oratoribus, qui stantes perorabant, destinabatur; reliquus interim locus extra ambitum Templi Judicibus reservatus: quare Judicibus assidere permissum.

Nunc quid in Sanhedrio juris servaretur, exponendum superest; quamquam plura ejus rei in Commentario nostro super Leges Mosaicas congessimus: en tamen aliquid memorabile, quod de Lege immorigerum in parentes filium (1) puniente latum est. Porro eam Legem maximi sane momenti ad politiam rectumque Reipublicæ ordinem servandum, ea qua cæteras omnes odiosas Leges audacia, mire deformarunt Hebræi; tot enim illam limitationibus, exceptionibus, cavillis restringunt, ut ne violari quidem unquam possit. Ita ergo sanciunt Rabbini. Si quis filius in Parentes immorigerus eo de crimine unice damnandus est, hunc oportet decimum tertium ætatis annum excessisse; ea enim ætate minores Legi illi non subjiciuntur: ut vero ætatem hanc attigere, ejus paucis tantum mensibus Legis imperio parere coguntur, scilicet usque ad plenæ pubertatis annos. Parcendum censeo ab obscenis illis indiciis recensendis, quibus pubertatem assequuntur; decori enim & verecundiæ renunciandum esset illi, a quo scurrilia ista in medium afferentur. Puella, addunt illi, huic Legi non subditur; ait enim Moyses: *Si filius*. Oportet insuper, filium hunc lege puniendum, furto subripuisse Patri tantum, non cæteris; & eo consilio aliquid subripuisse, ut crapularetur. Neque id tantum, sed ea aviditate potum cibumque deglutisse, ut totam simul buccellam carnis quinque denariorum pondere, & dimidium log vini (2) unico haustu absorbuerit. Si furtum in alterum quam in Patrem commisisset, nihil grave a lege patiebatur; sicut impune crimen committebatur, si non carnem sed altilia vorasset, nec vinum sed aliud quodcumque hausisset. Si vero filius in judicium adductus, ante pronunciatam sententiam fuga se subtraxisset, atque interim pubertatis ipsius indicia parerent, actum erat de judicio. Si ex parentibus alteruter crimen remisisset, nullum alteri permittebatur jus Legis severitatem in filium implorandi; scriptum est enim: *Pater, & Mater apprehendent eum*. Hinc neque manci parentes, neque muti, neque tandem surdi, neque etiam cæci admittebantur; quod scilicet nec filium apprehendere, nec accusare, nec filium indicare coram Judice, nec arguere possent, quod filius nunquam ipsorum vocem auscultasset. Sexcenta alia hujus saporis libens prætereo, quibus sane omnibus nihil excogitari potest absurdius, atque majestate Divina indignius. Quid autem de Tribunali, cujus tales erant judiciorum canones, opinemur? Vix est ut in animum inducamus, eo potuisse homines ratione instructos, nedum Legum Mosaicarum scientia consultissimos, dementiæ pervenire, ut his jurisprudentiæ sanctionibus deduci sese permitterent. Quis tandem Scriptores adeo nugaces, veritatis magistros habuerit unquam?

Post hæc omnia, quid de Sanhedriis credamus pronum est. Nullum sane elusimus ex iis argumentis, quæ ad illud adstruendum afferuntur. Plane Senatus ille juxta descriptam a Rabbinis formam, nunquam in Republica Hebræorum fuit; merum est enim Hebræorum somniantium commentum. Hinc nihil de illo satis apertum in Scriptura; nihil in Josepho, Philone, Origene, Eusebio, S. Hieronymo, viris oppido rerum Judaicarum instructissimis. Quin & in Scriptura atque Historia Judæorum plura sunt plane huic fabellæ contraria. Quis unquam, quæso, ex Regibus Juda, sive Saul, sive David, Salomon &c. ad Sanhedrium unquam reus adductus fuit? Vel unus ejus rei actus judicialis, sive certum proferatur exemplum. Reges Juda, nemine prorsus repugnante, Summos Pontifices exauctorabant; bellum pro arbitrio, nemine consulto, suscipiebant; Judices constituebant, removebantque: uno verbo, Reges agebant, nunquam in negotiorum partem Sanhedrio accito; nunquam ejus Senatus authoritate implorata, de Republica pro arbitrio decernebant; cui eorum authoritati, alioquin immodicæ, coercendæ nunquam Sanhedrium legimus restitisse. An forte Patres Sanhedrini tamdiu turpi otio elanguerunt, donec concessa sibi a Rabbinis authoritate valentes, insuetam alioquin vim exeruerunt?

Quod autem tam pene novam Sanhedrium fuisse plane demonstrat, varietas est opinionum, quibus ejus assertores, vel saltem ipsius veritatem penitus non reprobantes, inter se committuntur. P. Petavius (3), aliique nonnulli ex ætate Gabinii Judææ Præfecti, quo authore Tribunalia in quinque Judææ urbibus constituta sunt, Senatum illum repetunt. Grotius, aliique (4) solutum credunt sub exordium regni Herodiani. Rabbinos cum Scriptura conciliaturus Sigonius, aliam (5) sibi de Sanhedrio ideam format, quam quæ Judæis placuit. Tostatus neque cum Judæis, neque cum Christianis, de Republica Judæorum scribentibus, satis convenit (6); qui enim Moysis ætate LXX. Judices constituti sunt, hos putat despoticam, ne Moysi quidem subjectam, exercuisse authoritatem, ut ab eorum sententia ad superiorem alium provocare negaretur; supremam authoritatem penes Sacerdotes fuisse; penes Summum Sacerdotem mansisse jus Sanhedrio præsidendi: addit tandem, inferiores Judices sive damnare, sive absolvere reos non potuisse, illud tantum agentes, ut reum ipsum sententiæ Summi Sacerdotis parere cogerent; quod etiam arrisit nonnullis Commentatoribus, quo minus in Rabbinorum lectione, eo magis in Recentiorum opinionis suæ tenacium scriptis, exercitatis.

D. Basnage, qui paucis ab hinc annis historiam Judæorum vulgavit, in Sanhedrii origine hæret ambiguus (7): cum enim primo in sententiam P. Petavii, eam sub Gabinio statuentis, concessisset (8), mutata demum sententia sub Juda vel Jonatha Macchabæis constituit, quamquam sub Jonatha potius inclinet. Profecto sub Macchabæis legimus Senatum una cum Summo Sacerdote epistolam ad Lacedæmones dantem (9). Vetus Author Paraphrasum Chaldaicarum, pro more ætatis suæ loquutus, liminaribus Sanhedrii sistentem se Booz inducit. Legimus apud Rabbinos (10), Ale-

(1) Deut. XXI. 18. 19. (2) Log. mensura est continens hemisextarium. (3) De doctr. temp. l. 2. c. 26. (4) Grot. ad 1. Par. XXI. 4. (5) De Rep. Hebr. l. 6. cap. 7. (6) In Num. XI. q. 31. 32. (7) Hist. des Juifs l. 3. chap. 4. (8) Liv. 5. c. 1. art. 11. (9) 1. Macchab. XII. 6. (10) Vide Gemar. tit. Sanhedr. cap. 11.

Alexandrum Jannæum Regem e genere Asmonæorum, cum in Senatum venisset, assidere cum cæteris, prohibente licet Simone filio Scherah e Patrum numero, voluisse. Herodi etiam tunc temporis Galilææ Præfecto coram eo Tribunali dies dicta est. Interdictum erat etiam (1), Josepho teste, ne Reges quidquam inconsulto Senatu moverent. Vox *Synedrion*, quæ Sanhedrio æquivalet, in Evangelio, nec semel quidem, occurrit. Jesus Christus apud S. Matthæum (2): *Qui dixerit fratri suo, ait, raka, reus erit Concilio*, nempe Synedrio. Ejusdem cœtus meminit S. Marcus (3), sicut & S. Lucas idem designat modo sub nomine *Seniorum populi* (4), modo *Synedrii* (5); quod etiam postremum occurrit in Joanne 11, 47. Tandem S. Hilarius agnoscit Senatum quemdam ex LXX, Patribus, quibus & versam ex Hebræo in Græcum Scripturam tribuit, & depositum sensus, spiritus, & doctrinæ Mosaicæ committit. Hisce rationibus deducti Sanhedrium sub exitum Reipublicæ admittere cogimur; ne vero ejus originem ante captivitatem Babylonicam pervertamus, tum alia multa, tum maxime silentium Scriptorum suadet.

His etiam plane demonstratum arbitror, vetustam illam Sanhedrii originem, qualem Rabbini commenti sunt, inter cæteras Rabbinicas fabellas referri oportere; sicut & dubiæ sunt fidei ea ferme omnia, quæ de prærogativis, & Jurisprudentia ejusdem Tribunalis venditarunt. Tandem illud constituendum est, politiam Hebræorum varias subiisse pro temporum varietate vices, atque agitatissimæ, si aliæ uspiam, Reipublicæ tolerasse fortunam. Sub Macchabæis autem cœptum Sanhedrium, vires suas in dies sub Regibus Asmonæis explicavit; ex imbecillioribus crepundiis in tantam adolescens authoritatem, ut vel ipsis Regibus metum incuteret. Tandem gloriæ suæ pondere fatiscere coactum est; suæ enim dignitati timentes Principes, nullam ejus deprimendi occasionem prætermittebant. Eo consilio Romani singulare ad id usque Tribunal in quinque diviserunt; stantemque adhuc post tot ruinas, vel emergentem iterum Senatum Jerosolymitanum, singularibus prærogativis exspoliatum eo redegerunt, ut jure gladii adempto, de legalibus tantum cognoscere, & citra mortem tantummodo punire reos permitteretur. Ita sane diu ante ultimam eversionem, ejus excidio prælusum est; eodem etenim fato cum urbe, Templo & Judæorum dispersione, Sanhedrium quoque obvolutum penitus interiit. Hinc post illum memorabilem gentis Judaicæ casum nullibi locorum auditum est Tribunal sive Senatus, qui despoticam plenamque authoritatem super gentem universam exerceret: quare frustra Sanhedrii vestigia exquiruntur in cœtibus quibusdam, ex reliquiis Judæorum collectis, qui precario acceptæ authoritatis umbram exercebant. Hæc visa sunt majoris momenti & fidei, quæ de Sanhedrio Judaico, omnium ore celebratissimo, referrantur. Quoad rationem administrandi juris apud Hebræos post Sanhedrium; agendum esset de singulis per Judæam constitutis Tribunalibus per urbes & oppida. Vide Nov. Testam. Matth. v. 21. 22. Nulli erant causarum patroni; lictores nulli; de scripto nihil excipiebatur. Partes litigantes stabant; stabat & Satan, accusator.

Scribæ vel Tabelliones humi nunc pariter assident apud Ottomanos. Vide Sagredum lib. 13. pag. 24.

Jus dicebatur in portis urbis. Vide Naboth & Ruth. Sportularum nihil dabatur Judicibus. Judiciariæ formulæ aberant.

A Judicio in Susannam lato Daniel provocat,

De pœnis vide dissertationem de hoc argumento.

Sententia statim mandabatur executioni. Sui erant Judices gentiles; qua de re vide ad Matt. VIII. & nostrum in illum locum commentarium.

DISSERTATIO

DE BEEL-PHEGOR, CHAMOS, CÆTERISQUE MOABITARUM DIIS.

UTriusque simul Numinis Beel-Phegor, & Chamos hunc locum esse censuimus, quod ambo inter Moabitarum Deos a Moyse adoptentur. Nota sunt etiam in S. Scriptura, ejusdem gentis, uti credimus, Numina *Nebo*, *Baal-Meon*, & *Baal-Dibon*. Hæc simul omnia expendere in præsentiarum constituimus, ne molesta satis repetitione eadem sæpe oggerere cogeremur; ideo maxime quod variis hisce nominibus unum eundemque Solem, Adonidem, Osiridem designari non incongrue autumamus. Est autem nobis propositum afferendi primum ea, quæ de hoc argumento Scriptura suppeditat, tum conjecturas nostras ea de re subjiciemus.

Nomen Chamos כמוש ex Arabica radice derivatum accelerare significat; eodemque apud Moabitas Numen designabatur, quod velut universæ gentis supremum Regem & Dominum colebant. Hinc sæpe in Scriptura Moabitæ appellantur *populi Chamos* (6), & Prophetæ imminentem in Chamos ejusque populum captivitatem & mala minitantur (7). Tandem Moabitis regionem Amorrhæorum, ab Hebræis sub Moyse occupatam, repetentibus (8), quod scilicet veteri jure ad se pertinuisse dicerent, Judæi hæc reponunt: *Nonne ea quæ possedit Chamos Deus tuus, tibi jure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem*. Scitum est etiam, Salomone curante, Templum Diis Moabitarum in monte e regione Jerosolymæ (9) excitatum fuisse; quem locum Israelitas frequentasse sæpe, atque cultum Chamos impendisse legimus. Quæ vero hujus Numinis esset figura, quis ritus, nullibi satis expressum in S. Scriptura invenitur. Hactenus S. Scriptura de Chamos.

Ex affinitate duorum nominum, Ammon scilicet & Chamos, unum eumdemque Deum utroque appellari vocabulo, illo apud Ægyptios, hoc apud Moabitas, aliqui suspicati sunt. Macrobius Ammonem & Solem confundendos censet (10); illius enim cornua, ait, hujus radios designant. Porro Ammonis cultus longe lateque obtinebat

per

(1) Joseph. de bel. l. 1. c. 6. (2) Matth. v. 22. (3) Mar. XIII. 9. & XIV. 55. & XV. 1. (4) Luc. VII. 3. & XXII. 52. 66. (5) Act. IV. 15. & V. 21. (6) Num. XXI. 29. Jerem. XLVIII. 46. *Periisti, popule Chamos*. (7) Jerem. XLVIII. 7. *Ibit Chamos in captivitatem, Sacerdotes ejus & Principes ejus simul*. (8) Judic. XI. 24. (9) 4. Reg. XI. 7. & 4. Reg. XXIII. 13. (10) Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 21.

per Lybiam, Æthiopiam, Indias, Arabiam, ubi & Moabitæ sedes habebant (1).

Quamvis Æthiopum populis, Arabumque beatis
Gentibus, atque Indis unus sit Jupiter Ammon.

Nomen Chamos celaritatem, expeditumque aliquid sonans, cum Solis rapido circa terram motu quadrat.

Apud Authores Profanos nota sunt synonyma Solis, Deus *Romanus*, & *Apollo Chomeus*; cujus posterioris Numinis simulacrum e Templo suo in Templum Palarinum, Romæ excitatum, translatum fuisse, Ammianus testatur (2). Deo Homano æternum ignem servasse Orientales, maxime Persas, & Cappadoces, Strabona authore proditum ast (3). Porro ignes Soli atsista ignorat nemo; sarvarosque credo intra septa, sen in Tamplis illis subdivalibus, de quibus Moyses sub nomine *Chamanim* (4), & Strabo voce *Pyrtia*, vel *Pyrastheia*. Urbes atiam Comanæ in Ponto, Pisidia, & Cappadocia facile ax Chamos vel Chamanim, noman derivasse suum credidarim. In his Urbibus celebre hababatur Templum *Bellonæ*, ejusdam, quantum conjicio, Numinis ac *Bel-Ana*, seu *Auais*, Luna, vel Diana (5). Hic autem opportune recolenda sunt, quæ in Dissertatione da Moloch susa damonstravimus, de cultu nempe Solis & Lunæ; quamadmodum & de nominibus utriusqua astri varie confusis permixtisque apud Orientales.

Templa Chamos editis potissimum locis insidebant, quemadmodum de Templo a Salomone ædificato in superioribus observavimus. Ex Templo in ejus honoram supra montam Nabo eracto, facile Numini inditum est nomen *Nebo*: & cum Moyses refart deductum a Rega Moab Balaamum (6) ad *excelsa Baal*, id noanisi de *excelsis Chamos* positum est, cum nomen Baal æque da omnibus usurpari consuaverit, & Moyses nonnisi de Chamos ad id usque habuisset sermonem.

Nec abs re etiam suspicatus fuerim, quæ maa est conjectura, Idolum *Chium*, cuius sacum detulisse per desertum ædiculas, Amos vitio vertit Judæis, idem essa Numen ac Chamos, cui apud eumdem Amos socius jungitur Moloch Deus Ammonitarum (7). Moyses eaim nunquam Hebræis exprobrat cultum Moloch, sed tantum mysteriis Phegor Dei Moabitarum initiatos reprahendit. Nomen *Chium* cum Chamos congruit; Septuaginta, & S. Lucas in Actit, VIII. 43. pro *Chiam* legunt *Rephaa*, vel *Rempham*. Facile, quantum conjicio, Interprates illi nomen genericum Idoli pro Chamos substituerunt. *Rephan* ex eadam radica ac Teraphin deducitur, ablato enim *te*, quod facila loco articuli positum est, remanet Rephan, nomen fortasse Idoli.

Sunt Intarpretes, qui Chamos cum *Como* confundant; quæ sane vox Græce sonat Deum crapulæ, sicut Phagor redditur Deus falacitatis. Porro nomen *Comos* Baccho sive Dionysio tribuitur, & Phegor Deo Priapo; uterque autem Daus ad Solem refertur. Ita Gerardus Joanaes Vossius *l. 2. cap. 8. di Origiae, & progressu Idololatriæ*. Sed has coajecturas ex harmonia quadam vocis Græcæ cum Hebræo nomine daductas, futiles essa neminem latere arbitror.

S. Hieronymus (8) & Interpretum plerique in ea sunt opinione, ut Chamos & Phegor confundaat; quod sane nobis varissime dictum creditur. Pelicla rafarante scimus, Idolum Chamos, ex nigra petra constans, muliebrem figuram retulisse. Nicetas Venarem asse arbitratur; omnia fidat incertæ.

Qui putant, Chamos veterem fuissa Ammonitarum Principem, ab illis post obitum consecratum; illi sane Numini & humanam figuram & Regis insigaia tribuunt. Sed undenam illi opinionem suam derivarunt? Ammonitæ & Moabitæ recentiores sunt populi, cum Ammon & Moab, filii Loth, coævi fuerint Isaaco filio Abrahami; quare eorum postaritas non prius in unam gentem adolevissa potuit, quam cum Israelitæ ipsi adolevarunt, nempe cantum annis ante obitum Moysis circiter. Qui igitur fieri potuisse credimus, ut ejusdem Legislatoris ærate Principem suum jam consecravissent? Hæ sunt quæ de Chamus affaruntur conjecturæ; restat modo, ut certius aliquid de *Beel-phegor*, si quid poterimus, afferatur.

Beel-phegor, sive Deum Phegor, aumdem essa cum Phegor, nullus dubito; quod sane Origeni & S. Hieronymo prius visum, omnibus deinde Racantioribus Interpretibus probatum est. Porro Beel-phegor juxta Origenis intarpratationam est *Idolum turpitudinis* (9), quam sane turpitudinem, verecundiæ parcens, Moyses apertioribus varbis exprimere noluit. Addit idem Origenes, cultui Numinis mulieres præ cæteris addictas fuisse. Et S. Hieronymus post illum (10): *Colentibas maxime fœminis*, ait, *Beel-phegor ob obscœni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare*. Censet autem, viros illos effœminatos, & mulieres ia cultum Idolorum prostitutas, de quibus sæpe Scriptura (11), mysteriis Beel-phegor, sive Priapi initiatas fuissa. Hisce cæremoniis præsidebat Maacha, matar Regis Asa, coacta tandam pii filii authoritate Sacardotium daponara. Tandem sequitur idem Hiaronymus in Osee IX. *Interpretatur Beelphegor Idolum tentiginis, habens in ore, idest, in summitate pellem, ut turpitudinem membri virilis ostenderet*. Probrosis hisce cultus Beelphegor cæremoniis probrosiorem alteram addentes Rabbini censent cum Maimonide, obscœnorum mambrorum revalatinne cultum Numini impendi consuevisse (12); & cum Jarchi, oblata fuissa Deo exaramenta: quod vix credimus. Quod autem maxime confirmat opinionam, Phegor cum Priapo consuadantem, illud est, quod Osea IX. 10. pudandi Beel-phegor cultus describantur: *Ipsi autem abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerant*. Scitum est, quanta impudentia filiæ Moab Israelitas ad crimen provocarint (13); nec sane igaotum, sive Priapi Numen, sive cultus ei Numini impensus.

Sunt qui Beel-phegor ad Saturnum referunt (14); cujus postcami Numinis cultui Arabia, in qua Moabitæ, davovabatur, Nomen Beel pariter Phegor & Saturno commune arat; & Saturni Sacerdotes nudos sa coram Numine, fœdo plane ritu, sistebant. Hisce conjecturis opinionem fulciunt, quæ taman nutat.

Alii ex nominis etymologia naturam Phegor deprehandere tentantes, observant, vocem illam ex

(1) Luçan. Pharsal. l. 9. (2) Amm. lib. 23. *Avulsum sedibus simulacrum Chomei Apollinis, perlatum Romam, in æde Apollinis Palatini Deorum Antistites collocavere.* (3) Strab. l. 15. (4) Levit. XXVI. 30. & 2. Par. XXXIV. (5) Strab. lib. 12. τὸ Κόμανα, ϰ̀ τὸ τῆς Ἐνυοῦς ἱερὸν. Cic. de leg. Manil. Hist. de bell. Alex. c. 66. *Cæsar venit Comana, vetustissimum & sanctissimum in Cappadocia Bellonæ Templum, quod tanta religione colitur, ut Sacerdos ejus Deæ, majestate, imperio & potentia secundus a Rege consensu gentis illius habeatur.* Vid. Cellar. Geogr. l. 3. c. 8. pag. 198. (6) Num. XXI. 41. (7) Amos V. 26. (8) Hieron. in Isai. XV. *In Nabo erat Chamos Idolum consecratum, quod alio nomine appellatur Beelphegor.* (9) Origenes in Num. cap. XXV. Hom. 20. *Beelphegor, quod est Idolum turpitudinis. Et infra: Idoli nomen est, quod apud Madianitas, præcipue a mulieribus, colebatur.* (10) Hieron. in Osee c. IV. (11) Vide 3. Reg. XV. 13. & 2. Par. IX. 16. (12) Vide Maimon. More Neboch p. 3. c. 46. & Jarchi in Num. XXV. 3. (13) Num. XXV. (14) Theodoret. in Psl. Apollin. in Caten. in Psl. Suidas Mas. in Jos. Ottinger. Hist. Orient. cap. 7.

ex Chaldæo deductam, ſonare ventris relaxationem; ex quo conjecturæ locus, Phegor ipſiſſimum eſſe Deum Crepitum ventris, quem apud Ægyptios, una cum Deo Ructu conſecratum narrant Origenes (1), & S. Hieronymus (2), ſicut & ante illos Minutius Felix (3). Nec ſane indigna erant ea Numina, quibus ab Ægyptiis divini honores deferrentur, cum apud eas gentes vel ipſi porri, cepæ, crocodili, lupi, febris, procellæ, fulmina, Mala Fortuna conſecrarentur. Sed fruſtra hiſce conjecturis futilibus arguendis immoraremur.

Aliis inter Eruditos (4) viſum eſt, nomen Beelphegor nonniſi per ludibrium Deo Moabitarum tribui; quem enim Moabitæ facile appellarunt *Baal-reem*, Deum tonitrui, hunc ab Hebræis per contemptum Deum crepitus ventris audiſſe autumant. Ita plane Deum Accaron Judæi appellatum voluerunt *Beelſebub*, Deum Muſcarum; & Bethel, Urbem Idolo aureo Jeroboami conſecratam, mutato nomine, *Bethaven*, domum iniquitatis nuncuparunt.

Voſſius tandem (5) nomine Beelphegor deſignatum credit Solem, & Priapum, quo poſteriori nomine Solem eumdem ſæpius denotari in Theologia Paganorum conſtat. Porro etymon Priapi accerſit ex Hebræo *Ab* Pater, & *Peor* vel *Phegor*; ac ſi diceretur *Deus* vel *Pater Peor*, quomodo uſurpari ſolet apud Paganos Pater Jupiter, Pater Neptunus &c.

Rem geſtam in agris Moabitarum, cum nempe Iſraelitæ in ſuperſtitionem Beelphegor irruperunt, deſcribens Pſalmiſta, negocium Interpretibus facit (6). *Initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum*. Quinam, rogo, mortuorum nomine deſignantur?

Sunt qui indicata ipſa Beelphegor ſacrificia crediderint; quippe qui Deus mortuorum appellaretur, Deo Iſraelitarum, Deo ſcilicet viventi, plane oppoſitus; quare Pſalmiſtæ verba tantundem ſonare cenſent, ac Moyſis illa: *Quæ vocaverunt* (filiæ Moab Iſraelitas) *eos ad ſacrificia ſua. At illi comederunt & adoraverunt Deos earum* (7). Favet huic opinioni S. Auguſtinus, aliique nonnulli (8), explicantes illud de ſacrificiis mortuorum, pro victimis mortuorum hominum Numinibus oblatis. Hinc Iſraelitæ Divinis honoribus mortuos homines coluerunt; neque enim præter homines vita functos Paganorum Deos fuiſſe reputandum eſt.

Maluerunt alii, Hebræos cæteris criminibus hanc etiam feciſſe acceſſionem, quod Moabitarum funeribus ſeſe polluiſſent, tum funebribus eorum cæremoniis, tum funereis epulis communicantes: ſcitum eſt enim Paganos oblationes ſuas mortuis rite ſolviſſe (9); uti cum in media via teſtam relinquebant, corollis ornatam, & violis aſperſam, in qua fruges, ſal, & panis vino mollitus, ſparſis violis. Verum eas ſuperſtitiones apud Moabitas etiam obtinuiſſe, & ad Hebræos vel minimum pertinuiſſe, affirmare quis auſit?

Seldenus in ſuo Opere *de Diis Syris Syntag.* 1. c. 5. confundendum autumat Beelphegor cum Plutone, ſive Deo mortuorum, id autem in cauſa fuiſſe, cur Pſalmiſta Numen illud mortuum, ſive Mortem appellaret; ſicut & oblata Manibus ſacrificia, *ſacrificia mortuorum* dicta fuiſſe cenſet. Laudat in eam rem Paraphraſim Apollinaris (10), in qua Hebræi ſe polluiſſe ſacrificiis Beelphegor inducuntur, hecatombes mortuis immolatas deguſtantes. Apud Sanchoniatonem (11) legimus a Patre Saturno conſecratum fuiſſe *Moth*, ex uxore Rhea natum, hoc autem habuiſſe Numen Phœnices, modo ſub Mortis nomine, modo Plutonis invocatum. Idem Moth tanquam ex primis rerum authoribus, juxta Theologiam Paganorum, apud eundem deſcribitur. Solebat etiam apud Ægyptios Iſis eodem nomine Moth, nempe Mater, authore Plutarcho *de Iſide & Oſir.* appellari; eodemque referente ex teſtimonio Archenaci Euboici, & Heraclidis Pontici ſcimus, *Serapidem* ipſiſſimum eſſe Plutonem, ſicut *Iſidem* Proſerpinam. Ex quibus omnibus pronum eſt inferamus, pro eodem uſurpari apud Paganos Jovem, Plutonem, Bacchum, & Solem (12).

Ut certum quid in tanta opinionum varietate ſtatuamus, atque inter futiles & multiplices conjecturas ſatis optimam eligamus, vix fieri poſſe credimus. Ea tamen præ cæteris placet, quæ Chamos, Phegor, & Moloch in unum accenſet, eundemque omnes Solem deſignaſſe credit; quamquam & illud fateamur oportet, cultum Phegor & Chamos alium fuiſſe ab eo, qui Moloch impendebatur. Huic enim humanis hoſtiis litabatur; mitiori autem, uti quidem credimus, ſacrificio Phegor & Chamos gaudebant. Porro ſacrificia Phegor *ſacrificia mortuorum* appellat Propheta, unde facilis conjectura ducitur, eo nomine Adonidem, ſive Oſirim deſignari, cui funebres cæremoniæ celebrabantur adhibitis lamentationibus, ploratibus, alioque apparatu lugubri. Sed hæc intacta hucuſque apud alios Scriptores, maturius in præſentiarum examinanda ſunt.

Phegor Numen erat notiſſimum in Arabia, & Palæſtina, cujus Numinis myſteriis Hebræi & initiari ſe, & pollui una cum filiabus Moab paſſi ſunt. Factum inde, ut Dei illius religionem alte adeo imbiberent Hebræi, ut ſæpius deinde in ejus cultum viros & mulieres initiarent. Hæc de Phegor, ejuſque cultu in Scriptura.

Hæc autem cum cæremoniis & cultu Adonidis adeo congruunt, ut vix alterum ab illo Deum fuiſſe Phegor credamus.

Porro Adonidem ab Ægyptiis, quemadmodum & reliquas fere omnes Paganorum ſuperſtitiones, derivatum fuiſſe, neminem ignorare credo. Iſis ſeu Venus amiſſi conjugis, Oſiridis nempe, ſive Adonidis ab apro occiſi deſiderio, Feſtum in ejus honorem inſtituit, quo funera amaſii lugerentur. Poſt luctum tripudia veluti conjuge invento. Ab Ægypto in Judæam ſuperſtitio irrepſit; quare Ezechiel mulieres lugentes Adonidem in Templo per viſum ſpectavit (13). Lucianus *de Dea Syra* eadem ſacrificia, qualia Bybli urbis Phœniciæ ſpectavit, deſcribens, narrat magno luctuum & clamorum per totam viam apparatu funera Adonidis celebrata fuiſſe. Mane alterius diei mutata omnia; ſparſo enim inter populos rumore de vita Numinis, ejus ſimulacrum in aera elatum ſuccedit, crines abſcindunt, uti in moribus poſitum eſt apud Ægyptios pro morte Apidis. Tantundem ac viri, mulieres quoque obſervant, quarum ſi forte aliqua renuerit, illa in honorem Deæ proſtituere ſe, tum & pretium proſtitutionis conſecrare cogitur. Hujus Feſti ſacrum tempus Vere, cum ſcilicet amnis Adonis liquatis Libani nivibus tumens, atque alvei ſui arenis rubeſcens in mare præceps devolvitur.

Faci-

(1) Contra Celſ. pag. 255. (2) In Iſai. l. 13. *Ut taceam de formidoloſo & horribili cepe, & crepitu ventris inflati, quæ Peluſiaca religio eſt.* (3) Minut. in Octav. *Nec Serapidem magis Ægyptii, quam ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos contremiſcunt.* (4) Scalig. Bucer. in Pſ. (5) De Orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 7. (6) Pſ. cv. 28. (7) Num. xxv. 2. (8) Aug. in Pſ. cv. item Caſſiod. Remig. alii. (9) Ovid. Faſt. 2. *Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis, Et ſparſæ fruges, parvaque mica ſalis Inque mero mollita Ceres, violaque ſolutæ. Hæc habeat media teſta relicta via.* (10) Οἱ δὲ Βεελφεγόρου [illegible] (11) Apud Euſeb. Præp. l. 1. c. 10. (12) Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος, Εἷς Θεὸς ἐν πάντεσσι.... (13) Ezech. VIII. 14.

Facile etiam credimus, gliscentes apud Babylonios easdem superstitiones designasse Baruc, cum Sacerdotes ejus gentis in suis solemnitatibus ita describit (1): *In domibus eorum* (Deorum) *Sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam; quorum capita nuda sunt. Rugiunt autem clamantes contra Deos suos, sicuti in cœna mortui.* Eadem apud Assyrios obtinuisse, apud quos etiam lamentationes Proserpinæ frequentes, Macrobius commemorat; quin & ab eisdem gentibus in Phœniciam derivatam superstitionem significasse videtur (2). Addit bis in singulis annis Festum illud recurrisse, quo scilicet mense dies decrescunt, & quo augentur; sive duorum æquinoctiorum, autumnalis, & verni tempore, nempe luna, uti ferunt, decima septima. Eodem verno tempore Adonidis Festa Athenis celebrari Plutarchus testatur (3), narrans imposita mortuorum simulacra in feretris, veluti trophæa in via statui consuevisse, qua funebris pompa Adonidis circumferebatur, tota interim vicinia luctibus, & ploratibus amaris oppido insonante. Alexandrinorum luctum ea occasione celebratum, duodecimo mense, nempe anni Ægyptiaci ab æquinoctio autumnali exordientis postremo, Theocritus (4) describit. Tandem, cum Ezechiel per visum spectavit fœminas plorantes Adonidem, tunc sextus mensis anni sancti a Paschate initium ducentis agebatur (5). An eodem simul tempore solerent Israelitæ sacris Beel-phegor initiari, modo disquirendum est.

Rex Moabitarum pessimo consultore Balaamo propheta usus, missis in castra Israelitarum puellis, hostes ad sacra, superstitionesque suas pellexit. Quo id potissimum anni tempore contigerit, quanquam nihil Moyses expresserit, factum tamen quinto ante obitum ipsius mense, nempe ante ineuntem mensem duodecimum anni sancti, Februario nostro respondentem, facile credimus. Aaron frater Moysis diem clausit mense quinto anni sancti, anno Mundi 2552. ejusque obitus Mosaicum præcessit sexto, vel septimo mensibus; quare decessisse Aaron debuit labente Julio, sive Augusto ineunte. Secundum hæc, bellum in Regem Arad susceptum est, brevi confectum. Tum Israelitæ secus montem Hor recta ad torrentem Arnon processerunt. Porro a monte ubi Aaron diem clausit, usque ad torrentem illum in finibus ditionis Sehon fluentem, octo tantum mansiones Moyses enumerat; iisque emensis bellum narrat cum Sehon, alterumque cum Og gestum. Duobus secundis præliis ambo Reges a populo edomiti sunt, quare non diu expeditio duravit. His auditis, Balac Rex Moabitarum accitum Balaam mali illius consilii, de quo nuper diximus, authorem habuit. Hæc sane omnia eo temporis spatio contigisse potuerunt, quod inter labentem Julium, & diem 17. sive 18. Septembris, Adonidis festo sacrum, intercedit.

Occasione igitur festi Phegor sive Adonidis accepta, puellæ ejus superstitionis ministræ, in castra Israelitarum ad Settim in agro Moab venientes, populum ad sua sacra invitarunt. Videbantur ex amica gente venisse, cum Moabitas amicos haberent Judæi, ab armis in eos inferendis a Deo prohibiti; videbantur etiam oris lascivientis aspectu juniorem ac victoriis tripudiantem populum plus allexisse quam verbis. Quare facile seducti Judæi, in sacra, atque convivia, post luctum Adonidis celebrari solita, tum & in eas, quæ superstitionibus hisce appendices sunt, obscœnas religiones proruerunt.

Vix dubito Mosaicas illas leges, caventes ne *in rotandum attondeant comam, ne radant barbam, neve super mortuo* (vel pro mortuo) *incidant carnem* (6), alio quam ad Phegor, Osiridem, & Adonidem (quæ tria sunt ejusdem Idoli nomina) spectasse. Cujus rei has in promptu habemus conjecturas. Scitum est, in festo Adonidis eumdem servari luctum consuevisse, qui lugendis charissimorum funeribus, ploratus, ejulatus, lamentationes, tunsiones pectoris, vestium scissiones &c. Solebant viri comas tondere, quas fœminæ passas negligebant, quanquam & aliquando avellere crines solebant. Apud Bionem (7) in Epitaphio Adonidis Amores inducuntur, Dei funus lugentes, capite abraso, arcum & spicula proculcantes. Sponsa Numinis per nemus oberrans (8) nudo pede, passisque crinibus, largo fletu sylvam irrigat. Fœminæ Alexandrinæ apud Theocritum (9) sparsis crinibus, aperto sinu, & vestibus discissis parent. Apud Aristophanem (10) mulieres tecta domorum ascendunt, quo luctus sui faciant spectaculum. Porro in lugendis privatis funeribus paria tum apud Paganos, cum apud Hebræos servabantur (11); quare dum Moyses cæremonias hasce *super mortuo* interdicit, ea sanctione superstitiones tantummodo Phegor vel Adonidis interdixisse censendus est; nulla enim lege prohiberi sibi morem finitimarum gentium, in lugendis parentum funeribus, Israelitæ unquam persuasum habuerunt.

Nec alio spectare crediderim hortos illos superstitiosos, quos Prophetæ Judæis, nec raro quidem, exprobrant (12). Quis enim hortos Adonidis apud Profanos non legerit?

In edicto, quo Deus cavet, ne Sacerdotes funus necessariorum, nisi intra certum gradum necessitudinis, lugeant, hæc mandat (13): *Non radent caput, nec barbam, nec in carnibus suis facient incisuras; sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus.* Quæ igitur Sacerdotibus tantum interdicuntur, hæc sane continuo cæteris permissa esse constat. Alibi etiam Moyses verba facit ad Aaronem ejusque filios occasione Nadab, & Abiud igne correptorum (14): *Capita vestra*, ait, *nolite nudare* (idest radere), *& vestimenta nolite scindere* (scilicet lugentes funus Nadab & Abiud). *Fratres vestri, & omnis domus Israel plangant incendium, quod Dominus suscitavit.* Licebat ergo Israelitis & Levitis, quod Sacerdotibus interdictum erat. Tandem jubetur a Domino Jeremias (15) renunciare Israelitis suis verbis: *Abstuli a populo isto misericordiam & miserationes; & morientur grandes & parvi; in terra ista non sepelientur, neque plangentur, & non se incident, neque calvitium fiet pro eis.* Cur, rogo, hisce minis terrerentur Israelitæ, si ne lugerent eo ritu funera cautum fuisset a Lege? An minitatur Deus commissurum se, ne fiat quod jam abrogatum est? Deus etiam ad Ezechielem (16): *Ecce ego*, inquit, *tollo a te desiderabile oculorum in plaga, & non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ. Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.* Omnia porro hæc fecisset Propheta, nisi Dei præceptum obstitisset.

In veterum Legum interpretatione, habenda est

(1) Baruc. VI. 31. (2) Satur. lib. 1. c. 21. (3) Plutarch. in Alcib. Ἀδώνια γὰρ εἶχε τὰς ἡμέρας ἐκείνας καθεστηκότα. εἴδωλα πολλαχῇ νεκροῖς ἐκκομιζομένοις ὅμοια προὔκειντο ταῖς γυναιξί, καὶ ταφὰς ἐμιμοῦντο κοπτόμεναι. (4) Theocrit. Idyl. Ἀδωνιάζουσαι. Ἄδωνιν ἀπ' ἀενάω Ἀχέροντος Μηνὶ δυωδεκάτῳ μαλακαίποδες ἄγαγον Ὧραι. (5) Vide Ezech. VIII. 1. (6) Levit. XIX. 27. 28. (7) Bion Epitaph. Adonid. Ἀμφὶ δέ μιν κλαίοντες ἀναστενάχουσιν Ἔρωτες, Κειράμενοι χαίτας ἐπ' Ἀδώνιδι. (8) Λυσαμένα πλοκαμῖδας ἀνὰ δρυμὼς ἀλάληται. Πενθαλέα, νήπλεκτος, ἀσάνδαλος. (9) Λύσασαι δὲ κόμαν, καὶ ἐπὶ σφυρὰ κόλπον ἀνεῖσαι, Στήθεσι φαινομένοις, λιγυρᾶς ἀρξώμεθ' ἀοιδᾶς. Idyll. Adoniazusæ. Lysistrata. (10) Aristoph. Lysistrata. Ἀδωνιασμὸς οὗτος οὑπὶ τῶν τεγῶν. & inferius: ἡ γυνὴ ἡ ᾽πὶ τοῦ τέγους Κόπτεσθ' Ἄδωνιν φησίν. (11) Vide quæ diximus ad Gen. 3. 3. (12) Isai. 1. 29. & LXV. 3. Amos IV. 9. (13) Levit. XXI. 5. 6. (14) Levit. 10. 6. (15) Jerem. XVI. 6. 7. (16) Ezech. XXIV. 16. 17.

est ratio diligenter de recepta Legis observandæ consuetudine apud illos, quibus indicta est. Illud enim reputandum est, religiosos saltem viros nunquam sibi a spiritu & observatione ejusdem recedendi licentiam permisisse. Quod sane, si de aliquibus unquam, certe de Judæorum viris religiosis præsumendum credimus, legis studiosissimis, apud quos a Legis sanctionibus vel lato ungue recedere religiosum fuerat. Quare cum religiosissimorum etiam Judæorum in moribus positum noverimus, ut domesticorum funus comæ & barbæ abrasione, scissione vestium &c. lugerent; non est cur hæc a Moyse interdicta suspicemur; aliusque proinde Legum saltem in specie, ea interdicentium, sensus requirendus est.

Si quis plane mentem adhibeat Legi in Levitico latæ, qua luctus super mortuo populo interdicitur, is facile intelliget, Paganam aliquam superstitionem, apud finitimas gentes obtinentem, Legislatorem spectasse (1): *Non augurabimini; neque observabitis somnia, neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam, & super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas aut stigmata facietis in vobis &c.* Porro attonsio comæ apud Arabes religiosa erat Baccho, barbam radere, carnes incidere, apparatus erant luctus, quo Adonidis, adeoque & Phegor, uti facile credimus, funus lugebatur. Stigmata inurere carnibus, frequentissima erat per Orientem superstitio authore Luciano *De Dea Syra*.

Sed juvat in nostram sententiam verba Legislatoris recitare, quibus paulo ante obitum easdem Leges confirmat (2): *Filii estote Domini Dei vestri; non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo, quoniam populus Sanctus es Domino Deo tuo.* Ita Moyses ad populum, qui cultu Phegor impenso, religioni suæ crimen irrogaverat. Ex superioribus autem satis constat, Adonidis cultoribus & comam abradere, & carnes incidere familiarem superstitionem fuisse. Alter etiam Deut. XXVI, 14. locus in hanc rem prætereundus non est. Israelitæ primitias suas Domino oblaturi venientes, hæc profitentur: *Non comedi ex eis in luctu meo, nec speravi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex eis quidquam in re funebri*: Hebr. *nec dedi quidquam mortuo*. Quid hoc est, rogo, nisi aperta Israelitarum professio omnes se primitias suas Domino obtulisse, nulla reservata portione pro Iside Dea, serendi arbores colendique agros inventrice, juxta Ægyptios, cujus Deæ luctus pro amisso Osiride verna messe ineunte recurrebat? Quam in rem nihil se expendisse Hebræi sive in usum sacrificiorum, sive epularum ad cultum mortui, hac solemni formula profitentur.

Quibus ita se habentibus, facile in eam sententiam descendimus, quæ Beelphegor cum Adonide confundit; eumque, quem Moabitæ Phegor, ipsum eundem credit ac Osiridem Ægyptiorum, Adonidem Phœnicum, Athynam Phrygum, Atym Syrorum, & Thammuz Hebræorum. Quo enim loco habet Vulgata *Plangentes Adonidem*, in Hebræo est *plangentes Thammuz*. Quibus enim Phryges Athynam colebant cæremoniis (3), iisdem & Syri suum Atym (4), Ægyptii Osiridem, Phœnices Adonidem. Ita varia hæc nomina juxta Paganorum Theologiam ad unum Solem referuntur.

Facile etiam deprehendere nobis videmur nominis Phegor, sive Pe-or vestigia in Deo Oro, ea veteri Ægyptiorum Rege in censum Numinum translato, filio Deæ Isidis, cui etiam inditum cognomen Apollo, sive Sol (5). Deus ille, authore Diodoro Siculo (6), matrem habuit Isidem, quæ post occisum a Titanibus filium, extincti cadaver in aqua inventum ad vitam revocavit, eum & donavit immortalitate. Ferunt hunc Orum Regum Deorum in Ægypto seriem clausisse. Ex Dea parente artem vaticinandi, tum & curandi morbos didicit; ex quo Ori nomen longe lateque per universum orbem propagatum est. De tanto filio sibi plaudens mater, in inscriptione ab eodem Diodoro relata, ita decora sua prædicat: *Ego sum uxor Osiridis; ego sum prima frugum inventrix; ego sum Ori Regis mater*.

En Pe-or Dei Moabitarum origo. *Pe*, sive *Pi* Ægyptii articuli loco positum est; *Or* nomen est Dei, cujus funus tum & post funus in vitam revocatio celebratur. Extat etiam ejusdem nominis vestigium in nomine religiosi illius Abbatis *Pior*, & in nomine *Origenis*, quod ex Ægyptiorum consuetudine, nomina sibi Deorum imponentium, repetendum est. Nomine *Thammus* noti sunt Ægyptii quidam in Historiis (7); Thammus autem Adonidem refert. Animadversione dignum est, apud Herodotum nihil quidem legi de Thammus, sed tantum de *Ammo* (8); ex quo facile suspicamur T. sive C. in Chaminus & Thammus a radice nominis extraneum esse.

Adoni Hebræis est *Dominus*, quo sane titulo uxores viros suos compellant; ut Sara Abrahamum (9). Potest ergo Ammus seu Thammus peculiare viri Isidis nomen designare, Adonis vero genericum fuisse nomen; quemadmodum Beelphegor, sive *Baal Peor*, ut est in Hebræo, vero Dei nomini *Or*, adjunctum habet *Pe* loco articuli, & *Baal*, qui dignitatis titulus est, sonans *Deus*. Ipse autem per contemptum *mortuus* appellatus est ab Hebræis.

Ad complementum Dissertationis addendum aliquid est de cæteris Moabitarum Numinibus, quo omnia ad ejus gentis religionem spectantia uno eodemque lucubrationis contextu collecta habeamus. Mentio est apud Moysem de *Baal-Meon* (10) urbe in veteri Moabitarum ditione, quam ex vetusto aliquo gentis Idolo nomen derivasse suum credimus non lavitr. Cum vero alterius quam Chamos & Phegor vel Pe-or Numinis apud eas gentes mentio nulla occurrat; hinc facile credimus alterutri ex iis Numinibus urbis nomen accepto referendum fuisse. Porro nomen illud sonat: *Commoratio Baal* (11).

Nabo, alius Moabitarum Deus apud Isaiam XLVI. 1. *Confractus est Bel, contritus est Nabo; facta sunt simulacra eorum bestiis, & jumentis*. Septuaginta pro *Nabo* legunt *Dagon*; Συνετρίβη Δαγὼν. In urbe Nabo, Dei Chamos, alio nomine Beelphegor, simulacrum constitutum S. Hieronymus autumavit (12); ex quo facile contigisse poterat, ut de Urbis nomine Deus appellaretur. Sed ut ingenue fateamur, Sancti Viri sententia nullis satis validis fulcitur argumentis; atque Prophetæ oracula de casu Regni Babylonici lata, de Numine aliquo horum populorum ultro explicanda se offerunt. Porro nomen Nebo, vel Nabo, aut Nabu, recurrit in Nabuchodonosor, Nabu-zardan, Semgar-Nabu, & Nabu-zesban (13), Principibus Babylonicis; deductum vero ex Hebræa etymologia sonat Prophetam, Vatem. Hinc facile Oraculum quoddam indicat; an idem ac Nabchaz (14) Idolum Hevæorum, quam gentem Sennacherib e regione Transeuphratæa in Samaritidem transtulit? Suspicatur Vossius, in loco illo Isaiæ Bel & Nabo duo diversa Numina designare, illum nempe Solem, hunc Lunam (15). Sed commode etiam duo illa confundi possunt, ut *Beel* titulus sit æque illi cæterisque Diis communis, & *Nebo*, quod Oraculum sonat, nomen sit Numini peculiare.

(1) Levit. XIX. 26 27. 28. (2) Deut. XIV. 1. (3) Vide Macrob. Satur. l. 1. c. 21. (4) Vide Lucian. de Dea Syr. & alios. (5) Vide Macrob. loc. cit. (6) Bibl. l. 1. c. 2. (7) Plato in Phædr. Plutar. de def. Orac. (8) Ἀμμοῦν γὰρ Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία. Herodot. l. 2. c. 42. (9) Gen. XVIII. 12. *Postquam consenui & Dominus meus (Heb. Adoni) vetulus est.* (10) Num. XXXII. 38. Vid. etiam Josue XIII. 17. Ezech. XXV. 9. (11) בעל מעון (12) In Isa. XV. l. 5. pag. 118. nov. edit. (13) Jerem. XXXIX. 13. (14) 4. Reg. XVII. 31. (15) De Orig. Idololat. l. 2. c. 5.

TABULA CHRONOLOGICA
IN NUMEROS.

Anno Mundi

2514 2. Mense die 21. CEnsus alter Israelitarum, *Num.* I. II. III. institutus post septem menses a primo, de quo *Exod.* XXX. 2. 12. & XXXVIII. 25. 26.

Jethro & Sephora veniunt in castra. *Exod.* XVIII. 10.

Movet populus e Sinai ad Cades-Barne. *Num.* X. 11.

Veniunt ad Sepulchra Concupiscentiæ, ubi XXIII. diebus morantur. Ibi vero Deus vi coturnicum innumera illos alit. Spiritum suum septuaginta Senioribus communicat, Moysem levaturis in regimine. *Num.* X. XI.

Murmur Mariæ & Aaronis in Sephoram. *Num.* XII.

V. Mense Veniunt in Cades-Barne, ubi duodecim Viri ad explorandam Chanaanitidem destinantur.

VI. Mense Exploratores post XL. dies redeunt. Murmur Israelitarum, cujus in pœnam damnantur a Deo, ut mortem in deserto oppetant. Diu in Cades-Barne morantur. *Deut.* I. 46. Quoto tempore, ignoratur.

Amenophi in Mari Rubro demerso, gemini ejus filii, Armais, & Sethosis, alio nomine
Danaus & Ægyptus, rebus in Ægypto præsunt. Sethosis (quem Usserius eumdem cre-
dit ac Sesostrim Herodoti, lib. II. & Ramessem Taciti, *Annal.* l. 2. cum in expeditio-
nem adversus omnes fere Orientis Provincias proficisceretur, vicarium in Ægypto mu-
2523 nus fratri suo Armai tradidit. Ille data sibi a fratre potestate abusus, redeunte a bello
Sesostri, in Peloponnesum fugit, ibique Regnum Argos occupavit. Porro ille quinqua-
2530 ginta filias suas totidem filiis fratris sui nuptum dederat: hæ vero una nocte viros om-
nes trucidarunt. Unus effugit Lynceus, qui Danao in Regno Argivorum successit. Se-
thosis vel Ægyptus de suo nomine Ægyptum dicit.

2533 Eodem simul tempore Busiris filius Ramessis Miamum tyrannidem in inferiori Ægypto exercet.

2543 Thautus Hermetis Trismegisti filius circa idem tempus floret.

2549 Phœnix, & Cadmus Thebis Ægypti in Phœniciam veniunt, & apud Tyrios ac Sidones regnant.

2552 Post errores XXXIX. annorum in deserto, Israelitæ iterum veniunt in Cades-Barne.

Maria soror Moysis quatuor mensibus ante Aaronem, & undecim ante Moysem obit, agens circiter CXXX. annorum ætatem.

Moyses educit aquas e silice. Aquæ Contradictionis.

Transitum petiturus mittit a Regibus Idumææ & Moab.

1. Die V. Mensis. Obit Aaron, ætatis anno CXXIII.

Victoria ex Rege Arad. *Num.* XXI. & XXXIII.

Moyses erigit Serpentem æneum.

V. Mense Torrentem Arnon trajicit populus.

2553 Bellum in Sehon; quo victo, regio illius omnis Israelitis paret.

Bellum in Og Regem Basan.

Jair filius Manasse sexaginta Urbes regionis Argob in potestatem suam redigit, quas *Avot-Jair* appellat, *Urbes Jair*.

Balac Rex Moab Balaamum Ariolum vocat, qui Israelitas devoveat.

Prævaricatio Israelitarum in cultum Phegor.

Lex de filiabus Salphaad. *Num.* XXVII. 1.

Bellum in Madianitas.

Portio Tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Manasse assignata.

COMMENTARIUS LITERALIS IN NUMEROS.

CAPUT I.

Census Israelitarum ferendis armis idoneorum : quo ex numero eximuntur Levitæ.

℣. 1. LOcutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto dicens: 2. Tollite summam universæ congregationis filiorum Israel per cognationes, & domos suas, & nomina singulorum, quidquid sexus est masculini, 3. A vigesimo anno & supra, omnium virorum fortium ex Israel, & numerabitis eos per turmas suas, tu, & Aaron. 4. Eruntque vobiscum principes tribuum, ac domorum in cognationibus suis, 5. Quorum ista sunt nomina : De Ruben, Elisur filius Sedeur. 6. De Simeon, Salamiel filius Surisaddai. 7. De Juda, Nahasson filius Aminadab. 8. De Issachar Nathanael filius Suar. 9. De Zabulon, Heliab filius Helon. 10. Filiorum autem Joseph, de Ephraim, Elisama filius Ammiud. De Manasse, Gamaliel filius Phadassur. 11. De Beniamin, Abidan filius Gedeonis. 12. De Dan, Ahiezer filius Amisaddai. 13. De Aser, Phegiel filius Ochran. 14. De Gad, Eliasaph filius Duel. 15. De Nephtali, Ahira filius Evan. 16. Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus, & cognationes suas, & capita exercitus Israel: 17. Quos tulerunt Moyses, & Aaron cum omni vulgi multitudine: 18. Et congregaverunt primo die mensis secundi, recensentes eos per cognationes, & domos, ac familias, & capita, & nomina singulorum, a vigesimo anno & supra. 19. Sicut præceperat Dominus Moysi. Numeratique sunt in deserto Sinai. 20. De Ruben primogenito Israelis per generationes, & familias, ac domos suas, & nomina capitum singulorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno & supra, procedentium ad bellum, 21. Quadraginta sex millia quingenti. 22. De filiis Simeon per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina, & capita singulorum omne, quod sexus est masculini a vigesimo anno & supra, procedentium ad bellum, 23. Quinquaginta novem millia trecenti. 24. De filiis Gad per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis & supra, omnes, qui ad bella procederent, 25. Quadragintaquinque millia sexcenti quinquaginta. 26. De filiis Juda per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno & supra, omnes, qui poterant ad bella procedere, 27. Recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti. 28. De filiis Issachar per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno & supra, omnes, qui ad bella procederent, 29. Recensiti sunt quinquaginta quatuor millia quadringenti. 30. De filiis Zabulon per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno & supra, omnes, qui poterant ad bella procedere, 31. Quinquaginta septem millia quadringenti. 32. De filiis Joseph, filiorum Ephraim per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno & supra, omnes, qui poterant ad bella procedere, 33. Quadraginta millia quingenti. 34. Porro filiorum Manasse per generationes, & fami-

lias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis & supra, omnes, qui poterant ad bella procedere, 35. Triginta duo millia ducenti, 36. De filiis Beniamin per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno & supra, omnes, qui poterant ad bella procedere, 37. Triginta quinque millia quadringenti. 38. De filiis Dan per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno & supra, omnes, qui poterant ad bella procedere, 39. Sexaginta duo millia septingenti. 40. De filiis Aser per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno & supra, omnes, qui poterant ad bella procedere, 41. Quadraginta millia, & mille quingenti. 42. De filiis Nephtali per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno & supra, omnes, qui poterant ad bella procedere, 43. Quadraginta tria millia quadringenti. 44. Hi sunt, quos numeraverunt Moyses, & Aaron, & duodecim principes Israel, singulos per domos cognationum suarum. 45. Fueruntque omnis numerus filiorum Israel per domos, & familias suas a vigesimo anno & supra, qui poterant ad bella procedere, 46. Sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta. 47. Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis. 48. Locutusque est ad Moysen dicens: 49. Tribum Levi noli numerare, neque summam eorum cum filiis Israel: 50. Sed constitues eos super tabernaculum testimonii, & cuncta vasa ejus, & quidquid ad cæremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum, & omnia utensilia: & erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. 51. Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum: cum castrametandum, erigent, quisquis externorum accesserit, occidetur. 52. Metabuntur autem castra filii Israel unusquisque per turmas, & cuneos, atque exercitum suum. 53. Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, & excubabunt in custodiis tabernaculi testimonii. 54. Fecerunt ergo filii Israel juxta omnia, quæ præceperat Dominus Moysi.

℣. 1. LOCUTUSQUE EST DOMINUS &c. Conjunctio *Et* (1) in exordio hujus Libri præscribitur, quod continuatio sit Libri præcedentis, & ambo argumenti connexione jungantur. Alloquitur Deus Moysem e Tabernaculo fœderis, id est, ex intimo penetrali Sanctuarii, unde oracula dare consueverat,

PRIMA DIE MENSIS SECUNDI. Secundo huic mensi datum est tandem post captivitatem Babylonicam nomen *Iiar*: est autem secundus anni sancti, respondetque partim Aprili. Acta sunt hæc in castris ad Sinai, antequam populus movens ad occupandam Chanaanitidem sese conferret.

℣. 2. TOLLITE SUMMAM, Hebræus (2): *Tollite caput*, numerum, censum, & summam census, *omnis cœtus, juxta familias suas & domus patrum suorum*. Cum Hebræorum Respublica optimis jam legibus formata esset, institutus rectus Dei cultus, erectum Tabernaculum, constituta Religio, initiati Sacerdotes, lustrari exercitum suum jubet Deus, & in censum redigi subjectam sibi gentem. Hæc autem inita est ratio, ut certus numerus totius populi constaret. Tota gente in duodecim Tribus divisa, Tribus illæ distributæ sunt in majores familias, e filiis proxime natis ex Patriarcha patre singularum Tribuum; tum demum ampliores illæ familiæ in privatas alias & minores familias distinctæ, quarum censa sunt capita & nomina, Postremum hunc privatumque censum egerunt Præfecti illi, quorum institutionem legas in Exodo XVIII. 21. Toti rei præsidebant Moyses & Aaron, quo scilicet majori ordine cuncta procederent. Ex aliis Hebraicæ historiæ circumstantiis intelligimus, hanc rationem indicendi censum totius populi per Tribus, tum per majores ac minores familias, communiter deinceps obtinuisse; e. g. cum de Achan actum est sub Josue (3), & cum Saul in Regem Israelis eligeretur (4).

QUIDQUID SEXUS EST MASCULINI. Hebræus (5), Chaldæus, & Septuaginta (6): *Omnem masculum per sua capita*. Apud Hebræos fœminæ nunquam adlegebantur in censum populi, sicut nec pueri, servi, & advenæ. Soli scribebantur mares viginti ætatis annis superiores, & sexaginta inferiores, adscribebantur, inquam, in lustro hoc, de quo modo (7); idest, ii tantum qui ad arma essent idonei: tunc enim e viris nemo non miles erat, ut totidem essent Principibus milites, quot subditi ferendis armis pares. Hinc instructissimi illi ad prodigium exercitus Regum Orientalium, de quibus in sacris Libris, & apud Scriptores.

Censuum generalium populi Dei quorumdam memoriam perennarunt nobis historiæ. Tres novimus sub Moyse; primum ante erectionem Tabernaculi, cum indictum est viritim tributum hemisicli ad sumptus vasorum ornamentorumque Tabernaculi (8). Alter census, septem mensibus post priorem, is est de quo modo. In utroque hoc Israelitarum numerus est idem, sive quod nemo per id temporis decesserit, sive quod decedentium numerum æque impleverint illi, qui interim ætatem militarem maturarunt; sive tandem quod discrimen inter utrumque illum censum tam leve esset, ut ne adscribendum quidem censeretur. Vero etiam propius autumamus, in lustro hoc populi minus necessarium reputatum fuisse, numeros inæquales fractosque, & quinquagesimo inferiores

[1] וידבר יהוה Septuag. Καὶ ἐλάλησε. [2] שאו את ראש כל עדת ..... למשפחתם לבית אבותם Septuag. Λάβετε ἀρχήν. [3] Josue VIII. 16. 17. 18. [4] 1. Reg. X. 20. 20. 21. [5] כל זכר לגלגלתם [6] Κατὰ κεφαλὴν αὐτῶν. [7] ℣. 45. *A vigesimo anno, & supra, qui poterant ad bella procedere.* [8] Exod. XXX. 2. 12. & XXXVIII. 25. 26.

tiores sedulo adnotare; rotundi enim semper apparent & exacte centeni plures. Sola Tribus Gad refert XLV. M. ac sexcentos & quinquaginta.

Tertius census universalis sub Moyse indictus est post eorum obitum, quorum erant adscripta in prioribus censibus capita (1). Tribus Levi seorsum a reliquis Tribubus censa est (2). Meminit etiam Scriprura lustri a Davide indicti in universum populum suum (3); sed ita meminit tanquam consilii suscepti anthore malo spiritu, quod severissimam Numinis ultionem provocavit.

Secundi hujus census a Moyse indicendi causa non satis apparet in Scriptura. Aliqui (4) ductum censent, ut in profectionibus & castrametationibus ordo servaretur. Cum enim populus iter suscepturus esset in expeditionem Chanaanitidis, res utique poscebat, ut Caput Reipublicæ & secundi ab illo Duces nossent, qunt capita haberent singuli sub signis per Tribus, quotque per Familias. E Textu Exodi discimus, censum illum Israelitarum ante erectionem Tabernaculi, minus quam posteriorem hunc accurate & segniori methodo ductum fuisse: satis enim fuit, ut nosceretur numerus eorum, a quibus solvendus esset hemisiclus: nihil est autem curatum, ut adscriberentur singuli sub Tribubus, sub familiis, domibusque secundariis. Tunc res erat tantum exigendi viritim tributum pro operibus sumptibusque Tabernaculi; nnnc autem agitur potissimum de ordinanda digerendaque multitudine, ut sua constaret ratio in ponendis castris, in profectionibus, ac præliis.

℣. 3. Numerabitis eos per turmas suas. Hebræus ad literam (5): *Secundum exercitum eorum*. Septuaginta: Σὺν τῇ δυνάμει αὐτῶν, *Cum virtute eorum*. Idest, eodem ordine dispones quo in præliis disponendi erunt; Vel: Lustrum ages, adhibens tecum Duces & reliquos ipsorum Præfectos (6). Vel tandem: Disponentur in agmen habebuntque ante se Duces suos & Principes. Poterat exercitus instrui per millenos, per centenos, & quinquagenos, quibus singulis ordinibus sui essent Duces constituti. Vide ad Exodi XIII. 18. quæ contulimus de ordine instruendi agminis apud Hebræos.

℣. 4. Eruntque vobiscum principes Tribuum. Quinam illi? Primores natu & ævo grandiores in singulis Tribubus, vel saltem cujusque amplissimæ in singulis Tribubus familiæ Seniores, ut putant quidam (7). Malunt alii (8), designari posteros per rectam lineam e primoribus Patriarchis deductos. Reliquis plane Patriarcharum posteris jus erat, inquiunt illi, potiundi dignitate Capitis familiæ, sed non Principis Tribnum. Aliis tandem (9) succurrit, Principes hosce selectos fuisse suffragio universæ Tribus, habita ratione virtutis & meriti rerum gestarum, non sanguinis ac ætatis. Cum enim pari sanguinis nobilitate ingenuos se omnes Israelitæ reputarent, nullum in ea re statuere poterant discrimen. Ad hæc, Principes illi Tribuum, de quibus hic, non semper e primoribus naru Patriarchæ alicujus originem suam referre deprehenduntur. Ita Nahasson Princeps Juda, generis authorem habuit non Selam filium Juda natu majorem, sed Phares, inter liberos illius minorem natu. Tandem in tertio censu populi habito a Moyse, paulo ante ejus obitum, Principes Tribuum alii omnes designantur, quam ex posteris eorum, de quibus hic. Reputandum est igitur, dignitatem Principis Tribuum privilegium esse datum virtuti & merito privatorum. Equidem in Exodo XVIII. 21. 25. Moyses, authore Jethro, *electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos Principes populi, Tribunos &c.* habita virtutis, non sanguinis ratione.

℣. 14. Eliasaph filius Duel. Septuaginta tum hic, cum alibi, ubicumque idem recurrit nomen, pro דעואל legunt רעואל *Raguel*. Hebræus legit *Reguel* in capite II. 14. Hujus variantis ratio repetenda est e similitudine literarum *Resch* & *Daleth*.

℣. 16. Capita exercitus Israel. Hebræus (10), & Versiones: *Capita millium Israel*. Duces sunt primarii a Moyse constituti, sub quibus merebant Centuriones & Pentacontarchi. Hos appellat non raro Vulgata *Tribunos*; hic autem, *nobilissimos Principes multitudinis*. Hebræus (11): *Convocati cœtus*; qui nominatim invitabantur ad cœtus; seu quos Moyses selegerat & appellaverat; seu tandem, Viri illustres, inclyti, & celebres in populo.

℣. 49. Tribum Levi noli numerare. Nullis Reipublicæ oneribus obnoxia erat Tribus Levi, nullis militaribus servitiis: ordinem generis sui non tenebat inter cæteras Tribus, sive in castrametationibus, sive in profectionibus; habebat enim tentoria sua circa Tabernacula: impositum illi munus erat agendi Tabernaculo excubias, ipsum erigendi, ejusque vasa deferendi: perinde erat ceu familia & Domus Domini; quare illam in censum cæterarum Tribuum venire par non erat.

℣. 51. Quisquis externorum accesserit. Si reliquarum Tribuum alius, ac potiori ratione si quis alienus a genere Israelitarum ad Tabernaculum accesserit propins, sive ut ejus ornamenta tangat, sive ut sacrum munus profanus exerceat, adjudicetur morti.

℣. 52. Unusquisque per turmas aut cuneos atque exercitum suum. Hebræus ad literam (12): *Unusquisque super castrametationem suam, & unusquisque super vexillum suum, ad exercitus suos.* Ex subsequenti capite ℣. 2. constat, agmen Israelitarum in quatuor agmina divisum fuisse, quæ agmina e tribus populi Tribubus singula coalescerent. Trium Tribuum prima signum erigebat, sub quo tres illæ Tribus cogebantur: singulis Tribubus suus erat peculiaris dux, cui parebant Centuriones & Pentacontarchi, uti jam animadversum est. Potissimæ Tribus Princeps imperium in geminas alias Tribus earumque Duces exercebat. De hisce signis quid doceant Scriptores Commentariorum, in subsequenti capite trademus.

℣. 53. Ne fiat indignatio super multitudinem, si profanus aliqnis vel alterius Tribus, vel advena, vel vitiatus legali macula accesserit ad Tabernaculum. Id ne contingeret, vigilandum erat a Levitis.

[1] Num. XXVI. 64. *Inter quos nullus fuit eorum, qui ante numerati sunt a Moyse & Aaron in deserto Sinai.* [2] Num. III. 15. & XXVI. 57. [3] 2. Reg. XXIV. 2. 3. & 1. Par. XXI. 1. *Consurrexit Satan contra Israel, & concitavit David ut numeraret Israel.* [4] Vide Cornel. Bonfr. Menoch. [5] תפקדו אתם לצבאתם [6] Vide ℣. 4. [7] Lyran. Cornel. [8] Jansen. [9] Bonfrer. [10] ראשי אלפי ישראל [11] קריאי העדה Septuag. Ἐπίκλητοι τῆς συναγωγῆς. [12] איש על מחנהו ואיש על דגלו לצבאתם

CAPUT II.

Ordo agminis Israelitici in profectionibus & castramentationibus.

℣. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens: 2. Singuli per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum, castrametabuntur filii Israel, per gyrum tabernaculi fœderis. 3. Ad orientem Judas figet tentoria per turmas exercitus sui: eritque princeps filiorum ejus Nahasson filius Aminadab. 4. Et omnis de stirpe ejus summa pugnantium, septuaginta quatuor millia sexcenti. 5. Juxta eum castrametati sunt de tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanael filius Suar. 6. Et omnis numerus pugnatorum ejus, quinquaginta quatuor millia quadringenti. 7. In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon. 8. Omnis de stirpe ejus exercitus pugnatorum quinquaginta septem millia quadringenti. 9. Universi, qui in castris Judæ annumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti: & per turmas suas primi egredientur. 10. In castris filiorum Ruben ad meridianam plagam erit princeps Elisur filius Sedeur: 11. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingenti. 12. Juxta eum castrametati sunt de tribu Simeon: quorum princeps fuit Salamiel filius Surisaddai; 13. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, quinquaginta novem millia trecenti. 14. In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Duel. 15. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta. 16. Omnes, qui recensiti sunt in castris Ruben, centum quinquaginta millia, & mille quadringenti quinquaginta per turmas suas: in secundo loco proficiscentur. 17. Levabitur autem tabernaculum testimonii per officia Levitarum, & turmas eorum. Quomodo erigetur, ita & deponetur. Singuli per loca, & ordines suos proficiscentur. 18. Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud. 19. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, quadraginta millia quingenti. 20. Et cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadassur: 21. Cunctusque exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, triginta duo millia ducenti. 22. In tribu filiorum Beniamin princeps fuit Abidan filius Gedeonis. 23. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui recensiti sunt, triginta quinque millia quadringenti. 24. Omnes, qui numerati sunt in castris Ephraim, centum octo millia centum per turmas suas: tertii proficiscentur. 25. Ad Aquilonis partem castrametati sunt filii Dan: quorum princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai. 26. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, sexaginta duo millia septingenti. 27. Juxta eum fixere tentoria de tribu Aser: quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran. 28. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, quadraginta millia, & mille quingenti. 29. De tribu filiorum Nephtali princeps fuit Ahira filius Evan. 30. Cunctus exercitus pugnatorum ejus quinquaginta tria millia quadringenti. 31. Omnes, qui numerati sunt in castris Dan, fuerunt centum quinquaginta septem millia sexcenti; & novissimi proficiscentur. 32. Hic numerus filiorum Israel, per domos cognationum suarum, & turmas divisi exercitus, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. 33. Levitæ autem non sunt numerati inter filios Israel: sic enim præceperat Dominus Moysi. 34. Feceruntque filii Israel juxta omnia, quæ mandaverat Dominus. Castrametati sunt per turmas suas, & profecti per familias, ac domos patrum suorum.

℣. 2. Singuli per turmas, signa, atque vexilla. Idem vocum discrimen, quod expressum est in Vulgata, exhibetur in Textu. Duæ sunt voces, quarum una אותת sonat signum utcumque, indicium, insigne; altera vero proprie exprimit militare vexillum. Non incongrue reputamus, unum fuisse generale vexillum, toti agmini e Tribubus coalescenti commune; & præter illud, suum aliud habuisse singulas illas Tribus. Vel forte Hebræum *Dagel* דגל erit vexillum universæ Tribui commune; & *Othoth* privatum alterum centuriarum, vel manipulorum e quinquaginta.

Hebræi Doctores, &, post illos, Scriptores Commentariorum plura venditant de vexillis hisce Israelitarum in deserto. Affirmant, singulas Tribus signum prætulisse sericeum, coloris ejus gemmæ, quæ cælatum referebat nomen ejus Tribus in Rationali Summi Sacerdotis; hoc autem vexillum phrygio opere pictum exhibuisse emblema quoddam spectans Patriarcham, qui nomen suum Tribui dederat. Viride signum extulerat Tribus Juda, pictum exhibens Leonem, juxta oraculum illud Jacobi in Genesi XLIX. 9. *Catulus leonis Juda*.

Rubrum vexillum sortitus est Ruben, & in eo

caput

caput hominis delineatum: quo emblemate innuebatur jus primoris natu hujus Patriarchæ inter filios Jacobi; vel saltem mandragoræ illæ indicabantur, quibus donaverat matrem suam (1), quæque pariter ad hominem similitudine quadam accedunt.

Vexillo Ephraimi color erat chrysolytum referens; bos autem vel caput vituli pictum, vaccarum, quas Pharao per quietem vidit (2), memoriam renovabat; seu forte Josephi patris Ephraimi, de quo Moyses in Deuteronomio XXXIII. 17. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus*.

Album rubro mixtum erat vexillum Dan, quod eo micaret colore jaspis, gemma ejus nomine cælata. Phrygii operis Aquila unguibus serpentem tenens, ornamentum erat simul illius, & emblema Tribus, cui oraculum illud latum est a Jacobo in Genesi XLIX. 17. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*. Sunt qui contendant, Aquilam illa exhiberi eam, quam per visum spectavit Ezechiel ultra nongentos annos serius (3).

Hæc sunt vexilla quatuor potissimarum Tribuum, quæ sub signis cæteras collectas habebant. Ad Tribum Juda accedebat Issachar, & Zabulon. Ad Ruben, Simeon & Gad; ad Ephraim, Manasse & Benjamin; ac tandem ad Dan, Aser & Nephtali.

Paraphrastes Jonathan vexilla hæc omnia non aliter fere, quam superiores illi, depingit. Censet ille, agmina singula e tribus collecta Tribubus commune extulisse vexillum sericeum, trium colorum, juxta tres gemmas, quæ nomina illarum Tribuum cælata præferebant in Rationali. Vexillum autem illud exhibebat emblema Principis Tribus, aliquibus additis characteribus, ac sententia aliqua Scripturæ. Tribus Juda, habens sub signis Issacharem & Zabulonem, occupabat aream quatuor mille passuum: leunculum autem extulerat in vexillo, cum lemmate: *Surgat Deus, dissipabuntur osores tui, & fugient hostes tui a facie tua*. Legebantur ibi pariter adscripta nomina Tribuum Juda, Issachar, Zabulon.

Tribus Ruben, Simeonis, & Gad cervum extulerunt pro signo; cavit enim Moyses, ne imago vituli pingeretur, ne in memoriam rediret cultus vituli aurei. Accedebant scripta nomina illarum Tribuum, tum & sententia illa: *Audi Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est*.

Puer pictus erat in vexillo Ephraimi, Manasse, & Benjamini; inscriptio vero *Nubes Domini super eos erat per diem cum incederent*.

Dan, Aser, & Nephtali selegerunt, juxta nonnullos, basiliscum, juxta alios, aquilam, addita sententia: *Revertere Domine: habita cum gloria tua in medio myriadum millium Israel*. Emblemata hæc deducta creduntur e Cherubim Ezechielis, referentibus figuram leonis, hominis, vituli, aquilæ.

Veritatis harum rerum omnium vadem fidem nostram non damus: sed petitas esse e vetustis traditionibus negaverit nemo; & quamquam re ipsa repugnare videantur consilio Moysis, damnantis imagines æque omnes sive pictas, sive textas, sive insculptas, agnoscamus tamen oportet, quandoquidem sub signis stetisse suis Tribus illas luculenter idem Moyses affirmat, signa illa utique distingui inter se opus fuisse vario aliquo, seu colore, seu emblemate.

Mos pingendi animalia in armis, & in insignibus bellicis, tota antiquitate non ignotus est. Ex testimonio Sacerdotum Ægyptiorum narrat Diodorus Siculus (4), Osiridi geminos fuisse liberos, Anubim & Macedonem, quocumque pater iret, comitantes; sua autem ambos sumpsisse arma, Anubim quidem canis emblemate figurata, Macedonem lupi. *Scutis Heroum, qualibus apud Trojam pugnatum est, continebantur imagines*, ait Plinius (5). Scitum est, Veteres in galeis gestasse figuras animalium; ex quo derivatum credunt morem pingendi Deos Ægyptios sub figuris animalium, quas Dii illi picta ferebant in armis, sive quas assumpserant in insignibus. Inde pariter stemmatum familiarum origo repetitur a nonnullis; cujus moris multo longiorem vetustatem demonstrare pronum esset, siquidem veritas dictis Hebræorum de majorum suorum insignibus constaret.

Castrametabuntur .... per gyrum Tabernaculi. Docent Hebræi, inter castra Israelitarum, & Tabernaculum spatium inter jacuisse bis mille cubitorum; quemadmodum & simile intervallum erat inter Arcam & exercitum, cum transvadaretur Jordanes (6). Hoc autem spatium appellant illi Castra Levitarum; sicut & castra Domini erant quidquid ambiret atrium & Tabernaculum. Repetitur inde triplex illa divisio castrorum: Domini, Levitarum, & Israelitarum.

℣. 17. Levabitur autem Tabernaculum. Totus hic versiculus ita redditur ad literam ex Hebræo (7): *Et cum proficisceretur tentorium conventus, castrametatio Levitarum in medio castrorum erit. Quemadmodum castrametabuntur, ita proficiscentur, unusquisque super manu sua, ad vexilla sua*. Igitur Levitæ, quibus erat assignata rerum sacrarum custodia, observabant in profectionibus, habita ratione aliarum Tribuum, eumdem ordinem, & dispositionem, & locum, quem tenebant in castris. Medium totius agminis habebant, sicut & medium castrorum. Solemne erat Hebræis, quemadmodum & Romanis, castra locare quadrata, rebus sacris in centro positis (8). Tribus Juda, Issachar, & Zabulon incedebant primæ; secundæ, Ruben, Simeon, & Gad. Succedebant Levitæ, & Castra Domini, tegebantque eorum latera Ephraim, Manasse, Benjamin; tandem in toto exercitu postremi veniebant Dan, Aser, & Nephtali. Hæc discimus ex ℣℣. 9. 16. 24. & 31.

℣. 23. Triginta quinque millia quadringenti. Samaritanus habet tantum triginta millia quadringentos.

℣. 24. Centum octo millia: Onkelos: *Centum octoginta millia*.

(1) Genes. XXX. 14. (2) Genes. XLI. 18. (3) Ezech. XVII. 3. (4) Diodor. Sicul. l. 2. c. 2.
(5) Plin. lib. 35. c. 3. (6) Josue III. 4. *Sitque inter vos & arcam spatium cubitorum duum millium*.
(7) ונסע אהל מועד מחנה הלוים בתוך המחנות כאשר יחנו כן יסעו איש על ידו לדגליהם (8) Grot.

CAPUT III.

Destinat Deus Levitas servitiis Tabernaculi. Census Tribus Levi, quam Deus reservat sibi, loco primorum natu universi populi sui.

℣. 1. Hæ sunt generationes Aaron, & Moysi, in die, qua locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai. 2. Et hæc nomina filiorum Aaron: primogenitus ejus Nadab, deinde Abiu, & Eleazar, & Ithamar. 3. Hæc nomina filiorum Aaron

ron sacerdotum, qui uncti sunt, & quorum repletæ, & consecratæ manus, ut sacerdotio fungerentur. 4. Mortui sunt enim Nadab, & Abiu, cum offerrent ignem alienum in conspectu Domini in deserto Sinai, absque liberis: functique sunt sacerdotio Eleazar, & Ithamar coram Aaron patre suo. 5. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 6. Applica tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron sacerdotes, ut ministrent ei, & excubent. 7. Et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii, 8. Et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus. 9. Dabisque dono Levitas. 10. Aaron, & filiis ejus, qui traditi sunt a filiis Israel. Aaron autem, & filios ejus constitues super cultum sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. 11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 12. Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel, eruntque Levitæ mei. 13. Meum est enim omne primogenitum: ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti: sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israel, ab homine usque ad pecus, mei sunt: ego Dominus. 14. Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai: dicens: 15. Numera filios Levi per domos patrum suorum, & familias, omne masculum ab uno mense, & supra. 16. Numeravit Moyses, ut præceperat Dominus, 17. Et inventi sunt filii Levi per nomina sua, Gerson, & Caath, & Merari. 18. Filii Gerson: Lebni, & Semei. 19. Filii Caath: Amram, & Jesaar, Hebron, & Oziel. 20. Filii Merari: Meholi, & Musi. 21. De Gerson fuere familiæ duæ, Lebnitica, & Semeitica; 22. Quarum numeratus est populus sexus masculini ab uno mense, & supra septem millia quingenti. 23. Hi post tabernaculum metabuntur ad occidentem, 24. Sub principe Eliasaph filio Lael. 25. Et habebunt excubias in tabernaculo fœderis. 26. Ipsum tabernaculum, & operimentum ejus, tentorium, quod trahitur ante fores tecti fœderis, & cortinas atrii, tentorium quoque quod appenditur in introitu atrii tabernaculi, & quidquid ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi, & omnia utensilia ejus. 27. Cognatio Caath habebit populos Amramitas, & Jesaaritas, & Hebronitas, & Ozielitas. Hæ sunt familiæ Caathitarum recensitæ per nomina sua. 28. Omnes generis masculini ab uno mense, & supra, octo millia sexcenti; habebunt excubias Sanctuarii, 29. Et castrametabuntur ad meridianam plagam. 30. Principesque eorum erit Elisaphan filius Oziel: 31. Et custodient arcam, mensamque, & candelabrum, altaria, & vasa Sanctuarii, in quibus ministratur, & velum; cunctamque hujuscemodi supellectilem. 32. Princeps autem principum Levitarum Eleazar filius Aaron sacerdotis, erit super excubitores custodiæ Sanctuarii. 33. At vero de Merari erunt populi Moholitæ, & Musitæ recensiti per nomina sua. 34. Omnes generis masculini ab uno mense, & supra, sex millia ducenti. 35. Princeps eorum Suriel filius Abihaiel: in plaga septentrionali castrametabuntur. 36. Erunt sub custodia eorum tabulæ tabernaculi, & vectes, & columnæ, ac bases earum, & omnia, quæ ad cultum hujuscemodi pertinent: 37. Columnæque atrii per circuitum cum basibus suis, & paxilli cum funibus: 38. Castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id est, ad orientalem plagam, Moyses, & Aaron cum filiis suis, habentes custodiam Sanctuarii in medio filiorum Israel: quisquis alienus accesserit, morietur. 39. Omnes Levitæ, quos numeraverunt Moyses, & Aaron, juxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino a mense uno, & supra, fuerunt viginti duo millia. 40. Et ait Dominus ad Moysen: Numera primogenitos sexus masculini de filiis Israel ab uno mense, & supra, & habebis summam eorum. 41. Tollesque Levitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel, ego sum Dominus: & pecora eorum pro universis primogenitis pecorum filiorum Israel. 42. Recensuit Moyses, sicut præceperat Dominus, primogenitos filiorum Israel. 43. Et fuerunt masculi per nomina sua, a mense uno, & supra viginti duo millia ducenti septuaginta tres. 44. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 45. Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israel, & pecora Levitarum pro pecoribus eorum, eruntque Levitæ mei: ego sum Dominus. 46. In pretio autem ducentorum septuaginta trium, qui excedunt numerum Levitarum de primogenitis filiorum Israel, 47. Accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram Sanctuarii, Siclus habet viginti obolos. 48. Dabisque pecuniam Aaron, & filiis ejus, pretium eorum, qui supra sunt. 49. Tulit igitur Moyses pecuniam eorum, qui fuerant

rant amplius, & quos redemerant a Levitis. 50. Pro Primogenitis filiorum Israel, mille trecentorum sexagintaquinque siclorum juxta pondus Sanctuarii, 51. Et dedit Aaron, & filiis ejus juxta verbum, quod præceperat sibi Dominus.

℣. 1. HÆ SUNT GENERATIONES AARON, ET MOYSI. Commode redditur Textus: ואלה תולדת *Hi posteri Aaronis & Moysis*. Nulla tamen sunt hic nomina filiorum Moysis, nec alibi ferme unquam de illis agit Legislator. Nullum, dum vixit, illis locum assignavit, nullas post obitum suum prærogativas illis hæreditarias reliquit. Ita per omnia mixti sunt cum reliquis Levitis, ut nihil ab eis distinguerentur. Hebræum ita reddunt nonnulli (1): *Hæc acciderunt Moysi, & Aaroni*; quam significationem alicubi in Scriptura (2) præferunt voces illæ Textus. Generatio interdum historiam vitæ alicujus significat.

℣. 4. FUNCTI SUNT SACERDOTIO ELEAZAR ET ITHAMAR CORAM AARON PATRE SUO; idest cum patre suo ἐπ' Ἀαρὼν, vel eo superstite, vel de ejus mandato. Servisse illos sub manu Aaronis patris sui, legimus in 1. Paralipomenon XXIV. 19. idest; subsidiariam operam præstitisse illi ad ejus nutum & sub manu illius.

℣. 6. APPLICA TRIBUM LEVI. Tribus hæc universa destinata est servitiis Domini in ejus Tabernaculo. Aaron ejusque filii Sacerdotii dignitate decorati sunt, initiati, ut amplissimum, & Sanctissimum munus obirent. Vulgares Levitæ additi sunt Aaroni, cæterisque Sacerdotibus, ut sub illis præstarent laboriosa magis & communia officia Tabernaculi. Sacerdotum erat offerre Deo Sacrificia, panes, libationes, suffitus, sanguinem victimarum; sed Levitæ removebantur ab Altari: expandebant tantum, demittebantque Tabernaculum; deferebant Altaria obvoluta integumentis, & cætera quæ Tabernaculi essent; erant denique sub manu & ad nutum Sacerdotum.

℣. 7. ET EXCUBENT, ET OBSERVENT QUIDQUID AD CULTUM PERTINET MULTITUDINIS. Excubias agent ante Tabernaculum pro Aarone & pro universo populo, ut suppleant quidquid populus per se præstare non valet (3). Aliter: *Servient Aaroni & universo populo in ministerio Tabernaculi; custodiæ suæ habebunt commissa vasa Tabernaculi, quorum cura Aaroni, & universo populo incumbit*. Aliter, juxta Vatablum: Servent circa Tabernaculum id quod Aaroni & reliquis Sacerdotibus servandum est. Tum præter hæc, præscriptas populo sanctiones observent, curentque ne populus aliquid remittat de obsequio in res sacras debito.

℣. 10. QUIBUS TRADITI SUNT A FILIIS ISRAEL. Samaritanus & Septuaginta legunt: *Dati sunt mihi de medio filiorum Israel*; quod in idem recidit. Israelitæ addicebant Deo Levitas, ut suo loco incumberent servitiis Tabernaculi; addicebant illos & Sacerdotibus, ut ab illis destinarentur muneribus, prout optimum censebatur. Sacerdotes gerebant locum Dei; Levitæ serviebant Domino, cum nutibus Sacerdotum parerent. Utitur hic Scriptura voce *Nethunim* (4), *traditi*, quæ eadem est ac *Nathinæi*, de quibus alibi actum est (5). Erant Nathinæi homines devoti servitiis infimis Tabernaculi, uti comportandæ aquæ, lignis &c. Hisce operis, jubente Josue, addicti sunt in pœnam Gabaonitæ (6).

CONSTITUES SUPER CULTUM SACERDOTII. Hebræus: *Constitues, & custodient Sacerdotium suum*. Exercitium ministerii sui nulli unquam hominum permittent obeundum. Septuaginta: *Constitues super Tabernaculum Testimonii, & custodient Sacerdotium suum, & omnia quæ ad altare & intra velum*.

EXTERNUS QUI AD MINISTRANDUM ACCESSERIT, MORIETUR. Hebræus: והזר הקרב יומת, *Externus qui obtulerit*. Septuaginta: Ὁ ἀλλογενὴς ὁ ἁπτόμενος, *Alienigena qui tetigerit, morietur*. Jonathan: *Profanus qui accesserit, interficietur igni inflammato a facie Domini*. Docent Hebræi (7), vel ipsos pariter Levitas morte damnari Judicum sententia, si muneris Sacerdotalis aliquid præstare auderent, vel si alter de alterius munere aliquid sibi arrogaret.

℣. 12. EGO TULI LEVITAS A FILIIS ISRAEL PRO OMNI PRIMOGENITO. Ex quo Deus primores natu Hebræorum e gladio Angeli exterminatoris sævientis in majores natu Ægyptiorum exemit illæsos, reservavit sibi in Israele quidquid esset primum natu tam hominis quam brutorum, palamque edixit, suos esse: quare vel sibi traderent, vel redimerent pretio. Jus illud Dei perseveravit in Israele quoad mares omnes, qui deinde nati sunt. Verum quoad primores natu Israelitarum agentes tunc in vivis, subductosque e gladio Angeli exterminatoris, sævientis per Ægyptum, Deus in pretium redemptionis illorum, totam Tribum Leviticam elegit. *Ego*, inquit, *tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito*.

Sed cujus potissimum virtutis merito id privilegium præ cæteris obtinuerunt Levitæ? Acceptum id referre videtur Scriptura studio & fidei, qua Levitæ ultionem injuriæ irrogatæ Domino ab impiis cultoribus vituli aurei prosequuti sunt. Post facinus illud fortissimum ita illos affatur Moyses (8): *Consecrastis manus vestras hodie Domino unusquisque in filio & fratre suo; ut detur* (idcirco dabitur) *vobis benedictio*. Et in Deuteron. XXXIII. 9. ipsam eamdem Tribum ita compellat: *Perfectio tua & doctrina tua* (i. e. pectorale continens Urim & Thummim) *viro sancto tuo* (datæ sunt) *quem probasti* (Domine) *in tentatione, & judicasti ad aquas contradictionis. Qui dixit patri suo: & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro vos; & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt . . . ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super Altare tuum*.

Atqui nonne idem Moyses disertissime contraria omnia affirmat? Sacerdotium scilicet jam assertum fuisse familiæ Aaronicæ ante præstitum vitulo aureo cultum, actosque a Moyse primos quadragenos dies in monte. Nonne constat, constituisse Deum Moysi leges, ab Aarone ejusque filiis servandas: docuisse pariter ritum consecrationis illorum: vestes, quibus induerentur? hæc autem omnia ante adorationem vituli aurei. Fatemur, ibi ne uno quidem verbo designari Tribum Levi; sed ex quo Sacerdotium in ea Tribu, & in familia Aaronis statutum est, cætera ejus Tribus decora periode habentur ac prioris illius appendices. Levitarum enim privilegia cum Sacerdotalibus comparata minima sunt ac levissima. Restat igitur reputemus, delectum illum familiæ Aaronicæ in dignitatem Sacerdotii merum fuisse putumque Dei largitoris beneficium; quamquam etiam agnoscamus oportet merito virtutis ejus familiæ datum fuisse, ut prior ille gratuitus delectus ratus haberetur & firmus, merito, inquam, virtutis, qua obsequiis Dei, & rebus illius promovendis inhæsit. Levitarum vero electionem jure meritoque reputaremus appendicem esse electionis Sacerdotum; quod sibi beneficium si promerue-

(1) Fag. Vatab. &c. (2) Vide Genes. II. 4. & VI. 9. (3) August. quæst. 4. in Numer. (4) נתונים הנה לו Vide & c. VIII. 16. 17. & XVIII. 6. (5) 1. Esdr. II. 43. (6) Josue IX. 23. *Non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei*. (7) Apud Cunæum de Repub. Hebr. lib. 2. cap. 11. (8) Exod. XXXII. 29.

meruerunt unquam supra cæteras alias Tribus, tunc utique promeruisse credendi sunt, cum imitationi Sacerdotum & ipsius pariter Moysis studentes, vindices se exbibuerunt rerum & gloriæ Domini sui. Addam pariter, jam inde ab exordio Deum facile revelasse Moysi consilium suum erga familiam Aaronicam ad Sacerdotium; in universo enim opere suo, quo prosequitur historiam rerum gestarum a relatis ex Ægypto pedibus, ita agit de Sacerdotibus, tamquam de ordine quodam hominum distincto ac segregato tum a vulgo, tum etiam ab Optimatibus: id autem servat, ne verbo quidem innuens, Sacerdotum nomine ante rogatam legem aliud designare se, quam quod deinceps sub ejus nominis appellatione insinuatum est.

Scio equidem reponi hisce, nomen Sacerdotum anticipatione quadam illis tribui: sed illud etiam sedulo animadvertendum est, ante rogatam legem selectamque Tribum Levi, Aaronem ejusque filios Ordinem constituisse in Republica Hebræorum ab aliis omnibus discretum. Si enim e numero tantum Principum vel Seniorum populi habiti fuissent, Deus ediceret tantum, e. g. Principes vel Seniores & omnis populus sanctificentur: Ne Seniores & populus ascendant montem. Aliter autem res habet sese: distinguit enim sedulo Seniores populi (1), Sacerdotes (2), & populum imperans: *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur.* Et: *Ascendesque tu & Aaron tecum: Sacerdotes autem & populus ne transeant terminos.* Alibi vero (3) apertissime exprimit quos Sacerdotes appellet, atque ipsos pariter distinguit a Senioribus & populo: *Ascende ad Dominum tu & Aaron, Nadab & Abiu*; en Sacerdotes: *& septuaginta Senes ex Israel . . . . nec populus ascendet cum eo.* Hæc autem omnia mandata sunt Moysi ante cultum vitulo impensum. Igitur statuamus oportet, antea familiam Aarnnis agnitam fuisse in Israele, & veluti destinatam a Deo ad exercendum ministerium Sacerdotii, quanquam nullum adhuc publicum ejus exercitium præstitum est in Tabernaculo ante solemnem Aaronis ejusque filiorum consecrationem.

℣. 15. NUMERA FILIOS LEVI . . . . AB UNO MENSE ET SUPRA. Ad instituendum censum filiorum Levi eadem babita est ratio, quæ in censendis aliis Tribubus; distributa est enim in majores familias, quæ veluti parentes erant cæterarum; tum & minores aliæ e prioribus illis ortæ divisæ sunt; tandem descripta sunt nomina virorum omnium, unius mensis ætate majorum. Cum autem hic unica haberetur ratin ducendi summam Levitarum, ut veluti permutatione quadam par numerus primorum natu cæterarum Tribuum compensaretur; nulla habita est ratio, an Levitæ illi ætatem agerent seu ad arma serenda, seu ad præstanda munera Tabernaculi idoneam: censi sunt uno mense majores indiscriminatim omnes. Erant in aliis Tribubus majores natu omnis ætatis; quare & omnis ætatis Levitæ assignandi erant. Si ex iis Levitis describendi non fuissent viri ætate viginti annorum minores, nec majores sexaginta; minor numerus relatus fuisset, quam ut par esset majoribus natu cæterarum Tribuum compensandis.

℣. 25. ET HABEBUNT EXCUBIAS IN TABERNACULO FŒDERIS [℣. 26.] IPSUM TABERNACULUM ET OPERIMENTUM EJUS. Cum hic imperatur Gersonitis, ut excubias habeant in Tabernaculo fœderis, ita dictum accipiendum est: Eorum custodiæ credentur aliqua, quæ usui sunt Tabernaculi; extendent & demittent velamina quædam, quæ & deferent in profectionibus exercitus. Scitum est ex Levitico (4), & ex ℣. 32. hujus Capitis, custodiam Tabernaculi unicis Sacerdotibus committi: sed ad ostium atrii excubias agere poterant Levitæ. Ita commode redderetur Hebræus: *Et hæc erunt in custodia filiorum Gerson ex vasis Tabernaculi; illis erunt velamina Tabernaculi, & velum aditus Sancti.* Sed & hæc pariter exceptione quadam restringenda sunt, constat enim ex subsequentibus, Caathitas obvolvisse mensas & candelabrum aureum, fidei suæ commissa, velaminibus hyacinthinis, & pellibus item hyacinthinis. Idem velum pendens ante aditum Sanctuarii, integumentum erat Arcæ. Igitur e velaminibus tegentibus Tabernaculum quædam obvolvebant ea, de quibus hic agitur. Velamina cætera Gersonitæ curabant. Non defuerunt, qui affirmarint, integumenta illa mensarum & candelabri ad hunc usum confecta fuisse, ut aliud essent plane diversum ab integumentis Tabernaculi; sed hujus opinionis documenta sunt nulla; Cæterum sedulo distinguendum est inter velamina atrii & Tabernaculi. Utrumque genus commissum erat Gersonitis: de velaminibus atrii agitur versiculo subsequenti.

QUIDQUID AD RITUM ALTARIS PERTINET. Ex hoc Textu innui videretur, Gersonitis commissa fuisse instrumenta omnia ad usum altaris holocaustorum; sed ex ℣. 31. intelligimus, altaria omnia curasse filios Caath. Quare Hebræus (5), Chaldæus, & Versiones reliquæ disertissime exprimunt, Gersonitis nonnisi sola velamina commissa fuisse. Ita Textus ad literam: *Operimentum, quod undiquaque super Tabernaculum, & super Altare*; idest, omnia velamina atrii, quæ ambiunt Tabernaculum & Altare holocaustorum.

FUNES TABERNACULI ET OMNIA UTENSILIA EJUS. Genuinum sensum hujus Textus expandens Hebræus (6) fert: *Funes ejus* [Tabernaculi] *ad omne servitium ejus*; idest, funes ad intendendas cortinas Tabernaculi, longe alios ab iis, quibus firmantur columnæ atrii, commissis curæ Meraritarum. Vide infra ℣. 37.

℣. 27. 28. COGNATIO CAATH . . . . HABEBUNT EXCUBIAS SANCTUARII. Dicta hæc non ita accipienda sunt, quasi excubiæ ab illis agendæ essent Tabernaculo; has enim Sacerdotum munus fuisse constat ex ℣℣. 32. & 38. Sed Caathitæ deferebant in itinere vasa Sancti & Sanctuarii, idest, Arcam, Altare thymiamatis, mensam panum propositionis, candelabrum aureum, Altare holocaustorum. Labrum æneum cum basi addit Samaritanus; & re ipsa quidem constat ex Capite IV. 14. labrum illud onus fuisse Caathitis impositum. Deferebantur vasa illa obvoluta velaminibus, uti jam supra, ad ℣. 25. animadversum est, & constat ex Textu Capitis IV. 5. 6. 7.

℣. 32. PRINCEPS PRINCIPUM LEVITARUM ELEAZAR. Idem erat Eleazari imperium in Levitas, ac patris ipsius Aaronis in Sacerdotes: Principibus omnibus familiarum Levi præstabat. Memorantur in Evangelio (7) Principes Sacerdotum, a Summo Sacerdote plane diversi. Hanc facile dignitatem gerebat Eleazar, superstite adhuc Aarone. Ex testimonio Capitis IV. 16. constat pariter, Eleazarum privatum Principatum gessisse in Caathitas. Vide eumdem locum.

ERIT SUPER EXCUBITORES CUSTODIÆ SANCTUARII. Authoritatem geret & imperium in familiam Caath, cui utensilia Sancti & Sanctuarii commissa sunt. Caathitæ sub ejus manu servient; committet illis vasa obsequio dignissima, quare & sancte ab illis tractanda curabit.

℣. 34. SEX MILLIA DUCENTI. Septuaginta in nonnullis Exemplaribus: *Sex millia ducenti quinquaginta.*

℣. 38.

[1] Exod. XIX. 7. *Venit Moyses, & convocatis majoribus natu populi, &c.* [2] Ibid. ℣. 22. 24. [3] Exod. XXIV. 1. 2. [4] Levit. VIII. 35. *Die ac nocte manebitis in Tabernaculo, observantes custodias Domini, ne moriamini, &c.* [5] קלעי ... אשר על המשכן ועל המזבח סביב [6] ואת מיתריו לכל עבדתו [7] *Principes Sacerdotum*, Matth. II. 4. XVI. 21. XXI. 15. & passim. *Princeps Sacerdotum Caiphas*, Matth. XXVI. 57. 62. *Principes Sacerdotum Annas & Caiphas*, Luc. III. 2.

℣. 38. Moyses et Aaron cum filiis suis. Idest Aaron cum filiis suis; nam Moysis filii censebantur inter Caathitas (1); neque illis integrum erat, ut una cum patre adsisterent præ foribus Tabernaculi.

Habentes custodiam sanctuarii in medio filiorum Israel. Hebræus: *Custodientes custodiam Sanctuarii, ad custodiam filiorum Israel*; quæ Deo in Sanctuario suo servitia præstanda essent a filiis Israel, hæc sibi ipsi assument (2).

℣. 39. Omnes Levitæ . . . fuerunt viginti duo millia. Simul in unum collecta summa Levitarum ducta in hoc capite, resultabit numerus viginti duum millium trecentorum; ex quo conficietur Levitarum numerus numero primorum natu major septem & viginti capitibus; cum vicissim Moyses hic ℣℣. 43. & 46. narret primores natu Israelitarum excedere Levitas numero hominum ducentorum ac septuaginta trium. Ut hoc discrimen concilient, varias ineunt rationes Interpretes. Sunt qui in ℣. 28. legant VIII. M. ac CCC. pro VIII. M. & DC. quod habent Hebræus, Vulgata, & Versiones; quare corruptionem in Textu originali suspicantur, legendumque volunt שלש, *tria*, pro שש *sex*: sed cujus exemplaris fide corruptionem hanc suam probant?

Malunt alii (3), summa illa viginti duum millium non comprehendi nec supputari primogenitos Levitarum, nec Sacerdotes e genere Aaronico, qui facile conficiebant numerum hominum trecentorum, uno tantum primogenito supputato in singulos LXXIV. viros. Sed Bonfrerius scite observat, vix æquum reputari posse arctum adeo numerum primorum natu in universa Tribu Levi. Fieri non poterat, ut inter viginti duo millia ac trecentos homines vix trecenti occurrerent primores natu; experimento enim discimus, nullam esse familiam sex, septem, vel octo hominum, in qua simul non exhibeatur unus aliquis primogenitus; in tanta vero Levitarum multitudine vix unus in singulos LXXIV. homines assignatur. Ad alias Tribus quod attinet, idem Author observat, si duodecies centenis & octo millibus hominum tribuantur XXII. M. ac CCLXXIII. primores natu, unus tantum e primoribus hisce natu respondebit singulis LIV. vel LV. hominibus: id vero fidem superat.

Ut igitur ab hisce sese expediat idem Scriptor, ita de re tota definit. I. Fortasse e numero primorum natu ii expungebantur, qui jam Capita familiarum essent. II. numerari tantum censet inter primores natu eos, qui nati sunt post egressum ab Ægypto, & postquam Angelus exterminator sævit in primores natu Ægyptiorum; eorum enim gratia, qui ab eo discrimine exempti fuere, primogenitos sibi reservaverat Deus. Sed metuendum est, ne rebus ita constitutis, e salebris incidamus in salebras: tunc enim numerus viginti duum millium ac trecentorum septuaginta trium primorum natu plus nimio major videbitur, quam ferat anni spatium, in numero hominum, quem implebant plures imbecilliores, vel nondum adulta, vel effœta jam ætate, quam ut liberos gignere valerent; sicut & plures erant, qui genuerant antea liberos, adeoque nullos deinceps sufficere poterant primores natu, saltem ex fœminis, quas duxerant in Ægypto. Retinenda est igitur ea, quam secundo loco adduximus, responsio; vel fatendum, aliquod irrepsisse mendum in numerum; quamquam postremum hoc ægre admodum induceretur in animum, cum in Libri hujus decursu ita de hoc numero agat Author, tanquam de re certa & explorata.

℣. 46. In pretio autem ducentorum septuaginta trium &c. [47.] Accipies quinque siclos. Numerus ille primorum natu Israelis excedebat, uti supra animadversum est, Levitas numero hominum ducentorum septuaginta trium; quare redimenda fuerunt capita illa reliqua, quæ pari numero Levitarum rependi non valuissent. Sed cujus sumptu pretium illud solvendum erat? Sunt qui forte selectos fuisse credant, qui solverent viritim quinque siclos. Alii oneratos ex æquo volunt singulos e populo, ut totum pretium e communi daretur. Visum est tandem nonnullis id oneris imponere ducentis septuaginta tribus postremis primoribus natu: sed nihil ea de re Scriptura. Cæterum quinque sicli reddunt monetæ nostratis Gallicæ octo libras circiter. Pretium pueri Deo devoti constitutum erat quinque siclorum, siquidem redimeretur, ab uno ætatis mense usque ad quinque annorum ætatem (4).

[1] 1. Paralipom. XXIII. 12. 13. 14. 15. [2] Vide sup. ℣. 9. [3] Lyran. Tost. Cajet.
[4] Levit. XXVII. 2.

CAPUT IV.

Census, ætas, & munera familiarum Leviticarum, ministrantium Tabernaculo.

℣. 1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens: 2. Tolle summam
filiorum Caath de medio Levitarum per domos, & familias suas, 3. A
trigesimo anno, & supra usque ad quinquagesimum annum, omnium, qui ingrediuntur,
ut stent, & ministrent in tabernaculo fœderis. 4. Hic est cultus filiorum Caath:
Tabernaculum fœderis, & Sanctum sanctorum. 5. Ingredientur Aaron, & filii ejus,
quando movenda sunt castra, & deponent velum, quod pendet ante fores, involventque
eo arcam testimonii, 6. Et operient rursum velamine janthinarum pellium, extendentque
desuper pallium totum hyacinthinum, & inducent vectes. 7. Mensam
quoque propositionis involvent hyacinthino pallio, & ponent cum ea thuribula, &
mortariola, cyathos, & crateras ad liba fundenda: panes semper in ea erunt. 8. Extendentque
desuper pallium coccineum, quod rursum operient velamento janthinarum
pellium, & inducent vectes. 9. Sument & pallium hyacinthinum, quo operient candelabrum
cum lucernis, & forcipibus suis, & emunctoriis, & cunctis vasis olei, quæ
ad concinnandas lucernas necessaria sunt: 10. Et super omnia ponent operimentum
janthi-

janthinarum pellium, & inducent vectes: 11. Nec non & altare aureum involvent hyacinthino vestimento, & extendent desuper operimentum janthinarum pellium, inducentque vectes. 12. Omnia vasa, quibus ministratur in Sanctuario, involvent hyacinthino pallio, & extendent desuper operimentum janthinarum pellium, inducentque vectes. 13. Sed & altare mundabunt cinere, & involvent illud purpureo vestimento. 14. Ponentque cum eo omnia vasa, quibus in ministerio ejus utuntur, idest, ignium receptacula, fuscinulas, ac tridentes, uncinos, & batilla. Cuncta vasa altaris operient simul velamine janthinarum pellium, & inducent vectes. 15. Cumque involverint Aaron, & filii ejus Sanctuarium, & omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta: & non tangent vasa Sanctuarii, ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis: 16. Super quos erit Eleazar filius Aaron sacerdotis, ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, & compositionis incensum, & sacrificium, quod semper offertur, & oleum unctionis, & quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniumque vasorum, quæ in Sanctuario sunt. 17. Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens: 18. Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum. 19. Sed hoc facite eis, ut vivant, & non moriantur, si tetigerint Sancta sanctorum. Aaron, & filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, & divident, quid portare quis debeat. 20. Alii nulla curiositate videant, quæ sunt in Sanctuario, priusquam involvantur, alioquin morientur. 21. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 22. Tolle summam etiam filiorum Gerson per domos, ac familias, & cognationes suas, 23. A triginta annis, & supra usque ad annos quinquaginta. Numera omnes, qui ingrediuntur, & ministrant in tabernaculo fœderis. 24. Hoc est officium familiæ Gersonitarum, 25. Ut portent cortinas tabernaculi, & tectum fœderis operimentum aliud, & super omnia velamen janthinum, tentoriumque, quod pendet in introitu tabernaculi fœderis, 26. Cortinas atrii, & velum in introitu, quod est ante tabernaculum. Omnia, quæ ad altare pertinent, funiculos, & vasa ministerii, 27. Jubente Aaron, & filiis ejus, portabunt filii Gerson: & scient singuli, cui debeant oneri mancipari. 28. Hic est cultus familiæ Gersonitarum in tabernaculo fœderis, eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. 29. Filios quoque Merari per familias, & domos patrum suorum recensebis. 30. A triginta annis, & supra usque ad annos quinquaginta, omnes, qui ingrediuntur ad officium ministerii sui, & cultum fœderis testimonii. 31. Hæc sunt onera eorum: Portabunt tabulas tabernaculi, & vectes ejus, columnas, ac bases earum, 32. Columnas quoque atrii per circuitum cum basibus, & paxillis, & funibus suis. Omnia vasa, & supellectilem ad numerum accipient, sicque portabunt. 33. Hoc est officium familiæ Meraritarum, & ministerium in tabernaculo fœderis: eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. 34. Recensuerunt igitur Moyses, & Aaron, & principes synagogæ filios Caath per cognationes, & domos patrum suorum, 35. A triginta annis, & supra usque ad annum quinquagesimum, omnes, qui ingrediuntur ad ministerium tabernaculi fœderis: 36. Et inventi sunt duo millia septingenti quinquaginta. 37. Hic est numerus populi Caath, qui intrant tabernaculum fœderis: hos numeravit Moyses, & Aaron juxta sermonem Domini per manum Moysi. 38. Numerati sunt & filii Gerson per cognationes, & domos patrum suorum, 39. A triginta annis & supra, usque ad quinquagesimum annum, omnes, qui ingrediuntur, ut ministrent in tabernaculo fœderis: 40. Et inventi sunt duo millia sexcenti triginta. 41. Hic est populus Gersonitarum, quos numeraverunt Moyses, & Aaron, juxta verbum Domini. 42. Numerati sunt & filii Merari per cognationes, & domos patrum suorum. 43. A triginta annis & supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes, qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi fœderis: 44. Et inventi sunt tria millia ducenti. 45. Hic est numerus filiorum Merari, quos recensuerunt Moyses, & Aaron juxta imperium Domini per manum Moysi. 46. Omnes, qui recensiti sunt de Levitis, & quos recenseri fecit ad nomen Moyses, & Aaron, & principes Israel, per cognationes, & domos patrum suorum, 47. A triginta annis & supra, usque ad annum quinquagesimum, ingredientes ad ministerium tabernaculi, & onera portanda, 48. Fuerunt simul octo millia quingenti octoginta. 49. Juxta verbum Domini recensuit eos Moyses, unumquemque juxta officium, & onera sua, sicut præceperat ei Dominus.

℣. 1,

℣. 3. A Trigesimo anno et supra usque ad quinquagesimum annum. Repugnare hæc videntur iis, quæ leguntur infra, Capite viii. 24. Levitas scilicet Tabernaculi servitiis addici a quinto & vigesimo ætatis anno usque ad quinquagesimum; repugnare pariter testimonio primi Paralipomenon xiii. 24. *Qui faciebant opera ministerii domus Domini a viginti annis & supra*; quod a Davide præscriptum perseverasse deinceps constat ex iis, quæ sub Ezechia (1) & sub Esdra (2) narrantur. Hisce tamen reponimus, sermonem esse apud Moysem de Levitis destinatis ad ferenda vasa Tabernaculi in itinere, quod munus majorem aliquam exigebat corporis vim ac robur; infra vero cap. viii. sermo est de muneribus Levitarum generatim, ac de servitiis præstandis in atrio, qua Sacerdotibus, qua Levitis affectæ ætatis. Constituit autem, illos minoribus hisce oneribus subeundis valere posse ab anno vigesimo quinto ætatis; sed vehendis sarcinis in itineribus nullo præcepto addicit, nisi post ætatem annorum triginta.

Quod attinet ad ætatem Davidis, & deinceps post illum, sedulo animadvertendum est, ministeria Levitarum tunc oneris retulisse minus quam sub Moyse; neque enim ultra cogebantur transferre e castris in castra instrumenta Tabernaculi, ea quo Templum stabile constructum est; res autem poscere videbatur, ut Levitæ xxv. annorum ætate adulti ministeriis Domus Domini destinarentur; ita enim ministrorum numerus, simulque majestas, & magnificentia sacri ministerii augebatur. Nec prætereundum est, tunc & loci & cæremoniarum majestatem necessario ingentem illum numerum Ministrorum poposcisse (3). Ad hæc, discrimen in eo erat ingens, quod in deserto Levitæ omnes simul nullo negotio quotidianum in Templo famulatum exhibere possent, cum sedes haberent uno in loco, ac circa Tabernaculum collectas: vicissim autem ut in varias urbes Chanaanitidis divisi sunt, intolerabilis crevisset singulis labor, si xax. annorum ætate majores tantum sacro muneri destinati essent: qui enim ea fuissent ætate, ministerium gerere coacti fuissent minime intermissum.

Hebræi pluses (4) cum doctis aliquibus Commentariorum Scriptoribus (5) aliter nodum illum solvunt; nimirum Levitas intra atrium admitti cœpisse, cum xxv. annum ætatis agerent, ut quoddam tyrocinii genus sub disciplina seniorum Levitarum exercerent; munus tamen reipsa suum non iniisse nisi post impletam xxx. annorum ætatem. Meditamenta hæc idcirco rejiciunt alii (6), quod Moyses eadem phrasi עֲבֹדַת exprimat servitium Levitarum xxv. annorum ac triginta annorum ætatis. Quare commodius distingueretur natura, & qualitas munerum, ut alia præstanda essent a Levitis xav. annorum, alia a Levitis xxx. annorum. Sed in his mentem suam non satis aperit Legislator.

Septuaginta, quique illos sequuntur Patres Græci, & Latini, aliam nobis rationem suppeditant rem totam explicandi; quippe qui legant xav. annos utrobique, & hic scilicet & in capite viii. 24. Nec desunt Interpretes, qui ad fidem Græci Septuaginta reformari vellent Hebræum.

Sacerdotum certam ætatem, ad obeunda ministerii sui munia, nullam determinat Scriptura; quamquam munia Sacerdotum munere Levitarum & digniora sunt, & magis necessaria: at Sacerdotes ipsi sibi ceu lege constituerant, ut neminem fratrum ad Sacrum ministerium admitterent viginti annorum ætate minorem (7).

Ut stent at ministrent in Tabernaculo, Stantium habitus est servorum, sicut & stantes orabant Hebræi. Sacerdotes plerumque stabant in Templo; sedendi enim jus nemini nisi Regi datum erat, ait Maimonides. Hebræus (8): *Omnem ingredientem ad exercitum, ad faciendum functionem in tentorio conventus*; idest, quicumque ætate sunt idonei, ut adscribantur inter opifices, vel inter Ministros Tabernaculi.

℣. 4. Hic est cultus filiorum Caath. Vide caput III. 27. 28. & caput v. 7. usque ad 14.

℣. 5. Ingredientur Aaron, et filii ejus. In uno hoc rerum eventu tantum licebat filiis Aaronis pedem inferre intra Sanctuarium; necessitas enim excusabat id, quod ea amota crimen religioni maximum intulisset. Quæ autem erat in Arcam Religio non sinebat, ut nuda permitteretur seu contactui seu aspectui vulgarium Levitarum, idcirco ab Aarone ejusque filiis prius obvolvenda erat integumentis, tum vehenda Levitis permittebatur.

Velum, quod pendet ante fores. Hebræus ad literam (9): *Velum operimenti*: velum distinguens Sanctum a Sanctuario, quo in itineribus obvolvebatur Arca fœderis.

℣. 6. Inducant vectes, inserentes annulis ad id paratis; quæ pronior est Textus expositio. Sed qui hæc cohæreant cum illo Exodi aav. 15. *Qui (vectes) semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ex eis?* Ad hæc quomodo vectes illi infesi poterant annulis, postquam Arca tribus integumentis obvoluta erat? Tria hæc sunt, velum inter Sanctum & Sanctuarium pendens, cortina e pellibus hyacinthinis, & tertium aliud velum hyacinthinum.

Nodus hic tripliciter solvitur. Primo (10) educi vectes tantum cum obvolveretur Arca, statimque induci; quod brevissimum intervallum perinde habebatur ac nullum. Hæc tamen responsio secundam alteram difficultatem non aufert, nimirum qua ratione vectes per media illa velamina inducerentur?

Secundo reponitur, Moysem hic tantum innuere voluisse, vectes illos imponi humeris filiorum Caath, Arcam scilicet cum vectibus ab illa non amotis. Reipsa quidem Hebræus (11) nihil habet de vectibus intra annulos ducendis, sed habet tantum, illos poni; quod prono, & naturali sensu redderetur, imponi eos vectes humeris eorum, qui vehendæ Arcæ destinarentur. Sed adhuc reponitur, easdem voces, *Inducent vectes*, recurrere infra, ubi agitur de candelabro aureo, cæterisque ad ejus usum destinatis, Levitarum humeris imponendis. Illud autem certissime constat, candelabro nullos fuisse vectes vel immobiles, vel annulis insertos. Agnoscamus igitur oportet vectium genus alterum, quibus onera in itinere veherentur. Hi vehiculi genus erant quoddam, quod onustum vasis, cæterisque ornamentis probe obvolutis, imponebatur humeris Levitarum. Id autem non ad vehendam tantum Arcam, sed cætera etiam, quæ componerent Sanctum, usui erant. Obvolutam Arcam cum suis vectibus vehiculum illud incumbens humeris duorum Levitarum sustinebat. Vide ℣. 10. Hæc pronior videtur expositio Textus.

℣. 7. Thuribula, et mortariola &c. Vide quæ de his vocibus disseruimus ad Exodi xxv. 29.

Panes semper in ea erunt, etiam in profectionibus exercitus, inquiunt Commentariorum Scriptores (12). Contendunt nonnulli, latum de panibus hisce præceptum nunquam satis sedulo impletum fuisse in deserto, cum populus nec triticum col-

(1) 2. Par. xxvi. 17. (2) 1. Esdr. iii. 8. (3) Vide Author. quæst. Hebr. in 1. Paral. xxiii. inter opera Hieronymi, & Rabb. in Talmud. tract. Massechta cholim. (4) Maimonid. Abenezra, &c. (5) Lyran. Est. &c. (6) Abarbanel, apud Outram. lib. 1. c. 7. de sacrific. (7) Vide Selden. de success. in Pontific. l. 2. cap. 4. & Outram. loco citato. (8) כל בא לצבא לעשות מלאכה באהל מועד (9) פרכת המסך. Septuag. Καταπέτασμα τὸ συσκιάζον. (10) Oleast. Cornel. a Lapide. (11) ושמו בדיו (12) Menoch. Cornel. Bonfr.

colligeret, nec simila aleretur; pro iis enim omnibus habebat mannam. Sed numquid non pronum erat triticum sibi comparare e vicinis gentibus, & Arabia? quis autem credat, tantam hominum turbam sese per loca finitima, vendendi aliquid, vel emendi gratia non effudisse? Nonne Principes Tribuum similam deferunt in oblationem Tabernaculo die solemni Dedicationis ipsius (1)? Vide quæ in hanc quæstionem, nimirum utrum in deserto leges cæremoniales servarentur, disputavimus ad Deuteronomii XII. 7.

℣. 10. INDUCENT VECTES. Exprimit disertissime Hebræus, imponendam fuisse Arcam super vectem (2) seu vehiculum (3), uti a nobis supra, ℣. 6. explicatum est. Recurrit eadem phrasis ad ℣. 12. cum jubentur tegi vasa sacri ministerii, atque imponi super vectem vel super vehiculum; quod expositionem nostram priorem luculentissime confirmat. Si quis retinendam censeat vulgarem significationem vocis *Mot*, ut sit vectis, illi reputandum esset, traductos fuisse vectes per medios funes, qui velamina, quibus sacra vasa obvolvebantur, ambiebant, ut commode in humeris a geminis vectoribus deferrentur.

℣. 13. ALTARE MUNDABUNT CINERE. Textus hic invicte demonstrat, ignem sacrum arsisse semper in Altari etiam in itinere per desertum, contra receptam a pluribus opinionem, definientibus, præceptum illud executioni mandatum non fuisse, nisi post certam Arcæ sedem constitutam. De cineribus Altaris nihil occurrit in Septuaginta: ac dictum Scripturæ hic tantum accipiendum est de cineribus, qui crati fortasse adhærebant; qui enim cadebant inferius, excepti facile subjecto aliquo vase, nihil officere Altari potuissent. In profectionibus exercitus ignis ille sacer ardebat super laminam æneam, cui instratum erat purpureum velum, ait R. Salomon; ardentibus autem prunis sub velo, illud nihil detrimenti ab igne patiebatur. Juge id erat prodigium sacri ignis; quod tamen, utpote ne verbo quidem in Scriptura narratum inter Rabbinicas fabellas amandamus. Nostri Interpretes quidam (4) tradunt, nunquam extinctum fuisse ignem Altaris, sed arsisse ibi semper abditum sub velo, quo tegebatur; idcirco, inquiunt illi, velum illud purpureo colore imbutum dicitur: *Involvent eum purpureo vestimento*. Verum si hæc ita se habebant; cur repurgandum erat Altare cineribus, cum movenda essent castra?

Samaritanus, Septuaginta in nonnullis Editionibus, & Origenes (5) legunt hic aliquid, quod Grotius omissum suspicatur in Codicibus Hebraicis Massoretarum: *Accipient vestem purpuream, & tegent labrum, & basim ejus, & injicient illud in operimentum pellium ianthinarum* (sub pellibus ianthinis), *& imponent super vectem*.

℣. 15. ET NON TANGANT VASA SANCTUARII, NE MORIANTUR. Sunt qui affirment, nefas fuisse Levitis obvoluta adhuc sacra vasa resque cæteras Sanctuarii tangere; quare impositos fuisse eorum humeris vectes, seu vehicula, ne ad res illas sacras manum extenderent. Minitatur hic Deus Caathitis, quibus erant commissa quæcumque continebantur in Tabernaculo, minitatur, inquam, interitum, si curiose nimis vel irreligiose tangere quidquam ex illis auderent. Minæ illæ spectabant potissimum Arcam fœderis curæ illorum traditam, donec Sacerdotum numerus amplior factus muneri illi per se implendo par esset. Reipsa quidem ex Deuteronomio (6) intelligimus, jam tum Arcam ferendi munus ad Sacerdotes transiisse: idemque pariter demonstrant testimonia ex Libris Josue, Judicum, & Regum.

℣. 16. SUPER QUOS ERIT ELEAZAR. Eleazar summam gerens dignitatem supra Principes Levitarum, in universam Tribum Levi exercebat authoritatem; sed & peculiarem etiam in Caathitas, quod illis commissum esset rerum sacratissimarum, & pretiosissimarum Tabernaculi depositum. Hebræus habet tantum: *Et præfectura Eleazar oleum luminaris* &c. Nihil habet de Levitis, sed tantum de rebus custodiæ illorum commissis.

SACRIFICIUM QUOD SEMPER OFFERTUR. Hebrææ voces מנחת התמיד designant oblationes similæ, panum, olei & vini, quæ matutinum & vespertinum holocaustum comitabantur, & quarum pariter meminit Leviticus VI. 20. 21. Demonstrat pariter hic Textus, Sacrificia illa quotidiana perseverasse adhuc in deserto; nec inviti credimus, Legis sanctiones omnes, quæ erratico illi vitæ generi non repugnarent, mandatas fuisse executioni.

℣. 18. NOLITE PERDERE POPULUM CAATH. Monete eos, ne indignationem meam in se provocent, ad res sanctas vel propius accedendo, vel extendendo manus: *Si tetigerint sancta sanctorum*. Hebræus: *Si accesserint ad Sanctuarium*. Si eo pedem intulerint, antequam res sanctæ integumentis velentur.

℣. 20. NULLA CURIOSITATE VIDEANT QUÆ SUNT IN SANCTUARIO. Phrases originalis pressius aliquid exprimunt (7): *Non ingredientur ad videndum, juxta absorbere sanctitatem* (cum absorbetur sanctitas, *& morientur* (ne moriantur). Vox *absorbere* exprimit promptitudinem illam & celeritatem, qua Sacerdotes ipsi per se sacra vasa tegunt, quasi scilicet eorum aspectum sibi ipsis prohibituri. Vim Textus reddere conati sunt Septuaginta (8): *Et non ingredientur videre confestim sanctum, & morientur*, ne moriantur. Ne se offerant nimis præcipiti celeritate, antequam invitentur in Sanctuarium, ne forte contingat, ut intro euntes, antequam res sacræ velentur, temeritatis suæ pœnam incurrant.

℣. 23. A TRIGINTA ANNIS. Septuaginta habent, quemadmodum & supra ad ℣. 3. a viginti quinque annis.

℣. 26. OMNIA QUÆ AD ALTARE PERTINENT. Hebræus על המזבח סביב, *Velamina, quæ super Altare sunt undiquaque*, idest, uti supra ad caput III. 26. animadvertimus, velamina omnia atrii, ambientia circum Altare Holocaustorum.

℣. 27. SCIANT SINGULI, CUI DEBEANT ONERI MANCIPARI. Hebræus (9) narrat, ducendam esse rationem eorum, quæ singulis, in commentarios relata, committenda essent ad vehendum. Septuaginta (10): *Recognosces eos ex nominibus, omnia quæ levanda sunt ab eis*. Paulo aliter legerunt hi hunc Textum, ac hodie legit Hebræus.

℣. 31. TABULAS TABERNACULI &c. Septuaginta Editionis Romanæ præferunt epistylia Tabernaculi, vectes, columnas earumque bases, & velum, bases & columnas, & velum vestibuli Tabernaculi.

(1) Cap. VII. (2) נתנו על המוט Septuag. Ἐπιθήσουσιν αὐτὴν ἐπ' ἀναφορέως. (3) מוט sonat perticam, vectem, qui a duobus fertur, jugum. Levit. XXVI. 12. Num. XIII. 24. I. Par. XV. 15. (4) Lyran Est. (5) Homil. 4. in Numer. (6) Deut. XXXI. 9. *Tradidit eam* [legem] *sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini*. (7) לא יבאו לראות כבלע את הקדש ומתו (8) Οὐ μὴ εἰσέλθωσιν ἰδεῖν ἐξάπινα τὸ ἅγιον, καὶ ἀποθανοῦνται. (9) פקדתם עלהם במשמרת את כל משאם (10) Ἐπισκέψῃ αὐτοὺς ἐξ ὀνομάτων, πάντα τὰ ἀρτὰ ὑπ' αὐτῶν. Leguat שמות ut Hebræus ℣. 32.

CAPUT V.

Leges de pellendis extra castra Leprosis, de reparatione furti seu damni illati. Experimentum mulieris suspicionem de adulterio incurrentis. Aquæ zelotypiæ.

℣. 1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Præcipe filiis Israel, ut eji-
ciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est su-
per mortuo: 3. Tam masculum, quam fœminam ejicite de castris, ne contaminent
ea, cum habitaverim vobiscum. 4. Feceruntque ita filii Israel, & ejecerunt eos ex-
tra castra, sicut locutus erat Dominus Moysi. 5. Locutusque est Dominus ad Moysen,
dicens: 6. Loquere ad filios Israel: Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus pec-
catis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum
Domini, atque deliquerint, 7. Confitebuntur peccatum suum, & reddent ipsum ca-
put, quintamque partem desuper, ei, in quem peccaverint. 8. Sin autem non fuerit,
qui recipiat, dabunt Domino, & erit Sacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro ex-
piatione, ut sit placabilis hostia. 9. Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Is-
rael, ad sacerdotem pertinent: 10. Et quidquid in Sanctuarium offertur a singulis,
& traditur manibus sacerdotis, ipsius erit. 11. Locutusque est Dominus ad Moysen,
dicens: 12. Loquere ad filios Israel, & dices ad eos: Vir, cujus uxor erraverit, ma-
ritumque contemnens 13. Dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere
non quiverit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inven-
ta in stupro: 14. Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ
vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur, 15. Adducet eam ad sacerdotem, &
offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet su-
per eam oleum, nec imponet thus, quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio inve-
stigans adulterium. 16. Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram Domino. 17.
Assumetque aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pavimento taber-
naculi mittet in eam. 18. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discoope-
riet caput ejus, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem
zelotypiæ: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledi-
cta congessit, 19. Adjurabitque eam, & dicet: Si non dormivit vir alienus tecum,
& si non polluta es deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in
quas maledicta congessi, 20. Sin autem declinasti a viro tuo, atque polluta es, &
concubuisti cum altero viro: 21. His maledictionibus subjacebis: Det te Dominus in
maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum,
& tumens uterus tuus disrumpatur. 22. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum,
& utero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier, Amen, amen. 23. Scri-
betque Sacerdos in libello ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in quas ma-
ledicta congessit, 24. Et dabit ei bibere. Quas cum exhauserit, 25. Tollet sacerdos
de manu ejus sacrificium zelotypiæ, & elevabit illud coram Domino, imponetque il-
lud super altare: Ita dumtaxat ut prius 26. Pugillum sacrificii tollat de eo, quod of-
fertur, & incendat super altare; & sic potum det mulieri aquas amarissimas, 27. Quas
cum biberit, si polluta est, & contempto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ
maledictionis, & inflato ventre computrescet femur: eritque mulier in maledictionem,
& in exemplum omni populo. 28. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, & fa-
ciet liberos. 29. Ista est lex zelotypiæ. Si declinaverit mulier a viro suo, & si pol-
luta fuerit, 30. Maritusque zelotypiæ spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu
Domini, & fecerit ei sacerdos juxta omnia, quæ scripta sunt: 31. Maritus absque
culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam.

℣. 2. EJICIANT DE CASTRIS OMNEM LEPROSUM; ET QUI SEMINE FLUIT, POLLUTUSQUE EST SUPER MORTUO. Tria sunt hic genera hominum e castris pellenda. Constat autem ex aliorum locorum collatione (1), amotos illos fuisse septem diebus, nec prius admissos, quam post lotas purasque & vestes, & totum corpus. Castrorum genera tria distribuunt Rabbini: Castra Domini, continentia atrium & Tabernaculum: Castra Levitarum, spatio duum millium cubitorum ambitu Tabernaculum complectentia: quidquid erat reliquum, Castra Israel appellata sunt. Maculæ erant

(1) Levit. xv. 13. & Num. xix. 11. 12.

grant quædam, quæ ex omnibus hisce tribus castris excludebant; uti lepræ morbus agnitus & declaratus, gonorrhæa perpetua. Removebant aliæ tantum e castris Levitarum & Domini, uti gonorrhæa, quæ casu aliquo acciderit, vel feminis effusio, quæ per somnum obrepserit, incommoda menstrua fœminarum, ac tandem funeris curatio.

Verum docti plures Interpretes (1), nihil morati Rabbinica hæc discrimina, Textum accipiunt plano sensu generatim de castris, atque ab illis excludunt æque omnes, quos vitia illa incurrisse contigerit; nisi aliquæ exceptiones, vel limitationes generalibus hisce legibus in Scriptura ipsa appositæ fuerint. Denunciat Deus ℣. 3. nolle se castra populi sui, in quibus ipse sedet medius, sordibus hisce legalibus pollui. Vide Leviticum XVI. 16. XX. 3. & XXI. 12.

℣. 6. Cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere. Humana ista peccata, in quæ homines incurrunt frequenter, ea sunt, quibus homo homini nocet (2): doli, fraudes in commerciis, malæ publici alicujus muneris administrationes, in quibus æquitatis leges postulant, ut quæ per injuriam sive retenta sive ablata sunt, restituantur. Porro hæc lex definienda est ad crimina, quæ manent occulta, ut judicialem sententiam fugiant, quippe quæ convinci indiciis & testimoniis non possunt. Si quis igitur injuriam irrogaverit fratri clam, & jurejurando etiam coram judice præstito purgaverit se a crimine; deinde pœniteat facti, offeratque se sponte Sacerdoti; ille primo crimen fateatur, deinde damnum reparet, addito quintæ partis incremento, tum pro dilatione solutionis, tum in pœnam criminis. Præter hæc, offerat ad expiationem delicti arietem in sacrificium (3). Lex in Exodo XXII. 1. 2. jubet restitui quidquid furto sublatum est, quadruplo vel quinto; quinque boves pro uno, pro una ove quatuor. Indulgentior hic Moyses vult tantum reparari damnum, cum incremento quintæ partis: id autem ceu præmii datum est sonti in gratiam sinceritatis suæ, & ne veniæ difficultas sontes avertat a restitutione.

℣. 8. Sin autem non fuerit qui recipiat &c. Hic rerum eventus non exprimitur a Moyse in Levitico VI. 2. 5. ubi præscribit ritum expiandi criminis, de quo hic agitur. Rabbini & duces illos sequuti docti Interpretes (4) docent, damnum illud reparandum esse hæredibus, si mortui hæredes aliqui innotuerint. Israelitis nunquam desunt hæredes, inquiunt Hebræi: si cujus vero Proselyti hæredes nulli superfuerint, restitutio Deo præstanda est. Si forte ille, cui irrogata est seu injuria, seu damnum, diem obierit, antequam pacem composuerit cum sonte; posterior hic decem viros secum assumens, ducit ad sepulcrum defuncti, ubi crimen suum fatetur, qualitate criminis expressa in hæc verba: *Ego peccavi in Dominum & in N. N. cui talem injuriam irrogavi*. Tandem solvit hæredibus damni pretium. Si defuerint hæredes, pretium illud deponit in domo Judicii, idest, in loco juri dicundo destinato, ut creditori, siquis forte supervenerit, reddatur.

℣. 9. Omnes quoque primitiæ .... ad Sacerdotem pertinent. Generali primitiarum nomine censentur hic oblationes quæcumque solvuntur Sacerdotibus, tam sponte redditæ, quam quæ necessitate præcepti, sive illæ e frumento fuerint, sive e fructibus, sive e liquoribus, sive pecunia, sive aliud quodcumque conferatur. Hæc omnia generali nomine *Theruma*, *oblationem elevatam*, appellat Hebræus. Eodem pariter nomine designantur portiones illæ victimarum, quas privati concedunt Sacerdotibus ex hostiis Deo oblatis, scilicet hostiarum pacificarum pectusculum & armus dexter. Hæc omnia cedebant Sacerdoti sive offerenti victimam, sive cui listebatur oblatio. Si forte vero qui oblationem dabat, destinare se illam significasset, e. g. pro thesauro Templi; ejus voluntas implebatur, neque illam in alios usus convertere fas erat.

℣. 14. Si Spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam. Hæc facile Lex inter Mosaicas omnes singularissima reputatur. Qua etiam præ cæteris melius intelligimus feritatem mentis & pervicaciam populi Israelitici. Si quis maritus justa aliqua teneretur suspicione de fide uxoris suæ, sibique firmiter in animum induceret, ream esse illam criminis, quamquam quo convinceret ejusdem criminis in judicio, nihil habebat; illi ad remedium hoc Legis recurrere pronum erat, ut a morbo suspicionis suæ convalesceret: & Deus jugi prodigio id præstabat, veluti data fide, ut innocentiam fœminæ illius sive crimen aperiret.

Damus hic plura in eam legem ex Doctoribus Hebræis decerpta (5), quæ revocari sibi sub oculos, commodum sibi ducent Lectores. Negant illi, jus fuisse ex hac lege marito id judicii intentare in uxorem, nisi antea fœminam præmonuisset, vetuissetque coram testibus, ne quam ultra consuetudinem cum personis suspectis haberet. Si adductis testibus probaretur, clam versatam esse illam cum viro tantum temporis, quanto opus esset ad decoquendum & comedendum ovum, vel minus etiam, juxta Rabbinos nonnullos, maritus invitam illam experimento aquarum amaricantium subjicere ex lege poterat, ac toties etiam submittere, quoties in id crimen cum iisdem circumstantiis incurreret. Si crimen illa suum confiteretur, vel aquas zelotypiæ potare recusasset, antequam scripta illa syngrapha, de qua infra, raderetur in aqua, repudio statim dimittebatur, spe omni dotem suam recuperandi præcisa. Si innocentiam experimento demonstrasset, iterumque novam de se suspicionem dedisset, furtivos illos congressus resumens, ne ad experimentum quidem admissa continuo repudio abjiciebatur.

Fœminas nonnullas ab ea lege excipiunt Doctores illi Hebræi, e. g. puellas oppignoratas tantum, vel quæcumque viduæ & liberis destitutæ opperiebantur, donec frater mariti superstes nubilem ætatem attingeret. Hisce addunt ridenda quadam cavillatione mulierem cæci, quod Textus habeat: *Si vero absconditum fuerit ab oculis ejus*, itidemque uxorem claudam, quod imperatum sit: *Cum steterit mulier in conspectu Domini*; tandem fœminam mutam, quæ pronunciando *Amen Amen* est impar; & surdam pariter, quod illam alloqui debeat Sacerdos. Has omnes ab experimento aquarum zelotypiæ exemptas pronunciant: ex quo doctrinæ Judaicæ specimine plane intelligent Doctores, quantum Doctoribus illis deferendum sit.

Cum maritus aliquis uxorem suam experimento aquarum subdere volebat, offerebat se continuo coram Judicibus Loci, exponebatque, præmonuisse se antea uxorem suam, ut furtivos congressus cum certo quodam viro auferret, hæc autem monita neglexisse illam, remotisque uti prius arbitris virum illum convenisse; idque probare testimoniis sibi promtum esse. Cum tamen, prosequebatur ille, mulier innocentem se clamitet, nec crimen suum fateatur, postulo, ut experimento amaricantium aquarum subdatur. Tum audiebantur testes, & accusator maritus curæ duorum virorum legis consultissimorum committebatur. Vir & uxor deducebantur Jerosolymam, causam acturi coram Sanhedrio, cui uni ejus rei judicium reservatum erat.

Sanhedrini Judices pluribus tentabant fœminam, ut

(1) Cornel. Bonfr. Jansen. (2) Aug. qu. 9. in Num. (3) Levit. VI. 6. (4) Vide Selden. de jure nat. & gent. l. 6. c. 4. Vide & Grot. Ainsvort. &c. (5) Vide Selden. Uxor. Hebr. l. 3. c. 13.

ut sponte tandem crimen suum fateretur. Tuentem pervicaciter innocentiam suam cogebant ultro citroque discurrere, ut tandem desatigata aliquid fateretur: id si frustra fieri comperissent, tum deduci jubebant ream ad portam Orientalem atrii, atque expoliatam prius vestibus suis, ipsisque solemnibus capitis ornamentis, atra veste induebant coram pluribus fœminis: illam deinde monebat Sacerdos, bono animo esset, siquidem nullius criminis se ream nosset; si vero defuisset fidei erga maritum, sciret implendas fore in se legis minas universas. Respondebat fœmina: *Amen, Amen.* Sacerdos in membrana probe parata, & atramento ad id confecto, absque chalchanto, seu *vitreolo*, ut scilicet facili litura deleretur, scribebat nomen illius, tum & formulam integram a Moyse hic traditam. ℣℣. 19. 20. 21. Tum accepto poculo testaceo recens ficto, aqua labri ænei juxta altari posita pleno, illud pulvere pavimenti Templi inspergebat, additis rebus quibusdam amaris, ceu absynthio, vel re aliqua ejusmodi, radebatque in poculo scripturam.

Sacerdos tunc alius fœminæ vestes adusque pectus dilacerabat, nudabat caput, vinciebat comarum plexus, adstringebat scissas vestes supra papillas tune Ægyptio, si comparati posset, quo Ægypti miracula in animum ejus revocarentur. Dein Sacerdos idem afferebat decimam partem ephi (tres circiter pintas Parisienses farinæ hordeaceæ) ex mariti apothecis desumptam, & mulieri tradabat: ea vero farina in sartagine absque oleo continebatur,

Sacerdos alter paratas a se zelotypiæ aquas potandas tradebat fœminæ; quas cum illa bibisset, statim manibus ejus imponebatur sartago, farinam continens, quæ agitata prius coram Domino, partim in ignem altaris jaciebatur. Post hæc, si innocens erat mulier, redibat ad virum suum, nihil detrimenti passa ab aquis, quin potius aucta pulchritudine, robore & fœcunditate. Vicissim autem criminis ream statim vidisses pallescere, tumentesque oculos ex orbe suo excludi: ne vero templi sanctitatem morte sua violaret, e Templo ejiciebatur, statimque interibat, probroso illo mortis genere, quod Moyses prænunciat. Idem fatum adultero contingebat. Si vero maritus & ipse adulterii reus fuisset, nihil grave experimento illo mulier patiebatur.

Cum adulteriis laxatæ fuissent apud Judæos habenæ eo sæculo, quod ruinam secundi Templi, idest, restituti post captivitatem Babylonicam, præcessit; omissus est, inquiunt Rabbini, mos subdendi fœminas exprimento aquarum, ne plus nimio nomen Dei lituræ in iis aquis exponeretur. Cum igitur maritus justam aliquam suspicionem de fide uxoris suæ concepisset, & testes etiam suppeterent, affirmantes vidisse se illam furtivos habentem congressus cum viro suspecto, quod sibi antea a viro interdictum fuerat; actutum abjiciebatur a thoro, dote etiam negata. Affirmat Leo Modena, Doctorum Judæorum præcepto cogi maritum etiam invitum abjicere omni præcisa redeundi spe uxorem suam in his rerum eventibus suspectam. Sunt qui credant, prodigia illa, experimenti hujus appendices, induci potissimum vi precum, quas pronunciabat Sacerdos: quare Sanhedrini omnes Patres, inquiunt Rabbini (1), initiati erant mysteriis Magiæ, & neminem ejus scientiæ imperitum admittebant in suum cœtum; quasi scilicet illud Divinæ virtutis prodigium pravæ artis esset maleficium, Dæmone vel homine authore commissum.

Hæc de aquis zelotypiæ Rabbini. Planius & minus supra fidem agunt de illo Josephus (2) & Philo (3), quorum ætate adhuc perseverasse mos ille videtur, nequidquam reclamantibus Judæorum Doctoribus. Ita vero ea de re Philo: Cum vir de uxore quid suspicatur, die illi dicta, sanctam civitatem cum ea petit. Ubi coram Judicibus ambo comparuerint, suspicionem suam vir dateget. At si mulier ita se purget, ut damnari Judicum sententia nequeat, ac res in ambiguo sit, ambo in Templum eant. Tum maritus ante Altare stans, coram Sacerdote illius temporis se sistat, & aquas zelotypiæ ex Moysis præscripto Sacerdotis manu uxori propinet. Josephus eadem paribus „ ferme narrat: Si quis adulterii suspicionem de „ uxore habuerit, offerat hordeaceæ farinæ assa- „ ronem; & immisso super altare pugillo, quod „ reliquum est Sacerdotibus vescendum datur. De- „ nique aliquis Sacerdotum statuit mulierem ad „ portam, quæ obversa est ad Fanum; & inscri- „ pto primum Dei nomine in membrana, defert „ ei jusjurandum cum imprecatione, ut si pudi- „ citiam læsisset, luxato crure dextro, & ventre „ disrupto, misere moriatur: sin autem, decimo „ mense infantem masculum pariat. Peracto ju- „ ramento, de membrana deletum nomen in phia- „ lam exprimit, & sumpto e fano pulvere humi „ collecto, atque in poculum asperso, ebibendum „ porrigit. Mulier vero si injuste est delata, præ- „ gnans facta enititur; quod si & conjugalem fi- „ dem & Deum jurisjurandi testem fefellit, tur- „ piter moritur.

Si Spiritus zelotypiæ. Sunt in Scriptura spiritus zelotypiæ, spiritus timoris, spiritus roboris, sapientiæ, fornicationis &c. quibus variis nominibus designantur motus animi, & passiones, quibus homines impelluntur, ut agant sapienter, fortiter, metuant, ægritudine tabescant, fornicentur &c. Deus qui divortia toleraverat apud Hebræos, pervicaciæ cordis eorum permisit etiam aquas zelotypiæ, eo scilicet consilio, ut divortiorum frequentiam præcideret, ac ferox violentumque Israelitarum ingenium elcuraret, nequid sinistri inferrent uxoribus, quas forte baberent in fide thori, suspectas.

℣. 15. Decimam partem sati. Hebræus & Septuaginta: *Decimam partem Ephi. Satum & Ephi* confundit hic S. Hieronymus; quamquam Satum nonnili tertiam partem Ephi æquat. Decima Ephi pars æquabat mensuræ Parisiensis tres pintas circiter.

Oblatio investigans adulterium. Hebræus (4): *Munus memoriæ memorantis iniquitatem*. Genus id erat sacrificii pro peccato, cujus suspicionem incurrerat mulier; quare ab ea simila amovebatur penitus oleum & thus, juxta ritum oblationum pro peccato (5).

℣. 16. Offeret eam .... coram Domino; progredi illam coget, intus in atrium, adusque vestibulum Tabernaculi.

℣. 18. Discooperiet caput ejus; amoto scilicet velo quo tegebatur. Reddi etiam posset: *Recidet comam ejus;* quam etiam significationem retinent interdum voces originalis, פרע את ראש (6).

Aquas amarissimas. Hebræus (7) & Chaldæus: *Aquas amaras & maledictas*. Septuaginta (8): *Aqua argutionis* (quæ convincit) *& quæ maledicitur*. Ideo vero nomen amararum inditum est aquis, quia re aliqua injecta amaræ fiebant, juxta Rabbinos; sive quod ab invitis ægre potabantur, sive quod potæ amaro dolore cruciabant.

℣. 21. Det te Dominus in maledictionem exemplumque cunctorum. Hebræus (9): *Det Dominus te in maledictionem & in adjurationem in medio populi*

[1] Apud Cunæum de Rep. Hebr. l. 1. c. 12. [2] Joseph. Antiq. l. 3. c. 10. [3] Philo lib. de speciol. legib. [4] מנחת זכרון מזכרת עון [5] Levit. v. 11. *Offeret pro peccato suo partem Ephi decimam; non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet.* [6] Vide Levit. x. 6. xxi. 10. Ezech. xliv. 20. Num. vi. 5. [7] מי המרים המאררים [8] Septuag. Τὸ ὕδωρ τοῦ ἐλεγμοῦ τοῦ ἐπικαταρωμένου τούτου. [9] יתן יהוה אותך לאלה ולשבעה בתוך עמך

puli tui. Maledicta, quæ pronunciavi, omnia recidant in caput tuum, ut statuaris in exemplum ultionis; & quicumque ingens aliquod malum significaturi sunt, imprecandi hanc formulam habeant familiarem: Ita sis infelix, ut mulier illa.

℣. 22. AMEN, AMEN. Hebræa hæc vox sonat, *Certe*, *Vere*: hac antem phrasi confirmamus eorum quæ diximus, vel quæ dicturi sumus, veritatem; atque hoc sensu in Evangelio atque a Jesu Christo sæpissime usurpatur. Adhiberi etiam solet ad probanda sive confirmanda ea, quæ ab aliis dicta sunt; quem postremum sensum hic retinet.

℣. 23. SCRIBET IN LIBELLO ISTA MALEDICTA. Rabbini cum Interpretibus plerisque docent, scribi hæc in membrana, dein scriptos characteres seu eradi, seu dilui aqua. Sed ambiguum est maxime, utrum ætate Moysis, & diu etiam post ipsum notus fuerit mos scribendi in membranis; & vox originalis designat potius pugillares seu nudos, seu ceratos. Est autem hæc scribendi ratio omnium, quotquot novermus, vetustissima, uti nostra Dissertatione in Genesim De materia & forma Veterum librorum probavimus.

℣. 31. MARITUS ABSQUE CULPA ERIT. A culpa utique non vacasset tentare Deum, eoque experimento occultum crimen indagare, atque ita mederi ægro mariti animo; non vacasset, inquam, a culpa, nisi Deus obligasset fidem suam, præsto semper futurum se prodigio, quoties ea ratione requireretur a Judæis. Semel vero ac Deus id se permittere significavit, nonnisi temere reum peccati ageremus maritum, eo legis jure sibi dato utentem. Attamen ut ab ea actione crimen removeretur, plures servandæ fuissent conditiones, quas parum vel raro curabant Judæi, uti facile opinamur: ex. gr. removendus erat ab ultione, odio, furore animus. Impellendus erat maritus amore justitiæ, cavendumque erat illi, nequid noceret charitati: quam multi vero has leges servarunt? Jure igitur sensus hujus legis, *Maritus absque culpa erit*, ita accipiendus est, quasi nihil illum adversus legem agere affirmet: damnum non rependet uxori, jus enim suum, juxta datam sibi a Deo facultatem, prosecutus est. Fatemur quidem, experimentum istud permissum fuisse tantum cordi Judæorum pervicaci, quemadmodum & de divortio, & talione constat: sed nunne præstabat minus hoc malum tolerare, quam exponere fœminas morti ex violentia maritorum, sinistrum aliquid de illis suspicantium? vel multiplicare divortia? vel tandem effrænum mulierum occulta crimina tolerare? cum præsertim ea concessio arctissimis clauderetur limitibus, ac nonnisi legibus, quas diximus, servatis licita esset.

Mirari subit, cur lex integram permittens viro facultatem urgendi capitalem causam in judicio in uxorem suam de adulterio convictam; permittens insuper divortia levi admodum de causa; ac tandem experimentum amaricantium aquarum concedens meræ suspicioni mariti, nihil ex iis quidquam permittat uxori in maritum. Est quidem in Lege capitale supplicium decretum viro in adulterio cum aliena fœmina deprehenso (1); sed hoc tantum præscriptum est, si urgeat maritus fœminæ adulteræ. Nunquam in Lege dari aliquid actionis fœminæ in maritum adulterum animadvertimus. Apud Hebræos eadem ferme obtinebat disciplina, ac apud Romanos, Cato apud Aulum Gellium libro x. cap. 23. *Uxorem tuam in adulterio si deprehendisses, sine judicio impune necares; illa te, si adulterares, digito non auderet contingere*.

Neque sermo est hic de criminis intima deformitate atque impietate; hanc enim utriusque scelus, qua viri, qua fœminæ, ex æquo participat; utrumque reum mortis damnat Moyses. Verum si negat fœminæ libertatem actionis judicialis in maritum adulterum, si negat jus submittendi suspectum illum de eodem crimine experimento aquarum; eo facile spectavit, quod satis consuluisse se reputaret securitati familiarum & sanctitati connubii, cum jus illud actionis judicialis in uxorem adulteram, jus repudii, ac submittendi experimento aquarum uxorem marito permisit; hoc enim satis continebantur in officio fœminæ, quibus minus est roboris ad resistendum illecebris, & a quibus major exigitur pudor, obsequium erga virum, & continentia. Nonne utique ex his satis & pro viribus fuerat provisum, evulsa radicitus licentia? Quibus vero sollicitudinibus obnoxia non fuisset virorum vita, si fœminis data esset actio judicialis in viros, si repudii jus, si aquarum experimentum ex meris tantum suspicionibus, & veri aliqua specie? Inquieta illa, debilia & suspiciosa ingenia uberem semper querelarum messem produxissent in viros, quorum vitæ genus magis est hominum commercio expositum, qui rerum necessitate in publico semper esse coguntur. De his tandem omnibus sermo scite absolvitur verbis illis Lactantii de vero cultu, capite 23. *Servanda est fides ab utroque conjuge alteri; imo exemplo continentiæ docenda est uxor, ut se caste gerat. Iniquum est enim, ut id exigas quod ipse præstare non possis; quæ iniquitas effecit profecto, ut essent adulteria, fœminis ægre ferentibus præstare se fidem non exhibentibus mutuam charitatem. Denique nulla est tam perditi pudoris adultera, quæ non hanc causam vitiis suis prætendat, injuriam se peccando non facere, sed referre*.

ILLA RECIPIET INIQUITATEM SUAM. Si criminis exhibuerit se ream, justæ sceleris sui pœnæ subdetur; & quamquam etiam nihil criminis admiserit, cujus suspicionem incurrit apud virum, satis illi erit ad culpam, quod suspicionis præbuerit ansam, ut jus dederit viro tentandi in se experimentum a lege permissum. De se ipsa queratur: maritus nullo jure cogendus erit ad injuriæ reparationem.

Meminerunt Veteres (2) fontium quorumdam, virtutis ab aquis zelotypiæ ferme non dissimilis. Ex his unus in Sicilia (3) aquis fluebat, quæ perjuris lethales erant, quos statim interimebant, jussos prius recitare formulam quamdam verborum dictatam ab eo, qui sacramentum exigebat. Celebris est etiam fons alter (4), in quem projiciebantur pugillares formulis sacramentorum inscripti. Si pugillares innatarent, jurisjurandi veritas constabat; si mergerentur, statim de perjurio judicium. Plinius (5) scribit, amnem Olacham in Bythinia perjuris proinde nocere ac ignem. Sardinia fontem habebat (6), cujus aquis loti perjuri statim oculis orbabantur. Apud Achillem Tatium (7) habes alios quosdam fontes ejusdem virtutis, ac aquæ zelotypiæ. Eadem pariter de aquis Stygiis (8), per quas Dii jurabant, opinio sedebat apud Veteres.

---

(1) Levit. xx. 10. *Morte moriantur & mœchus & adultera*. (2) Vide Grot. in hunc loc. (3) Polemon in lib. de miris Sicil. (4) Author de mirabil. sub nomine Aristot. (5) Plin. lib. 31. cap. 2. (6) Solin. cap. 11. (7) Achill. Tatius lib. 7. c. 20. (8) Vide Porphyr. & Joan. Clerici not. in Hesiodi Theogon. v. 783.

CA-

CAPUT. VI.

Consecratio Nazaraeorum. Benedictio Sacerdotum in populum.

℣. 1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad filios Israel, & dices ad eos: Vir, sive mulier, cum fecerint votum, ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare. 3. A vino, & omni, quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur, non bibent: uvas recentes, siccasque non comedent. 4. Cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur: quidquid ex vinea esse potest ab uva passa usque ad acinum, non comedent. 5. Omni tempore separationis suæ novacula non transibit per caput ejus, usque ad completum diem, quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus. 6. Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur. 7. Nec super patris quidem, & matris, & fratris, sororisque funere contaminabitur, quia consecratio Dei super caput ejus est. 8. Omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino. 9. Sin autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus: quod radet illico in eadem die purgationis suæ, & rursum septima. 10. In octava autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ, sacerdoti in introitu fœderis testimonii. 11. Facietque sacerdos unum pro peccato, & alterum in holocaustum, & deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo: sanctificabitque caput ejus in die illo: 12. Et consecrabit Domino dies separationis illius, offerens agnum anniculum pro peccato: ita tamen ut dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus. 13. Ista est lex consecrationis. Cum dies, quos ex voto decreverat, complebuntur: adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis. 14. Et offeret oblationem ejus Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum: & ovem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum, hostiam pacificam, 15. Canistrum quoque panum azymorum, qui conspersi sint oleo, & lagana absque fermento uncta oleo, ac libamina singulorum: 16. Quæ offeret sacerdos coram Domino, & faciet tam pro peccato, quam in holocaustum. 17. Arietem vero immolabit hostiam pacificam Domino, offerens simul canistrum azymorum, & libamenta, quæ ex more debentur. 18. Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ: tolletque capillos ejus, & ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum. 19. Et armum coctum arietis, tortamque absque fermento unam de canistro, & laganum azymum unum, & tradet in manus Nazaræi, postquam rasum fuerit caput ejus. 20. Susceptaque rursum ab eo, elevabit in conspectu Domini: & sanctificata sacerdotis erunt, sicut pectusculum, quod separari jussum est, & femur: post hæc potest bibere Nazaræus vinum. 21. Ista est lex Nazaræi, cum voverit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ, exceptis his, quæ invenerit manus ejus: juxta quod mente devoverat, ita faciat ad perfectionem sanctificationis suæ. 22. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 23. Loquere Aaron, & filiis ejus: Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis: 24. Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. 25. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. 26. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. 27. Invocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.

℣. 2. VIR, SIVE MULIER, CUM FECERINT VOTUM, UT SANCTIFICENTUR, ET SE VOLUERINT DOMINO CONSECRARE. Reddi posset Textus (1): *Vir seu mulier cum decreverint vovere votum Nazaræi, ut sint Nazaræi Domino*. Vel potius: *Qui statuerint vovere votum separati, ad separandum se Domino*. Tandem: *Qui voverint votum abstinentiæ, ut abstineant se coram Domino*. Segregatio ista eamdem ferme offert ideam ac consecrationis; segregabant enim se Nazaræi, removebant prohibebantque se a rebus nonnullis, ut puros se ac sanctos magis magisque præstarent Domino. Septuaginta (2): *Vir aut mulier quicumque magnifice voverit votum, purificandi puritatem Domino*. Ea phrasi, *magnifice vovere*, ingens votum nuncupare, voluerunt implere vim originalis hujus vocis, designantis interdum distinguere se re aliqua incredibili ac singulari; quasi scilicet Legislator innuisset: Qui insigne aliquod & singulare studii in Legem sui specimen est editurus, nuncupans eximium illud Nazaræatus votum.

Porro Nazaræorum genera erant duo. Alii toto vitæ

(1) כי יפלא לנדור נדר נזיר להזיר ליהוה

(2) Ἀνὴρ ἢ γυνὴ, ὃς ἂν μεγάλως εὔξηται εὐχὴν ἀφαγνίσασθαι ἁγνείαν Κυρίῳ.

vitæ tempore professioni sese huic addicebant, ut leges Nazaræatus ad mortem usque retinerent; ita servarunt Samson, Samuel, & S. Joannes Baptista. Alii ad certum tempus sese obligabant; deque his postremis sermo est hic apud Moysem. Nazaræatus tempus intra mensem plerumque definiri docent Rabbini; ex quorum Doctorum fide affirmat Drusius, nullo se voto obligare potuisse viros ante XIII. annorum ætatem, puellas vero nonnisi post exactos ætatis decem annos & diem. Votum Nazaræorum impleri solebat Jerosolymis; & hodie pariter si cui Judæo succurreret hoc se voto obstringere, illi utique, inquiunt Judæi, suscipiendum esset iter Jerosolymitanum, ubi subsisteret usque ad restitutionem Templi, idest, usque ad obitum; atque interim abstinendum illi esset a vino, gerenda intonsa coma, nec unquam adsistendum funeribus. De Regina Berenice narrat Josephus (1), venisse illam Jerusolymam, voti, quod nuncupaverat, religionem liberaturam; atque ejusmodi votis triginta dierum obstringere se consuevisse Judæos, cum malis aliquibus vel morbis premerentur. Toto eo tempore, ait, a vino abstinent, & comam negligunt. Postea se conferunt ad Templum, devotas victimas immolaturi.

Ritus ille recidendi comas, & Diis offerendi, tota antiquitate Pagana celebratur. Persuasum habuisse videtur S. Cyrillus Alexandrinus (2), Hebræos veteri habitudine assuevisse in Ægypto moribus hisce superstitiosis; quare sapientissimi Legislatoris fuisse, ut e religione Hebræorum eos non eliminaret penitus, ne forte instrueret prævaricationibus viam, sed consecraret; referens in cultum Domini eos, qui antea in malum erant. Spencerus (3), qui toto animi nisu hanc sententiam propugnat, nunquam in animum inducere potest, Paganos, qui summo semper odio & contemptu Hebræos execrabantur, mores ea in re Judæorum adoptare voluisse; æquius enim reputari credit, morem hunc e Paganis in Judæos fuisse translatum. Opinionis suæ suffragatores habet Procopium, Fagium, & Heinsium, aliosque nonnullos.

Consecrabant olim Pagani primam comam & barbam Deo alicui, vel Deæ, vel Amni, quam tandem cædebant, cum attigissent pubertatem, pretiosaque in arcula clausam suspendebant vel in arbore Diis consecrata, vel in Templis. Cæremonias hasce nunquam destituebant convivia, aliæque gaudii significationes. Verum Moyses abstemios agere dies jubet Nazaræos, vetatque illis ne meracum quid potent; puros se servent, absint a funeribus toto sui Nazaræatus tempore; ac tandem comam suam igni sacro imponant, & offerant victimas præscriptas.

Plus est affinitatis inter Nazaræos perpetuos, quorum suppetunt exempla in Samsone, & S. Joanne Baptista, quique intonsam relinquebant comam, & Paganos illos, qui voto pollicebantur, se comam suam vel perpetuo, vel ad certum spatium temporis servaturos. Narrat Diodorus Siculus libro I. Osiridem, nuncupato prius voto, Diis tamdiu se relicturum intonsam comam quamdiu in patriam non remearet, ex Ægypto iter in Æthiopiam suscepisse. Paganorum illi, qui devovebant se ea religione, capillos alligabant in plexus, quod etiam a Samsone servatum scimus (4). Id facile erat, quod Græci Sisoem appellabant.

Tandem ex Josepho (5) scimus, obtinuisse apud Judæos, sive cum pernicioso aliquo morbo, sive cum casu aliquo premerentur, ut votum nuncuparent abstinendi a vino triginta diebus, certas aliquas victimas offerendi, ac tandem cædendi comam. Hoc voti genere obstrinxisse sese Apostolum (6), cum capillos cecidit in portu Corinthi, ne ambigit quidem Spencerus; forte enim, ait ille, hanc sibi religionem induxerat Paulus, cum navigationem haberet periculosam. In morbis filiorum id servatum apud Ægyptios, tradit Diodorus Siculus (7). Eo spectat Juvenalis Satyra 2.

. . . . Gaudent ubi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ.

℣. 3. A VINO ET OMNI, QUOD INEBRIARE POTEST, ABSTINEBUNT. Author Vulgatæ reddit plerumque *Siceram*, quod in Hebræo est שכר *Secar*: hic autem vertitur: *Omne quod inebriare potest*. Est vero una omnium Interpretum mens, sub communi eo nomine designare voluisse Moysem meracos omnes liquores, uti cervisiam, uvæ acerbæ succum, acetum, expressum e dactylis palmarum vinum, vina itidem e fructibus, herbis, & lignis parata. Sunt autem liquores illi hodie usque in Oriente familiares, & maxime qua late patet Mahometanorum Imperium, in quo vini usus Lege est interdictus. Cervisiam potionem esse in Ægypto maxime familiarem, affirmat Herodotus (8). Longum instruit censum liquorum artificialium apud Veteres, & rationis illos parandi Plinius (9). Sermo est in Canticis VIII. 2. עסים *gasis*, vel *basis*, quem alii liquorem esse a malogranatis expressum reputant; alii de musto (10) accipiunt. Certe vinum e dactylis neque robore neque suavitate vino ex uvis cedere dicitur.

Quod attinet ad *Secar*, Paraphrastes Jonathan illud accipit de vino veteri; pro cujus versione adstruenda optima suppetunt argumenta. I. e *Secar* dabantur libationes in Altari Domini, cum perpetua holocausta matutinum, & vespertinum offerebantur (11). Constat autem sexcentis Scripturæ testimoniis, Deum nullos alios liquores in Altari suo permisisse, quam vinum, & oleum: erat igitur *Secar* vinum re ipsa, & facile vetus, ac generosissimum: res enim eximias sibi offerri volebat Deus. II. Meminit Scriptura aceti *Secar* (12) tanquam aceti ex vino. Eadem tradit, dilui *Secar* aqua ad potum (13), quemadmodum & vinum; nullum enim vinum, præterquam ex uvis, aqua diluebatur. Veri igitur speciem habet maximam, *Secar* vinum fuisse ex uvis, neque enim proprie acetum aliud dicitur, quam e vino: *Proprium autem inter liquores vino acescere, aut in acetum verti*, ait Plinius (14). Apud Hebræos, Græcos, Romanosque in familiari sermone obtinebat, miscere vinum, pro parare vinum ad potum; neque enim purum potabatur. III. Addi his potest, *Secar* interdum ita poni in Scriptura ceu synonymum vino. E.g. in Proverbiis XX. 1. juxta Hebræum legas: *Luxuriosa res vinum, tumultuosus Secar*; & Michææ II. 11. in Hebræo: *Stillabo tibi in vinum, & in Secar.*

At enim si vinum erat naturale *Secar*, qui phrases hujusmodi vitiosas affectant Sacri Scriptores? *A vino, & vino veteri abstinebunt. Vinum, & vinum vetus non bibisti* (15). Supervacanee hic repetitur illud *vinum vetus*; qui enim vinum dicit, vinum naturale æque omne significat. Respondemus, vernaculo quidem sermoni nostro vitiosas esse repetitiones; sed illas vicissim admitti in Hebræo: eadem frequentissime ingeruntur pluribus synonymis vocibus variata. Ita e.g. habes in Exodo XII. 19. 20. *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris; qui comederit fermentatum,*

(1) Joseph. de Bello, lib. 2. cap. 15. in Latino, & 22. in Gr. p. 201. (2) Cyrill. de adorat. l. 16. (3) De Legib. Hebr. ritualib. Dissert. 1. l. 3. c. 6. (4) Judic. XVI. 13. (5) Joseph. de Bello Judaico, l. 2. c. 15. (6) Act. XVIII. 18. (7) Diodor. lib. 1. par. 2. c. 3. (8) Herodot. l. 2. c. 77. (9) Plin. l. 14. c. 18. (10) Isai. XLIX. 26. Joel 1. 5. & Amos IX. 13. (11) Num. XXVIII. 7. Secundum Hebr. *Et libabitis quartam partem hin uni agno, in Sanctuario. Libando libabitis secar Domino.* (12) Num. VI. 3. *Acetum vini, & ex qualibet alia potione*, Heb. *Acetum vini, & Acetum secar.* (13) Isai. V. 22. (14) Plin. l. 14. c. 20. (15) Deut. XXIX. 6.

tum, peribit anima ejus de cœtu Israel: omne fermentatum non comedetis. In una eademque ejusdem sententiæ periodo ponit Osee IV. 11. vinum & mustum: *Fornicatio & vinum & ebrietas* (Hebr. *mustum*) *auferunt cor*. Cur igitur vitiosum reputaretur illud: A vino & vino novo, & vino veteri abstinebunt? Distinguebant Romani vinum vulgare a vino ex uvis ad solem excoctis, *vino passo*. Postremum hoc permittebatur fœminis, quibus vulgare erat interdictum (1). Distinguebant etiam Judæi mustum dulce תירש, e torculari statim expressum, & vinum novum doliare חמר, Græce οἶνον τρύγινον, nondum a fœcibus suis purum, adhuc contentum in dolio vel in cisterna subterranea, quæ plerumque prope torcular in vinea fodiebatur: ac tandem vinum purum, percolatum, quod e dolio transferebatur in ampliores lagenas probe clausas; illud vero appellabant Ἀπόθετον οἶνον, *vinum diffusum* (2). Postremum hoc designatum credo in Scriptura nomine *Secar*. Distinguit luculenter Psalmista vinum fœculentum a defœcato, *Psalmo* LXXIV. 7. 8. De arte parandi, servandique vinum apud Hebræos finitimasque gentes, differemus fusius in Jeremiam.

A vero non abludit, nomen *Saccarum* derivari ex Hebræo *Sacar*. Innotuit apud Veteres saccari genus quoddam ex India & Arabia felici advectum (3); erat autem meracus liquor, ebrietatem inducens, expressus ex arundine saccari. Lucanus lib. III. agens de Indis:

Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos.

Meminit etiam hujus Strabo lib. XV. ejusque vim inebriandi ceu vinum narrat. *Tradit Nearchus, arundinem mel sine apibus gignere, & cum non sit arbor fructifera, ex fructu tamen ebrium facere*. Arabes & Turcæ utuntur frequenter saccaro in suis potionibus, ex quo meracum quemdam liquorem parant. In vernaculo eorum sermone *Sacar* est inebriare, quod & in Hebræo pariter sonat: nec a vero abludit, *Sacar* Mosis potionem esse multo saccaro conditam, vel melle ex arundine saccari expresso, qui mos fuit semper in Arabia familiaris. Nec respuenda est tamen in hunc Textum sententia S. Chrysostomi, Theodoreti, & Theophyli Antiocheni, docentium, *Siceram* nomen esse genuinum vini ex palmis. Vide quæ contulimus ad Levitici X. 9. & supra ad paginam 55. hujus libri.

Acetum ex vino, aut ex qualibet alia potione. Hebræus (4): *Acetum vini, & acetum secar*. Reddunt nonnuli: *Potionem coctam, ex vino*, vel *secar*, vel e fermento vini, vel secar; e vino acescente, fermentato, cocto. Aceto utebantur frequenter ad potum Veteres; & aceti varia genera ad potum, recenset Plinius (5). In historia Ruth II. legimus, Booz versantem in agro suo Ruth invitasse, *ut intingeret buccellam suam in aceto* messorum. Milites obtulerunt Jesu Christo Cruci affixo acetum, familiarem sibi potionem. Turcæ, qui interdictum habent Lege vinum, botros uvæ coquunt, parantque ex illis liquorem ceu mel, vel mustum coctum, crassum: id appellant *pachmas*, quod plurimum accedit ad Hebr. *chomez*. Eo autem aqua diluto utuntur qua ad potum, qua etiam ad condimenta ciborum, qualia nos paramus ex musto. Sub generico nomine *chomez* facile complexus est Moyses quascumque e vino, vel uvis confectas potiones.

Quidquid de uva exprimitur. Varie admodum redditur Textus (6): *Omnis mixtio uvæ; vel omnis uva passa*. Septuaginta (7): *Omnia quæcumque fiunt ex vite*. Hebræum *Mischerat* hic tantum in universa Scriptura occurrit, nisi forte derivatum statuatur e *scharat*, servire, quem sensum retulerunt Septuaginta. Maluerim ego reddere ad literam: *Omne ministerium uvarum*: omne quidquid est, cui conficiendo uvæ passæ impenduntur. Expressus uvarum passarum succus per totum late Orientem est familiarissimus. Notum est etiam dilutum quoddam vinum, *Lora* appellatum a Latinis, quod ita conficitur, teste Varrone (8): *Expressi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eoque aqua additur: ea vocatur lora, quod lota acina, ac pro vino operariis datur hyeme*.

℣. 4. A uva passa usque ad acinum. Hebr. (9) varie redditur. Chaldæus vertit: *A granulis usque ad folliculos*. Septuaginta (10): *A corticibus uvæ usque ad acinum*. Ludovicus de Dieu: *A pelliculis usque ad carnem*. Vetitum sibi sciat Nazaræus quidquid est caro & uvæ cortex; & quæ intra corticem, quæque extra corticem sunt.

℣. 5. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus. Radebat comam Nazaræus ineunte Nazaræatu; dein toto voti sui tempore relinquebat intonsam. Hebræus ad literam (11): *Sanctus erit; crescere sinet nuditatem capilli capitis sui*. Mos erat apud Paganos frequens ejusmodi vota nuncupandi, nunquam scilicet se comam barbamque positures, nisi illata prius hostibus suis nece. Tacitus Hist. l. 4. *Civilis barbarico voto post capta adversus Romanos arma propexum rutilatumque crinem patrata demum clade legionum deposuit*. Silius Italicus lib. 4.

Occumbit Sarmens flavam qui ponere victor
Cæsariem crinemque tibi, gradive, vovebat.

Vide etiam Paulum Diaconum lib. 3. cap. 3. & Tacitum de moribus Germanorum.

℣. 6. Super mortuum non ingredietur. Ad funera quod attinet, iisdem subdebatur legibus Nazaræus, ac summus Sacerdos, ait Maimonides (12); utrique enim interdictum erat adesse funeri etiam necessarii cujusque, patris, matris, &c.

℣. 7. Consecratio Dei sui super caput ejus est. Hebræus ita commode redderetur (13): *Corona Dei sui est super caput ejus*. Utrum capite abraderentur penitus, an crinium aliqua parte in supremo vertice relicta, coronæ aliquam speciem referrent, ignoro. Nazaræi perpetui comam semper gerebant intonsam.

℣. 9. Polluetur caput consecrationis ejus, quod radet illico. Si fortuito casu contigisset, ut homo aliquis coram Nazaræo obiret, statim ille eo aspectu polluebatur; qua macula omnia Nazaræatus illius opera eo usque præstita, irrita reddebantur: coma ejus contrahebat vitium; totus instaurandus erat ritus consecrationis, statimque cædendi ejus crines, iterumque post septem dies; ut scilicet, ait Theodoretus (14), siquis forte capillus forficem primum fugisset, secundo tandem cæderetur.

Sed docti quidam Interpretes (15) aliter reddunt Hebræum (16): *Si quis repente mortuus fuerit in domo Nazaræi* (in loco ubi fuerit Nazaræus, coram eo) *caput ejus inquinabitur, & tondebit die purificationis suæ, tondebit die septimo*. A funerum quocumque genere abstinendum fuisse Nazaræis, jam diximus; verum si inopino casu contigisset, ut coram illo obiret aliquis, maculam con-

(1) Athen. l. 10. c. 11. ex Polyb. Ἀπείρηται γυναιξὶ πίνειν οἶνον, τὸν δὲ καλούμενον πάσσον πίνουσι. (2) Vide Athen. l. 1. c. 24. (3) Galen. l. 7. de simplic. Medic. facult. Τὸ σάκχαρ δὲ καλούμενον ὅπερ ἐξ Ἰνδίας καὶ εὐδαίμονος Ἀραβίας κομίζεται. Arrian. in periplo maris rubri: Μέλι τὸ καλάμινον τὸ λεγόμενον σάκχαρι. Plin. l. XII. c. 8. *Saccaron & Arabia fert, sed laudatius India*. (4) חמץ יין וחמץ שכר (5) Plinius lib. 14. c. 16. (6) כל משרת ענבים (7) Ὅσα κατεργάζεται ἐκ σταφυλῆς. (8) Varro de re rustic. cap. 54. (9) מחרצנים ועד זג (10) Ἀπὸ στεμφύλων ἕως γιγάρτου. (11) קדש יהיה גדל פרע שער ראשו (12) More Neboch. p. 3. (13) נזר אלהיו על ראשו (14) Theodoret. qu. 11. in Numer. (15) Vide Rabb. & Vat. &c. (16) וכי ימות מת עליו בפתע פתאם וטמא ראש נזרו וגלח ראשו ביום טהרתו ביום השביעי יגלחנו

contrahebat, retinebatque ſpatio ſeptem dierum, ex ea legis ſanctione (1), qua jubentur omnes quicumque in ædibus hominis defuncti verſati fuesint, manere ſeptem diebus in macula vitii ſui, antequam eluere illam poſſint. Igitur Nazaræi iterum radebant comam poſt ſeptem dies, offerebantque victimas infra præſcriptas, & puri iterum inſtituebant ex integro exercitia Nazaræatus ſui, veluti prioribus omnibus infectis.

℣. 13. Adducat eum ad ostium. Non ſatis liquet ex Textu יביא אתו, utrum deducente Sacerdote ſiſteretur Nazaræus ad oſtium Tabernaculi; an ipſe per ſe Nazaræus eo ſe conferret, oblationes ſuas deferens; an tandem vertendum ſit: *Veniet offerens ſe ad oſtium &c.* Sed vero propius autumaremus, ducente Sacerdote offerri Domino Nazaræum.

℣. 14. Ovem anniculam pro peccato; ad expiandum vitium ex peccato, quod imprudenti forte obrepſit tempore Nazaræatus ſui; vel ad ſatisfaciendum Deo pro inofficioſo illo crimine irreligioſitatis, invite & ignoranter in conſecrationem Domini commiſſo.

℣. 18. Tollet capillos ejus, et ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum; ideſt, ſuper ignem qui abſumit arietem, & oblationes panum ac libaminum, quæ in ſacrificium pacificum pro Nazaræis deferuntur. Ambo Paraphraſtæ, Onkelos, Jonathan, Rabbini, & Commentariorum Scriptores quidam (2) cenſent, ignem hunc, quo raſa coma abſumitur, ipſum fuiſſe, quo lebetes in culina fervebant, vel quo coquebantur carnes victimarum pacificarum cedentes privatis, a quibus oblatæ fuerant: ſed æquior Textus ſenſus ille eſt, quem primo expoſuimus. Ita enim reddiderunt Septuaginta; & Philo non obſcure prodit, injici crines illos in ignem Altaris. *Quoniam Nazaræus* [ait ille in libro de victimis] *offert ſe ipſum, & ſacrum altare nefas eſt pollui humano ſanguine, & opus fuit omnino ejus partem offerri aliquam; electa eſt quæ detracta nec dolorem afferret nec noxiam. Cum enim corpus ſit inſtar quoddam arboris, tamquam frondes ſuperfluæ capilli ex eo præſecti mittuntur in ignem, quo rite coquuntur carnes ſalutaris hoſtiæ.* Eodem ſenſu explicat Theodoretus (3); habet enim tantum imponendos fuiſſe crines Nazaræi ſupra victimam pacificam, igni.

℣. 20. Susceptaque rursum ab eo elevabit in conspectu Domini. Armum ſiniſtrum arietis ſumebat Sacerdos, cum pane azymo, placenta oleo ſubacta, alteraque oleo frixa; hiſque omnibus implens manus Nazaræi, ſuſtinebat illas, elevabat, ſiſtebatque motu agitationis ad quatuor angulos mundi, coram Domino: tum Nazaræus omnia reſtituebat Sacerdoti, qui ſibi ea ſeponebat: *Sanctificata Sacerdotis erunt.* Igitur in eo ſacrificio portio erant Sacerdotis armus uterque victimæ pacificæ, & panes, quos communes Sacrificiorum ejuſmodi leges permittebant iis, qui ſacrificium ſuis ſumptibus procuraſſent. Inſinuare id voluit Joſephus (4), tradens, in cæremonia conſecrationis Judæorum oblatas ab illis victimas cedere Sacerdoti.

℣. 21. Exceptis his, quæ invenerit manus ejus. Quæcumque in hoc capite imperantur illi, ita implebit Nazaræus, ut ſponte etiam aliqua addat, juxta menſuram voti, quo ſeſe obſtrinxerit.

℣. 23. Sic benedicetis filiis Israel. Docet hic Moyſes Summum Sacerdotem formulas aliquot benedictionum, quibus fauſta precetur filiis Iſraelis in cæremoniis & publicis cœtibus. Scripta Legiſlatoris volumina perinde erant ac rituales libri Sacerdotum Veteris Legis: cæremonias omnes accuratiſſime habebant in illis deſcriptas, ut recepto uſui ſupplenda pauca relinquerentur. Tres hic benedictionum formulæ diſtinguendæ ſunt, in eumdem ſenſum convenientes: ex illis unam ſeligere arbitrio Summi Sacerdotis relictum erat: ſtans autem hæc precabatur, elatis manibus & voce, ait Grotius.

℣. 25. Ostendat faciem suam tibi. Hebræus (5): *Lucere faciat Dominus facies ſuas ſuper te.* Similes phraſes familiares ſunt Scripturæ (6), indicantes benignum intuitum, ſerenam faciem, ut oppoſitam vultui, & obtutui triſti ac tetro, *Nubilæ faciei.*

℣. 26. Convertat vultum suum ad te. Hebræus: *Elevet vultum ſuum ſuper te.* Benigno te reſpiciat intuitu, poſtulataque tua omnia lætus admittat.

Det tibi pacem, proſperis omnibus boniſque cumulet. Bonorum genus omne nomine pacis deſignari in Lingua ſancta tam notum eſt quam quid aliud.

℣. 27. Invocabunt nomen meum super filios Israel. Quas meo nomine recitant preces ſuper filios Iſraelis, largum benedictionis imbrem ſuper illos impetrabunt. Hebræus ad literam (7): *Ponent nomen meum ſuper filios Iſrael. Ponent benedictionem nominis mei ſuper filios Iſrael*, ait Chaldæus; nomine meo illis benedicent; vel potius laudabunt nomen meum, illis benedicentes; vel uti Junius: Imponent manus ſuper filios Iſrael, invocantes nomen meum; aut tandem: Imponent nomen meum filiis Iſrael, ut populum Domini illos appellent.

[1] Vide Num. v. 3. & xix. 11. 12. & Levit. xv. 13. & Ezech. xliv. 26. [2] Lyran. Bonfrer. Menoch. &c. [3] Theodoret. quæſt. 11. in Numer. [4] Joseph. Antiq. lib. 4. cap. 4. [5] יאר פניו אליך [6] Pſalm. lxvi. 1. *Illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.* Pſalm. cxviii. 135. *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum.* Item Pſalm. xxvi. 1. xliii. 4. lxxxix. 8. [7] ושמו את שמי על בני ישראל

CAPUT VII.

Munera & victimæ a ſingulis Principibus ſingularum duodecim Tribuum oblata Domino poſt erectionem Tabernaculi. Ratio qua Deus conſuetudinem habere ſolebat cum Moyſe e Tabernaculi vertice.

℣. 1. Factum eſt autem in die, qua complevit Moyſes tabernaculum, & erexit illud: unxitque, & ſanctificavit cum omnibus vaſis ſuis, altare ſimiliter, & omnia vaſa ejus. 2. Obtulerunt Principes Iſrael, & capita familiarum, qui erant per ſingulas tribus, præfectique eorum, qui numerati fuerant, 3. Munera coram Domino, ſex plauſtra tecta cum duodecim bobus. Unum plauſtrum obtulere duo duces, & unum

& unum bovem singuli, obtuleruntque ea in conspectu tabernaculi. 4. Ait autem Dominus ad Moysen: 5. Suscipe ab eis, ut serviant in ministerio tabernaculi: & trades ea Levitis juxta ordinem ministerii sui. 6. Itaque cum suscepisset Moyses plaustra, & boves, tradidit eos Levitis. 7. Duo plaustra, & quatuor boves dedit filiis Gerson, juxta id, quod habebant necessarium. 8. Quatuor alia plaustra, & octo boves dedit filiis Merari, secundum officia, & cultum suum, sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. 9. Filiis autem Caath non dedit plaustra, & boves: quia in Sanctuario serviunt, & onera propriis portant humeris. 10. Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris, die, qua unctum est, oblationem suam ante altare. 11. Dixitque Dominus ad Moysen: Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris. 12. Primo die obtulit oblationem suam Nahasson filius Aminadab de tribu Juda: 13. Fueruntque in ea, acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos, juxta pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 14. Mortariolum ex decem siclis aureis plenum incenso: 15. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 16. Hircumque pro peccato: 17. Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc est oblatio Nahasson filii Aminadab. 18. Secundo die obtulit Nathanael filius Suar, dux de tribu Issachar. 19. Acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, juxta pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 20. Mortariolum aureum habens decem siclos, plenum incenso: 21. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 22. Hircumque pro peccato: 23. Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Nathanael filii Suar. 24. Tertio die princeps filiorum Zabulon, Eliab filius Helon, 25. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 26. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 27. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 28. Hircumque pro peccato: 29. Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc est oblatio Eliab filii Helon. 30. Die quarto princeps filiorum Ruben, Elisur filius Sedeur, 31. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 32. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 33. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 34. Hircumque pro peccato: 35. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Elisur filii Sedeur. 36. Die quinto princeps filiorum Simeon, Salamiel filius Surisaddai, 37. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos: phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium. 38. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 39. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 40. Hircumque pro peccato: 41. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Salamiel filii Surisaddai. 42. Die sexto princeps filiorum Gad, Eliasaph filius Duel, 43. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium. 44. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 45. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 46. Hircumque pro peccato: 47. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Eliasaph filius Duel. 48. Die septimo princeps filiorum Ephraim, Elisama filius Ammiud, 49. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 50. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 51. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 52. Hircumque pro peccato: 53. Et in hostias pacificorum, boves duos,

duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: Hæc fuit oblatio Elisama filii Ammiud. 54. Die octavo princeps filiorum Manasse, Gamaliel filius Phadassur, 55. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 56. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 57. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 58. Hircumque pro peccato: 59. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque, hæc fuit oblatio Gamaliel filii Phadassur. 60. Die nono princeps filiorum Beniamin, Abidan filius Gedeonis, 61. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 62. Et mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: 63. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 64. Hircumque pro peccato: 65. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Abidam filii Gedeonis. 66. Die decimo princeps filiorum Dan, Ahiezer filius Ammisaddai, 67. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 68. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 69. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 70. Hircumque pro peccato: 71. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Ahiezer filii Ammisaddai. 72. Die undecimo princeps filiorum Aser, Phegiel filius Ochran, 73. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 74. Mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso, 75. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 76. Hircumque pro peccato: 77. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Phegiel filii Ochran. 78. Die duodecimo princeps filiorum Nephtali, Ahira filius Enan, 79. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila oleo conspersa in sacrificium. 80. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 81. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 82. Hircumque pro peccato: 83. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Ahira filii Enan. 84. Hæc in dedicatione altaris oblata sunt a principibus Israel, in die, qua consecratum est. Acetabula argentea duodecim: phialæ argenteæ duodecim: mortariola aurea duodecim: 85. Ita ut centum triginta siclos argenti haberet unum acetabulum, & septuaginta siclos haberet una phiala: idest, in commune vasorum omnium ex argento sicli duo millia quadringenti, pondere Sanctuarii. 86. Mortariola aurea duodecim plena incenso, denos siclos appendentia pondere Sanctuarii, idest, simul auri sicli centum viginti: 87. Boves de armento in holocaustum duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, & libamenta eorum: hirci duodecim pro peccato, 88. In hostias pacificorum, boves viginti quatuor, arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc oblata sunt in dedicatione altaris, quando unctum est. 89 Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonii inter duos Cherubim, unde & loquebatur ei.

℣. 1. FACTUM EST IN DIE QUA COMPLEVIT MOYSES TABERNACULUM. Acta sunt hæc altera die secundi mensis, alterius anni post exitum ab Ægypto; aliquanto post erectionem Tabernaculi. Quamquam enim Textus contigisse ista definit die, qua suprema manus erigendo illi data est; indicant hæc tamen tempus circiter. Extra naturalem sedem depositum est hoc caput; collocandum enim fuisset statim post caput x. Levitici, continens historiam initiati Aaronis & filiorum.

℣. 3. SEX PLAUSTRA TECTA, CUM DUODECIM BOBUS. Interpretes quidam (1) reddunt Hebræum עגלות צב *currus militares*; Targum Jerosolymitanum: *Sex plaustra jugata*, bigas. Septuaginta: *Sex vehicula*, quæ dicuntur *lampenica*, quorum figura

[1] Vide Drus. & apud eum Samarit.

figura æque ac usus ignoratur. In his rerum ambagibus præstat inhærere Vulgatæ, quam incerta incertis addere. Plaustra hæc tecta, rerum Tabernaculi portioni, asseribus, columnis vehendis erant.

℣. 5. Juxta ordinem ministerii sui. Hebræus: איש כפי עברתו, *unusquisque juxta servitium suum*, juxta laborem, necessitatem, numerum & pondus rerum, quæ illis vehendæ traduntur.

℣. 8. Quatuor alia plaustra, et octo boves dedit filiis Merari. Datum Meraritis pensum erat majus, quam cæteris omnibus Levitis, quippe quorum curæ tradebantur asseres, columnæ, earumque bases, vectes Tabernaculi, funes & paxilli. Si quis autem unice supputet pondus metalli impensi in bases, epistylia, & ornamenta columnarum, asserum quoque & vectium, reddentur illi XXIX. talenta auri, C. argenti, MMLXX. æris: quæ simul omnia æquant 274875. libras Romanas duodecim unciarum. Adde his LXIV. columnas XV. vectes aureis obductos laminis, XLVIII. asseres, decem cubitorum altitudinis, & cubiti & semis latitudinis; facile statim intelliges, quatuor hæc plaustra, & boum juga totidem multo inferiora esse, quam pro rei necessitate. Insuper Meraritarum familia numero hominum non excedebat; neque enim ex illis descripti erant in censu ex viris intra triginta & quinquaginta annorum ætatem, nisi ter mille ducenti (1). Quare plaustrorum numerus major huic familiæ assignandus erat a populo: siquidem datis metalli ter mille libris in singula plaustra, centum ejusmodi plaustra exigebantur, quemadmodum & data singulis Meraritis sarcina quinquaginta librarum, adhuc tamen ultra dimidium oneris supererat (2).

℣. 9. Quia in Sanctuario serviunt. Curæ illorum credita est Arca, quæ continetur in Sanctuario; & mensæ, cum candelabro aureo in Sancto positæ. Hebræus ad literam, *Servitium Sanctitatis super eos*. Vide Caput IV. 4. 5.

℣. 10. In die, qua unctum est. Circa illud tempus, aliquot tantum diebus evolutis. Vide ℣. 1.

℣. 13. Acetabulum argenteum. Acetabulum hic non vas aceto seu liquore alio plenum designat; statuebatur enim coram Deo plenum farina oleo subacta. Amplissimum autem illud ponamus oportet, quippe quod haberet ponderis CXXX. siclos, quibus conficiuntur 65. unciæ, seu quinque libræ Romanæ duodecim unciarum. Genuinam significationem Hebrææ vocis קערות *Kabaroth*, scrutati sumus in Exodo XXV. 29.

Phiala argentea. Vocem originalem מזרקים excussimus in Exodo XXVII. 3. ubi demonstrare conati sumus, designare illam vas potatorium, & instrumentum ad fundenda libamina, vel cruorem in Altari. Exprobrat Amos VI. 6. locupletibus Israelis: *Bibentes vinum in phialis* (Misrakor) *& optimo unguento delibuti*. Agens Zacharias IX. 15. de strage, qua Israelitæ suos hostes cædent, *Bibentes*, ait, *inebriabuntur quasi a vino, & replebuntur ut phialæ, & quasi cornua Altaris*. Idem pariter XIV. 28. sermonem habens de lebetibus ex hoste captis, *Erunt lebetes*, ait, *in domo Domini, quasi phialæ coram Altari*; idest, phialæ ad aspersiones, vel libationes destinatæ. Vasa, de quibus hic, ex argento tantum, non aliis erant usibus, quam Altaris holocaustorum. Scyphus ad libationes in mensa panum Propositionis ex auro parabatur, appellabaturque קשות *Kesoth*. Vide Exodum XXV. 29.

℣. 14. Mortariolum plenum incenso. Hebr. כף *Caph* est vola manus; unde conjecturæ locus, hoc instrumentum figuram retulisse manui perquam similem, nec facile designare aliud, quam cochleare, quo sumerentur ex acerra suffitus, & imponerentur seu thuribulo, seu igni Altaris. Quod autem hanc conjecturam maxime juvat, illud est, nimirum in Scriptura non semel id instrumentum jungi thuribulis (3). Fateor equidem, in cæremonia solemnis Expiationis injungi a Levitico XVI. 12. ut summus Sacerdos *hauriat manu compositum thymiama*; sed reputari posset, peculiarem hunc esse ritum illius diei; cæterum consuevisse Sacerdotes haustum cochleari thus imponere seu igni Altaris, seu prunis thuribuli.

℣. 85. Sicli duo millia quingenti; quibus conficitur pondus centum librarum, & pretium amplius mille ducentorum & quadraginta scutorum, habitis in singulos siclos duobus ac triginta solidis, quinque denariis, & tribus ex octo denarii partibus.

℣. 86. Aurei sicli centum viginti. Aurei sicli pondus fertur dimidium reddere argentei; æstimari vero undecim libris, totidemque solidis, cum denariis novem, & quadrante. Si quis vero ejus pondus æquet cum pondere sicli argentei, quod mihi probatur maxime, illi ejus valor augendus erit duplo.

(1) Num. IV. 44.

(2) Vide Jansen. hic.

(3) Vide 3. Reg. VII. 50. & 2. Par. IV. 22.

CAPUT VIII.

Descriptio Candelabri aurei, & lucernarum Tabernaculi. Consecratio & munera Levitarum.

℣. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere Aaron, & dices ad
eum: Cum posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur.
Hoc igitur præcipe, ut lucernæ contra boream e regione respiciant ad mensam panum
propositionis, contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt. 3.
Fecitque Aaron, & imposuit lucernas super candelabrum, ut præceperat Dominus
Moysi. 4. Hæc autem erat factura candelabri, ex auro ductili, tam medius stipes,
quam cuncta, quæ ex utroque calamorum latere nascebantur: juxta exemplum, quod
ostendit Dominus Moysi, ita operatus est candelabrum. 5. Et locutus est Dominus ad
Moysen, dicens: 6. Tolle Levitas de medio filiorum Israel, & purificabis eos 7.
Juxta hunc ritum: Aspergantur aqua lustrationis, & radant omnes pilos carnis suæ,

Cum-

Cumque laverint vestimenta sua, & mundati fuerint, 8. Tollent bovem de armentis, & libamentum ejus similam oleo conspersam: bovem autem alterum de armento tu accipies pro peccato, 9. Et applicabis Levitas coram tabernaculo fœderis, convocata omni multitudine filiorum Israel. 10. Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas super eos, 11. Et offeret Aaron Levitas, munus in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus, 12. Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum, e quibus unum facies pro peccato, & alterum in holocaustum Domini, ut depreceris pro eis, 13. Statuesque Levitas in conspectu Aaron, & filiorum ejus, & consecrabis oblatos Domino. 14. Ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei. 15. Et postea ingredientur tabernaculum fœderis, ut serviant mihi. Sicque purificabis, & consecrabis eos in oblationem Domini: quoniam dono donati sunt mihi a filiis Israel. 16. Pro primogenitis, quæ aperiunt omnem vulvam in Israel, accepi eos. 17. Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus, quam ex jumentis. Ex die, quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificavi eos mihi. 18. Et tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel: 19. Tradidique eos dono Aaron, & filiis ejus de medio populi, ut serviant mihi pro Israel in tabernaculo fœderis, & orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad Sanctuarium. 20. Feceruntque Moyses, & Aaron, & omnis multitudo filiorum Israel super Levitis, quæ præceperat Dominus Moysi: 21. Purificatique sunt, & laverunt vestimenta sua. Elevavitque eos Aaron in conspectu Domini, & oravit pro eis, 22. Ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis coram Aaron, & filiis ejus. Sicut præceperat Dominus Moysi de Levitis, ita factum est, 23. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 24. Hæc est lex Levitarum: A viginti quinque annis, & supra, ingredientur, ut ministrent in tabernaculo fœderis, 25. Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt; 26. Eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, ut custodiant, quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non faciant. Sic dispones Levitas in custodiis suis.

ỹ. 2. CONTRA EAM PARTEM, QUAM CANDELABRUM RESPICIT, LUCERE DEBEBUNT. Reputandum est, candelabrum illud eum tenuisse locum in Sancto, qui responderet meridiei, & e regione mensæ panum propositionis, ramos vero partim habuisse ad latus Orientale, partim ad Occidentale, ut collustraretur simul & Altare Thymiamatis, ad Orientem positum, & Mensa panum, ad septemtrionem e regione candelabri. Candelabri hujus descriptionem habes in Exodo xxv. 31.

ỹ. 7. ASPERGANTUR AQUA LUSTRATIONIS; idest, aqua illa, quæ ceu lixivium parabatur cinere vaccæ rufæ in eum usum immolatæ (1), cujus cineres servabantur in Templo, atque in ædibus privatis, ad conficiendam ex iis aquam lustralem, maculis legalibus eluendis.

Lustrales ejusmodi aquas in vestibulo Templorum suorum habebant olim Profani, parabantque illas affuso pro cineribus sale, uti nos hodie in lustrali aqua, ritu Ecclesiæ conficienda. Theocritus (2):

. . . . Puro lustrate domum sulphure
Primum, deinde sale mixta [*ut consuetum est*]
Ramoque virenti coronata, aspergite pura aqua.

RADANT OMNES PILOS CARNIS SUÆ. Jam alibi (3) animadvertimus, Sacerdotes Hebræos quo tempore vacabant ministeriis suis in Templo, comam non nutrivisse prolixam, sed singulis trimestribus illam forcipe, non novacula cecidisse. Levitis nihil tale imperatum scimus in Lege; abradi tantum illos pilis toto corpore omnibus vult Moyses qua die consecrabantur. Vicissim autem die consecrationis Sacerdotum nihil ejusmodi mandat; re ipsa tamen veri speciem habet maximam, eamdem disciplinam utrosque servasse, utrosque pariter habuisse comam eodem ritu paratam, quo tempore ministeriis suis in Templo vacabant. Ritus iste deponendi crines quodam ceu mysterio exprimebat intimam cordis munditiem, præcisoque superfluo rerum omnium affectu unam restare Sacerdotibus curam, ut servitiis Divinis vacent. Sacerdotes Ægyptii (4), superstitioso quodam erga munditiem corporis studio, singulis tribus diebus totum corpus abradebant; ex quo apud Profanos designantur non semel nomine *gregis calvi*.

ỹ. 10. PONENT FILII ISRAEL MANUS SUAS SUPER EOS; nimirum Princeps populi & Principes Tribuum; & forte etiam tot Optimates Israelitarum, quot erant Levitæ, illis manus imponebant. Hic ritus facile significabat, populum offerre Domino Levitas, ut suo loco illi servirent, & onerare se illos coram Domino culpa eorum omnium, quæ forte irreligiose committerentur in ministerio, cui homines illos destinabant.

ỹ. 11. OFFERET AARON LEVITAS, MUNUS, &c. Hebræum ad literas (5): *Et elevabit Levitas oblationem* agitationis *coram Domino*. Creditur Aaron in altum extulisse Levitas (6), & motu quodam agitationis constituisse ad quatuor Orbis partes, eodem fere ritu, ac in offerendis quibusdam muneribus & victimarum portionibus. Adhuc tamen pronum est ut credamus, Summum Sacerdotem acci-

(1) Vide Num. xix. 17.

(2) Theocrit. Idyl. 24.
. . . Καθαρῷ δὲ τυφώσατε δῶμα θεείῳ
Πρᾶτον, ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον (ὡς νενόμισται)
Θαλλῷ ἐστεφανωμένῳ ἀβλαβὲς ὕδωρ.

(3) Vide Levit. x. 6. & xxi. 5. 10.

(4) Herodot. lib. 2. cap. 37.

(5) הניף את הלוים תנופה

(6) Ita Chald. Onkelos. וירים . . . ארמה קדם יי

accitos ad se Levitas alterum post alterum, movisse ac vertisse ritu plane simili iis, qui servabantur in oblationibus coram Domino agitatis. Porro ea cæremonia toties iterabatur, quoties Levita aliquis excipiendus erat ad ministeria Tabernaculi, vel Templi. Docet id historia Ezechiæ; cum enim Princeps ille repurgasset Templum, cultumque restituisset Domino, rariores autem essent quam qui ad excoriandas victimas satis essent Sacerdotes, admoti sunt ad id operis Levitæ: *Levitæ quippe* (1) *faciliori ritu sanctificantur, quam Sacerdotes*. Consecrandis enim Sacerdotibus septem dies impendendi erant, Levitarum autem cæremonia intra paucas horas absolvebatur.

℣. 12. E QUIBUS UNUM FACIES PRO PECCATO. Hebræus fert; *Immolabit unum*. Ex quo reputarunt nonnulli, Aaronem per se totam hanc cæremoniam absolvisse. Ita pariter in hoc eodem versiculo illud, *Ut depreceris pro eis*, Hebræus præfert tantum: *Ad deprecandum pro eis*. Verum Septuaginta, Vulgata, & Arabs legunt in secunda persona, nec alium sensum postulat narrationis series, quæ per ℣℣. 13. 14. 15. continuata semper ad alterum aliquem dirigit sermonem, & ad Moysem apertissime refertur.

℣. 15. INGREDIANTUR TABERNACULUM FOEDERIS. Excipientur inter ministros Tabernaculi mei, ut liceat illis pedem inferre intro in atrium, & in Tabernaculum, depositum tamen, & complicatum, seseque onerabunt vasis suæ ipsorum curæ commissis, juxta ea, quæ supra exposita sunt. Nunquam illi quidem vere dici possunt ingredi in Tabernaculum; id enim erat peculiare Sacerdotum privilegium.

℣. 19. ORENT PRO EIS, NE SIT IN POPULO PLAGA. Hebræus (2): *Et dedi Levitas Aaroni ad expiandum super filios Israel, & non sit in filiis Israel plaga*. Aaronis erit addicere Levitas ministeriis Sanctis, quæ nunquam sibi arrogat populus, nisi provocata in caput suum Numinis ultione. Commode etiam ita redderetur Hebræus: Dono dedi illi Levitas in redemptionem filiorum Israel, idest in pretium primorum natu, loco primorum natu Israelis.

℣. 21. ORAVIT PRO EIS. Eadem vox legitur in Originali, quam supra reddi posse censuimus, *expiavit* vel redemit.

℣. 24. A VIGINTI QUINQUE ANNIS, ET SUPRA. Textum hunc conciliare conati sumus cum altero capitis IV. 3. ubi servitium ministrorum a trigesimo ætatis anno initum dicitur. Vide caput IV.

℣. 25. CUMQUE QUINQUAGESIMUM ANNUM ÆTATIS IMPLEVERINT, SERVIRE CESSABUNT. Cessabunt illi quidem a laboriosis, non vero a minoribus operibus, quæ singulorum vires non superant. Sarcinas non ferent, nec servilia & laboriosa præstabunt, id enim ad literæ rigorem sonant voces originalis (3): sed occupabuntur in Tabernaculo (4) cum Sacerdotibus, vel cum coævis Levitis, operibus magis ingenuis, & magis expeditis; quod in proxime subsequenti versiculo significatur.

℣. 26. ERUNTQUE MINISTRI FRATRUM SUORUM; opem illis præstabunt, quantum vires sinent. Sunt (5) qui ita Textum exponant: Juvabunt illos consilio suo, ceu veterani milites tyrones illos instruent. Exigere ab illis Textus videtur (6), ut advigilent, intentum habeant in cæteros Levitas oculum, inspecturi quid operis ab illis præstetur in Tabernaculo.

(1) 2. Par. XXIX. 34. (2) לכפר על בני ישראל (3) מצבא העבודה ולא יעבד עוד (4) Λειτουργήσει μετὰ ἀδελφῶν αὐτοῦ. (5) Grot. & versio Samarit. (6) ושרת את אחיו לשמר משמרת ועבדה לא יעבד

CAPUT IX.

Leges pro celebratione Paschatis. Columna nubis erigens sese, movendi castra signum dabat.

℣. 1. LOcutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, anno secundo postquam egressi sunt de terra Ægypti, mense primo, dicens: 2. Faciant filii Israel Phase in tempore suo. 3. Quarta decima die mensis hujus ad vesperam, juxta omnes cœremonias, & justificationes ejus. 4. Præcepitque Moyses filiis Israel, ut facerent Phase, 5. Qui fecerunt tempore suo, quartadecima die mensis ad vesperam in monte Sinai. Juxta omnia, quæ mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii Israel. 6. Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere Phase in die illo, accedentes ad Moysen, & Aaron, 7. Dixerunt eis: immundi sumus super anima hominis: quare fraudamur, ut non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel? 8. Quibus respondit Moyses: State, ut consulam, quid præcipiat Dominus de vobis. 9. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 10. Loquere filiis Israel: Homo, qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino. 11. In mense secundo quartadecima die mensis ad vesperam: cum azymis, & lactucis agrestibus comedent illud. 12. Non relinquent ex eo quidpiam usque mane, & os ejus non confringent, omnem ritum Phase observabunt. 13. Si quis autem mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo: peccatum suum ipse portabit. 14. Peregrinus quoque, & advena si fuerit apud vos, facient Phase Domino juxta cœremonias, & justificationes ejus. Præceptum idem erit apud vos tam advenæ quam indigenæ. 15. Igitur die, qua

qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis usque mane. 16. Sic fiebat jugiter: per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis. 17. Cumque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israel: & in loco, ubi stetisset nubes, isti castrametabantur. 18. Ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum. Cunctis diebus, quibus stabat nubes supra tabernaculum, manebant in eodem loco: 19. Et si evenisset, ut multo tempore maneret super illud, erant filii Israel in excubiis Domini, & non proficiscebantur, 20. Quot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant. 21. Si fuisset nubes a vespere usque mane, & statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur: &, si post diem, & noctem recessisset, dissipabant tentoria: 22. Si vero biduo, aut uno mense, & longiori tempore fuisset supra tabernaculum, manebant filii Israel in eodem loco, & non proficiscebantur: statim autem ut recessisset, movebant castra. 23. Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiscebantur: erantque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Moysi.

℣. 1. Locutus est Dominus ad Moysen. Quæ leguntur in prioribus quindecim versiculis hujus capitis, commode præponerentur censui, in exordio hujus Libri descripto. Jubet Deus celebrari Pascha primum in deserto circa diem XIV. primi mensis, alterius anni ab egressu ex Ægypto, paulo post erectionem & consecrationem Tabernaculi.

℣. 2. Faciant filii Israel Phase. De uno hoc Paschate in deserto sermo est apud Moysem. Nec aliud celebratum fuisse solidis quadraginta annis ejus itineris, affirmant Rabbini; hoc autem unum & singulare adnotatum fuisse dicunt, ut tacite arguerentur Judæi soliciti parum studii satis a Deo legibus observandis. Nefas erat Judæis, nisi fuissent circumcisi, ipsique eo sacramento subjectos sibi omnes obsignassent, Pascha celebrare (1): cum autem nati in deserto infantes nulla tunc circumcisione initiarentur, inde inferunt Judæi, nullum etiam Pascha populum in deserto celebrasse (2).

℣. 3. Ad vesperam, juxta omnes cæremonias, et justificationes ejus. Hebræus (3): *Inter duas vesperas in statuto tempore; juxta omnia statuta ejus, & juxta omnia judicia ejus.* Septuaginta (4): *Ad vesperam secundum tempus ejus: secundum legem ejus, & secundum comparationem ejus* (vel secundum judicium ejus). Et ℣. 14. pro *comparatione* habent σύνταξιν αὐτῆς, *constructionem*, ordinem. Quid sit illud, *Intra duas vesperas*, expensum est in Exodo XII. 6.

℣. 5. In monte Sinai. Vox originalis במדבר designat etiam loca montibus aspera, quæ plerumque sunt & deserta. Vide quæ disputavimus ad Exodi XIV. 3. Israelitæ celebrarunt Pascha ad radices Sinai, antequam moventes castra ad Cades barne proficiscerentur.

℣. 7. Dixerunt eis. Hebræus & Chaldæus יאמרו אליו, *Dixerunt ad eum*, nempe Moysem. Exemplaria quædam Septuaginta congruunt hic cum Hebræo.

Immundi sumus super anima hominis &c. Quicumque maculam contraxissent aliquam, prohibebantur lege, ne accederent ad res sanctas, vel de dapibus victimarum oblatarum Domino aliquid degustarent. Funera & tactus cadaveris vitium inferebant; non unius tantum, sed septem dierum, ut interdictum esset æque sive de tempore illo aliquid demere, sive negligere aliquid ex officio mortuis impendendo (5): maculæ autem illæ excludebant non modo ab usu rerum sacrarum, sed etiam castris, & consuetudine cum reliquo populo. Accidit igitur, ut homines quidam inauspicatos se forte intelligerent, quo fieret, ut a celebratione Paschatis excluderentur, quippe qui maculam ex funeribus contraxissent. Hi Moysem convenientes, quid facto opus esset interrogarunt, vel saltem interrogaturos alios suo nomine miserunt, ponamus illos extra castra fuisse, ex lege Numerorum v. quæ forte tamen populo nondum rogata erat, Porro homines illi norant, lege prohiberi a participatione rerum sacrarum quicumque macula aliqua vitiaretur: vicissim autem animadvertebant, Deum imperasse Israelitis omnibus celebrationem Paschatis sub pœna exterminii. Erat autem Festum illud ita certæ cuidam diei affixum, ut nunquam per totum annum ultra recurreret dies aliqua, qua ejus defectus suppleretur. Norant insuper, priori illo Paschate in Ægypto neminem amotum fuisse ab esu victimæ Paschalis: tandem contractas ex funeribus maculas immunes esse culpa, nec inferri e crimine aliquo in legem patrato, sed necessarias esse potius consecutiones officii, quod necessariis impendi pietas æque & religio jubent. Hæc homines illos tenebant suspensos. Censent Rabbini, contraxisse illos maculam ex relatis extra castra cadaveribus Nadab & Abiud.

℣. 10. 11. Faciat phase Domino. Habes hic responsum ad rem propositam ℣. 9. Vitiati omnes, quacumque ratione maculam contraxerint (6), maxime ex curatis funeribus vel contactu mortui; & quicumque insuper seu in itinere positi, seu a regione sua longe remoti prohibentur a celebrando Paschate, different illi Festum in diem XIV. secundi mensis, ut scilicet ad locum a Domino electum pervenerint. Prorogant hanc legem Septuaginta non ad eos tantum qui procul absunt a regione sua (7), sed & ad eos pariter, qui in ditione Israelitica versantes, adhuc tamen nimis distant a loco Paschatis celebrationi destinato. Spatium illud loci eximens a celebratione prioris Paschatis, definiunt Rabbini XV. M. passuum, vel XV. leucas a Jerosolymis. Quæ si vera statuantur, nimis in immensum cresceret numerus Israelitarum eo privilegio utentium, cum tota eorum ditio porrigeretur in longum amplius sexaginta leucas, & amplius triginta in latum. Addunt Doctores illi (8), si forte

(1) Exod. XII. 43. 44. 48. (2) Sepher Siphri, fol. 10. Pesikta zoterta, fol. 43. Hiscuni, Bechai, &c. (3) בין הערבים במעדו בכל חקתיו ובכל משפטיו (4) Πρὸς ἑσπέραν κατὰ καιρὸν αὐτοῦ, κατὰ τὸν νόμον αὐτοῦ, καὶ κατὰ σύγκρισιν αὐτοῦ. (5) Philo lib. 3. de vita Mosis. (6) Philo loco citato. [illegible] (7) Ἢ ἐν ὁδῷ μακρὰν ὑμῖν, ἢ ἐν ταῖς γενεαῖς ὑμῶν. (8) Apud Selden. de Synedriis l. 2. cap. 1.

forte contigisset, ut vel populus universus, vel portio ejus major aliqua macula detineretur, prohibereturque a celebratione prioris illius Paschatis, non ideo tamen abstinendum fuisse, quin stata dies primi mensis Paschalis ab omnibus celebraretur. Si forte commune esset vitium Sacerdotibus omnibus, cum interim mundus esset populus, vitium illud Sacerdotum nihil religioni diei præscriptæ officiebat: vicissim autem si populi minor tantum pars labem incurrisset, agebat hæc secundum Pascha, seorsum tamen apud se, & a cæteris divisa.

Ad fœminas quod attinet, tenebantur illæ, non secus ac viri, præcepto prioris Paschatis: si quam tamen maculam eo tempore contraxissent, secundum agere Pascha nullo præcepto jubebantur, uti & nos in Exodo XII. 19. tradidimus. Addunt his Hebræi, cum populus universus Pascha primum celebrat, privatos secundi Paschatis religione non teneri; & cum populus, nihil contractam maculam moratus, primum Pascha celebravit, tunc Pascha alterum nullum fuisse. Porro quicumque Festum hoc agerent secundum, nullo præcepto jubebantur sive abstinere a fermentato per septem continuatos dies, sive Legem perlegere prima & septima die; ambo enim hæc obeunda illis erant tempore prioris Paschatis, cum ea, qua tenebantur, macula ab illis præstandis non removeret.

Sed quæ legimus in secundo Paralipomenon, nimirum sub Ezechia universum simul populum egisse Pascha mense secundo, ac sedulo tunc servasse ritum azymorum & lectionem legis, illa utique Rabbinica hæc omnia exsufflant: si enim Doctores illos audias, cum per universum populum regnaret legalis macula, neminem a priori Paschate removebat. Opponunt Doctores illi pro se, id curasse tunc Ezechiam, ut extra consuetas regulas nova quadam intercalatione alter mensis Nisan post exactum priorem induceretur; ut ea cautione Pascha secundi hujus mensis perinde haberetur ac primum. Vitii hujus in supputatione temporum dedisse pœnam Regem illum dicunt, cum Deus permisit, ut thesaurorum suorum inanem pompam expanderet coram Legatis Regis Babyloniæ (1): quod illi pene fuit exitiale. Sed præstat, Rabbinicæ hujus jurisprudentiæ dogmata omnia abjicere, quam Scripturas fœde adeo torquere, atque Ezechiam ex iis damnare, de quibus elogio pares laudes refert apud sacrum Scriptorem.

℣. 14. Peregrinus quoque et advena facient Phase Domino. Israelitæ aliunde supervenientes, & Pagani qui ad Judæorum sacra transissent, qui proselyti Justitiæ appellari solebant, præcepto Paschatis celebrando subdebantur sub pœna excommunicationis, vel exterminii, uti in Exodo XII. demonstratum est: sed exteræ quæcumque gentes, & genere & religione a Judæis alienæ, quamquam proselyti Justitiæ, absterrebantur a celebratione Paschatis, extremi supplicii discrimine. Excludebantur ab eo Festo quicumque sive circumcisione non obsignabantur, sive non profitebantur Judaismum.

℣. 15. Die, qua erectum est Tabernaculum, operuit illud nubes. Nulla est hujus cum præcedentibus connexio; ita ut novum caput commode hic institui posset, usque ad ℣. 29. subsequentis capitis deducendum. Columna nubis tegere solebat Tabernaculum Fœderis (2), ita ut basis ejus inniteretur Tabernaculo, quod porrigebatur in longum XXX. cubitis, & in latum XV. Inde forte struendi calumniam in Judæos, quasi nubes colerent, materies data est Paganis. Juvenalis Satyra XIV.

Quidam sortiti metuentem sabbata Patrem,
Nil, præter nubes & Cœli Numen, adorant.

℣. 16. Per diem operiebat illud nubes, et per noctem quasi species ignis. Septuaginta & Vulgata habent hic *per diem*, quod non legitur quidem in Hebræo, sed necessario suppleri postulant leges antithesis inter duo membra hujus Versiculi. Sunt qui credant, nubem illam noctu seu evanuisse, seu occuluisse se in imo Tabernaculi, unde redeunte die iterum reducebatur. Nobis tamen persuadetur, eamdem nubem alternis temporum spatiis modo lucem emisisse, modo densam caliginem, juxta varia diei & noctis officia: ita pariter spectatur interdum, ut iidem vapores per diem quidem rarescant in nubem, noctu vero concrescentes concipiant ignem & flammas. Vide Commentarium in Exodum XIII. 21.

℣. 19. 20. Non proficiscebantur quot diebus nubes fuisset super Tabernaculum. Hebræus (3): *Et cum esset nubes diebus numeri super tabernaculum .... castrametabantur; & super os Domini* [ad nutum Domini] *proficiscebantur*. Phrasi illa *diebus numeri* pauci dies exprimuntur; id enim semper verbis hisce designari in Scriptura non uno exemplo intelligimus. Jacob ad filios suos post facinus illud in Sichemitas commissum (4), *Nos*, ait, *pauci sumus*, Hebraice *Viri numeri*, exigua hominum manus. Moyses ad Israelitas (5): *Remanebitis pauci*, Hebraice, *viri numeri*, *in nationibus*; rari homines inter medios hostes. Isaias X. 19. *Præ paucitate numerabuntur; & puer scribet eos*; Hebraice, *numerus erunt*; ad paucos adeo redigentur, ut vel puer illos recenseat. Gemina legas in 1. Paralipomenon XV. 19. Psalmo CIV. 12. Jeremia XLIV. 28. Optimi quique Græcorum (6) & Latinorum Scriptores paribus utuntur; est enim illis *gens numeri* ea, quæ rara est adeo, ut facile sit numeranda. Horatius de arte Poetica:

Quo sane populus numerabilis, utpote parvus.

Antithesis, quæ est inter versiculum hunc, & præcedentem, hanc interpretationem fulcit ℣. 19. *Si evenisset ut multo tempore maneret super illud* [Nubes super Tabernaculum] *non proficiscebantur* ℣. 20. *Quot diebus fuisset nubes* [Hebr. *diebus numeri*] *super Tabernaculum, ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant*. Supplendum est ℣. 20. verbum: Movebant castra; quod contextus sermonis efflagitat. Dierum hunc numerum determinat Paraphrastes Jonathan ad hebdomadam; alii reddunt tantum numerum dierum, aliis probatur tandem, phrasim hanc ימים מספר *dies numeri*, tantumdem valere, ac *dies numerosi*, dies plures. Postremam hanc sententiam tuetur Ludovicus de Dieu, contendens dictum accipiendum esse reddendumque *annum in numero*, annum absolutum, cui nihil desit. Animadvertit enim ℣. 22. hujus capitis Hebræum *jamim* (7), quod hic reddunt Interpretes *dies*, innuere ibi certissime annum. Addit, in Textibus Geneseos, & Prophetarum jam productis, vocem quæ præcedit, vim habere regiminis; nihil autem tale hic recurrere. Ambigere me tamen profiteor, num validiora afferri possint, quam quæ a nobis adducta sunt, quæ probent, verborum phrasi illa breves numero dies designari.

℣. 22. Si vero biduo, aut uno mense, vel longiori tempore fuisset super Tabernaculum. Non uno sensu reddi potest Hebræus; plerumque tamen ita vertitur: *Si biduo, vel uno anno fuisset*, Vel potius: *Si mansisset biduo, vel mense, vel diebus*, longiori tempore; vel tandem: *Biduo, vel mense, vel hebdomada*. Hebræum *jamim* designat interdum annum, interdum hebdomadam, interdum etiam plures dies utcumque. Vide quæ contulimus in Genesim XXIV. 55.

[1] 2. Paralipom. XXXII. 31.
[2] Hebr. Tabernaculum tentorii Testimonii משכן לאהל העדת
[3] ויש אשר יהיה הענן ימים מספר
[4] Genes. XXXIV. 29.
[5] Deuteronom. IV. 27.
[6] Theocrit. Idyll. XVI.
[7] יומים או חדש או ימים

Statim autem ut recessisset, movebant castra. Desunt hæc apud Septuaginta Editionis Nobilii, & Polyglottorum Antuerpiensium ac Parisiensium.

℣. 23. Erantque in excubiis Domini. Intenti stabant ad signum, quod e nube daret Dominus. Reddi posset Hebræus (1): *Custodiam Domini observabant*, jussionibus ejus præsto erant, parati ad nutum.

(1) את משמרת יהוה שמרו

CAPUT X.

Tubæ argenteæ, quibus ponendorum ac movendorum castrorum, & profectionum ac cœtuum daretur signum. Moyses rogat Jethro, ut maneat populum ducturus. Formula precum recitanda a Levitis, seu cum deponebant, seu cum movebant Arcam.

℣. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem, quando movenda sunt castra; 3. Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis. 4. Si semel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Israel; 5. Si autem prolixior, atque concisus clangor increpuerit, movebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam. 6. In secundo autem sonitu, & pari ululatu tubæ, levabunt tentoria, qui habitant ad meridiem, & juxta hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem. 7. Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, & non concise ululabunt. 8. Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. 9. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. 10. Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri: ego Dominus Deus vester. 11. Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis, elevata est nubes de tabernaculo fœderis: 12. Profectique sunt filii Israel per turmas suas de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitudine Pharan. 13. Moveruntque castra primi juxta imperium Domini in manu Moysi. 14. Filii Juda per turmas suas: quorum princeps erat Nahasson filius Aminadab. 15. In tribu filiorum Issachar fuit princeps Nathanael filius Suar. 16. In tribu Zabulon erat princeps Eliab filius Helon. 17. Depositumque est tabernaculum, quod portantes egressi sunt filii Gerson, & Merari. 18. Profectique sunt & filii Ruben, per turmas, & ordinem suum: quorum princeps erat Helisur filius Sedeur. 19. In tribu autem filiorum Simeon, princeps fuit Salamiel filius Surisaddai. 20. Porro in tribu Gad erat princeps Eliasaph filius Duel. 21. Profectique sunt & Caathitæ portantes Sanctuarium. Tamdiu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum. 22. Moverunt castra & filii Ephraim per turmas suas, in quorum exercitu princeps erat Elisama filius Ammiud. 23. In tribu autem filiorum Manasse princeps fuit Gamaliel filius Phadassur. 24. Et in tribu Beniamin erat dux Abidan filius Gedeonis. 25. Novissimi castrorum omnium profecti sunt filii Dan per turmas suas, in quorum exercitu princeps fuit Ajezer filius Amisaddai, 26. In tribu autem filiorum Aser erat princeps Phegiel filius Ochran. 27. Et in tribu filiorum Nephtali princeps fuit Ahira filius Enan. 28. Hæc sunt castra, & profectiones filiorum Israel per turmas suas, quando egrediebantur. 29. Dixitque Moyses Hobab filio Raguel Madianitæ, cognato suo: Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis, veni nobiscum, ut benefaciamus tibi: quia Dominus bona promisit Israeli. 30. Cui ille respondit: Non vadam tecum, sed revertar in terram meam, in qua natus sum. 31. Et ille: Noli, inquit, nos relinquere; tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster. 32. Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi. 33. Profecti sunt ergo de monte Domini viam triu*m*

trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres providens castrorum locum. 34. Nubes quoque Domini super eos erat per diem, cum incederent. 35. Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses: Surge, Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, a facie tua. 36. Cum autem deponeretur, ajebat: Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel.

℣. 1. FAC TIBI DUAS TUBAS ARGENTEAS. Tubas hasce describens Josephus (1), instrumentum musicum a nostris non dissimile, nisi quod curvum nihil haberet, depingit. Erant autem cubito ferme oblongæ, fistula instructæ nostris tibiis æquali, patenti ore quantum satis esset, ut intra labiorum complexum exciperetur: inferius vero a tubis nostris non abludebant. Hæc ille; qui & addit, e geminis hisce alteram quidem ad cogendum populum destinari; alteram vero ad ciendos Principes viros, cum publica aliqua res illos ad consulendum exposceret. Cum in unum cœtum Principes & populi vocandi erant, tunc inflata utraque tuba simul invitabantur. Hæc tamen Josephi meditamenta non satis accurate Textui congruere, ea, quæ deinceps tradenda sunt, demonstrabunt. Cum autem longioris temporis experimento compertum fuisset, geminas tubas pauciores esse quam pro rei necessitate, tunc maxime cum in hostili versantibus solo, crebra prælia instituenda essent; visum est tandem sub Josue earum numerum ad septem augere, qui multo etiam magis auctus est sub Salomone. Non satis exploratum est ex Scriptura, an tubæ illæ, quibus Jubilæum (2), initium novi anni (3), & Neomeniarum exordium annunciabantur; sicut & quæ præliorum darent signum (4), quæ invitarent ad sacrificia & convivia solemnia, eædem essent atque hæ, quas versamus. Veri speciem habet maximam, olim geminas istas tubas ad varios illos usus solas valuisse, uti Moyses insinuat hic & ℣℣. 8. 9. 10. Successu dein temporis novæ subinde & novæ additæ sunt.

℣. 3. CUMQUE INCREPUERIS TUBIS. Utraque tuba simplici & æquabili sono clangente, cœtus generalis populi indicebatur, uti ex ℣. 7. constat. Cum vero unica tantum daret signum, Principes Tribuum soli vocabantur in consilium. ℣. 4. *Si semel clangueris, venient ad te Principes*. Hebræus (5): *Si in una* [tuba] *clanxerint*.

℣. 5. SI AUTEM PROLIXIOR ATQUE CONCISUS CLANGOR INCREPUERIT, MOVEBUNT CASTRA. Non uno sensu redditur Hebræus (6): *Et clangetis vociferationem*; vel sonabitis validius, seu alacrius *ovatione*, plausu, clangore victoriæ. Chaldæus (7): *Clangetis ululatione*. Septuaginta (8): *Clangetis significationem* recessus. Recentiores quidam (9) ut sonum Hebræi *Teruah* retineant, vertendum malunt: *Clangetis taratantara*.

QUI SUNT AD ORIENTALEM PLAGAM; idest Tribus Judæ, Issachar, & Zabulon. Ordinem Tribuum in castris habes in expansa Tabula supra ad caput 11.

℣. 6. JUXTA HUNC MODUM RELIQUI FACIENT. Desunt ista quidem in Hebræo, nihil enim habet de motione castrorum, quæ ad plagam meridionalem & septentrionalem Tabernaculi erant: sed facile supplenda sunt. Septuaginta exprimunt tantum, eas Tribus, quæ ad mare spectant (ad occidentem) castra movere ad tertium signum buccinæ; quæ vero septentrionem tenent, omnium postremas quarto insonante tuba proficisci.

℣. 8. FILII AARON SACERDOTES CLANGENT TUBIS. Privilegium id erat unicis Sacerdotibus reservatum, ut ne Levitis quidem, sive alteri e populo clangere tubis illis fas esset. Porro Sacerdotes, ceu sub Domino duces secundarii, dabant signum sive metandi, sive movendi castra: ac veluti in exercitu Duces supremi vel Rex ipse, si adsit, de profectionibus stationibusque pro voluntate decernunt; ita pariter & in exercitu Domini nihil movendum est ejus injussu, nec eo signum per Præfectos suos dante. Q. Curtius libro VI. narrat, in exercitu Persarum, *die jam illustri signum e Tabernaculo Regis buccina dari*.

℣. 9. SI EXIERITIS AD BELLUM DE TERRA VESTRA. Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta: *Si exieritis ad bellum in terra vestra*, sive ad repellendos hostes irrumpentes in ditionem vestram, sive ut vobis vindicetis eam, quam Deo promittente obtinuistis regionem; denique in bellis omnibus, sive in regione vestra, sive extra gerendis.

ERIT RECORDATIO VESTRI CORAM DOMINO. Popularis hujus phrasis vis maxime sentitur, quippe quæ animum populi alte afficiens, excitat illum fiducia, ut sentiat præsens Numen, paratumque ad opem ferendam.

℣. 10. QUANDO HABUERITIS EPULUM, ET DIES FESTOS. Hebræus (10), Chaldæus, Septuaginta habent tantum: *In die lætitiæ vestræ, & in solemnitatibus vestris*; idest, cum festos agetis dies & lætos populi conventus. Cum offerebantur victimæ pacificæ ad læta convivia, & sacræ lætitiæ significationes, & cum extraordinaria holocausta immolanda erant nomine totius gentis, buccinis illis clangebatur: cujus rei exempla suppeditat dies illa festa pro reparato Dei cultu in Templo Jerosolymitano sub Ezechia (11). Imperavit pius ille Rex, ut instrumentis & voce luderent Levitæ, tubasque inflarent Sacerdotes. In dedicatione Templi Salomonis (12) cxx. Sacerdotes armonicum tubarum concentum edebant, ne quid dicam de multo frequentiore Levitarum turba, canentium voce & omni genere instrumentorum.

℣. 11. ANNO SECUNDO &c. Ponit hic Samaritanus verba illa, quæ legimus in Deuteronomio 1. 7. 8. *Locutus est Dominus Moysi, dicens: Satis est vobis habitasse in monte isto; revertimini & proficiscimini, & venite in montem Amorrhæorum & ad omnes vicinos ejus in campestria, in montes, & in planitiem, ad meridiem, & ad litus maris. Terra Chananæorum & Libani usque ad fluvium magnum, fluvium Euphratis: Videte, dedi ante faciem vestram terram illam: ingredimini & possidete terram, quam juravi patribus vestris, Abrahæ, & Isaaco, & Jacob, me daturum semini eorum post eos*. Tum subdit ea, quæ nos hic legimus, scilicet motorum castrorum ab Israelitis historiam. Scimus utique, Deum tunc imperasse Moysi ea, quæ recitantur in Deuteronomio: utrum vero scripta hæc fuerint in Numeris ab Authore hujus Libri, ignoramus.

℣. 12. PROFECTIQUE SUNT FILII ISRAEL PER TURMAS SUAS. Vel juxta Hebræum ויסעו למסעיהם *Profecti sunt juxta profectiones suas*, juxta ordinem, quem in movendis castris servabant. Morati fuerant prope montem Sinai dies viginti & annum integrum. Vigesima die secundi mensis, alterius anni ab egressu ex Ægypto, profecti e Sinai ad Sepulchra Concupiscentiæ devenere (13), unde in Haze-

[1] Antiq. l. 3. c. 11. [2] Levit. xxv. 9. 10. [3] Levit. xxiii. 24. & Numer. xxix. 1.
[4] Num. xxxi. 6. [5] ואם באחת יתקעו [6] ותקעתם תרועה [7] ותתקעון יבבתא
[8] Σαλπιεῖτε σημασίαν. [9] Mont. Malv. [10] ביום שמחתכם [11] 2. Paral. xxix. 26.
[12] 2. Paral. v. 12. [13] Vide Num. xi. 34. & xii. 1.

Hazeroth, tandem in Pharan. In deserto hujus nominis substitit nubes: *Et recubuit nubes in solitudine Pharan*. Geminas illas stationes ad Sepulchra Concupiscentiæ & ad Hazeroth, in deserto Pharan constituendas censemus. Paulo implicatior est historia Moysis in serie stationum; neque enim singulas ex ordine descripsit, contentus eas tantum indicasse, quas sive rei alicujus gestæ memoria, sive longior temporis mora commendabat. Ita ex. gr. nullam assignat stationem inter Asiongaber & Cades (1), quæ loca plurium dierum intervallum inter se distinguebat, ut proinde ex altero in alterum contendere, nulla intermedia statione, nunquam potuerint.

℣. 21. TAMDIU TABERNACULUM PORTABATUR, DONEC VENIRENT AD ERECTIONIS LOCUM. Filii Caath, sarcina vasorum Tabernaculi onerati, nunquam illa deponebant, nisi cum pervenissent ad locum, ubi erigendum esset Tabernaculum. Reddi posset Hebræus ita (2): *Et filii Caath portantes Sanctuarium* (vasa Sanctuarii) *erigebant Tabernaculum usque ad eorum adventum*, idest facile quoadusque supervenirent Sacerdotes. Res omnes Tabernaculi ita præparabant Caathitæ, ut supervenientibus Sacerdotibus nihil aliud præstandum esset, quam detrahere integumenta Arcæ, Mensarum, & Candelabri, quin opperiri cogerentur, donec erectum esset Tabernaculum. Expedita omnia nanciscebantur.

℣. 25. NOVISSIMI CASTRORUM: Novissima movebat se Tribus Dan. In Hebræo legitur ea Tribus collegisse castra, & clausisse agmen, ut in ordinem redigeret eos, qui a superioribus ordinibus divertissent. Vide Josue VI. 9.

℣. 29. DIXITQUE MOYSES HOBAB FILIO RAGUEL MADIANITÆ, COGNATO SUO. Non semel recurrit sermo de Hubab & Jethro (3). Ne vero repetamus varias de hoc argumento Interpretum sententias, nobis ea sedet opinio, Hobabum fratrem fuisse Sephoræ uxoris Moysis. Septuaginta appellant illum generum, vel fratrem uxoris, vel socerum Moysis; hæc enim omnia designat una illa Græca vox *Gambros*, nec minus vaga est significatione Hebræum *Choten*. Jethro, alio nomine Raguel, paulo post quam venisset ad Sinai, in Madian rediit, relicto apud exercitum Hobabo filio suo, a quo, utpote regionis illius incola, melius docerentur iter, quam quod per se præstare possent Moyses & Israelitæ. Quamquam enim nubis ductum sequebantur, quæ & profectiones & stationes signaret, adhuc tamen humana auxilia, siquæ illis a Numine suppeditarentur, negligenda non erant.

℣. 30. CUI ILLE RESPONDIT: NON VADAM. Sed moveri se tandem permisisse creditur precibus Moysis, sociusque accessisse Israelitis; neque enim postremo rogantibus quidquam respondisse scimus. Constat utique, Cinæos posteros Jethro venisse in Chanaan tidem una cum Israelitis, ubi & portionem suam regionis obtinuerunt (4).

℣. 31. TU ENIM NOSTI, IN QUIBUS LOCIS PER DESERTUM CASTRA PONERE DEBEAMUS. Explorata sunt tibi hujus deserti loca, quæ pascuis sint idonea, quæque exercitui commoda. Sunt qui credant, nondum Deum revelasse Moysi, traditam a se illi in ducem itineris nubem; qua movente se, viamque signante illi sequerentur, stante vero starent. Hebræus (5): *Ne quæso derelinquas nos, quia nosti castrametari nostrum in deserto, & eris in oculos*, oculorum vice eris. Quam postremam loquendi phrasim ita reddunt Septuaginta: Ἔσῃ μεθ᾽ ἡμῶν πρεσβύτης, *Eris apud nos senior*. Viri a consiliis Principum appellantur interdum oculi illorum: ita Regibus Persarum aderant viri quidam destinati, quos appellabant Aures vel Oculos Principis (6). Huc spectare videntur Septuaginta. Chaldæus: *Magnalia quæ facta sunt nobis, vidisti oculis tuis*. Syriacus: *Erisque nobis charus, ut oculi*. Sunt qui Textum ita reddant: *Vidisti quibus locis castrametati sumus in deserto, & tu fuisti nobis pro oculis*. Sed interpretationem hanc vix tuendam arbitramur; neque enim eo usque Hobab exercitum secutus fuerat. Spondebat sibi Moyses futurum, ut brevi Terræ Promissionis limen attingeret populus. Nihil adhuc norat sive de futuro populi murmure, sive de animo jussionibus refractario, cujus criminis pœnam laturi erant omnes, mortem obeundam in deserto & erraticum vitæ genus, spatio XXXIX. annorum. Commodissimum sibi futurum sperabat Hobabum ad obeundam feliciter expeditionem hujus regionis. Tandem adhuc posita Numinis ope, & præsentia nubis, Hobab plurimum per se contulisset populo in itinere per desertum, nisi alio usu, certe indicando pascua, quæque loca aquas haberent; ut tandem eo docente intelligerent, quæ tenerent loca, quis populus in proximo, amicusne an hostis.

℣. 33. ARCA FOEDERIS DOMINI PRÆCEDEBAT EOS PER DIES TRES. Animadvertere juvat, populum e Sinai venisse Tabeeram, vel ad Incendium; inde ad Sepulchra Concupiscentiæ, tum ad Hazeroth, unde ad Pharan. Sed priorum trium dierum profectio quas habuerit stationes, & quibus in locis, ignoratur; nullius enim alterius stationis nomen expressum est, quam Tabeeræ, vel Incendii. Sepulchra Concupiscentiæ erant utique posita in deserto Pharan, ubi plures dies perseveratum est. Quod præfert Textus, Arcam scilicet ante illos processisse, repugnare id videtur ordini, quo exercitus profectiones instruebantur, statuta scilicet in medio Tribuum Arca. Ut ab hoc nodo expediantur Rabbini quidam apud Drusium, geminas Arcas comminiscuntur; alteram, quæ in fronte agminis præcedebat, deferente Moyse; alteram, quæ inter medias Tribus excipiebatur, humeris Levitarum vectam. Arca Moysis continebat Librum legis; secunda Tabulas Fœderis. Apage fabellas. Sed præstat ita reddere Textum (7): *Arca Fœderis procedebat coram eis*. Mediam agminis sedem tenebat, loco omnibus conspicuo. Legimus in Historia Persarum, Reges, sive cum manus consererentur in præliis, sive cum essent in castris, sive proficiscente agmine (8), semper medium exercitus tenuisse, ut securitati suæ consulerent, ac promptiores essent jussionibus ferendis, continendis in officio militibus, haberentque explorata omnia quæ ubique agerentur.

℣. 36. REVERTERE DOMINE &c. Septuaginta (9): *Convertere, Domine, millia & decem millia in Israel*. Eamdem Hebræo Textui significationem quidam tradunt Hebræi (10).

(1) Num. XXXIII. 36. (2) ונסעו הקהתים נשאי המקדש והקימו את המשכן עד באם (3) Vide Exod. II. 18. & XVIII. 27. (4) Vide Judic. I. 16. (5) אל נא תעזב אתנו כי על כן ידעת חנתנו במדבר והיית לנו לעינים (6) Vide Xenophon. Cyropæd. lib. 8. Aristophon. Acharnes: Dio Chrysostom. orat. 3 de regno, & alios apud Brisson. de regno Persar. lib. 1. (7) ארון ברית יהוה נסע לפניהם (8) Vide Xenophon. l. 4. & 5. Cyropæd. & l. de Exped. Cyri Junior. & Arrian. l. 2. & 3. (9) Ἐπίστρεφε, Κύριε, χιλιάδας μυριάδας ἐν τῷ Ἰσραήλ. (10) שובה יהוה רבבות אלפי ישראל

CAPUT XI.

Murmur Israelitarum igne demisso Cœlitus punitur. Creantur LXX. Judices, ut in partem regiminis venientes, Moysem utcumque levent. Deus mittit circa castra vim coturnicum plane innumeram. Israelitæ puniuntur.

℣. 1. INterea ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem. 2. Cumque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum, & absorptus est ignis. 3. Vocavitque nomen loci illius Incensio: eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini. 4. Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio, sedens, & flens, junctis sibi pariter filiis Israel, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? 5. Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpe, & allia. 6. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. 7. Erat autem Man quasi semen coriandri, & coloris bdellii. 8. Circuibatque populus, & colligens illud, frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in ollas; & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati. 9. Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & Man, 10. Audivit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratusque est furor Domini valde: sed & Moysi intoleranda res visa est. 11. Et ait ad Dominum: Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus universi populi ejus super me? 12. Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua jurasti patribus eorum? 13. Unde mihi carnes, ut dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes: Da nobis carnes, ut comedamus. 14. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi. 15. Sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. 16. Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, 17. Ut descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris. 18. Populo quoque dices: Sanctificamini: cras comedetis carnes, ego enim audivi vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium? bene nobis erat in Ægypto. Ut det vobis Dominus carnes, & comedatis: 19. Non uno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, nec viginti quidem, 20. Sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, & fleveritis coram eo, dicentes: Quare egressi fumus ex Ægypto? 21. Et ait Moyses: Sexcenta millia peditum hujus populi sunt, & tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro? 22. Numquid ovium, & boum multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum; vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient? 23. Cui respondit Dominus: Numquid manus Domini invalida est? Jam nunc videbis, utrum meus sermo opere compleatur. 24. Venit igitur Moyses, & narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. 25. Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Cumque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt. 26. Remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requievit Spiritus: nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum. 27. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, & nunciavit Moysi, dicens: Eldad, & Medad prophetant in castris. 28. Statim Josue filius Nun, Minister Moysi, & electus e pluribus, ait: Domine mi Moyses, prohibe eos. 29. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum? 30. Reversusque est Moyses, & majores natu Israel in castra. 31. Ventus autem egrediens a Domino, arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra itinere quantum uno die con-

confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram. 32. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero congregavit coturnicum, qui parum, decem coros: & siccaverunt eas per gyrum castrorum. 33. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. 34. Vocatusque est ille locus, Sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum, qui desideraverat. Egressi autem de sepulchris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth, & manserunt ibi.

ỷ. 1. INTEREA ORTUM EST MURMUR POPULI, QUASI DOLENTIUM PRO LABORE, CONTRA DOMINUM. Hebræus fert tantum (1): *Et fuit populus ut conquerentes in auribus Domini*. Exponit autem S. Hieronymus, questos fuisse illos de Domino, quod nimio itineris labore fatigarentur. Sunt (2) qui ita reddant Hebræum: *Et fuit populus ut occasionem quærentes; displicuitque in auribus Domino*; iniquo erant in Deum animo, captantes materiam querelarum, & murmuris, veluti gens, cui displicent omnia. Vertunt alii: *Ingemiscebat populus intimo dolore ad aures Domini*. Septuaginta (3): *Et erat populus murmurans mala ante Dominum*.

IGNIS DOMINI DEVORAVIT EXTREMAM CASTRORUM PARTEM. Hic ignis sive e Cœlo demissus est, sive erupit ex aere, sive e terræ visceribus, sive e columna nubis vibratus, qui incidens in tentoria, plura absumpsit. Utrum hæc contigerint prima, an secunda, an tertia die a motis e Sinai castris, definire non audemus. Porro igne isto a Deo misso depasta est potissimum ea castrorum pars, in qua seditiosi continebantur. Textus ille Hebræus (4), quem reddit Vulgata *extrema castrorum*, sonat, juxta nonnullos (5), *Principes*; juxta alios, *infimos*, nimirum totius exercitus. Septuaginta (6) *partem castrorum*: sed Chaldæus & Interpretes plerique, Vulgatæ versionem ruentes, exponunt de extremis castrorum maxime remotis a medio.

ỷ. 2. ABSORPTUS EST IGNIS intra terræ viscera, unde erupit; vel evanuit statim, extinctus est, quasi scilicet absorberetur. Septuaginta: Ἐκόπασε τὸ πῦρ, *Cessavit ignis*. Porro Hebræum תשקע (7) usurpari solet de aquis, quas terra ebibit.

ỷ. 3. VOCAVIT NOMEN LOCI ILLIUS, INCENSIO. *Incensio* ideo dictus est locus, quod ignis, de quo modo, ibi exarserit. Putat S. Hieronymus (8), alterum huic eidem loco deinceps conciliatum fuisse nomen, *Sepulchra Concupiscentiæ*, quod ibi coturnicibus a se postulatis saturi plures subito casu interierint. Sed quid necesse fuit geminas stationes in unam coagmentare? Castra ad *Incensionem* in Hebræo designantur nomine *Tabeera* תבערה; qui vero locus dictus est *Sepulchra Concupiscentiæ*, in Hebræo distinguitur nomine *Kiberoth Abab*.

Historia coturnicum a Deo missarum ad Israelitas, componenda est utique cum statione ad Sepulchra Concupiscentiæ. Opus est autem, ut reputemus, moram ibi traxisse populum plures dies; exhibentur enim turmatim atque seditiose adversus Moysem prorumpentes; quisque se ante ostium tentorii sui statuunt, queruntur, gemunt, se mannæ cibum nunquam variatum fastidire. Sauciatus animo Moyses vulnus suum detegit apud Deum: jubet ille cogi ante fores Tabernaculi septuaginta viros e senioribus Israelis: hisce autem Deus Spiritus sui communione præditis imperat, ut in partem regiminis publici venientes, Moysem levent onere: simul autem Moysi præcipit, ut indicat populo statim sanctificationem, futurum enim, ut mane alterius diei optatas carnes comedant non ad paucos dies, sed ad integrum mensem. Nec vana ille: missæ enim coturnices totum late solum tegebant circa castra, unius diei itinere. Degustatæ illæ carnes dentibus adhuc terebantur, cum Deus sontes mulctavit, tantamque late edidit eorum stragem, ut loco nomen maneret *Sepulchra concupiscentiæ*. Motis tunc castris profecti sunt in Hazeroth. Porro hæc historia, totidem pene verbis e Moyse deducta, demonstrat apertissime, stationis hujus moram ad plures dies prorogatam fuisse, erectumque ibi stetisse Tabernaculum. Quam nos sequimur, Chronologia, constituit trium dierum iter a Sinai ad Sepulchra Concupiscentiæ, ubi Israelitas tribus ac viginti diebus immotos retinet.

ỷ. 4. VULGUS QUIPPE PROMISCUUM. Ea est Textus Sintaxis, ut jungendus sit posterior hic sensus præcedentibus; ac reputandum, querelas illas, quas immissus a Deo ignis repressit, erupisse iterum, atque insonuisse ejulatus postulantium dapes a Moyse. Sed posito discrimine inter castra ad Incendium, & ad Sepulchra Concupiscentiæ, reputamus, novam hic institui narrationem eorum, quæ ad Sepulchra Concupiscentiæ gesta sunt. Ita sonat Textus ad literam (9): *Et collectio promiscua, quæ in interiori ejus* (inter populum erat), *concupiverunt concupiscentiam* (eorum quibus carebat), *& sunt reversi, & fleverunt etiam filii Israel*. Quo loco postrema hæc verba leguntur in Hebræo, Septuaginta, & Vulgata reddunt: *Sedens & flens*; ambo enim legunt ישבו *jeschebu*. Codices quidam Vulgatæ ferunt hic: *Flagravit desiderio carnium*; & ỷ. 34. *Desideravit carnes*; sed nihil tale legas qua in optimis Editionibus Latinis, qua in Hebræo.

ỷ. 5. RECORDAMUR PISCIUM, QUOS COMEDEBAMUS GRATIS. Gratis habuisse se paratos pisces dicunt, sive quod vilius emerent, sive quod illos per se caperent. Commodam enim habebant piscationem sive in Mediterraneo, sive in canalibus e Nilo, amne piscosissimo; commodam, inquam, piscationem, cum inferiorem Ægyptum incolerent. Porro Ægyptii piscium immanem vim capiebant, maxime cum Nilus decresceret. Agit Herodotus (10) de lacu Mœri, cujus piscationis quotidianum vectigal inferebat in Regium ærarium sive talentum, idest 4867. libras monetæ nostratis, quo tempore defluebant aquæ; sive viginti minas, quo tempore canales illæ subibant; subibant autem in exundationibus amnis. Minæ valor erat 97. librarum, sex solidorum, decemque denariorum cum dimidio.

Piscium familiarissimus erat usus apud Veteres, quorum esus pluris olim apud illos, quam hodie apud nostros, æstimabatur. Sacerdotes Ægyptios ab iis abstinere jubebat superstitio (11); nec forte etiam populus reliquus audebat vesci piscibus

(1) ויהי העם כמתאננים רע באזני יהוה (2) Vatab. Fag. Munst. (3) Ἦν ὁ λαὸς γογγύζων πονηρὰ ἔναντι Κυρίου. (4) ותאכל בקצה המחנה (5) Vide ad Genes. XLVIII. 2. (6) Κατέφαγε μέρος τι τῆς παρεμβολῆς. (7) Ezech. XXXII. 14. XXXIV. 18. Amos IX. 5. (8) Vide Hieron. ad Fabiol. de 42. mansion. in desert. mans. 13. (9) והאספסף אשר בקרבו התאוו תאוה וישבו ויבכו גם בני ישראל (10) Herodot. l. 2. c. 149. (11) Herodot. l. 2. c. 37. Ἰχθύων δὲ οὔ σφι ἔξεστι πάσασθαι.

bus squammosis, & anguillis, quas sacras rebantur (1). Porphyrius (2), & Ovidius (3) nullo facto discrimine affirmant, abstinuisse Ægyptios, non secus ac Syros, a piscibus: sed non sine veri specie putamus, illos seu vanam populi religionem exaggerare voluisse, seu minus accurate loqui; neque enim Veteres Ægyptios abstinuisse penitus a piscibus testimonio aliquo docemur. Designat Moyses in Levitico xi. 9. 10. pisces, quod in usum cibi permittit Hebræis. Squammosos omnes, & pinnulis instructos, a quibus abstinebant Ægyptii, tradit illis in cibum.

Nilus amnis adeo piscosus est, ut vix jactum a piscatore rete statim retrahatur omni genere piscibus onustum; magis tamen cum amnis tumet, minus cum aquis est humilioribus. In ostio Nili pisces limosi sunt, & malesani. Vide des Breves pag. 249.

In mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones. Fructuum genus istud multo familiarius est, ac sapidius in Ægypto, cæterisque serventibus regionibus, quam in algentioribus, & Septentrionalibus. Crudus cucumis cum acri lacte cupediæ sunt Turcarum exquisitissimæ: id autem in nostris regionibus perniciosissimum efficeret longe alia cœli temperies. Meminit sæpe Aristophanes (4) cucumerum, & aliorum, quæ cibus erant Græcis familiarissimus. Cucumeres colliguntur bis quotannis in Ægypto. V. Maillet par. 2. pag. 13.

Porri, et cepe et allia. Affirmant Itinerantes (5), Orientales assuescere plurimum alliis & cepis; qui nec alius est cibus Turcarum, sive cum familiariter vescuntur in ædibus, sive cum extra domum in agro; & D. Spon in suis Itineribus affirmat, cepas Insularum Ægæi dulcissime sapere, nec odore, quo nostræ, ingrato affici. Perinde eduntur ac pyra, & digestionem mirifice juvant. Affirmat insuper ex relatione quorumdam qui barbaricas regiones, & Ægyptum excurrerunt, locorum illorum cepas meliores esse quam Græcas. Maillet descript. Ægypti par. 2. p. 15. laudat maxime cepas istas. In Itinerario Moscbov. tom. 1. p. 557. legimus provinciam Tarum in Perside apud Chalent ferre cepas enormes trium librarum, Machaon filius Æsculapii apud Homerum e prælio, vulneribus male exceptus, regrediens recreatur novo melle, simila, cepis, ac vino (6). Cepe sanissimus utique cibus reputabantur; quare si tanto animi nisu Israelitæ in cepas ferebantur, nihil est quod miremur.

Porros cepasque intactas fuisse Ægyptiis ideo censent plures, quod olera illa apud eas gentes colerentur. *Alium cepasque inter Deos jurejurando habet Ægyptus*, ait Plinius (7), Juven. Satyra xv.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? . . .
Porrum & cepe nefas violare, aut frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

Ægyptiacam superstitionem eo usque increvisse jam inde a Moysis ætate vix credo, cum maxime nullum ejus deprehendatur vestigium apud Herodotum & Diodorum. Scriptores quidem isti tradunt, abstinuisse Ægyptios a quibusdam cibis & oleribus, uti fabis; id autem religioso in eas res obsequio servatum fuisse ab illis, ne verbo quidem indicant: facilius escas illas, impuras & minus sanas arbitrati, respuebant.

℣. 6. Anima nostra arida est; fame, tædio, & labore tabescimus, nec alendis nobis reficiendisque affectis viribus, manna aptum est obsonium. Phrasis hæc verborum, *Anima nostra arida est*, exprimit plerumque in Originali sermone destitutionem illam virium, qua corpus ex inedia & fame languescit. David Psalmo ci. 5. *Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum* [vel neglexi] *comedere panem meum*. Vide & ℣. 12. & Jeremiam in Threnis iv. 8.

Nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man. Quo tendimus, ubique genus hoc cibi nos prosequitur; adeo vero illum fastidimus, ut vel oculis intueri grave sit nobis, uti grave est invisum aliquid semper habere sub oculis. In hunc sensum David Psalmo l. habere se semper sub oculis dicebat invisum crimen suum: *Peccatum meum contra me est semper*. Et Psalmo xliii. 16. *Tota die verecundia mea contra me est*. Commode etiam alter hic sensus Textui daretur: Nihil intuentur oculi nostri nisi Man, nihil expectandum nobis superest præter hunc cibum. Phrasis est familiaris: Oculi nostri non intuentur nisi te; te unum considerant; ex te omnia nostra.

℣. 7. Erat Man quasi semen coriandri. Figuram coriandri referebat Man, sed colore erat diverso, quippe quod ad Bdellium accedebat: est autem bdellium gummi genus pellucidum, simile ceræ. Plinius (8): *Esse debet lucidum, simile ceræ odoratum*. Accedebat igitur Man ad flavum, ut Salmasius (9) animadvertit. Cum vero Scriptura alibi (10) disserte asseruerit, man illud album esse ceu guttam roris, qua herbarum cacumina stillant, vel ceu pruinæ concrescentis guttam (11), visum est pluribus, Hebræum *bdolah* reddere, *margaritas*; qui sane color utpote albus, magis congruit cum manna alba, quæ adhuc pariter in Arabia labitur.

Ambæ hæ opiniones facile, mea quidem sententia, conciliantur, si reputemus, bdellium nec album colorem purum putumque exhibere, nec flavum: idemque Plinius, a quo ceræ comparatur, affirmat, Bactrianum bdellium (12) persimilem esse ungui candido. Novi equidem, persuaderi nonnullis (13), Plinium hic falli, scribendumque illi fuisse, bdellium odoratum unguem odore referre, cum aduritur: quare præstat reputemus, bdellii non unum esse colorem ubique, vel potius man albedinem retulisse subflavam, qualem margarita vel ebur vetustate flavescens fert. Quid nomine bdellii intellexerint Veteres, non satis compertum est.

℣. 9. Frangebat mola, sive terebat in mortario. Manna naturalis Arabiæ pinguior est, quam ut redigatur in pulverem vel farinam. Contundi quidem potest & redigi in massam; nec aliter facile parabant illam Israelitæ, terentes in mortario, redigentesque in massam, ex qua confectas tortulas coquebant igni vel in sartagine; erant autem tortulæ illæ *saporis quasi panis oleati*. In Exodo legimus, mannæ saporem fuisse *quasi similæ cum melle*. Sed ibi sermo est de manna cruda; hic autem de contusa, cocta & parata; vel forte melleum saporem habebat, panis instar oleo subacti. Hebræus discrimen aliquod habet a vulgata (14): *Faciebant illud subcinericios, & sapor ejus sicut sapor sugentis oleum*, vel *adipem*. Paraphrastes Jonathan: *Gustus ejus instar gustus uberis operti pinguedine*. Ita pariter interpretati sunt Aquila & Symmachus (15). Verum Septua-

[1] Idem l. 2. c. 72. [2] Porphyr. ex Chæremone l. 4. de abst.
[3] Ovid. Fast. vi. *Piscis adhuc illi populo sine fraude natabat,*
Ostreaque in conchis tuta fuere suis.
[4] Aristoph. in Pace p. 697. Vide & Athenæum passim. [5] Vide Bellon. observ. l. 3. c. 18. & 32. & alibi.
[6] Homer. Iliad. 12. Χάλκειον κανέον, ἐπὶ δὲ κρόμυον ποτῷ ὄψον
Ἠδὲ μέλι χλωρόν. παρ δ' ἀλφίτου ἱερῦ ἀκτήν.
[7] Plin. l. 212. c. 6. [8] Plin. l. 12. c. 9. [9] De homonym. hyles jatricæ c. 109. [10] Exod. xvi. 31. *Quasi semen coriandri album*. [11] Ibid. ℣. 14. [12] Plin. ibid. *Bactriano nitor siccus, multique candidi ungues, seu velutique candidi unguis*. [13] Vide Dalecampii notas in Plin.
[14] ועשו אתו עגות והיה טעמו כטעם לשד השמן [15] Apud Drus. Μετὰ ἐλαίου, μαστοῦ ὡς λίπος.

ptuaginta (1), Onkelos (2), Author Vulgatæ accipiendum reputarunt Hebræum *leschad* veluti nomen panis vel tortulæ oleo subactæ. Vertunt alii: *Sapor ejus ut sapor humoris* [liquoris] *olei*. Eadem vox recurrit in Psalmo XXXI. 4. quo loco enim habet Vulgata: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*; habet Hebræus: *Versus est humor* [radicalis] *meus in siccitates æstatis*.

℣. 10. Flentem populum per familias. Reddi posset Hebræus (3): *Flentem ob familias suas*. Jonathan & Rabbinorum nonnulli reputant, nulla quidem veri specie, fletus hujus causam dedisse Moysem, vetantem ne connubia jungerentur inter propinquiores necessarios. Id autem reputasse illos, ut cantatione aliqua excusarent murmur populi; quis non intelligat?

Singulos per ostia tentorii sui. Hebtæum ita reddunt nonnulli, quasi seditiosas illas querelas illaturi venissent ante tentorium Moysis (4): *Ad ostia tentorii ejus*. Sed Vulgatæ sensus multo commodior est.

℣. 12. Sicut portare solet nutrix infantulum. Hebtæus (5): *Sicut nutritius portat infantem*. De nutritiis sermo frequens in Scriptura; legas enim nutritios septuaginta filiorum Achabi (6). Mardochæus nutritus fuit Estheris (7). Lætum populi statum prænuncians Isaias XLIX. 23. futurum dicit, ut nutritios haberent Reges.

℣. 14. Non possum solus sustinere omnem hunc populum. Nonne in partem regiminis vocaverat septuaginta Judices illos, ex consilio Jethro constitutos? Sed ardua omnia, dissidia, odiosa recidebant in Moysem. Si cui officio defuisset populus, si dati Præfecti displicerent populo; invidia redundabat in Moysem.

Quia gravis est mihi. Textus ad literam כי כבד ממני, *quoniam gravis præ me*, præ meis viribus. Septuaginta: Ὅτι βαρύ μοί ἐστι τὸ ῥῆμα τοῦτο, *quoniam grave mibi est hoc verbum*. Seu: Hoc mihi oneri est.

℣. 15. Ne tantis afficiar malis. Sensu quodam doloris actus Moyses, rogat Deum, velit e mortalibus se subducere, ne cogatur infelix testis spectare significationes illas animi ingrati ex populo, nempe murmur; seu ne majori sancietur vulnere, visa populi cæde in pœnam ejus sceleris. Hebræus ad literam (8): *Ne videam in malo meo*. Septuaginta & Chaldæus: *Ut non videam afflictionem meam*. Reputant Hebtæi, olim in Textu legi: *Ne videam exitium coram*; vel juxta alios, *malum tuum*; Scribas vero, ut sinistram vocum illarum ideam auferrent, substituisse: *Ne videam malum meum*, ne tantis ac tot malis opprimar.

℣. 16. Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel. Jam superius in Exodo XVIII. legimus, constitutos a Moyse plures Præfectos varii generis, qui populo duces ac judices essent. En novam politiam ex constitutis iterum septuaginta viris, & judicio, & authoritate gravibus inter eos selectis, quos antea Moyses rebus præfecerat. Vel potius, juxta Hebtæos, judicum hic delectus habitus est e numero Seniorum, qui olim in Ægypto popnlum gubernaverant (9). His pariter Senioribus, inquiunt illi, Moyses tradiderat sensum legis, iisque docentibus scientia traditionis vel legis oralis ad posteros transmissa est. Ex his pariter septuaginta Senioribus initium suum duxit celeberrimum Sanhedrin, de quo sermo recurrit adeo frequens. Vide nostram Dissertationem de Sanhedrio.

Nomen *Seniorum*, quod Scriptuta selectis hisce septuaginta viris tribuit, nomen est non maturæ ætatis, sed ordinis, dignitatis, meriti, atque authoritatis, qua eminebant in populo. Hisce autem dotibus accessio facta est maxima, ut novo Dei Spiritu afflati sunt. Nomen *Senior* commune erat in Oriente viris certam quamdam dignitatem obtinentibus (10).

℣. 17. Auferam de spiritu tuo, tradamque eis. S. Augustinus (11) legebat cum Septuaginta: *Auferam de spiritu qui est in te*; & non, *de Spiritu tuo, qui est in te*, uti Latinorum Interpretum plerique vertebant. Priorem illam lectionem præfert, utpote planiorem; neque enim spiritum innuit humanum ac divisibilem, sed mentem elevat ad Spiritum Sanctum & indivisibilem, Moysi insidentem, ita communicatum septuaginta hisce Senioribus, ut nihil tamen detrimenti Moyses sentiret: *Ut & isti haberent quantum Deus vellet, non ut ideo Moyses minus haberet*. Moysem Spiritu Sancto plenum comparat Origenes lampadi (12), quæ vivo undique lumine collustratur; ex qua Deus ita lumen septuaginta aliis lampadibus dedit, ut dispendium illa non senserit. Utitur eadem comparatione Theodoretus (13), addens, quemadmodum hodie spectare licet plurimas Baptizatorum myriadas affatim donari gratia Baptismatis, ita tamen ut quam Jesu Christi gratiam possidebat is, qui sacramentum illud confert, totam sibi retineat; atque Sacerdotes plures ita initiari ordine, ut gratia Jesu Christi nulla erogatione imminuatur; ita pariter & Moysem communicasse spiritum suum septuaginta Senioribus, & dispendium non sensisse. Illud vero quod illi significavit Deus, *Auferam de spiritu tuo*, satis indicat, uti idem Pater animadvertit, legislatorem illum sanctum satis possedisse largitionum divinarum, ut per se sufficere posset commisso sibi muneri, nec externæ alicujus opis auxilium illi quærendum esset. Probat Seldenus (14), Judæos nomen Spiritus, de quo hic agitur, non accipere de Spiritu Sancto, tertia Trinitatis Persona, sed tantum de effluvio quodam divinæ Lucis, vel afflatu, quo animati loquuntur Prophetæ. Non satis persuasus videtur ille, Judæos luculentam & distinctam notionem trium Personarum in Deo habere.

℣. 18. Sanctificamini: cras comedetis carnes. Sordium quodcumque genus eluite, ne indignos vos præstetis præsentia Dei, qui mane alterius diei sese vobis revelabit. Vel potius: Compescite murmur, & expiate commissum crimen, & inquieti in Deum animi vestri peccatum: vobis enim prædico futurum, ut cras carnes comedatis. Plerique Textum exponunt ad literam: Præparamini ad accipiendum cras, quem maxime optatis, cibum. In hunc sensum *sanctificare* accipit Onkelos, & sæpius etiam accipitur in Scriptura (15).

℣. 20. Usque ad mensem dierum; mensem integrum, cui ne unus quidem dies desit. Vel: Per omnes dies integri mensis.

Donec exeat per nares vestras, et vertatur in nauseam. Septuaginta (16): *Donec exeat e naribus vestris, & erit* (sit) *vobis in bilem*; veluti cibus noxius, qui corrumpitur in stomacho, & regeritur cum nausea. Symmachus: Καὶ ἔσται εἰς ἀπεψίαν, *& erit vobis in cruditatem*, adeo ut digerere nequeatis. Chaldæus (17): *Donec in fastidiam eam habeatis, & sit vobis in scandalum*: quod congruit cum interpretatione illorum, qui vertunt: *Donec exeat per nares vestras, & sit vobis causa dispersionis*.

℣. 21.

(1) Ὡσεὶ γεῦμα ἐγκρὶς ἐξ ἐλαίου. (2) כמשם דליש בכשהא (3) בכה למשפחתיו (4) איש לפתח אהלו (5) כאשר ישא האמן את היונק Septuag. Τιθηνός. (6) 4. Reg. X. 1. 5. (7) Esth. II. 7. (8) ואל אראה ברעתי (9) Vide Exod. III. 16. v. 4. Vide Jonathan, & Salom. Jarchi. (10) Vide ad Genes. L. 7. (11) Aug. qu. XVIII. in Num. (12) Origen. homil. VI. in Num. (13) Theodoret. quæst. 18. in Num. (14) Selden. de Synedriis lib. 2. cap. 4. art. 4. (15) Vide ad Jerem. VI. 4. XII. 3. & LI. 20. (16) Ἕως ἂν ἐξέλθῃ ἐκ τῶν μυκτήρων ὑμῶν, καὶ ἔσται ὑμῖν εἰς χολέραν. (17) והוה לכם לזרא

℣. 21. Sexcenta millia peditum. Multo magis augetur hic numerus, si fœminas, senes, pueros, servos recenseas; qui simul omnes collecti excessissent turbam hominum vicesies centenum millium.

Pisces maris. Inter carnes, pisces hic recenset Moyses; quod pariter & ab Apostolo factum est (1). Inter utraque hæc discrimen nullum ponebant Hebræi; nec diebus esurialibus permittebant sibi pisces, exclusa carne.

℣. 23. Numquid manus Domini invalida est? An Moysis fides in hoc rerum eventu nutavit? Porro si verba ipsius ex ipso sono expendantur, hæsitationem aliquam ac dubietatem sonant, majorem etiam quam cum silicem percussit ad Aquas contradictionis; ubi clausum sibi aditum Terræ promissionis doluit (2). Reputandum est utique, Deum alias in Moysis animo habitudines vidisse, quam quæ ejus verbis exterius significabantur. Promissione nova adeo & incredibili altæ affectus Moyses, sufficiendi scilicet numero hominum vicesies centenum millium carnes in medio deserto, & integri mensis spatio, suum Deo stuporem significare cogitur, rationem implendæ rei exquirens. Cui Deus: *Numquid manus Domini invalida est?* Vel juxta Hebræum (3): *Num manus Domini abbreviabitur?* Septuaginta (4): *Numquid manus Domini non sufficiet?*

Utrum meus sermo opere compleatur. Commode redderetur Hebræus (5): *An verbum meum te vocaverit, an non*. Septuaginta (6): *Si supercomprehendet te verbum meum, an non*. Vel potius: Intelliges, utrum sermo meus te anteverterit, an non; utrum steterim promissis; utrum frustra fidem tuam meis verbis addixeris: ego liberabo fidem promissionum, quibus te meo nomine apud populum obstringes.

℣. 25. Prophetaverunt, nec ultra cessaverunt. Duobus plane contrariis sensibus redditur Hebræus (7). Primus est, quem verbis Vulgatæ expressimus; assertoresque habet Paraphrastas Chaldæos, Gemaram Babylonicam (8), pluresque e Scriptoribus Commentariorum. Alter vero sensus reddit: *Prophetaverunt* (ea die), *& non addiderunt*, non perseverarunt prophetare: id autem adstruitur fide Septuaginta (9), Syriaci, Rabbinorum, ac plerorumque e recentioribus Scriptoribus Commentariorum. Neutra interpretatio damnanda est erroris; & forte etiam in re utraque convenit. Senioribus hisce collatum est donum prophetiæ, tum in hoc, tum in aliis eventibus, cum supernaturale lumen rei alicujus contingentis necessitas exigeret; sed non semper actu reliquo vitæ tempore prophetarunt: spiritu illo non continuato tempore, sed per intervalla deinceps afflati sunt.

℣. 26. Remanserant in castris duo viri; vel idcirco scilicet, quod a nemine admoniti sunt; vel quod res aliqua illos detinuerit, ne Tabernaculo adessent; vel tandem, quod modeste de se ac demisse sentientes non ausi fuerint pedem eo inferre. Vaticinia quædam Eldad & Medad servaverat traditio, laudanturque in Libro Hermæ, inscripto, *Pastor*. Hebræi quidam fide sua affirmant, hos geminos Judices uterinos fratres fuisse Moysis, utpote natos ex Jocabeda & Elisaphan. Malunt alii, Amramum patrem Moysis, in locum repudiatæ Jocabedæ accivisse uxorem alteram, ex qua Eldad & Medad prodierint. Hæc autem nihilo meliori fide asseruntur, quam quæ tradunt ad ℣. 27. puerum nempe, qui nuncium detulit ad Moysem, ambos illos viros prophetantes verba fundere, ipsissimum fuisse Gersom ejus filium. Porro inter prophetandum prænunciasse illos Moysis obitum, & futuras Gog, & Magog persecutiones, ferunt. Verum illud *prophetare* commode intelligimus, eos viros æstro quodam divino afflatos fuisse, quo movente effunderentur in laudes Dei, ac pietatis ac sapientiæ plena verba loquerentur. Prophetia non semper futurorum prædictionem significat.

℣. 28. Josue .... Minister Moysi, et electus e pluribus. De Josue actum est in Exodo, xvii. 10. ubi etiam exposuimus quid sit elogium illud *Ministri Moysis*, quo in Scriptura ille donatur. Quod hic additur, *Electus e pluribus*, planissime accipiendum est, veluti designans, delectum illum fuisse a Moyse merito virtutis suæ, ut lateri suo adesset, atque ita formaretur tandem sub tanto magistro, in rerum præsentem administrationem, & in futuram successionem regiminis. Hebræum (10) varii varie reddunt. Sunt quibus ita sonet: *Josue minister Moysis a juventute sua*. Nondum quidem integer fluxerat annus, ex quo Josue obsequiis se devinxerat Legislatoris; sed cum viridem adhuc ageret juventam, ac puer appellatus sit in Textu Exodi supra laudato, Moyses, qui nonnisi sero scripsit hos libros, verissime affirmare poterat, Josue a prima juventa sibi adhæsisse. Placet aliis ita reddere: Josue, qui unus erat ex iis, quos selegerat Moyses e septuaginta illis Senioribus, de quibus actum est. Alii tandem: Josue Minister Moysi, & e numero familiarium ipsius, vel Præfectorum ab eo selectorum. Voces Originalis crebro usurpantur in Scriptura pro militibus selectis.

℣. 31. Arreptas trans mare coturnices detulit in castra. Jam secundo Deus sufficit coturnices Israelitis. Semel dederat superiore anno (11) circa idem anni tempus, die circiter xxi. secundi mensis, eadem fere Aprilis die, paulo post transfretationem Erythræi. Sed tunc quidem nonnisi semel in cibum unius diei dedit: hic vero Moyses sufficiendas illas dicit integro mense. Coturnices illæ delatæ sunt in castra impetu venti validioris, flantis e latere maris, vel e transmarinis, idest ex ora Maris Rubri, & Ægypti, vel Mediterranei. Venatus erat earum avium dives circa Rinocoruram ad oras ejusdem maris, ut alibi a nobis demonstratum est. Nonnullis (12) etiam affirmandum succurrit, emersisse illas e mari, ac si in imo ejus fundo latuissent; quemadmodum fama est hirundines hyemem tolerare in lacuum gurgitibus mersas.

Legitur etiam in Psalmis historia coturnicum advolitantium in castra Israelitarum; sed ita ea de re ibi differitur, ut arduum aliquid afferatur non levis moliminis de vento, quo impellente eo convolarunt. Ait Psalmista Psalmo lxxvii. 26. *Transtulit austrum de Cœlo, & induxit in virtute sua Africum*. Ita redditus Textus nihil præfert Mosaicæ narrationi repugnans; exhibet enim occidentalem ventum impellentem coturnices in castra. Sive autem ventus flaverit ab Ægypto, & a Mari Rubro, sive a Mediterraneo & Rinocorura, æque tamen semper occidentalis jure meritoque reputaretur. Sed rei difficultas est, si Hebræus Textus consulatur; fert enim ad literam (13): *Flare fecit ventum de Kadim* (vel de oriente) *& induxit ventum de Theman* [vel de meridie]: quasi scilicet Deus duos, alterum post alterum stantes, ventos induxerit, orientalem e Chaldæa & Sinu Persico spirantem, & meridionalem ex Arabia Felici. Repugnant hæc iis quæ supra a nobis constituta sunt.

Animadvertendum est tamen, Davidem & Moysem de ventis loqui pro habitudine & situ loci, ubi quisque versabantur. Moyses quidem satis habuit scripsisse, ventum illum spirasse a latere maris; & David hunc ipsum ventum pro situ Palæ-

(1) 1. Cor. xv. 39. (2) Num. xx. 10. & sequent. (3) היד יהוה תקצר (4) Μὴ ἡ χεὶρ Κυρίου οὐκ ἐξαρκέσει. (5) היקרך דברי אם לא (6) Εἰ ἐπικαταλήψεταί σε ὁ λόγος μου, ἢ οὔ. (7) ויתנבאו ולא יספו (8) Gemar. Babyl. tit. Sanhedrin cap. 1. (9) Καὶ ἐπροφήτευσαν, καὶ οὐκ ἔτι προσέθεντο. (10) משרת משה מבחריו (11) Vide Exod. xvi. 13. (12) Vide Bochart. de animal. sacr. tom. 2. l. 1. cap. 15. (13) יסע קדים בשמים וינהג בעזו תימן

stinæ respiciens, inductum a Deo e meridie affirmat. Spiravit reipsa e plaga meridionali, ex Arabia Petræa & Mari rubro, quæ sunt Palæstinæ meridionalia. Sed negocium facessit majus, quo pacto duo fere prorsus pugnantes inter se venti, orientalis & meridionalis, ad impellendas coturnices in castra conspirare potuerint. Sed I. verti potest Hebræus cum Septuaginta & Vulgata: *Transtulit ventum Kadim, & induxit ventum Theman;* (vel meridionalem): tunc autem salebræ omnes tollentur. II. Non incongrue reputaretur, ventus *Kadim* positus hic ceu synonymus vento meridionali, ut Bochartus observavit (1): cæterum etiam constat, ventorum tantum non ex adverso oppositorum nomina sæpe inter se confundi. Atque ita demum facile omnia conciliantur: Deus alterum post alterum ventum in rem suam impendit, orientalem & meridionalem; priore illo cessante, magis sentiri cœpit exsurgens ventus meridionalis, coturnices in castra compellens.

COTURNICES DETULIT, ET DIMISIT IN CASTRA. Hunc Textum ita refert Hebræus ad literam: *Dimisit coturnices super castrametationem circiter via diei huc, & circiter via diei illuc, & fere duabus cubitis super facies terræ:* seu volarent illæ humili adeo volatu ut habet Vulgata; seu late super terram ad eam altitudinem stratæ essent, Sed prior expositio veri speciem præfert majorem.

℣. 32. QUI PARUM, DECEM COROS. Ut avium imbrem immensum depluentem in castra exprimat Psalmus LXXVII. 27. habet: *Et pluit illis sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.* Nec minorem rei ideam ingerit Moyses, narrans comparasse sibi populum e collectis avibus illis integri mensis commeatum. Quæ insuper addit, fidem superare videntur; asserit enim, eos qui parcissime collegissent, retulisse, ut minimum, decem chomer: est autem chomer mensura capiens decem epha; epha vero decem gomer; gomer tandem mensura erat mannæ, quam Deus sufficiebat singulis e populo annonam quotidianam: gomer autem ad nostras Parisienses relatum reddit circiter tres pintas. Quare si Israelitarum quisque unicam coturnicum mensuram chomer sibi comparasset, tantum collegisset annonæ, quantum æquaret centum gomer; cum vero singula gomer mannæ singulis Israelitis quotidie alendis suffecerint, ita & plenum coturnicum gomer in quotidianam singulorum annonam suffecisse dicendum est; quare statuendum esset, Israelitas singulos tantum sibi parasse carnium, quantum non ad mensem integrum, sed ad centum dies sufficeret.

Neque satis hæc: affirmat Moyses, Israelitas seposuisse sibi decem chomer ut minimum, quæ mille gomer æquant, adeoque & tantum referunt annonæ, quantum alendis decem hominibus centum solidos dies, vel uni homini ad mille dies sufficeret. Hæc fidem superant; quare apta nodi resolutio quærenda est. Bochartus (2), quo indicante has salebras videmus, idem eas vitandi rationem suppeditat. Reputat enim: I. Singulas familias seponere sibi potuisse ut minimum decem chomer, annonam nempe decem hominum ad centum dies, decem hominibus in singulas familias distributis. II. Commode etiam reddi posse Hebræum in hunc sensum arbitratur (3): *Qui parum, collegit decem acervos;* quæ posterior interpretatio Septuaginta, Syriaco, Jonathan, aliisque nonnullis placuit. Constat utique, Hebræum *Chamor* iisdem literis scribi ac *chomer*: est autem chamor aliquando *acervus* (4); ac forte hic significat acervos coturnicum, quæ soli exsiccandæ exponebantur. Facile etiam decem acervi perinde hic valent, ac plures indefinite. III. Tandem *chomer* mensura est utique metiendis avibus minus apta; adhibetur enim sive ad liquida, sive ad frumenta metienda: atque hæc animadversio eam interpretationem firmat, quæ acervos intelligit.

Cæterum ingens illa vis coturnicum omni fide superior reputanda non est, nec confugiendum est nobis, uti nonnullis succurrit, ad novam aliquam avium creationem, ut olim in multiplicatione quinque panum usu venit: unicum agnoscimus prodigium in ratione, qua Deus coturnices in castra immisit. Miram prorsus & supra fidem avium ejusmodi multitudinem venatu capi, cum migrant in Europam, affirmant Veteres una & Recentiores. Ferunt (5), tanto numero interdum cadere in naves, cum longo lassatæ volatu quietem quærunt, ut insueto pondere navigia illa demergantur. Accidit ut in Italia ad centum millia una die caperentur, intra breve spatium quinque millium passuum (6).

SICCAVERUNT EAS PER GYRUM CASTRORUM. Ita pariter coturnices regionis suæ (*Chennia* appellabant) parasse Ægyptios, tradentibus Priscis novimus. Porro tam fœcunda erat avium regio, ut cum populus frequens brevi absumere illas non posset, sale condirent, ut diu servarentur. Incolæ Rhinocoruræ & Insularum Ægæi captas primo vere coturnices ac salitas negociatione vendunt.

℣. 33. ADHUC CARNES ERANT IN DENTIBUS EORUM .... ET ECCE FUROR DOMINI. Determinari utique nequit sive dierum numerus, quibus cibo illo sunt usi, sive quam potissimum pœnam Deo sæviente senserint; sed ea qua utitur phrasi Scriptura, satis docet, statim ac gustare aggressi sunt optatum cibum, percussos a Deo interiisse: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Sed qua Deus pœna miseros cecidit? Peste, reputant nonnulli (7): malunt alii phthisi (8), vel macie, qua depascente consumpti sunt: alii tandem demissum ignem putant, quo castrorum portio conflagrarit. Postremam hanc opinionem fulciunt ex Psalmo LXXVII. (9) narrante, interrogasse populum, num Deus tantum valeret, ut sufficeret panem in deserto? irato ea quæstione Deo, ignem exarsisse in Jacob, & furorem Dei in Israel. Ipsissimus est autem ignis, ajunt, qui in exordio hujus capitis narratur. Sed Scriptura ubique distinguit ignem ultorem murmuris Hebræorum, & plagam qua percussi a Deo perierunt. Sententia Psalmi respicit potius aliud murmur, quod mannæ lapsum præcessit.

In regionibus hellebori feracibus coturnices, quæ illo vescuntur, noxiæ sunt in cibum (10), ut comestæ convulsiones & epilepsim pariant. Sed in aliis regionibus coturnices cibi semper habitæ sunt delicatissimi, qua olim apud Veteres, qua modo apud Recentiores. Igitur si quis naturalem aliquam causam mortis intemperantium Israelitarum quærat, respondendum est, stomachum illorum mannæ assuetum toto jam anno, quæ levissimus est cibus, cum subito gravaretur cibo illo nimis solido, & ad excessum ingurgitato, officio suo defuisse: huic autem malæ corporis habitudini culpa hominum inductæ cum ultrix Dei manus accessisset, affecta corpora penitus oppressisse. Docent Hebræi (11), Deum ut intemperantiam illorum puniret, vetuisse deinceps, ne uterentur indiscriminatim dapibus etiam permissis a lege; sed tantum, ut participarent de hostiis pacificis in Tabernaculo oblatis; hanc autem cautionem tamdiu perseverasse, donec Terræ promissionis limen attingerent.

(1) Loco citato. (2) Boch. de animal. sacr. part. 2. l. 1. c. 15. (3) הממעיט אסף עשרה חמרים (4) Vide Exod. VIII. 14. Judic. XV. 16. Habac. III. 15. (5) Plin. lib. 10. cap. 13. (6) Gesner. ex Flavio Blondo. (7) Abenezra. (8) Quid. in Ainsv. Vide Psal. CV. ℣. 15. (9) ℣. 22. Vide Cornel. a Lap. & Boch. loco citato. (10) Vide Plin. lib. 10. c. 23. Solin. c. 19. (11) Vide Selden. de Synedr. veter. Hebr. lib. 2. cap. 4. art. 12.

CA-

CAPUT XII.

Murmur Aaronis & Mariæ in Moysem, causa Sephoræ uxoris ipsius. Deus elogio commendat Moysem. Maria lepra punitur, & extra castra retinetur spatio septem dierum.

℣. 1. LOcutaque est Maria, & Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthio-
pissam, 2. Et dixerunt: Num per solum Moysen locutus est Dominus?
nonne & nobis similiter est locutus? Quod cum audisset Dominus, 3. (Erat enim
Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra) 4. Statim lo-
cutus est ad eum, & ad Aaron, & Mariam: Egredimini vos tantum tres ad taber-
naculum fœderis. Cumque fuissent egressi, 5. Descendit Dominus in columna nubis,
& stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron, & Mariam. Qui cum issent, 6. Di-
xit ad eos: Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in vi-
sione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. 7. At non talis servus meus
Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: 8. Ore enim ad os loquor ei: & pa-
lam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis de-
trahere servo meo Moysi? 9. Iratusque contra eos abiit: 10. Nubes quoque recef-
sit, quæ erat super tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix.
Cumque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra, 11. Ait ad Moysen:
Obsecro, Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte commisimus?
12. Ne fiat hæc quasi mortua, & ut abortivum, quod projicitur de vulva matris
suæ, ecce jam medium carnis ejus devoratum est a lepra. 13. Clamavitque Moy-
ses ad Dominum, dicens: Deus, obsecro sana eam: 14. Cui respondit Dominus:
Si pater ejus spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore
suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & postea revocabitur. 15. Exclu-
sa est itaque Maria extra castra septem diebus: & populus non est motus de loco
illo, donec revocata est Maria.

℣. 1. PROPTER UXOREM EJUS ÆTHIOPISSAM. Scitum est, Sephoram uxorem Moysis mulierem fuisse Madianitidem, & filiam Jethro Sacerdotis Madian: regio autem Madian continebatur in ea regione, quam Scriptura appellat *Cusch*, & Vulgata reddere solet post Septuaginta, *Æthiopiam*. Sed quæ causa murmuris hujus Aaronis & Mariæ in fratrem suum, occasione fœminę hujus Madianitidis? Querelarum hanc causam innuit Textus Hebræus (1), nimirum illam fœminam fuisse alienigenam; seu potius receptam illam fuisse a viro, cum reducente patre in castra venit. Reputabant illi facile dedecere, ut asciscerct sociam thori alienigenam fœminam; vel saltem semel dimissam & restitutam populo suo, iterum reciperet: pessimum illud exemplum appendices habiturum perniciosas Israelitis, licere sibi credentibus, quod ipse in se admiserat Legislator, quamvis connubia illa lata lege vetuisset. Revocanda hic in mentem sunt ea, quæ alibi animadvertimus, adventum nempe Jethro in castra ad Sinai statuendum esse paulo ante profectionem Israelitarum ex eadem statione. Animo etiam subiniquo fortasse Maria ferebat Sephoram, quod hæc gloria viri sui Moysis tot prodigiis a Deo commendati superba, plus nimio efferretur. Ita innuere videtur Mariæ sermo, cum altercaretur: *Num per solum Moysem Dominus locutus est? nonne & nobis similiter locutus est?*

Paraphrastes Chaldæus, quem ducem Rabbini & Interpretum plures sequuntur, reputat, Aaronem & Mariam iniquius tulisse Moysem, quod ab uxore sese removisset. En verba Onkelos: *Locuta est Maria & Aaron contra Moysem propter uxorem pulchram, quam acceperat; quoniam uxorem*

pulchram, quam acceperat, repulit. Quibus positis, Mariæ murmur non in uxorem, sed pro uxore in Moysem fuit. Mulierem hanc Æthiopissam, unde murmuris occasio petita est, ipsam fuisse reputant quidam Tarbim filiam Regis Æthiopiæ a Moyse ductam (2) post confectam feliciter expeditionem in Æthiopes, a Pharaone sibi commissam, ac ante nuptias cum Sephora, cum in Madian fugit. Sed totam hanc historiam rejicimus ad fabellas, atque ab adoptanda Rabbinorum interpretatione nos revocat authoritas Textus, in quo non obscure murmuris hujus causæ narrantur. Morbo quodam pravæ æmulationis affecti sunt animi: ea vero sub specie invidiam tegebant, quod illa Chusitis seu Madianitis esset, quo nomine Sephoram arguebant. Porro ea regio Madian, patria Sephoræ, ad orientem Erythræi constituenda, uti ex nostra castigatione in Exodi II. 15.

℣. 2. DOMINUS IRATUS EST. Desunt hæc in Hebræo, Septuaginta, & Chaldæo.

℣. 3. ERAT MOYSES VIR MITISSIMUS SUPER OMNES HOMINES. Reddi posset Hebræus (3): *Demissus maxime animo*, vel *clementissimus*, vel *modestissimus*, vel *omnium temperantissimus*; quas omnes varias significationes unica illa vox *anav* admittit. Suspicati sunt nonnulli (4), elogium hoc de se non scripsisse Moysem; ea enim fuit Moysis modestia, reliquæ vitæ exemplis commendata, ut repugnare videatur ideæ, quam hic Textus ingerit, viri modestiam suam non modesto elogio jactantis. Sed animadvertendum est, agere hic Moysem personam sacri Scriptoris, idcirco potissimum Numine afflati, ut de se ipso scribat. Quare laudes suas prosequitur, omni fastu puras, cæterum paratus & vitia sua ingenue fateri.

(1) *Propter uxorem ejus Æthiopissam, quia uxorem Æthiopissam acceperat*, seu *receperat*. (2) Vide Joseph. lib. 2. Antiq. cap. 5. (3) והאיש משה ענו מאד מכל האדם Samar. עני *Afflictus*, *Pauper*. Septuag. Πραΰς, *mitis*. (4) Vide Cornel. a Lapide.

℣. 4. Egredimini vos tantum tres. Continebantur facile intra tentorium Moysis vel Aaronis, cum Deus ibi apertis vocibus insonuit. Jussit illos sistere se coram Domino ad ostium Tabernaculi. Nefas erat Laicis & fœminis æque omnibus pedem intro ferre; itaque Aaron & Maria extra limen Sancti sese continuere. Venit & Moyses, ac testis audivit ea, quæ Deus ad fratrem suum & sororem suam locutus est.

℣. 6. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei. Habes hic discrimen insigne Moysis a reliquis Prophetis; illis enim spectandum se præbet seu per visum seu quietem extasi abalienatis, alloquitur per ænigmata (1) & per ambages figurarum: at Moysi, reducto velo, se se aperit, coram & ore ad os colloquitur. Nullo re ipsa quidem sensibili & corporali spectro sentiri se ab ipso Numen sinit; sed gloriam ipse suam Deus manifestat, arcanas veritates detegit, palam & non per ænigmatum umbras.

℣. 7. Qui in omni domo mea fidelissimus est. Hebræus (2): *In omni domo mea Neeman est*. Vox *Neeman* commune nomen creditur, sonans œconomum, qui curat universas ædes Principis (3). Legitur in Scriptura Samuel egisse *Neeman* domus Dei. Suscitaturum se spondet Dominus Sacerdotem vel Principem (4) *Neeman* in domo sua; & statim infra (5) universus Israel cognovit Samuelem esse *Neeman* destinatum, ut gereret Prophetam Domini. David habitus est *Neeman* Saulis: *Quis in omnibus servis tuis, sicut David fidelis* (*Neeman*) *& gener Regis* (6)? De Neemanim ceu de gerentibus quamdam dignitatem agit etiam Jobus XII. 20. *Commutans* (Dominus) *labium* (eloquentiam) *veracium* (Neemanim) *& doctrinam senum auferens*. Eo titulo donari consuevisse videntur ex Proverbiis (7) viri a Principibus missi & legati. Frequentissime in Scriptura recurrit nomen *Fidelitas*, usurpatum pro certo munere & dignitate (8): quibus omnibus magis magisque adstruitur nostra hæc interpretatio nominis *Fidelis*.

℣. 10. Nubes quoque recessit, quæ erat super Tabernaculum. Recessit nubes ad tempus, certum veluti indicium irascentis Numinis in reos murmuris; seu potius sese in aerem extulit (9); vel planius, Recessit supra Sanctuarium, processerat enim ad frontem Tabernaculi, ut scilicet Angelus alloqueretur ibi cum Maria & Aarone. Recepisse se nubem ob lepram, qua Maria affecta est, Rabbini quidam docent (10).

Maria apparuit candens lepra, quasi nix. Albentis lepræ genus est quoddam, vitium potius cutis reputandum, quam lepræ morbus, uti ex Levitico XIII. 13. constat: *Teneri lepra mundissima judicabit, quod omnis in candorem versa sit*. Eo vitio affectos neque a castris, neque ab usu rerum sacrarum arcendos censet Moyses. Sed & genus est aliud lepræ, totam late tegens carnis superficiem crusta alba & farinacea; quod inveterati morbi est indicium (11). Nec facile alio morbo, quam hoc postremo, laboravit Maria, quamquam obiter tantum, cum tamen alioqui morbi genus illud pervicax sit & incurabile. Lepra Naaman Syri, cui, devovente Eliseo, obnoxius fuit Giezi, & posteri ejus, morbus erat Mariæ huic persimilis. *Egressus est leprosus quasi nix* (12).

At enim cur Aaron, qui murmuris in Moysem societate cum sorore, fracto nimis & imbecilli animo, communicavit, non eadem pariter pœna obvolutus est? Facile Aaronis crimen Mariæ crimine levius fuit, ac totius murmuris primum exordium facile ductum est a fœmina. In societatem querelarum facile accessit Aaron, nimia potius in sororem indulgentia, quam contemptu, & prava æmulatione in Moysem. Deus, cui intima omnia cordis reserata sunt, novit sceleris crimen majus in ea, quam puniit, quam in illo, quem subduxit a pœna. Non immerito etiam reputaretur Deus pepercisse Aaroni, quod dignitatem viri respiceret: nolebat contemptui exponere Sacerdotium, afficiens virum morbo, quo vilis redderetur populo, & agendis ministerii sui functionibus impar. Non est utique cur de gravitate criminum judicium feratur e gravitate pœnarum, quibus a Deo submittuntur. Dissimulat interdum iratus ipsa eadem delicta, quæ punit miserescens. Ad hæc, prompta & humilis resipiscentia Aaronis veniam illi facile prometuit. Statim enim ac sororem lepra affectam vidit, crimen suum demissa animi habitudine fatetur & luget: *Obsecro, Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte commisimus*.

℣. 12. Ne fiat hæc quasi mortua, et ut abortivum .... ecce jam medium carnium ejus devoratum est a lepra. Quæ late per totum corpus regnabat, lepra erat reipsa miseram depascens adeo, ut ad sensum jam macie extenuaretur. Longe alius est Hebræi sensus a Vulgata (13): *Ne nunc sit sicut mortuus; qui in exeundo ipso de matrice matris suæ, & consumitur dimidium carnis ejus*. Aliter etiam reddunt Septuaginta (14): *Ne fiat tamquam æquale morti, ut abortus ejectus de vulva matris, & comedit dimidium carnis ejus*. Chaldæus: *Ne obsecro, separetur hæc a nobis, quia soror nostra est: ora, obsecro, super carnem mortuam hanc, quæ est in ea, ut sanetur*.

Si pater ejus spuisset in faciem illius. Si Maria in patrem suum injuriosa, ille excreasset in faciem ejus, nonne integra saltem hebdomada rubore illa contineretur, ne se ejus conspectui daret? Jure igitur majori retinenda est extra castra, & a facie mea prohibenda pari saltem dierum spatio: me enim ipsum suis in me & in Moysem servum meum obtrectationibus affecit injuria, cujus rei indignatione ego illam lepra punivi. Quibus verbis Deus simul occulta spe fœminam solabatur futuræ valetudinis post septem dies; quo temporis spatio experimento probandi erant dubia lepra laborantes, num reipsa morbo illo tenerentur. Expuere in faciem alicujus, temnentis erat, & gravissime insultantis (15). Lepram qua Mariam affecit, comparat Deus insultus hujusce ignominiæ.

Mysterium latens in querelis illis Aaronis & Mariæ de Moyse & Sephora, revelarunt Origenes (16), & S. Hieronymus (17). Sephora mulier illa Æthiopissa a Moyse in thori societatem accita, designat non obscure delectum illum Jesu Christi, Gentiles invitantis ad Ecclesiam sponsam suam constituendam. Iniquior ille Aaronis & Mariæ in Moysem & Sephoram animus apte pingit pravam illam æmulationem Judæorum in Gentiles, ad quos prædicari Evangelium & palam edisseri mysteria Regni Cœlestis, ferebant iniquius; cum maxime his omnibus bonis indignos ipsi sese præbuissent, imo & oblata antea respuissent, Ma-

(1) ℣. 8. *Palam, & non per ænigmata & figuras Deum videt*. (2) בכל ביתי נאמן היא (3) Malvenda. (4) 1. Reg. II. 35. כהן נאמן (5) Ibid. III. 20. juxta Hebræum: *Cognovit universus Israel ... quia Samuel Neeman, in Prophetam Domini*. (6) 1. Reg. XXII. 14. (7) Prov. XIII. 17. & XXV. 13. (8) 1. Par. IX. 22. 26. 31. 4. Reg. XII. 15. 2. Par. XXXI. 12. 15. & XXXIV. 12. & 2. Esdr. XI. 23. (9) Bonfrei. Menoch. (10) Hiscuni apud Drus. (11) Ibid. ℣. 10. 11. 12. (12) 4. Reg. V. 27. (13) אל נא תהי כמת אשר בצאתו מרחם אמו ויאכל חצי בשרו (14) Ὡσεὶ ἔκτρωμα ἐκπορευόμενον ἐκ μήτρας μητρός, καὶ κατεσθίει τὸ ἥμισυ τῶν σαρκῶν αὐτῆς. (15) Vide Job XXX. 10. Isai. L. 6. Marc. XIV. 65. XV. 19. (16) Origen. homil. 6. & 7. in Numer. (17) Hieron. ad Fabiol. de 42. mansion. mans. 14.

Maria lepra affecta, & rejecta extra castra, exhibet lepram illam criminis, qua laborabant Judæi, rudem illam indocilitatem, ac deformitatem religionis ipsorum, quæ hodie capite suo, Templo, & Sacrificio viduata squallet. Elogium tandem illud, quo Deus Moysem commendat, sublimius est quam ut ad literæ rigorem Legislatori huic congruat. Satis utique intelligimus, vim ejus totam in Jesu Christo impleri, viro inter omnes mitissimo, ac malis perferendis æquissimo, qui coram Deum intuebatur; norat eum, qui prodebat se sibi, Deum omni amoto figurarum & ænigmatum velo; qui tandem in domo Dei est fidelissimus.

CAPUT XIII.

Moventes ex Haseroth veniunt Pharan. Moyses selectos viros mittit ad explorandam Chananitidem. Redeuntes laudant ubertatem soli, sed difficultatem potiundi regione exaggerant. Seditio populi. Calebi fides.

℣. 1. PRofectusque est populus de Hazeroth, fixis tentoriis in deserto Pharan, 2. Ibique locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 3. Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus, ex principibus. 4. Fecit Moyses, quod Dominus imperaverat, de deserto Pharan mittens principes viros, quorum ista sunt nomina. 5. De tribu Ruben, Sammua filium Zechur. 6. De tribu Simeon, Saphat filium Huri. 7. De tribu Juda, Caleb filium Jephone. 8. De tribu Issachar, Igal filium Joseph. 9. De tribu Ephraim, Osee filium Nun. 10. De tribu Beniamin, Phalti filium Raphu. 11. De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi. 12. De tribu Joseph, sceptri Manasse, Gaddi filium Susi. 13. De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli. 14. De tribu Aser, Sthur filium Michael. 15. De tribu Nephtali, Nahabi filium Vapsi. 16. De tribu Gad, Guel filium Machi. 17. Hæc sunt nomina virorum, quos misit Moyses ad considerandam terram: vocavitque Osee filium Nun, Josue. 18. Misit ergo eos Moyses ad considerandam terram Chanaan, & dixit ad eos: Ascendite per meridianam plagam. Cumque veneritis ad montes, 19. Considerate terram, qualis sit: & populus, qui habitator est ejus, utrum fortis sit, an infirmus: si pauci numero, an plures: 20. Ipsa terra, bona, an mala: urbes quales, muratæ, an absque muris. 21. Humus, pinguis, an sterilis; nemorosa, an absque arboribus. Confortamini, & afferte nobis de fructibus terræ. Erat autem tempus, quando jam præcoquæ uvæ vesci possunt. 22. Cumque ascendissent, exploraverunt terram a deserto Sin usque Rohob intrantibus Emath. 23. Ascenderuntque ad meridiem, & venerunt in Hebron, ubi erant Achiman, & Sisai, & Tolmai filii Enac: nam Hebron septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est. 24. Pergentesque usque ad Torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, & de ficis loci illius tulerunt: 25. Qui appellatus est Nehelescol, idest, Torrens botri, eo quod botrum portassent inde filii Israel. 26. Reversique exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuita, 27. Venerunt ad Moysen, & Aaron; & ad omnem cœtum filiorum Israel in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutique eis, & omni multitudini ostenderunt fructus terræ; 28. Et narraverunt dicentes; Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte, & melle, ut ex his fructibus cognosci potest. 29. Sed cultores fortissimos habet, & urbes grandes, atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi, 30. Amalec habitat in meridie, Hethæus, & Jebusæus, & Amorrhæus in montanis. Chananæus vero moratur juxta mare, & circa fluenta Jordanis. 31. Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus, & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. 32. Alii vero, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, qui fortior nobis est. 33. Detraxeruntque terræ, quam inspexerant, apud filios Israel, dicentes: Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. 34. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.

℣. 1. PROFECTUSQUE EST POPULUS DE HASEROTH, FIXIS TENTORIIS IN DESERTO PHARAN. Nomen stationis, ubi substitit agmen, movens ex Haseroth, nullum hic indicat Moyses; sed capite xxxiii. 19. appellat *Rethmam*. Erat autem locus in deserto Pharan, sicut & Cadesbarne, quo sequentibus diebus venerunt. Censet etiam Barradius, Rethmam nomen fuisse portionis deserti Pha-

Pharan, nbi confidebat Cades-barne. Sed ne geminas mansiones bic distinguamus, nihil prohibet. Inserit hic Textus Samaritanos fragmentum prolixum, ductum facile ex Deuteronomio 1. 20. 21. 22. ubi narrat Moyses, se, cum venisset in Cades-barne, in finibus Chanaanitidis, denunciasse Israelitis palam, nibil superesse illis aliud, quam ut pedem intro ferentes, in dominium promissæ sibi a Deo regionis venirent; sed hæc dicentem convenisse populum ac rogasse, ut mitterentur prius viri quidam selecti, naturam, indolem, & vires ejus regionis exploraturi; quæ loca facilius darent aditus, quæ Urbes prius tentandæ essent. Singula hæc frustra hic quæras sive in Textu Hebræo, sive apud Septuaginta.

Quam agendi rationem tenent hic Israelitæ, specie quidem prudentissimam crederes; reipsa tamen ex metu & diffidentia orta est: reique eventus satis docet, cautiones hasce omnes Deum improbasse. Ex eo fonte erupere mala illa omnia, quæ reliquo itineris tempore in populum inundarunt. Cum legimus hic, Deum præcepisse: *Mitte viros qui considerent terram*; jungenda sunt hæc cæteris, quæ in Deuteronomio supplentur; quibus innuitur, consilium hoc populo authore captum esse, cui assensum suum ideo præbuerit Deus, quod in populum esset iratus.

℣. 3. Singulos de singulis Tribubus ex Principibus. Dicta hæc accipito non de Principibus singularum Tribuum, sed de quibusdam Optimatibus, qui secundum ab illis locum occupabant. Erant autem Centuriones, ait Hiscuni. Principes Tribuum suo nomine recensiti superius capite x. longe alii sunt ab his, quos hic habemus deInctos.

℣. 6. Huai. Septuaginta: *Suri*.

℣. 8. Igal. Septuaginta: *Igad*, vel *Ilaad*, vel *Igal*.

℣. 12. De Tribu Joseph, accepta Manasse. Hebræus: *De Tribu Joseph, e Tribu Manasse*. Geminæ sortes vel Tribus erant Josephi, nempe Ephraimi & Manasse. Tunc autem e Tribu Ephraimi electus est Osee, sive Josue; Gaddi vero & tribu Manasse.

℣. 15. Vapsi. Septuaginta: *Albi*.

℣. 16. Guel. Sepruaginta: *Goudiel*.

℣. 17. Vocavit Osee filium Nun, Josue. Septuaginta: *Cognominavit Aule filium Nave, Josue*. Hebræum *Osee*, vel *Hoseah*, sonat *Servatum*, vel Servatorem, vel *Salutem*; sed Josue sonat: *Servabit*, vel *Salus Dei*, vel *Servator Dei*, idest, vir, quem Deus Servatorem populi sui destinavit. Porro aliquid additum est nomini *Osee*, ut redderetur *Josue*; addita est, inquam, prima litera nominis Divini incommunicabilis. Patres quidam docuerunt (1), Moysem reformasse nomen illud *Osee* in *Josue* post relatam a populo Dei, duce Josue, victoriam de Amalecitis. Legunt hic: *Moyses appellaverat, Osee, Josue*; cum in Vulgata sit: *Vocavit Josue*. Sed malunt alii, ipsum Josue in hoc suæ destinationis eventu id nominis obtinuisse (2). Si autem nomen illud Josue legitur in Exodo; id anticipatione quadam additum est in Libro, non prius scripto, quam peragrata a Josue terra Promissionis. Quæstio autem hæc est nullius momenti; neque ullum satis apertum argumentum afferri potest, quo judicium pro alterutra parte feratur.

℣. 18. Ascendite per meridianam plagam, Cumque veneritis ad montes. Ascendite in regionem per locum vobis e regione oppositum, terræ promissionis meridionalem, sed vobis ex Arabia Petræa venientibus Septentrionalem. Addit Moyses: *Cumque veneritis ad montes, considerate terram, qualis sit*. Maluerim ego reddere Hebræum: *Et ascendetis montes, & considerabitis terram*. Vix subeuntibus vobis regionem, occurret asper montium tractus, qui porrigitur ab Idumæa ad usque Hebronem: tum vobis obviam fiet regio plana: hæc omnia sedulo explorabitis.

℣. 20. Urbes quales; muratæ, an absque muris. Hebræus variat paululum (3): *Quid urbes, in quibus ipsi habitant: num in castris* [tentoriis], *an in munitionibus* [civitatibus munitis]. Utrum vitam agant more Arabum Scenitarum, & proximarum gentium quamplurium, quo ritu tunc ipsi pariter Hebræi degebant, sub tentoriis nempe, ædibus, sedibusque certis destituti; an potius urbes habeant muro clausas, vallatasque munitionibus, uti apud Ægyptios, Philistæos, aliosque.

Sed numquid Hebræi ista omnia ignorabant? Numquid non edocti fuerant a Deo tam sæpe destinari sibi ab illo regionem, quæ melleis, lacteisque fluentis irrigaretur? Et post prorogatam in Ægypto moram, commercia cum finitimis Chananæis adeo de industria sibi probibuerant, ut ne subodorati quidem fuerint, num Urbes incolerent illi muro clausas, an degerent sub tentoriis in agro, uti antea Abraham, Isaac, & Jacob? Reponi his posset, hæc omnia generatim, & confuse nosse quidem Moysem & Israelitas, nosse, inquam, universi populi mores; sed opus erat de singulis regionibus accurate perquirere, qui mores, quæ vires, qui animus incolarum. Mandatum est selectis illis viris, animadverterent, qui tractus essent regionis uberrimi, qui steriles; unde facilis accessus, unde difficilis; quod vitæ genus, quæ ratio gerendi belli, quæ politia variarum gentium loca ejus provinciæ varia tenentium; quam deinde valida Urbium defensio. Porro jussiones hasce suas latissime explicavit Moyses, quamquam committeret viris scientia, & intelligentia præstantibus, qui utique norant, quid sui muneris esset. Sed cum regionis status populo esset describendus, nulla satis accurata perquisitio superflua videbatur.

℣. 21. Erat autem tempus quando jam præcoquæ uvæ vesci possunt. Septuaginta (4): *Et dies erant veris, præcursores uvæ*. Putat pariter Philo (5), Exploratores illos verno tempore discessisse; mense Junio venisse censet Cornelius a Lapide: nobis vero persuasum est, cum Torniello, & Ussetio, illos facile e castris dimidio ferme Julii egressos, rediisse post dies quadraginta. Norunt Itali, & Galli uvæ genus quoddam, ipso mense Julio maturum, ex quo alicubi nomen Juliæ uvæ illi asseritur. Fertur Palæstina uvas offerre semper recentes a Festo S. Joannis Baptistæ ad usque S. Martini (6), ibique tres ceu vindemias institui; priorem Augusto, alteram Septembri, postremam Octobri. Hac autem ratione colitur vinea, ut variis hisce temporibus fructus sufficiat. Postquam vitis emisit priores uvas verno primo tempore, sarmenta fructu vacua amputantur; tum circa mensem Augusti novæ succrescunt propagines novo fructu luxuriantes, qui uno vel altero mense post priores illos maturescit. Uvæ illæ præcoces ad literam, *primogenita uvarum* (7), de quibus Moyses, uvæ sunt verno tempore florentes, & circa mensem Augusti maturæ. Racemi quidam præcoces jam maturitatem attigerant, quo tempore Legati Israelitarum venerunt. Uvas maturas mense Martio offerre Maderæ, & Hispaniolæ Insulas ferunt (8).

℣. 22. A deserto Sin, usque Rohob, intrantibus Emath. Moventes e Cades-barne in deserto Pharan

---

[1] Lactant. lib. 4. cap. 17. De vera Sap. Origen. hamil. 1. in Josue. Vide Serarium Præfat. in Josue.
[2] Theodoret. qu. 25. August. l. xvi. contra Faust. c. 19. Vide Barrad. & alios.
[3] הערים אשר הוא יושב בהנה הבמחנים אם במבצרים
[4] Καὶ αἱ ἡμέραι, ἡμέραι ἔαρος, πρόδρομοι σταφυλῆς.
[5] Philo l. 1. de vita Mos.
[6] Vide Davity, Terre sainte.
[7] ימי בכורי ענבים
[8] Aloys. Cadam. Colloq. 14. & Majol. de Hispaniola colloq. 21.

Pharan (1), qui locus ad desertum Sin pertinebat, secundum regionem Chanaan viam instituentes, & fere sequuti cursum Jordanis, processerunt usque Rohob, urbem ad radices Libani in extrema ora Septentrionali terræ Sanctæ, juxta viam in Emath. Inde flectentes, mediam regionem peragrarunt secundum loca Sidoniorum, & Philistæorum; ac tandem redituri in castra Israelis, ascenderunt Hebronem versus, locum & Abrahami mora & sede Gigantum e stirpe Enach commendatum. Inde per vallem profecti, quam perluebat torrens, qui postea torrens Escol appellatus est, ibi uvas, ficus, & malogranata carpsere, quæ in specimen ubertatis ejus regionis Israelitis ostenderent. Certum situm Urbis Emath, sæpe adeo recurrentis in Scriptura, accuratius indagabimus capite XXXIV. 8.

℣. 23. VENERUNT IN HEBRON, UBI ERANT ..., FILII ENACH. Enach celebris erat gigas ex Arbee, & conditor Hebronis (2). Gigantes Chananæi filios se jactitabant hujus Enach, appellabanturque vulgo *Enacim*, vel filii Enach. Suspicatur Grotius, Inachidas, tota Græcia celebratissimos, originem retulisse suam ex Enacim, qui illuc e Palæstina post adventum Josue venerint. Reputant alii, Græcum *Anax*, quod sonat *Rex*, vel *Dominus*, etymon deducere ex Phœnicio *Henak*; cui opinioni favet Pausanias in Atticis, tradens, Anachem virum fuisse Gigantem filium Telluris, & patrem Asteri, Gigantis centum cubitorum immanis.

NAM HEBRON SEPTEM ANNIS ANTE TANIM URBEM ÆGYPTI CONDITA EST. Ægyptiorum superbiam cohibiturus Moyses, qui sese antiquitate præstare cæteris urbibus ac populis gloriabantur, prodit, Hebronem urbem septennio vetustiorem esse Tani metropoli Ægypti inferioris, cujus Reges tamdiu Judæos oppresserant. Igitur Hebron vetustate cum antiquissimis, quotquot innotescerent, urbibus certabat, incolasque habebat Chananæos statura, & vi cæteris superiores, ac finitimis omnibus metuendos. Sita erat in montibus ad meridiem Chanaanitidis. Domita ea regione, Hebron obtigit Tribui Juda (3), tum cessit Sacerdotibus in sedem, itidemque in urbem refugii & asyli assignata est (4).

℣. 24. AD TORRENTEM BOTRI. Hebræus: נחל אשכל *Nachal Escol*; quod verti posset cum Septuaginta: Φάραγξ Βότρυος, *Vallis botri*, quod loco nomen mansit, ex quo uvas hac occasione Hebræis Exploratoribus suffecit. Vide ℣. 25.

ABSCIDERUNT PALMITEM CUM UVA SUA. Hoc loco inani videretur, onustum uvis palmitem illos abscidisse: sed Hebræus disertissime exprimit (5), abscidisse quidem palmitem, ex quo unus tantum pendebat uvarum racemus, cui vehendo vel duos vectes, vel quoddam vehiculi gestatorii genus adhibuerunt. Paria ferunt Septuaginta & Chaldæus. Quare concipiamus oportet gravem botrum vel e transverso vecte suspensum, vel impositum gestatorio vehiculo, a duobus ferendo; vel forte secundum longitudinem suam transverse positum super duos vectes, vectumque a quatuor vel octo hominibus, juxta Rabbinos, quorum ingenium est, ut omnia exaggerent. A binis viris gestatus est; non ideo forte quod racemi immanitas id exigeret, quamquam consueto major esset, sed ne ab uno vectus tunderetur, atque vitiaretur. S. Ambrosius, vel potius S. Maximus, in Sermone falso inscripto nomine S. Ambrosii (6), censet, Josue & Calebum sarcinam hanc gestasse; vicissim autem Thalmudistæ affirmant, nec Josue, nec Calebum oneri huic humerum supposuisse: impositum servis censet Salianus.

Cum audis uvarum huic sarcinæ ferendæ binos vectores destinatos fuisse, exaggerationis aliquid in Mosaica narratione, vel forte non probe adhuc perceptum esse Scriptoris sensum suspicaris; nullus enim vel immanissimus omnium, quos noverimus, racemus racemo huic longissime accedit. Cave tamen, ne de alienæ regionis fœcunditate ex nostra ducas argumentum. Reputandum est enim, Palæstinæ solum multo uberius fuisse, multo feracius eximiorum optimorumque fructuum, quam provinciarum nostrarum cultissimæ. Affirmat Doubdan (7), ex relatione Religiosorum quorumdam virorum Palæstinæ se didicisse, Vallem Botri ferre adhuc racemos decem vel duodecim librarum pondo.

Agunt historiæ de uvis provinciarum quarumdam Asiæ, quarum ubertas profecto minime superabat solum Chanaanitidis, de uvis, inquam, magnitudine prorsus incredibili. Scribit Plinius (8), racemos *magnitudinem infantium puerorum in interiore Africæ parte exsuperare*. Uvarum racemos in Caramania duobus cubitis altos describit Strabo (9). In Margiana palmites sunt, quos duo homines vix amplectantur, ex quibus pendent duorum cubitorum racemi. Metrophanes apud Stephanum Byzantinum affirmat, in Eucarpio, loco quodam Phrygiæ, se vidisse uvas immanes adeo & graves, ut sub unico racemo plaustrum satisfaceret. Hyperbolem ego quidem in hoc postremo suspicor; sed recentiores Scriptores fide dignissimi, qui Palæstinam peragrarunt, satis habent rerum, ut asserant fidem relationi Mosaicæ, ad ipsum literæ sonum acceptæ.

Princeps Radzvillius Epistola III. affirmat, sibi Alexandriæ versanti oblatos Rhodiarum uvarum racemos tribus ulnæ quadrantibus longos, quorum singuli acini prunum æquabant. Plus aliquid & propius in rem nostram affirmat Forsterus in Lexico ad vocem אשכל; agens enim de uvis vallis Hebronis, quo Israelitæ venientes botrum decerpserunt, refert, se vidisse Nurimbergæ Acatium quemdam, professione Monachum, conciones in ea urbe habentem, quique octo annos egerat in Palæstina, qui in eo, quo laborabat hydropysis morbo, optabat solatii ac refrigerii loco unicum quotidie acinum ejus uvæ, quam olim in Palæstina viderat. Interroganti Forstero, quanta esset racemorum ejusmodi magnitudo, respondit ille, eam esse quam ægre duo homines ferrent; illos vero in valle Hebronis provenire, & ab incolis regionis appellari *musi*. P. Eugenius Rogerius (10) scribit, anno 1634. in valle Soree racemum æquasse pondus quinque ac viginti librarum & semis; vulgares autem ejus soli non minores esse quam sex, septem, octo, & duodecim librarum. Itinerator alius (11) narrat, visos a se Damasci racemos quadraginta libris majores. Racemos albæ uvæ ex agro urbis *Schiras*, decem & duodecim librarum habes apud Chardinium (12). Vide D'Arvieux tom. 2. pag. 246. De fertilitate terræ promissionis vide ibidem pag. 247. 266. De magnitudine racemorum Spon tom. 1. pag. 164. Illud etiam in eam rem animadvertisse juvat, botros in Palæstina poma nostrata magnitudine æquare, Des Breves itin. pag. 104. Nicolai pag. 67. scribit racemos Insulæ Chii pondo esse sex, vel septem librarum.

Dominus Abbas Gyon, ephebotum regis Poloniæ Præfectus, narravit mihi emisse se Melitææ uvæ racemum pondo librarum XXXVII. cujus botri digiti crassitudinem æquantes paulo productiores erant & recurvi, ac tandem gratissimi saporis, iisque tribus vel quatuor mensibus degustavit.

Tur-

[1] Inferius ℣. 27. [2] Josue XV. 13. *Cariath-Arbee, Patris Enach, ipsa est Hebron.* [3] Josue XV. 13. [4] Josue XX. 7. [5] ויכרתו משם זמורה ואשכל ענבים אחד וישאהו במוט בשנים [6] Serm. 72. de sancto Cypriano, in nov. edit. 58. [7] Doubdan chap. 21. Voyage de la Terre sainte. [8] Plin. l. XIV. c. 1. [9] Strabo l. XI. & XII. [10] Roger. l. 1. c. 2. & 14. [11] Paul. Lucas t. 1. c. 25. p. 310. [12] Chardin, Voyage de Perse t. 3. p. 144.

Turgent succo condenso & acinis carent. Succum istum condensum Itali appellant *polpa*. De racemis enormis magnitudinis vide Iter e Moschovia in Persidem tom 1. pag. 558. ibid. tom. 2. p. 12. & 25. legitur vitis truncus, qui corpus hominis crassitudine æquabat; Strabo lib. 11. in Margiana Chorasanis provincia. Hæc satis ad adstruendam veritatem Mosaicæ relationis.

De Jesu Christo in cruce suspenso exposuerunt Patres typum botri hujus e vecte suspensi (1). Duo vectores sunt duo Testsmenta, vel geminæ Ecclesiæ, Judæorum & Christianorum. Sanguinis Jesu Christi in Passione figura est vinum ex uva expressum, quod alicubi in Scriptura (2) *Sanguis uvæ* appellatur.

℣. 27. Venerunt in desertum Pharan, quod est in Cades. Multo pronius fuisset vertere, ut legitur in Hebræo: *Venerunt in Cades, in deserto Pharan*. Jam supra ℣. 22. animadvertimus, exploratores Israelis percurrisse totam Chanaanitidem, a deserto Sin usque Rohob, extremam oram Septentrionalem ejus Provinciæ. Hic autem regressus illorum describitur; redeunt enim *in Cades in deserto Pharan* (3). Statuendum est igitur, Cades vel propius accessisse ad desertum Sin, vel in eodem deserto consedisse, & Cades hoc loco unum esse idemque ac Cades-barne; certo enim constat, Exploratores profectos esse e Cades-barne (4), inspecturos terram Chanaanitidis, nec Moysem absentibus illis castra sua movisse. Denique ipse Moyses tradit, se substitisse adhuc diutius in Cades-barne (5).

Sed non hic unicus Textus Cades & Cades-barne seu synonyma ponit: idem pariter & in Genesi licet animadvertere (6); nec sane nobis quidquam affirmari posse de Cades, quod non item & de Cades-barne, videtur. Nomen loci, situs, & reliqua omnia congruunt utrique; quare pro una & eadem urbe accipiendæ sunt. Cades, & Cades-barne urbes sunt in finibus Idumææ (7), & Chanaanitidis, proxima utraque Sennæ vel Sin, & montibus Hor, Arad, Hormæ (8), secus viam e mari Rubro ad Hebronem, & ex Hebrone vel e regione Chanaan ad mare Rubrum. Cum Moyses (9) & Josue (10) describunt limites meridionales Terræ promissionis, indicant desertum Sin, ubi Urbs Zinna & Urbes Cades-barne, Adar, & Hazor: nihil autem habent de altera Cades, quæ a prima differat. Vero igitur simillimum arbitramur, unicam agnosci in Scriptura Urbem Cades vel Cades-barne, adscriptam modo deserto Pharan, modo deserto Sin, quod scilicet in alterutro ex his desertis ita consideret, ut proxima alteri quoque accederet. Hanc opinionem, quæ unicam tantum agnoscit Urbem Cades, suffragatores habet Eusebium, S. Hieronymum (11), doctosque alios Scriptores Commentariorum quamplurimos (12).

Qui duas urbes distinguunt, Cades & Cades-barne, opinioni suæ fidem potissimam ex eo conciliant, quod in Cades murmur sublatum est populi, aquarum penuria laborantis (13); cum vicissim in Cades-barne necessaria omnia suppeterent. Sed quid mirum, si in duobus diversis deserti ejusdem nominis locis hic quidem desint aquæ, ibi vero abundent?

Quod attinet ad certum situm Cades-barne, æquis ferme intervallis a Mari Mortuo & Mediterraneo plerumque constituitur. Sed cum Chaldæus illam appellet *Recem*, quæ ipsissima est *Petræa*, Metropolis Arabiæ Petrææ; & affirmet Eusebius (14), junctam esse Urbi Petræ, idest, proxime ad illam accedere: ea nobis sedet persuasio, promovendam esse ulterius ad Mare Mortuum, statuendamque in regione, vel in finibus Edom, non longe ab ascensu scorpionis. Petra urbs est Straboni libro xvi. quatuor dierum itinere a Jerichunte; Plinio vero (15), cxxxv. m. passuum a Gaza, dc. m. a Sinu Persico.

℣. 30. Amalec habitat in meridie. Amalecitæ considebant non in Chanaanitide quidem, sed ad meridionalem ejus regionis plagam. Cum autem Israelitæ, paulo post Rubri Maris transitum, adversarios sensissent Amalecitas; Exploratores callido & doloso consilio populo in mentem gentes illas revocarunt, quas habituri essent finitimas, vel nunquam non vetantes, ne pedem inferrent in Chanaanitidem.

Hethæus, Jebusæus, et Amorrhæus in montanis. Secundum totum latus meridionale Terræ Sanctæ ii montes excurrebant; ac priusquam in Israelitarum partem cederent, ab Hethæis, Jebusæis, Amorrhæis, additis Cinezæis & Cinæis, frequentabantur. Considebant Hethæi in ea parte, qua regio proxima est Philisthæis, in eo tractu, qui Tribubus Simeonis & Dan forte obtigit. Jebusæis sedes erant Jerosolymæ & in adjacenti regione destinatæ. Amorrhæi, gens omnium validissima & potentissima, maximam portionem regionis illius tenebant, quam deinde authore Josue Tribus Juda obtinuit. Cinezæi & Cinæi propius accedebant ad Mare Mortuum.

Chananæus vero moratur juxta mare, et circa fluenta Jordanis. Contendit Bonfrerius, regionem, quæ peculiaris erat Chananæorum, tractum occupasse a Mari Mortuo adusque Mare vel Lacum Tiberiadis: affirmat, nunquam in Scriptura constitui Chananæos ad Mare Mediterraneum; quod ægre quidem asserenti dabimus. Vulgo creduntur, validissimi ac Principes Chananæorum incoluisse Sidonem ac adjacentia loca; suasque ibi sedes adversus conatus non Josue tantum, sed & potentissimorum Judææ Regum propugnasse. Obsederunt illi latera Mediterranei, & commercia plane ditissima cum regionibus omnibus Africæ, Asiæ, Europæ coluerunt. Nihil tota Antiquitate celebrius quam Phœnices, ductæque ab illis Coloniæ. Regna Sidonis & Tyri latius in mari quam in Continenti porrigebantur; etenim Hebræi regionem late occupantes seseque explicantes, angustum illis litus permiserant, prohibito Continente.

℣. 33. Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos. Pingitur hac phrasi noxia qualitas regionis pravæ, perniciosæ, insalubris. Dicta hæc accipit Oleaster de solo sterili, ægre incolas alente; sed decerpti ex eo fructus interpretationem hanc falsi satis arguunt. Aliis vulgaris est loquendi formula de regione assiduis bellis, qua domesticis, qua externis, vexata. Chanaanitidem tenebant gentes bellicosæ, & violentæ, Arabes, Amalecitæ, Idumæi. Plerisque (16) tandem illud, *Terra devorat habitatores suos*, perinde esse videtur, ac aere noxio & insalubri incolis est gravis. Hebræorum quidam persuadere credulis conantur, Exploratores quocumque venissent, incidisse in cadavera, quæ sepulturæ mandabantur: Deo ita minuente numerum hostium Israelis. Sed quæ

---

[1] August. seu potius Cæsar. in serm. 28. in Append. nov. Edit. Hieronym. ep. ad Fabiol. mansione 15. Prosper. de prædict. parte 2. c. 9. Bern. serm. 44. in Cantic. Rupert. hic. [2] Genes. xlix. 11. Deut. xxxii. 14. Eccl. l. 16. [3] Num. xiii. 27. [4] Deuteron. i. 19. & ix. 23. Josue xi. 6. 7. [5] Deuteron. i. 19. 25. 46. [6] Genes. xvi. 14. & xx. 1. [7] Num. xx. 16. [8] Confer Num. xiv. 45. ubi semper agit de Cades-Barne; cum Num. xxi. 3. & Josue xii. 29. &c. [9] Num. xxxiv. 4. [10] Josue xv. 1. 23. [11] Euseb. & Hieron. in Locis Hebr. [12] Cajet. Tost. Ol. Mas. Malv. &c. [13] Num. xx. 1. [14] Euseb. in locis, in Cades. [15] Plin. l. 6. c. 28. Vide Cellar. in Arabia l. 3. c. 14. pag. 415. ubi Plinium emendat. [16] Rab. Salom. Abenezra, Lyr. Cajet. Tost. Tirin. Cornel. Bonfr. &c.

quæ fides Rabbinis? Cæterum nota est Palæstini soli fertilitas, & aeris salubritas.

Reputandum est tamen, seditiosum hoc murmur veritatis speciem aliquam præsetulisse; nec aliud ego quidem reputaverim, quam quod regio bellis esset assiduis infestata, quibus Israelitæ omnes absumerentur, antequam in illius dominium venirent. Quod pariter addebant de gigantibus Enacim, id confirmabat præcedentia. Utitur frequenter Scriptura paribus loquendi phrasibus, ut dissipatum ab hostibus agmen significet. Moyses minitatur Hebræis futurum, ut veniant in prædam hostium, ac in hostili regione absumantur (1): *Hostilis vos terra consumet*. Ezechiel xxxvi. 13. 14. terram Israelis belli furore incolis pene destitutam ita alloquitur: *Pro eo quod dicunt de vobis: Devoratrix hominum es, & suffocans gentem tuam; propterea homines non comedes amplius, & gentem tuam non necabis ultra*; idest, hostium arma, quibus vastaris, tandem removebo. Nec aliud forte innuit Author Sapientiæ v. 21. perhibens, terram universam præliari contra insensatos, & Numinis justitiam in impios exercere. Recitat Moyses (2), proverbium quoddam Amorrhæorum: *Ignis egressus est de Hesebon, & flamma de oppido Sehon, & devoravit Ar Moabitarum*: familiaris est autem & vernacula Hebræorum phrasis, ut designaturi fusos devictosque hostes, dicant absumptos esse illos, & *ore gladii devoratos*.

POPULUS PROCERÆ STATURÆ EST. Hebræus ad literam: *Viri terræ, viri mensurarum* אנשי מרות, mensurari digni, quippe quorum monstro similis sit proceritas: mensura etenim digna sunt ea, quæ vel maxime brevia, vel maxime porrecta sunt. E sequentibus intelligimus, grandibus hisce verbis giganteam populorum quorumdam Chanaanitidis staturam exaggerari.

℣. 34. MONSTRA QUÆDAM FILIORUM ENACH. Hebræus planius: *Vidimus gigantes filios Enach*; & brevius etiam Septuaginta: *Vidimus Gigantes*.

QUIBUS COMPARATI, QUASI LOCUSTÆ VIDEBAMUR; quod scilicet brevissima hominum manus, veluti nubecula locustarum videamur adversus illorum exercitum, qua numero, qua viribus immanem. Validum exercitum (3) nubi locustarum comparar interdum Scriptura. Ita copiæ Madianitarum in ditionem Israeliticam sese fundentes sub Judicibus, sub locustarum emblemate exhibentur. Isaias xl. 21. exaggerat granditatem illam Numinis, quod sub se homines respicit tamquam locustas. Moyses tandem in Deuteronomio 1. 28. verba hæc repetens, nonnisi multitudinis ac magnitudinis earum gentium meminit: *Maxima multitudo est nobis statura procerior*.

(1) Levit. xxvi. 35. (2) Num. xxi. 28. (3) Judic. vi. 7. & viii. 12.

CAPUT XIV.

Seditiosi populi sermones. Josue & Caleb frustra illos reprimere conantur. Deus eadem inferre in murmurantes tentat; sed Moysis precibus sedatur. Jurejurando Deus pronunciat, neminem, qui seditionis vel murmuris fuerit conscius, pedem in terram Promissionis laturum. Prælium Israelitarum in Chananæos & Amalecitas, Israelitis perniciosum.

℣. 1. IGitur vociferans omnis turba flevit nocte illa, 2. Et murmurati sunt contra
Moysen, & Aaron cuncti filii Israel, dicentes: 3. Utinam mortui essemus
in Ægypto: & in hac vasta solitudine utinam pereamus, & non inducat nos Domi-
nus in terram istam, ne cadamus gladio, & uxores, ac liberi nostri ducantur capti-
vi. Nonne melius est reverti in Ægyptum? 4. Dixeruntque alter ad alterum: Con-
stituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum. 5. Quo audito Moyses, & Aa-
ron, ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel. 6. At ve-
ro Josue filius Nun, & Caleb filius Jephone, qui & ipsi lustraverant terram, scide-
runt vestimenta sua, 7. Et ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt: Ter-
ra, quam circuivimus, valde bona est. 8. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos
in eam, & tradet humum lacte, & melle manantem. 9. Nolite rebelles esse con-
tra Dominum: neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem ita eos possu-
mus devorare: recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metue-
re. 10. Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, ap-
paruit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israel. 11. Et dixit Domi-
nus ad Moysen: Usquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi,
in omnibus signis, quæ feci coram eis? 12. Feriam igitur eos pestilentia, atque
consumam: te autem faciam principem super gentem magnam, & fortiorem, quam
hæc est. 13. Et ait Moyses ad Dominum: Ut audiant Ægyptii, de quorum medio
eduxisti populum istum, 14. Et habitatores terræ hujus, qui audierunt, quod tu,
Domine, in populo isto sis, & facie videaris ad faciem, & nubes tua protegat illos,
& in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem: 15.
Quod occideris tantam multitudinem quasi unum hominem, & dicant: 16. Non po-
terat introducere populum in terram, pro qua juraverat, idcirco occidit eos in soli-
tudi-

tudine. 17. Magnificetur ergo fortitudo Domini, sicut jurasti, dicens: 18. Dominus patiens, & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem, & scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata parrum in filios in rertiam, & quartam generationem. 19. Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum. 20. Dixitque Dominus: Dimisi juxta verbum tuum. 21. Vivo ego: & implebitur gloria Domini universa terra. 22. Attamen omnes homines, qui viderunt majestatem meam, & signa, quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, 23. Non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. 24. Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuivit: & semen ejus possidebit eam. 25. Quoniam Amalecites, & Chananæus habitant in vallibus. Cras movete castra, & revertimini in solitudinem per viam maris rubri. 26. Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens: 27. Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum Israel audivi. 28. Dic ergo eis: Vivo ego, air Dominus: sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. 29. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Omnes, qui numerati estis a viginti annis, & supra, & murmurastis contra me, 30. Non intrabitis terram, super quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, & Josue filium Nun. 31. Parvulos autem vestros, de quibus dixistis, quod prædæ hostibus forent, introducam: ut videant terram, quæ vobis displicuit. 32. Vestra cadavera jacebunt in solitudine. 33. Filii vestri erunr vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto, 34. Juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram: annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis ultionem meam: 35. Quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit adversum me: in solitudine hac deficiet, & morietur. 36. Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam terram, & qui reversi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ, quod esset mala, 37. Mortui sunt, atque percussi in conspectu Domini. 38. Josue autem filius Nun, & Caleb filius Jephone vixerunt ex omnibus, qui perrexerant ad considerandam terram. 39. Locutusque est Moyses universa verba hæc ad omnes filios Israel, & luxit populus nimis. 40. Et ecce mane primo surgentes ascenderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est, quia peccavimus. 41. Quibus Moyses: Cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum? 42. Nolite ascendere: non enim est Dominus vobiscum: ne corruatis coram inimicis vestris. 43. Amalecites, & Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corrueris, eo quod nolueritis acquiescere Domino, nec erit Dominus vobiscum. 44. At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem testamenti Domini, & Moyses non recesserunt de castris. 45. Descenditque Amalecites, & Chananæus, qui habitabat in monte: & percutiens eos, atque concidens, persecutus est eos usque Horma.

℣. 1. IGITUR VOCIFERANS OMNIS TURBA FLEVIT NOCTE ILLA. Hebræus varie accipitur (1): En Textus ad literam: *Et levavit se populus, & dedit voces, & fleverunt nocte*; idest, *vocem levavit, clamavit, ploravit*. Sensus est hic verborum pronior, qui ex aliis Scripturæ Textibus genuinus Hebræis esse colligitur (2). Aliter tamen interpretati sunt Septuaginta (3): *Omnis cœtus, his auditis, dedit vocem, & flevit*.

℣. 3. UTINAM MORTUI ESSEMUS IN ÆGYPTO; ET IN HAC VASTA SOLITUDINE UTINAM PEREAMUS. Hebræus (4), Septuaginta, Chaldæus, & plerique Interpretes eam ferme lectionem retinent: *Utinam mortui essemus in Ægypto, vel in hoc deserto utinam mortui essemus!* Sed vetera omnia Manuscripta (5), & pleraque Latina exemplaria ante correctionem Sixti V. summo consensu legunt: *Utinam mortui essemus in Ægypto, & non in hac vasta solitudine: Utinam pereamus!*

ET NON INDUCAT NOS DOMINUS IN TERRAM ISTAM, NE CADAMUS GLADIO. Quid nobis prodest, ut in hanc regionem veniamus, cum uxoribus & liberis pene omnibus perituri? Hebræi (6) & Chaldæi ac Septuaginta vis est major: *Cur duxit nos Dominus in terram istam, ut gladio pereamus?* Desperato quodam furore acti tribuere videntur Deo pravum illud consilium educendi ex Ægypto populum, specie quidem ut introduceret in Chanaani-

(1) ותשא כל העדה ויתנו את קולם

(2) Vide Genes. xxi. 16. xxix. 11. Exod. xxiii. 1. & Judic. 11. 4.

(3) Καὶ ἀναλαβοῦσα πᾶσα ἡ συναγωγὴ, ἔδωκε φωνήν, &c.

(4) לו מתנו בארץ מצרים או במדבר הזה לו מתנו

(5) Vide nov. edit. S. Hieron. tom. 1. p. 166.

(6) למה יהוה מביא אתנו ... לנפל בחרב

pœnitudem, re vero ipsa, ut exitio omnes perderet.

℣. 4. Constituamus nobis ducem; ductorem alium a Moyse, Regem, Principem, quo regamur. Hoc significare illos credunt nonnulli (1): *Constituamus nobis alium Deum, relinquamus eum qui nos eduxit ex Ægypto*. Alii reddunt Textum נתנו ראש *caput nostrum ponamus*, objiciamus discrimini vitam, & omnia nostra aleæ exponamus.

℣. 6. Sciderunt vestimenta sua, seu dolorem significantes, seu indignationem in seditiosum populi murmur, seu denique miserationem populi, qui præceps in mala ruebat. Porro scindere vestes in paribus rerum eventibus tam notum est in Scriptura, quam quid aliud.

℣. 7. Valde bona est. Verborum Textus vis est major; *Terra quam lustravimus, terra bona valde valde*.

℣. 9. Sicut panem, ista possumus eos devorare. Textus ad litteram (2): *Panis noster erunt*, Chaldæus: *Dominus dedit eos nobis*. Phrasis originalis proverbium sapit: Absumemus illos tam facile, tam prompte, tam avide, quam panem: vorabimus eos non resistentes. Narrans Psalmista impietatem, qua impii pauperes & imbecilliores opprimunt, eadem utitur phrasi (3): *Qui devorant plebem meam, sicut escam panis*. Græci usurpant (4). *Crudos vorare*.

Recessit ab eis omne præsidium. Hæc verborum phrasis totam explicat vim Originalis, qui fert (5): *Umbra eorum recessit desuper eis*. Porro Hebræis solemne est uti voce, *umbra mea* (6), ut exprimant opem, protectionem, auxilium. Septuaginta (7): *Recessit tempus ab eis*: tempori suo defuerunt: Rabbini dictum id volunt de Job viro sanctissimo, quo tunc decedente, ope omni sua & auxilio gentes illæ destitutæ sunt. Apage fabellas.

℣. 10. Cumque clamaret omnis multitudo, et lapidibus eos vellet opprimere. Hebræus, Chaldæus, Septuaginta habent tantum: *Et dixit omnis cœtus* (oportere) *obruere eos lapidibus*. Vel: Statuerunt illos conficere lapidibus; vel: Invitarunt sese: opprimamus illos lapidibus.

℣. 11. Usquequo detrahet mihi? Hebræus (8): *Usquequo spernet me populus iste?* irritabit me, injuria afficiet, in me blasphemabit?

℣. 12. Atque consumam. Varie reddi potest Hebræus: Pellam illos, evellam, redigam ad brevem hominum manum. Minas hasce cave eredas furoris aliquid in Numine indicare; neque enim commotionum est capax Deus: oracula sunt futurorum, ait Origenes.

℣. 13. Ut audiant Ægyptii . . . (℣. 14.) et habitatores terræ hujus. Verbis illis, *Habitatores terræ hujus discant qui audierunt &c.* designari possunt Arabes, quorum medium tenebant Hebræi: potius tamen spectari a Moyse credimus Chananæos, quorum occasione superiora omnia contigerunt. Porro Moyses exhibet Deo, ipsum gloriæ suæ discrimine eversionem populi susceptorum: ponit sub oculis gentes omnes, apud quas mali exitus Israelitarum fama ventura est, invidia Deum ipsum oneraturas, eique exprobraturas imbecillitatem, quippe qui datam fidem populo suo non liberaverit, eductosque ex Ægypto reliquerit illos manibus hostium, quibus ipse resistere non valuisset. Paulo aliter sonat Hebræus (9): *Et audient Ægyptii* [populi tui cædem] *quoniam ascendere fecisti in veritate tua populum istum ex interiori ejus, Et dicent ad habitatorem terræ hujus* [Chananæos], *qui audierunt, quoniam tu Domine in medio istius populi es, quod oculo in oculo* [coram, palam] *videris in Domine . . . dicent te fecisse mori populum istum, quasi virum unum*; idque ob imbecillitatem, qua promissam regionem tradere non potueris. Septuaginta satis congruunt cum Vulgata, sed paulo aliter ac nos hodie, Hebræum Textum illi legerunt.

℣. 15. Quasi unum hominem. Uno ictu, simul omnes; vel potius, juxta Vatablum, ne uno quidem superstite.

℣. 18. Patiens et multæ misericordiæ. De interpretatione hujus versiculi consule Exodum xxxiv. 6. 7. Septuaginta hic, quemadmodum & Textum illum Exodi, legerunt: *Misericors & verax*.

Nullum innoxium derelinques, Hebr. נקה לא ינקה *Innocentem habendo non habebis innocentem*; neminem insontem agnosces; seu potius, uti reddit in Exodo S. Hieronymus: *Nullus apud te per se innocens est*.

℣. 21. Vivo ego, et implebitur gloria Domini universa terra. Utique per me ipsum juro, per æternitatem meam, per vitam meam, futurum ut gloria mea totam impleat terram: hærebunt homines stupentes ad ultionem, quam exigam de populo meo terribilem: exeram justitiam meam ita, ut de gloria mea nihil decedat; omnes enim vel inviti potentiam meam agnoscent. Vertunt quidam: Deus vivens non dicar, nisi gloriam meam coram universo terrarum Orbe explicuero.

℣. 22. Tentaverunt me jam per decem vices. Decem ponitur sæpe in Scriptura pro numero majori, & indefinito. Jacob (10) decies illusum se a Labano queritur. Eam caritatem rerum inducturum se Deus in Israelem minitatur (11), ut decem mulierum coquendo pani unicus sufficiat clibanus. Confusum se decies ab amicis suis exprobrat illis Jobus (12). Plus roboris dabit Sapienti viro Sapientia, quam decem Principibus Urbis, ait Ecclesiastes, vii. 20. Frustra igitur quidam id sibi tribuunt negocii, ut decem tentationes Domini ab Hebræis recenseant. Primam statuunt ad mare rubrum (13), cum exercitus Pharaonis venit in conspectum; II. Ad Mara (14), ubi potabilibus aquis destituti sunt; III. In Deserto, cum mannam suffecit Deus (15); IV. Cum privati quidam mannam in alterum diem servarunt (16); V. Cum privati quidam iverunt eam collecturi die Sabbati (17); VI. In Raphidim cum Moyses eduxit aquas e silice (18); VII. In Horeb (19), cum aureum vitulum colendum exeerunt; VIII. In murmure ex lassitudine itineris in loco appellato *Incendio* (20). IX. Ad Sepulchra Concupiscentiæ (21); tandem X. in præsenti hac seditione. Sed hæc frustra omnia reputamus; si quis enim sedulo omnia investigaret tentationes, plures paucioresve quam decem facile recenseret. Decem maxime in odiosis usurpandum est pro numero indefinito, sed non infimo.

℣. 23. Non videbunt terram, pro qua juravi Patribus eorum. Constat utique, neminem murmuris hujus reum Terram promissionis adiisse. Sed vero propius autumaremus, non unos ex omnibus Caleb & Josue criminis illius innoxios sese continuisse. Reputat Origenes (22) Sacerdotes, & Le-

---

(1) Rabb. apud Drus. hic. (2) לחמנו הם Septuag. Κατάβρωμα ἡμῖν ἐστι. (3) Psalm. xiii. 4. (4) Ὠμοὺς κατεσθίειν. Homer. Iliad. Δ, 35. (5) סר צלם מעליהם (6) Judic. ix. 15. Psal. xvi. 8. xxxv. 8. xci. 1. cxxx. 5. Isai. xxx. 2. & passim. (7) Ἀφέστηκε ὁ καιρὸς ἀπ' αὐτῶν. (8) עד אנה ינאצני העם הזה Septuag. Ἕως τίνος παροξύνει με. (9) שמעו מצרים כי העלית בכחך את העם הזה מקרבו ואמרו אל יושב הארץ הזאת שמעו כי אתה יהוה בקרב העם (10) Genes. xxxi. 7. (11) Levit. xxvi. 26. (12) Job xix. 3. (13) Exod. xiv. 11. (14) Ibid. xv. 24. (15) Ibid. xvi. 2. 3. 4. (16) Ibid. ℣. 28. (17) ℣. 27. (18) Exod. xvii. 2. (19) Exod. xxxii. 1. 2. (20) Num. xi. 1. (21) Ibid. ℣. 18. (22) Origen. homil. 27. in Num.

& Levitas alienos fuisse a tentando Domino; quare a communi pœna evasisse intactos: nec sane ambigendum est, Eleazarum filium Aaronis in Terram promissionis venisse (1). Generali huic sententiæ certos quosdam exceptionis limites ponit Scriptura, cum ait ℣. 29. in possessionem Terræ neminem venturum eorum, *qui numerati estis a viginti annis & supra, & murmurastis contra me*. Quam multi ex mulieribus, pueris, Sacerdotibus ac Levitis viginti ætatis annis inferiores in eum censum relati non sunt? Quis credat, e sexcentis virorum millibus amplius neminem, nisi duos tantum, culpa murmuris vacasse? Compertum est utique, Salmonem, qui uxorem duxit Rahab, oculatum testem spectasse prodigia Domini: nihilo tamen secius pedem in Chananitidem tulisse. Quare cum Moyses hic ℣℣. 1. & 2. perhibet, Israelitas omnes extulisse murmur in Dominum, cumque deinde profitetur, neminem reum murmuris pedem illaturum in Terram promissionis; phrasis istæ omnes limitatione quadam exponendæ, juxta regulam illam traditam a S. Hieronymo (2): *Secundum eum Canonem, quem sæpe exposuimus Scripturarum, omnia non ad totam referenda esse, sed ad partem maximam.*

℣. 24. Qui .... sequutus est me. Hebræus ad literam ימלא אחרי *Implevit post me*. Chaldæus: *Perfecte secutus est timorem meum*. Vatablus: *Perfecte implevit voluntatem meam, secutus me*. Accepta est metaphora ab homine, qui ductoris sui vestigia omnia relegit. Id autem est hominis officium potissimum, ut Deum in omnibus sequatur.

℣. 25. Amalecites, et Chananæus habitant in vallibus. Jam alibi animadversum est, Amalecitas tenuisse montes, Terræ promissionis meridionales. Chananæorum nomen hic accipitur pro aliis omnibus gentibus ex posteris Chanaan, occupantibus angustias & fauces, unde aditus patebat in Regionem. Chananæi, qui nomine illo potissimum audiebant, tenebant portionem aliam regionis, uti jam supra ad caput xiii. 30. indicatum est.

Cras movete castra. Non sine veri specie putaremus, jussionibus hisce Moysis vel non paruisse illos, vel removisse quidem aliquanto longius a montibus castra, sed non deseruisse Cades barne, credimus enim eos per annum fere ibi substitisse.

℣. 33. Erunt vagi in deserto annis quadraginta. Hebræus ad literam יהיו רעים: *Erunt pastores*; agrestem agent vitam, nulla certa sede, ceu pastores ejus regionis. In terram non intulerunt pedem, nisi post annos xxxviii. & menses aliquot ab his minis; ab egressu vero ex Ægypto post annos quadraginta.

Donec consumantur cadavera patrum in deserto. Questi sunt, Terram Chanaan vorare incolas suos; damnantur a Deo, ut tamdiu errent in deserto, donec ibi corpora eorum absumantur.

℣. 34. Scietis ultionem meam. Hebræus variis sensibus subesse potest: ידעתם את תנואתי, Noveritis experimento, an vana ego minitatus sim. Vel: Discetis nullum esse posthac fœdus inter me, & vos, nullas communes utrique res. Vel: Quam alte ego improbem vestram agendi rationem; quantum ego abalienaverim me a vobis. Septuaginta (3): *Et cognoscetis furorem iræ meæ*. De æterna illorum salute ita judicat Sanctus Hieronymus (4): *Ex quo intelligimus, vivere eos, nec æternis suppliciis reservari, nec deletos esse de libro viventium, nec consumptos ante faciem Domini.*

℣. 37. Percussi in conspectu Domini. Sontes hosce ipsissimos credimus, quos Apostolus (5) interfectos perhibet gladio Angeli exterminatoris: & Judith viii. 25. ait *exterminatos esse ab exterminatore*. Alii dicta hæc referunt ad animadversionem de Core, Dathan, & Abiron exactam (6). Eo pariter relatum est quod legitur in Sapientia xviii. 25. Angelum nempe exterminatorem recepisse sese, cum cucurrit Aaron gerens thuribulum ad cohibendum impetum ignis. Tradit Philo (7), correptos illos fuisse λοιμώδει νόσῳ, pestilenti morbo; quod affinitatem habet cum relatis ℣. 12. ubi Deus in seditiosos hosce omnes peste animadversurum sese minitatur. Malunt alii (8), subito igne illos conflagrasse, vel repentina morte corruisse ante Tabernaculum. In memoriam rei gestæ, septimam diem sexti mensis esurialem habent Judæi.

℣. 44. At illi contenebrati. Sunt qui ita reddant Hebræum: ויעפלו לעלות, *impetu contenderunt ut ascenderent*: Vel: Pervicaciter institerunt ascendendo; vel ausi sunt ascendere. Septuaginta: Διαβιασάμενοι ἀνέβησαν, *transgredientes ascenderunt*. Vel ex Editione Romana, διαβιασάμενοι, *vim facientes ascenderunt*. In Deuteronom. i. 43. narrans Moyses quæ hac occasione gesta sunt, perhibet, Israelitas jussionibus Domini refractarios, & audacia tumentes ac fastu, montem ascendisse: *Tumentes superbia ascendisti &c.* Chaldæus reddit: *Impie egerant, ut ascenderent*. Vertendum ego quidem mallem: *Erexerunt sese superbia, & ascenderunt*: intolerabili audacia, & præsumptione ascenderunt: quod cum Deuteronomio congruit. Hebræum *Aphal* significat semper in rebus quidem naturalibus sublimem aliquem locum; in moralibus nihil aliud unquam indicare credo, quam elati cordis superbiam, & audaciam. Vide Michæam iv. Habacuc ii. 4.

Arca testamenti, et Moyses non recesserunt. Jungendus est facile Aaron cum filiis, Levitæ, Caleb, Josue, & religiosissimi nonnulli, ac æquissimi e populo.

℣. 45. Amalecites, et Chananæus, qui habitabat in monte. Valles ab iis gentibus frequentatas fuisse jam diximus ℣. 25. Sed reputare possemus, illos, cum imminere regioni suæ Israelitas spectarent, evasisse in eacumina montium, ut e superiori loco pugnarent commodius, atque impetu ruerent in illos, si intra angustias penetrare ausi fuissent. Samaritanus, & Septuaginta addunt in calce hujus capitis, Hebræos ab hostibus pulsos sese in castra recepisse.

Usque Horma. Urbs est satis proxima Arad, cui nomen Horma non prius inditum est, quam post votum ab Israelitis nuncupatum, de quo in Capite xxi. 3.

(1) Josue xiv. 1. (2) Hieron. ep. 146. ad Damas. (3) Γνώσεσθε τὸν θυμὸν τῆς ὀργῆς μου. (4) Hieron. in Ezech. xx. (5) 1. Cor. x. 10. (6) Num. xvi. per totum. (7) Philo l. 1. de vita Mos. (8) Barrad. Itiner. Israelit. l. 7. c. 10. Jansen. hic.

CA-

CAPUT XV.

Præscribit Deus quantitatem similæ & liquorum, quibus condienda sunt sacrificia animalium. Jubet dari Levitis primitias panis. Expiatio pro peccatis omissionis, & ignorantiæ, Colligens ligna die Sabbati punitur. Lacinia, & flocci in fimbriis, & ad angulos vestium.

℣. 1. LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad filios Israel, & di-
ces ad eos: Cum ingressi fueritis terram habitationis vestræ, quam ego da-
bo vobis. 3. Et feceritis oblationem Domino in holocaustum, ac victimam, vota
solventes, vel sponte offerentes munera, aut in solemnitatibus vestris adolentes odo-
rem suavitatis Domino, de bobus, sive de ovibus: 4. Offeret quicumque immola-
verit victimam, sacrificium similæ, decimam partem ephi, conspersæ oleo, quod men-
suram habebit quartam partem hin: 5. Et vinum ad liba fundenda ejusdem men-
suræ dabit in holocaustum, sive in victimam. Per agnos singulos, 6. Et arietes erit
sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin: 7.
Et vinum ad libamentum tertiæ partis ejusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis
Domino. 8. Quando vero de bobus feceris holocaustum, aut hostiam, ut impleas
votum, vel pacificas victimas, 9. Dabis per singulos boves similæ tres decimas con-
spersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin: 10. Et vinum ad liba fundenda
ejusdem mensuræ in oblationem suavissimi odoris Domino: 11. Sic facies 12 Per
singulos boves, & arietes, & agnos, & hœdos. 13. Tam indigenæ, quam peregri-
ni 14 Eodem ritu offerent sacrificia. 15. Unum præceptum erit, atque judicium
tam vobis, quam advenis terræ. 16. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
17. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: 18. Cum veneritis in terram, quam dabo
vobis, 19. Et comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino
20 De cibis vestris. Sicut de areis primitias separatis, 21. Ita & de pulmentis da-
bitis primitiva Domino. 22. Quod si per ignorantiam prætereritis quidquam horum,
quæ locutus est Dominus ad Moysen, 23. Et mandavit per eum ad vos, a die,
qua cœpit jubere, & ultra; 24. Oblitaque fuerit facere multitudo: offeret vitulum
de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, & sacrificium ejus, ac li-
ba, ut cæremoniæ postulant, hircumque pro peccato: 25. Et rogabit sacerdos pro
omni multitudine filiorum Israel; & dimittetur eis, quoniam non sponte peccaverunt,
nihilominus offerentes incensum Domino pro se, & pro peccato, atque errore suo:
26. Et dimittetur universæ plebi filiorum Israel, & advenis, qui peregrinantur inter
eos: quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam. 27. Quod si anima una ne-
sciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo: 28. Et deprecabitur
pro ea sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino, impetrabitque ei veniam,
& dimittetur illi. 29. Tam indigenis, quam advenis una lex erit omnium, qui pec-
caverint ignorantes. 30. Anima vero, quæ per superbiam aliquid omiserit, sive ci-
vis sit ille, sive peregrinus, (quoniam adversus Dominum rebellis fuit) peribit de
populo suo. 31. Verbum enim Domini contempsit, & præceptum illius fecit irri-
tum: idcirco delebitur, & portabit iniquitatem suam. 32. Factum est autem, cum
essent filii Israel in solitudine, & invenissent hominem colligantem ligna in die Sab-
bathi, 33. Obtulerunt eum Moysi, & Aaron, & universæ multitudini. 34. Qui
recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eos facere deberent. 35. Dixit-
que Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis
turba extra castra. 36. Cumque eduxissent eum foras, obruerunt eum lapidibus,
& mortuus est, sicut præceperat Dominus. 37. Dixit quoque Dominus ad Moy-
sen: 38. Loquere filiis Israel, & dices ad eos ut faciant sibi fimbrias per angulos
palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas; 39. Quas cum viderint, recorden-
tur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, & oculos per
res varias fornicantes, 40. Sed magis memores præceptorum Domini faciant ea,
sintque sancti Deo suo. 41. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra
Ægypti, ut essem Deus vester,

℣. 1. Locutus est Dominus ad Moysen. Qua occasione, & quo tempore ista contigerint, incertum. Ex ℣. 23. insinuari videtur, sub exitum itineris per desertum accidisse, cum dicatur, sermonem ibi esse de præceptis *a die, qua cœpit jubere* Deus *& ultra*; cumque hic etiam doceat non obscure, quas rogat sanctiones respicere tempus quietæ possessionis Terræ, ad quam proficiscebantur.

℣. 2. Cum ingressi fueritis terram habitationis vestræ. Inferunt ex hoc Textu Interpretes nonnulli (1), oblationes tam hic expressas, quam quæ in Levitico, oblatas nunquam fuisse in Deserto, sed latis ea de re Legibus tunc parere omnino cœpisse Israelitas, cum Terræ Chanaanitidis quieta possessio populo afferta est.

℣. 3. In holocaustum, aut victimam. Latina plura Exemplaria addunt, *Pacificam*; ac reipsa quidem agi hic de victimis pacificis, contextus ostendit; neque enim libationes in Sacrificiis pro peccatis privatorum offerebantur (2). Nomen victimæ pacificæ omnem suam latitudinem hic retinet, ut sit etiam pro victimis eucharisticis, ac pro iis, quæ ad aliquid a Deo impetrandum, sive ad liberandam fidem voti offerebantur.

℣. 5. In victimam, per agnos singulos [℣. 6.] et arietes, erit sacrificium similæ duarum decimarum. Sedulo distinguenda sunt ea, quæ offerebantur in Sacrificiis agnorum, & quæ in sacris arietum. Prioribus illis assignatum est assaron similæ [tres pintæ circiter], & olei quarta pars hin, ac vini tantumdem, ob libamina super Sacrificia. Quadrans hin capit pintam, pintæ quadrantem, & quinque digitos cubicos circiter.

Verum Sacrificia arietum geminos assarones, vel duas decimas ephi e simila exigebant, olei tertiam partem hin, & vini tantumdem. Quantitas similæ, & liquorum augebatur pro victimæ magnitudine. Liquorum ejusmodi pars fundebatur super portionem illam similæ, quæ in ignem Altaris projicienda erat; reliquum similæ & liquorum cedebat Sacerdoti.

℣. 11. &c. 15. Sic facies per singulos boves, et arietes, et agnos. Author Vulgatæ contraxit ea, quæ multo fusius exprimuntur in Textu hujus versiculi, & sequentium; nihil tamen omittens, quod sententiæ integritas posceret. Igitur ita sonat Versio literalis versiculorum 11. 12. 13. 14. 15. *Sic fiet pro bove uno, vel vervece uno, vel pecude in agnis vel in capris.* [12.] *Secundum numerum quem facietis, sic facietis* [libationes] *uni secundum numerum eorum.* [13] *Omnis indigena faciet sic istud, offerens ea ut comburantur in odorem quietis Domino.* [14] *Et cum peregrinatus fuerit vobiscum peregrinus, qui vel fuerit in medio vestri olim in generationibus vestris, & fecerit ignitionem odoris quietis Domino, quemadmodum facietis, faciet.* [15] *O Congregatio! unum statutum vobis & peregrino peregrinanti; statutum sæculi in generationes vestras; sicut vos, sic peregrinus erit coram Domino. Lex una & judicium unum erit vobis, & peregrino peregrinanti vobiscum.*

Advenæ, de quibus hic, ipsi sunt Proselyti Justitiæ, alieni quidem a genere Abrahami, sed Judaicam Religionem profitentes; nemini enim alterius Religionis advenæ fas erat offerre Domino Sacrificia, nisi holocausta omnibus libationibus destituta. Vide quæ contulimus ad Levitici XII. 25.

℣. 19. & 20. Separabitis primitias Domino de cibis vestris. Hebræus (3): *Elevabitis elevationem Domino, primitias conspersionum vestrarum.* Septuaginta (4): *separabitis separationem Domino, primitias conspersionis vestræ.* Cum farinam redegissent in massam, portionem pro Sacerdotibus seligebant, seu oblationem Domino sistendam. Vis Textus Originalis ferre videtur, elevari consuevisse oblationes illas eodem ritu ac elevabantur manipuli, vel primitiæ in Festis Paschatis, & Pentecostes (5). Id autem confirmat versiculus 21. Illæ panum primitiæ cedebant Sacerdoti, vel Levitæ ibi versanti, ubi panis coquebatur; quorum si nemo ibi occurrisset, projiciebatur portio illa in ignem, vel in clibanum, penitus absumenda, utpote quæ pars esset Domino destinata. Id saltem receptum est apud Judæos nostræ ætatis, in locis, ubi versantur, cum apud illos sit nemo, qui genus referre Sacerdotale, vel ex Tribu Levi apertis documentis evincere possit.

Quantitatem panis in primitias segregandam Lex nulla determinat; sed mos, & traditio, ait S. Hieronymus (6), statuit medius massæ, quæ subigitur, quadragesimam ut summum, vel minimum sexagesimam. Non satis constat ex Textu, num oblationes illæ toties exigerentur, quoties farina in panes subigebatur, vel semel tantum, cum e novo tritico conficiendus erat panis. Sed ex Philone (7) intelligimus, ætate illius toties segregatum fuisse aliquid Domino, quoties Judæi panem subigebant; nec ab his moribus hodie pariter recessere. Porro hæc hodie a Judæis servari Leo Modena (8) testatur. Cum farinæ massa subigitur, magnitudine saltem quadraginta ovorum, ex ea massa modica portio decerpitur, formanda in placentulam, quæ loco sit primitiarum in lege præscriptarum. Olim quidem mos obtinuerat, ut placentula hæc cederet Sacerdoti; modo vero projicitur in ignem, vel penitus absumenda relinquitur in clibano. Est autem hoc unum e tribus præceptis, quæ fœminis imperantur, quippe quarum sit munus farinam ad panem subigere. Cum portionem hanc in clibanum, vel in ignem projiciunt, hanc precandi formulam recitant (9): *Benedictus sis, Domine Deus noster, qui præceptis tuis sanctificasti nos, & jussisti separare nos placentulas e nostra massa.* Docet Josephus Francus (10), hujus præcepti legem non cogere nisi in Terra promissionis; cæterum Judæos sumere e tota massa, tribus & quadraginta ovis, quintaque insuper ovi parte non minori, portionem magnitudine olivæ, atque igni committere. Contendunt Rabbini, in iis locis, ubi primitiarum solutio nulla indicta est, dati oportere saltem portionem quartam & vigesimam totius massæ, & pistores saltem quadragesimam octavam debere. Sed pistores hujus legis sanctione obstrictos fuisse vix credo.

℣. 20. & 21. Sicut de area primitias separatis; ita et de pulmentis dabitis primitiva Domino. Hebræum חלה *chala*, quod hic redditur pulmentum, ad literæ rigorem sonat placentam. Septuaginta reddunt *panem* vel ex pane. En totum Textum cum præcedentibus conjunctum, juxta Hebræum: *Principium conspersionum vestrarum, placentam elevabitis elevationem; juxta elevationem areæ, sic facietis eam. De principio conspersionum vestrarum dabitis Domino elevationem, in generationes vestras.* Igitur primitiæ istæ eadem offerebantur lege, ac ex area primitiæ, idest frumentum, vel e novo frumento manipuli, qui Templo sistebantur. Sed non satis aperte ex litera intelligimus, utrum eodem ritu geminæ istæ oblationes ferendæ essent, cum præsertim primitiæ e massa, quæ subigebatur, in privatis ædibus offerrentur, & primitiæ frumenti solemni ritu in Templum deferrentur.

℣. 22. Quod si per ignorantiam præterieritis quidquam eorum, quæ locutus est Dominus. Pec-

(1) Tostat. Jansen. Cornel. Olcast. (2) Vide Levit. II. & V. Et hic ℣. 28. (3) תרימו תרומה ליהוה ראשית עריסתכם (4) Ἀφελεῖτε ἀφαίρεμα τῷ Κυρίῳ, ἀπαρχὴν φυράματος ὑμῶν ἄρτον. (5) Vide ad Levit. XXIII. 10. (6) Hieron. cap. XLV. Ezech. (7) Philo de præmiis sacerdot. (8) Leo Modena de cærem. Jud. parte 2. c. 9. (9) Apud Fagium. (10) Francus, Num. 338. apud Cleric. hic.

Peccata ignorantiæ hic utique alia designantur ac quæ in Levitico IV. victimæ enim pro horum expiatione decretæ nihil habent cum illis commune. In Levitico IV. 13. 14. victima expians crimen ignorantiæ totius populi vitulus seligitur, cremandus extra castra, postquam haustus ex illo sanguis oblatus fuerit Domino: hic autem ad amovendum crimen ignorantiæ totius populi decernitur vitulus in holocaustum, & hircus pro peccato. Verum quodnam est inter duo ista discrimen? Ut illud ostendant, committuntur inter se Interpretes. Peccatum ignorantiæ, de quo in Levitico, delictum esse, quod vocant, commissionis videtur. *Si omnis turba Israel*, decernit ibi Moyses, *ignoraverit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est.* Hic autem res est de peccato omissionis sei alicujus præcepti: *Si per ignorantiam prætérieritis quidquam horum quæ locutus est Dominus ad Moysem.* Si populus universus e. g. imprudens neglexerit comedere agnum Paschalem eo ritu, qui in lege præscribitur, tunc utique inducitur crimen ignorationis, vel omissionis, de quo in præsenti. Si vero imprudens comederit suffocatum, vel carnem cruore adhuc manantem, reus erit statim commissi criminis, actionis vetitæ a lege, atque ignorantiam hanc suam eo ritu expiabit, de quo in Levitico.

Hunc Textum vulgo exponunt Hebræi (1) de peccatis ignorantiæ, pertinentibus ad cultum alienum vel Idololatricum, juxta vim legis ita sancientis (2): *Cum erraveritis, & non feceritis omnia præcepta ista.* Idololatria, inquiunt illi, omnia simul peccata complectens, sola hic vetatur. Id autem criminis initio & ignoranti obrepere potest, tum scilicet cum puer aliquis in captivitate crimen illud imprudens committit, imprudens, inquam, cum non doceatur legem Dei, quæ cultum alienum æque omnem vetat. Ita pariter si senex aliquis ibi degens, ubi regnat Idololatria, imbecillitate & ignoratione deduci se sinit in crimen; illis præscriptum est, ut criminis expiationem eam patent, quæ hic injungitur. Sed Moyses conceptis verbis agit hic de peccatis totius populi; vix autem putamus fieri posse, ut universus late populus ignoratione quadam id criminum genus admittat.

Censet Outramus (3), datam in Levitico legem spectare delicta ignorationis universi populi in præcepta negantia, ita tamen ut religio Domini retineretur, hic autem decerni expiationem criminis, quo se obstringit universus populus, cum patrias leges oblitus, alieni cultus laqueis nectitur. Opinionem hanc suam fulcit ex iis, quæ sub Ezechia accidisse narrantur. Agitans ille consilium reparandi mala sub Achaz patre suo commissa in religionem, cum scilicet cultus Idololatricus in omnes urbes Juda & in ipsum Templum Jerosolymitanum illatum est, coacto universo populo, & Sacerdotibus in Templum (4), statui jussit immolandos in expiationem criminum septem tauros, septem arietes, ac septem agnos, & hircos totidem. Hircis coram positis Rex & Optimates imposuerunt manus suas, crimina interim fatentes; tum immolatis victimis illis, sanguis super aram effusus est. Plus aliquid adjecit Ezechias, quam quod lex præcipit de numero victimarum; sed ipsas easdem immolavit, quas Moyses imperavit, non eas tantum, quæ in Levitico præscriptæ sunt. Post solutam captivitatem (5), ad expiandum populum e criminibus omnibus in alieno solo commissis, oblati sunt in holocaustum duodecim vituli, sex ac oonaginta arietes, & sexaginta septem agni; ad hæc, duodecim arietes pro peccato.

Docti quidam Scriptores Commentariorum (6) censent, suppleri hic a Moyse, quæ non satis expressa sunt in Levitico. Recenset hic holocaustum, de quo nunquam alias. Sed in hac expositione nonnihil est difficultatis; quamvis enim ultro dateremus, offerri geminos vitulos, alterum in holocaustum, alterum pro peccato, ex iis unum cremari in Altari, alterum extra castra; frustra præceptum videretur adhuc sacrificium hirci pro peccato, quod hic tamen præscriptum est: quare nostra quidem sententia retinenda videtur eorum opinio (7), qui putant, in Levitico rem esse de delictis ignorantiæ, quæ universo simul populo obrepsere; hic autem de peccato unius vel alterius privatæ Tribus: quare totidem jubentur offerri vituli, quot erant Tribus expiandæ, juxta Hebræos.

℣. 23. A DIE QUA CŒPIT JUBERE, ET ULTRA. Si Moyses Librum hunc scripsit sub exitum vitæ, quod verisimillimum reputamus, generalibus hisce verbis complecti poterat præcepta æque omnia a Deo constituta Israelitis, & Moysis ore promulgata. Ita vero Textus reddi potest (8): *A die qua cœpit Dominus vobis præcipere, ulterius in generationes vestras.*

℣. 25. NIHILOMINUS OFFERENTES INCENSUM DOMINO. Commode hæc accipiuntur sive de vitulo oblato in holocaustum, sive de oblationibus farinæ & liquorum, Sacrificiis animalium semper accedentibus, non vero de ariete pro peccato. Ita enim præfert Hebræus (9): *Et ipsi adducent oblationem suam [Korbana] ignitionem Domino, & peccatum suum coram Domino super errore suo.*

℣. 30. ANIMA QUÆ PER SUPERBIAM ALIQUID COMMISERIT. Hebræus: Anima quæ fecerit (peccatum) in manu excelsa ביד רמה. Septuaginta: [illegible], *in manu superbiæ*. Chaldæus: *Aperto capite*, sine pudore, metu nullo, audacter, superbe. Docent Hebræi (10), ut pœnam mortis quis mereatur hic præscriptam in transgressores, negandum fuisse pervicaciter, Deum authorem esse Legis, idque palam dicendum, libere, audacter, superbe, de industria, spretis antea monentium vocibus, ne quid simile palam loqueretur; frontem denique in Deum ipsum superbe tollendam. Quorsum vero tam multæ exceptiones? Reddi posset Textus את יהוה הוא מגדף *Dominum blasphemavit*, seu *probris affecit*. Vel juxta Septuaginta: *Irritavit*. Illud est criminum ejusmodi ingenium, ut inferant Dei, & legum ipsius contemptum, & maculam, nonnisi sonris supplicio expiandam.

PERIBIT DE POPULO SUO. Deus ipse per se exiget ultionem, si segniores se præstiterint Judices & Magistratus. Decernunt Hebræi, horum criminum ultionem expetere privatis æque omnibus jus esse, si forte crimen ipsis præsentibus committatur, nn expectata quidem Judicis sententia. Ita Phinees necem intulit Zambri (11); Mathathias pater Macchabæorum Judæum ad immolandum Idolis pergentem transfodit (12). Sunt qui legem hujus capitis definiendam velint ad unum crimen Idololatriæ; sed præstat accipere de violationibus legis æque omnibus, quibus sceleris accessio fiat ex pravo exemplo & contemptu. Præter extremum supplicium, quo in sontem animadvertebatur, tradit Maimonides, bona ejus omnia devoveri anathemati, & igni. Non satis compertum est ex Textu, neque ex Rabbinis utrum legis hujus sanctioni advenæ omnes obnoxii essent, qua Proselyti Justitiæ, qua Proselyti Domieilii (13).

(1) Hebr. apud Selden. de jure natur. & gent. l. 2. c. 11. (2) כי תשגו ולא תעשו את כל המצות האלה (3) Outram. de sacrif. l. 1. c. 14. (4) 1. Par. XXIX. 21. 22. 23. 24. (5) 1. Esdr. VIII. 35. (6) Tostat. Bonfr. Jansen. (7) Ainsw. Piscat. Hebr. &c. (8) מן היום אשר צוה יהוה והלאה לדרתיכם (9) והם הביאו את קרבנם אשה ליהוה וחטאתם לפני יהוה על שגגתם (10) Abarbanel. Maimonid. apud Grot. & Selden. (11) Num. XXV. 7. (12) Macchab. II. 23. 24. (13) Vide Selden. l. 2. cap. 11. de jure nat. & gent.

℣. 32. FACTUM EST AUTEM, CUM ESSENT FILII ISRAEL IN SOLITUDINE, ET INVENISSENT HOMINEM COLLIGENTEM LIGNA DIE SABBATI. Cum hæc evenere, perseverabant adhuc Israelitæ in Deserto Pharao, ad Cades-barne; vel forte hæc narratio ceu data occasione hic describitur, ut exemplo quodam demonstraretur peccatum pravo exemplo & nequitia gravissimum, ac severa illa, qua mulctatum est, animadversio. Sunt tandem qui reputent, hanc violatæ Religionis Sabbati transgressionem causam dedisse Legi jam relatæ. Ita profecto accidit, ut in rebus obscuris & incertis, conjecturis conjecturæ nectantur in infinitum.

Docent Hebræorum Doctores, hominem illum colligentem ligna die Sabbati, ipsum fuisse Salphaad, de quo infra XXVII. 3. scriptum est: *Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione . . . . Core, sed in peccato suo mortuus est.* Doctoribus tamen aliis merito displicet irrogata hæc injuria nomini Salphaad, cui nihil aliud exprobrat Scriptura, nisi quod obierit in deserto, ubi Israelitæ cæteri murmuris in Dominum rei perierunt. Oggerunt etiam nobis Judæi, (1) hanc rem contigisse secunda die Sabbati, ex quo egerunt in solitudine: virum hunc præmonitum antea fuisse, ne colligeret ligna die Sabbati; tandem deprehensum in crimine a viris in eam rem destinatis a Moyse, juste extremo supplicio adjudicatum fuisse, ex legis sanctione. Adjuncta hæc omnia suspecta nobis reputantur.

Quamquam Lex jubet damnari morte eos, qui die Sabbati operis aliquid faciebant; optimum tamen factu censuit Moyses, ut nihil moliretur, nisi consultu prius Domino: sive scilicet quod Deus satis aperte mentem suam de genere mortis, quo delictum illud expiandum erat, non aperuisset; sive quod factum illud hominis circumstantias referret aliquas, quæ criminis culpam sive augerent sive minuerent. Id non docet Scriptura.

℣. 38. UT FACIANT SIBI FIMBRIAS PER ANGULOS PALLIORUM, PONENTES IN EIS VITTAS HYACINTHINAS. Ita hic Textus sonat ad literam (2); *Facient sibi fimbriam* [zizit] *super alis vestimentorum suorum per generationes suas, & dabunt super fimbria alæ filum* [vittam] *hyacinthi*. Quas hic Textus appellat *alas vestium*, anguli sunt pallii; neque enim fimbriæ adduntur tunicis. Ipse per se Moyses hujus Textus obscuritatem illustrat; decernit enim in Deuteronomio XXII. 12. *Funiculos* (גדילים *Gedilim*) *in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui*. Quæ verba demonstrant primum, ornamenta hæc accessisse pallio vesti quadratæ; II. funiculos hosce seu vittas hyacinthinas, de quibus hic, pependisse e quatuor angulis hujus vestis. Ex his autem certo inferas, fimbriam quamdam seu ornamentum extremam oram pallii ambiisse; e quatuor vero ejus angulis pependisse floccolos hyacinthinos. Ea fimbria ipse pariter Dominus noster pallium suum ornaverat, narrante Matthæo IX. 20. fœminam hæmorroissam dixisse: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Paribus utebantur Pharisæi omnes, & Judæi: sed Pharisæi fimbrias ampliores affectabant, ut vana ea religionis specie inter reliquum vulgus distinguerentur: eoque nomine Jesus Christus, nihil veritus hominum authoritatem, acrioribus eos verbis castigavit. Addit S. Hieronymus (3), illos, ut austerioris vitæ specie credulos fallerent, spinas addidisse fimbriis, ut gradiendi motu vibratæ crura vulnerarent, eoque doloris sensu excitata mens de Lege Dei cogitaret.

Morem illum fimbrias vestium ornandi coloratis laciniis, Phœnicibus æque ac Hebræis usu probatum fuisse crediderim. Virgilius de pallio Phœnicum Æneidos IV.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Quid modo ferat Judæorum consuetudo, audi Leonem Modena, & Buxtorfium: Ne vestium singularitate ludibrio volgi exponantur, satis habent interius sub vestibus indui geminato panni frustulo, quadrato, cujus una pars anterius ad pectus, altera vero post humeros pendet. Ambas eas partes jungunt inter se vittæ in utrumque humerum delatæ. E quatuor angulis panniculi quadrati demittuntur totidem flocci ex octo filis lanæ, ad hunc singularem usum ductæ ad colum; singulis autem filis quinque sunt nodi mediam eorum longitudinem occupantes; quod vero a nodis excurrit liberum, in tenuissima dissiliens fila, floccum refert. Brevem hanc vestem intus latentem semper gerunt: cum vero in Synagogis orant, operiunt se velo quodam laneo, quadrato, iisdem floccis ad quatuor angulos ornato.

Colorem laciniæ, secundum fimbriam pallii excurrentis, nullum determinat Moyses, id facile delectui singulorum permittens. Purpureum exigi affirmat S. Justinus in Dialogo; nec facile aliud ferebat mos Judæorum ejus ætatis; sicut & apud alias gentes obtinebat limbus purpureus in vestibus.

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura.

℣. 39. ET OCULOS PER RES VARIAS FORNICANTES. Quæ libertas sensibus & maxime oculis permittitur, evagationem mentis inducit, & cor insuper præparat, ut illecebris rerum sensibilium, quarum sentit impressionem, trahendum se permittat. Evagatio autem & curiositas cupiditatem voluptatis excitat, atque officiorum suorum oblivionem parit; semel autem seductum cor, citissime ex amore creaturarum ad Idololatriam, & ad rerum divinarum contemptum transit.

---

[1] Vide Selden. de Synedriis l. 2. c. 1. art. 8.

[2] ועשו להם ציצית על כנפי בגדיהם לדרתם ונתנו על ציצית הכנף פתיל תכלת

[3] Hieron. in Matth. XXIII.

CAPUT XVI.

Defectio Core, Dathan & Abiron; Terribilis in eos animadversio. Murmur populi. Subito igne absumuntur quatuordecim millia hominum & sexcenti. Incendium cohibet Aaron.

℣. 1. ECce autem Core filius Isaar, filii Caath, filii Levi, & Dathan, atque
Abiron filii Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben, 2. surrexerunt contra Moysen, aliique filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, & qui tempore concilii per nomina vocabantur.
3. Cumque stetissent adversus

versus Moysen, & Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: Cur elevamini super populum Domini? 4. Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem: 5. Locutusque ad Core, & ad omnem multitudinem: Mane, inquit, notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi: & quos elegerit, appropinquabunt ei. 6. Hoc igitur facite: Tollat unusquisque thuribula sua, tu Core, & omne concilium tuum: 7. Et hausto cras igne, ponite desuper thymiama coram Domino: & quemcunque elegerit, ipse erit sanctus: multum erigimini filii Levi. 8. Dixitque rursum ad Core: Audite, filii Levi: 9. Num parum vobis est, quod separavit vos Deus Israel ab omni populo, & junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei? 10. Idcirco ad se fecit accedere te, & omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vindicetis, 11. Et omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron, ut murmuretis contra eum? 12. Misit ergo Moyses, ut vocaret Dathan, & Abiron filios Eliab. Qui responderunt: Non venimus. 13. Numquid parum est tibi, quod eduxisti nos de terra, quæ lacte, & melle manabat, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri? 14. Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis, & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum, & vinearum, an & oculos nostros vis eruere? non venimus. 15. Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum: tu scis, quod ne asellum quidem umquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. 16. Dixitque ad Core: Tu, & omnis congregatio tua state seorsum coram Domino, & Aaron die crastino separatim. 17. Tollite singuli thuribula vestra, & ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula: Aaron quoque teneat thuribulum suum. 18. Quod cum fecissent, stantibus Moyse, & Aaron, 19. Et coacervassent adversum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini. 20. Locutusque Dominus ad Moysen, & Aaron ait: 21. Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. 22. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet? 23. Et ait Dominus ad Moysen: 24. Præcipe universo populo, ut separetur a tabernaculis Core, & Dathan, & Abiron. 25 Surrexitque Moyses, & abiit ad Dathan, & Abiron & sequentibus cum senioribus Israel, 26. Dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. 27. Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan, & Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus & liberis, omnique frequentia, 28. Et ait Moyses: In hoc scietis, quod Dominus miserit me, ut facerem uni ersa, quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: 29. Si consueta hominum morte interierint, & visitaverit eos plaga, qua & cæteri visitari solent: non misit me Dominus: 30. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia, quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis, quod blasphemaverint Dominum. 31. Confestim igitur, ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum; 32. Et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum, 33. Descenderuntque vivi in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. 34. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne forte & nos terra deglutiat. 35. Sed & ignis egressus a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. 36. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 37. Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti, ut tollat thuribula, quæ jacent in incendio, & ignem huc, illucque dispergat: quoniam sanctificata sunt. 38. In mortibus peccatorum: producatque ea in laminas, & affigat altari, eo quod oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata sunt, ut cernant ea pro signo, & monumento filii Israel. 39. Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi, quos incendium devoravit, & produxit eas in laminas, affigens altari: 40. Ut haberent postea filii Israel, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core, & omnis congregatio ejus, loquente Domino ad Moysen. 41. Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen, & Aaron, dicens: Vos interfe-

terfecistis populum Domini. 42. Cumque oriretur seditio, & tumultus increscerer, 43. Moyses, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini, 44. Dixitque Dominus ad Moysen: 45. Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque jacerent in terra, 46. Dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis; jam enim egressa est ira a Domino, & plaga desævit. 47. Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama; 48. Et stans inter mortuos, ac viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit. 49. Fuerunt autem, qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum, & septingenti, absque his, qui perierant in seditione Core. 50. Reversusque est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi fœderis postquam quievit interitus.

℣. 1. ECCE AUTEM CORE FILIUS ISAAR, seditionem molitus est in Moysem & in Aaronem, qua non modo Dathan, Abiron, & Hon, sed & CCL. e viris principibus Israelis obvolvit. Textus Hebræus legit: ויקח קרח *Et Core filius Isaar cœpit Datham & Abiron* . . . [℣. 2.] *Et surrexerunt in Moysem:* Vel juxta alios: *Cœpit Core*, respondit. Ita Textum interpretati sunt Septuaginta, reddentes: Καὶ ἐλάλησε Κορὲ, *Locutus est Core; & insurrexerunt contra Moysem*. Veluti si hac occasione, qua Moyses verba faciebat ad populum, conjurari dicentem intercepissent, querentes de authoritate, quam ille sibi arrogaverat in ipsos. Chaldæus: *Divisus est Core*, segregavit se. Syriacus: *Dissedit*, deseruit, recessit a cœtu, & convenit Moysem; vel potius segregavit se a reliquo populo, conspirationem formaturus.

℣. 2. SURREXERUNT CONTRA MOYSEM. Textus ad literam (1): *Surrexerunt coram Moyse*. Tumultuantes illum convenerunt. Quo tempore ac loco hæc acciderint, ignoramus. Sunt qui (2) componant cum statione ad Sinai, paulo post erectum Tabernaculum. Nostram conjecturam proposuimus ad Deuteronomii x. 8. qua res gesta statuitur forte ad *Jetebata*. Porro defectionis hujus duces se præbuerunt viri Principes e Tribubus Ruben & Levi, inique ferentes, Aaronem & Moysem supremam omnem dignitatem Reipublicæ in se derivasse: Moyses enim despoticum habebat politicum regimen; in Aaronem collata fuerat suprema sacrificandi dignitas, qua simul apud Deum habebatur ceu Princeps Sacerdotum omnium seu Levitarum, & in rebus Religionis arbiter unicus & supremus. Core, non secus ac illi, vir erat e Tribu Levi, & ex eadem satus familia; utriusque enim parentes, Amram Aaronis, & Isaar Core, gemini erant liberi ejusdem Caath, filii Levi. In familia sua Core jus majoris natu, & roboris supra cæteros majoris prærogativam obtinebat, adeo ingentem, ut nihil familiæ Aaronicæ concederet. Contendebat igitur, cum jus Sacerdotii privilegium esset Tribus Levi, ad se non minus quam ad Aaronem pertinere. Querebatur, Moysem & Aaronem una veluti conspiratione inter se divisisse prærogativas omnes, quas fratribus suis communes esse par erat: ad hæc, ambitioni suæ obsecundaturos, potissimas familias Tribus Levi coegisse veluti in servitium Aaronis & filiorum ipsius. Has causas seditionis suæ Core prætendebat.

Dathan, Abiron, & Hon nepotes erant ex filio Ruben, filii natu majoris Jacob. Nec operosum fuit Core viros illos in suas partes pertrahere, dum insusurraret, Moysem regimen omne populi in se derivasse, usurpato privilegio, quod jure vetustatis illorum Tribui debebatur. Reipsa quidem ex contextu hujus historiæ (3) docemur, tres illos conjuratos aliud voluisse quam Sacerdotium. Abstinuerunt illi ab eo cœtu, ubi adfuit Core cum manu CCL. conjuratorum, vim Aaroni illaturus. Animadvertere juvat, familiam Caath, ad quam pertinebat Core, castra tenuisse proxima Tribui Ruben; quæ loci propinquitas commoda fuisse maxime reputanda est, ut consilia utrinque communicarent, atque in Moysem seditionem crearent.

Hæc brevibus verbis totius rei gestæ historia est. Core cum electa CCL. conjurantium Levitarum manu convenit Moysem & Aaronem, expostulavitque, inique illos arrogasse sibi supremum qua sacrum, qua civile gentis suæ regimen, ut nihil reliquis permitterent. Moyses nihil se injussu Dei molitum fuisse respondit: si cui autem dolendum esset de rebus ita constitutis, id potius tolerandum fuisse in alia Tribu, quam in Levitica, quæ dignitatibus, Dei beneficio, distincta esset amplissimis. Proposuit tandem, ut mane alterius diei sisterent se præ foribus Tabernaculi, cum suis thuribulis singuli; futurum enim spondebat, ut Deus voluntatem suam de delectu ministrorum suorum palam demonstraret: simul autem misit evocaturus ad locum Dathan & Abiron, qui recusarunt.

Mane alterius diei, conjurati steterunt ad Tabernaculum: continuo nubes descendit, conceptisque verbis insonuit vox, imperans Moysi & Aaroni, reciperent se e medio cœtus illius, futurum enim ut omnes interirent. Tum Moyses & Aaron dejecto in terram ore veniam populo supplices rogarunt. Dominus edixit Israelitis, segregarent se a seditiosis, ac removerentur a tentoriis Core, Dathan, & Abiron. Statimque hiscens terra voravit uno haustu & conjuratorum tentoria simul omnia, & eos, qui forte in illis versabantur. Filii Core, qui caute secesserant, communem suorum exitium evaserunt; seditionis Core conscios CCL. Levitas ignis e Tabernaculo subito erumpens corripuit (4).

℣. 2. PROCERES SYNAGOGÆ, QUI TEMPORE CONCILII PER NOMINA VOCABANTUR. Hebræus (5): *Principes cœtus, viri nominis*; Viri in Tribubus suis principes, in reliquo populo amplissimi, noti in cœtibus, quo vocabantur nomine suo appellati; seu qui inter cæteros consulebantur: tandem viri celebres, clari nominis (6), secreti plane a vulgaribus, quorum sunt nomina, fama, & dotes obscuræ (7), quosque *Sine nomine plebem appellat* Virgilius nono Æneidos. Septuaginta (8): *Senatores consilii, & viri nominati*. Occurrit interdum in Scriptura nomen *Vocati*, ceu titulus dignitatis. In Proverbiis IX. 18. *Ibi sunt* [in Inferno], *Gigantes, & in profundis Inferni convivæ ejus* [*Vocati ejus*]. Ezechiel XXIII. 23. *Suscitabo contra* se

[1] ויקמו לפני משה [2] Tost. Cornel. a Lapide. [3] Vide ℣. 18. & 25. [4] Num. XXVI. 11. [5] נשיאי עדה קריאי מועד אנשי שם [6] Genes. XVI. 4. *Viri famosi*; Heb. *Viri nominis*. [7] Job XXX. 8. *Filii stultorum & ignobilium*. Heb. *Sine nomine*. [8] Ἀρχηγοὶ συναγωγῆς, σύγκλητοι βουλῆς, καὶ ἄνδρες ὀνομαστοί. *Principes principum, & nominatos*.

se [popule meus] *Principes Tribuum, & nominatos* שלישים וקרואים Babyloniorum. Scite vox hæc, mea quidem sententia, redderetur: *Viri a consiliis*, vel *Senatores*; potius quam quod redditum est: *Qui tempore concilii per nomine vocabuntur*. Creditur Hon deseruisse partes seditiosorum; neque enim in reliqua hac historia ulterius apparet.

℣. 3. SUFFICIAT VOBIS, QUIA OMNIS MULTITUDO SANCTORUM EST. Cur vos supra cæteros efferre audetis, tamquam morum sanctitate & puritate dignissimos? Nonne & illi perinde ac tu & Aaron Sacerdotio sunt digni? Hebræus ad literam (1): *Multum est vobis, quia omnis multitudo universi sunt Sancti*. Satis sit vobis tamdiu primam dignitatem gessisse: nonne cœtus omnis est sanctus? Cur super illum erigimini? vel potius: Nimium hoc est: satis diu sustinuimus vestram dominatiooem: populus æque ac vos Dei sumus: cur igitur subditos adhuc retinetis? Cum autem cœtum omnem sanctum esse ajunt, designant, ambos se æque munere Sacerdotali dignos esse, uti e sequentibus demonstratur.

℣. 5. MANE NOTUM FACIET DOMINUS, QUI AN SE PERTINEANT, ET SANCTOS APPLICABIT SIBI. Perspicuo dato signo palam faciet, quos selegerit, ac destinaverit & ad Sacerdotium & ad suum ministerium. Hebræus: *Mane notum faciet Dominus, qui sunt ejus, & Sanctum* suum, *& appropinquare* eum *faciet ad se*. Chaldæus: *Mane notum faciet Dominus, quis est qui ad se pertineat, & qui Sanctus sit, ut accedat in conspectu ejus*; idest, signa dabit, ut discernatur Sanctus ejus, quem selegerit, ut accedat ad se munus gereos Summi Sacerdotis. De hac defectione Core agens Psalmus cv. 16. habet de seditiosis illis: *Et irritaverunt Moysem in castris; Aaron Sanctum Domini*.

℣. 6. TOLLAT UNUSQUISQUE THURIBULA SUA. Dare thura munus erat Sacerdotum: manum porrigere ad thuribula, alienum erat a Levitis. Imperat Moyses Core & Levitis ejus partem secutis, ut dent thura Domino, intellecturi utrum e manibus suis thus accipiat Deus. Sed unde tot thuribula viris, quorum ab offerendo thure Deo aliena erat professio? Reponitur, conjuratos illos sibi antea thuribula parasse eo consilio, ut ex improviso simul omnes invaderent jura Sacerdotii, & vi pellerent Aarooem ejusque filios, siquidem resistentibus illis prohiberentur. Jure etiam suspicantur, detulisse illa ex Ægypto, mutuo ab Ægyptiis accepta; familiaria enim Ægyptiis fuisse thuribula ex eo constat, quod privatorum ædibus singulis sui essent Penates Dii, & sacra animalia, quibus dabant suffitus. Docet Cicero Oratione IX. in Verrem, *Incredibile esse quam multa & præclara fuerint* thuribula in Sicilia. *Nam domus erat ante istum Prætorem* [Verrem] *nulla, paulo locupletior, qua in domo non esset, etiamsi præterea nihil esset argenti, patella, patera, thuribulum*. Paria etiam reputemus oportet de Babyloniis (a), apud quos viri æque & mulieres post usum connubii se thure lustrabant. Demosthenes in Timocratem ita loquitur de thuribulis argenteis, quasi de re vulgari in familiis, quibus res esset non adeo angusta apud Græcos. Docet Athenæus in Dipnosophia, domibus singulis Ægyptiorum non defuisse φιάλην, κύαθον, ἠθμόν, phialam, cyathum, & vas percolatorium ex ære.

Pateræ autem illæ vel phialæ nihil sunt aliud quam quæ hic appellantur thuribula: erant enim lancis genus quoddam, variis usibus aptum, sed maxime ad suffitus. Porro hanc figuram retulisse Veterum thuribula, demonstrare conati sumus in Levitico. Quæ thuribula Angeli sistebant coram Deo, nonnisi phialas appellat S. Joannes in Apocalypsi v. 8. *Phialas plenas odoramentorum*. Hebræum *Machtot* significat lances vel pateras ad libationes, & vasa insuper emunctoria in usum lucernarum Tabernaculi, ac tandem thuribula, qualia modo descripta sunt.

℣. 7. PONITE DESUPER THYMIAMA CORAM DOMINO. Imponite thuribulis vestris suffitum, ac pedem inferentes intra Sanctum, date thura Domino. Scitum est, solos Sacerdotes contulisse se intra Sanctum quotidie bis, mane & vespere, ad suffitum.

MULTUM ERIGIMINI FILII LEVI. Hebræus (3): *Multum vobis, filii Levi*. Vel: *Nimis est vobis*; audaciam vestram ultra limites promovetis. Eadem loquendi phrasis est, qua utitur superius ℣. 3. Core, Moysem conveniens.

℣. 9. ET STARETIS CORAM FREQUANTIA POPULI, ET MINISTRARETIS EI. Idest, ut ministraretis populo in iis, quæ ad cultum Domini pertineot, sive ut præstetis Deo servitium, quod populus universus debet: ut suppleatis ea, quæ ab universa gente præstanda sunt, sed cum impar ea sit per se reddere Deo, pensum hoc suum reddit per selectos ab ipso Deo ministros. Hebræus ad literam: *Ad standum coram cœtu, ad ministrandum eis*, לשרתם. Septuaginta: Λειτουργεῖν αὐτοῖς, *Ad ministrandum eis*. An non æque commode ita verteretur? *Ad ministrandum Domino*, sed pro populo, quod populo commodum est.

℣. 14. AN ET OCULOS NOSTROS VIS ERUERE? Tot malis, quibus nos submisisti in deserto, illud etiam extremum additurus es, ut oculos nostros evellas? Vel juxta nonnullos: An erues nobis oculos, ne aspiciamus tyrannidem tuam, qua Hebræis dominaris? Vel: Numquid luce oculorum adeo destitui nos velles, ut dolos tuos, & ambitionem non intueremur? Hebreus (4): *Num oculos virorum istorum evelles?* Vis ne, homines istos, qui Chananitidem explorarunt, non talem nobis describere, qualis reipsa oculis ipsorum apparuit? Quasi scilicet tota ea res gesta esset paulo post reditum Exploratorum. Septuaginta (5): *Oculos hominum istorum abscidisti*. Fascinasti oculos & mentem vulgi, ut missum te a Deo illis persuaderes. Chaldæus: *Si oculos virorum horum* [nostros] *excæcaveris, non ascendemus*; ut te sequamur, mandatis tuis pareamus, agnoscamus te Principem, nihil nos impellet.

℣. 15. TU SCIS QUOD NE ASELLUM QUIDEM UNQUAM ACCEPERIM AB EIS. Concisior aliquanto Hebræus (6): *Non asinum unum ex eis abstuli*. Samaritanus & Septuaginta (7): *Non desiderium ullius eorum sumpsi*, rem ullam pretio dignam. Sed lectio Hebræi & Vulgatæ præ cæteris probatur. Proverbialis est autem phrasis: Ne asellum quidem accepi: utitur illa pariter Samuel, ut osteodat quanta integritate fuerit apud Hebreos (8).

℣. 18. QUOD CUM FECISSENT, STANTIBUS MOYSE ET AARON. Prunas & thura imposuerunt thuribulis, steteruntque parati præ foribus Tabernaculi Fœderis una cum Moyse & Aarone, tenentibus & ipsis pariter fumans thuribulum. Erecti omnes stabant in expectationem signi a Deo exhibendi, quo coram universo populo designaretur ille, quem Deus sibi in summum Sacerdotem selegerat. Dathan & Abiron continuerant se ante fores tentorii sui (9), opperientes exitum primi illius conatus, quo Core Aaronem Sacerdotio exuere nitebatur; idem ipsi acturi in Moysem, si quidem res pro voto cessisset Core in Aaronem.

℣. 22. FORTISSIME DEUS SPIRITUUM UNIVERSÆ CARNIS. Hebræus (10): *Domine Deus* (Cujus est munus)

---

(1) רב לכם כי כל העדה כלם קדשים

(a) Vide Herodot. l. 1. c. 197.

(3) רב לכם בני לוי Septuag. Ἱκανούσθω ὑμῖν υἱοὶ Λευί, *Sufficiat vobis, filii Levi*.

(4) העיני האנשים ההם תנקר

(5) Septuag. Τοὺς ὀφθαλμοὺς τῶν ἀνθρώπων ἐκείνων ἐξέκοψας.

(6) לא חמור אחד מהם נשאתי

(7) Septuag. Οὐκ ἐπιθύμημα οὐδενὸς αὐτῶν εἴληφα. Legunt חמוד *chamud*, pro *chamor*, asinus.

(8) 1. Reg. XII. 3. *Loquimini de me coram Domino ..... utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum*.

(9) Vide ℣. 27.

(10) אל אלהי הרוחות לכל בשר

nus) *spiritus* , *vita universæ carnis* . Septuaginta (1) *Deus spirituum* , *& omnis carnis* ; vel juxta alie Exemplaria : *o Deus* , *o Deus patrum nostrorum* , *& universæ carnis* : Vide similem loquendi phrasim capite XXVIII. 16. .

℣. 27. Omnique frequentia. Hebræus וטפם *Et parvuli eorum*. Vocem Originalis reddunt plerumque Septuaginta: Ἡ ἀποσκευὴ αὐτῶν, *Familia* , *substantia eorum* . Quo nomine censentur mancipia, greges, res semiliares ; nec facile alius est Textus hujus sensus, cum Moyses filiorum in eodem versiculo meminerit.

℣. 30. Sin autem novam rem fecerit Dominus אם בריאה יברא *Si creationem creaverit Dominus*; si novum eliqnid spectandum offerat Deus; si prodigium plane inauditum. Septuaginta (2): *Sed in visione ostendet Dominus*, vel prodigio. Alia Exemplaria: *Sed in biatu terræ*. Oleaster ita reddendum Hebræum censet: *Si separando separaverit*; si Dominus novum aliquid, singulare extraordinarium exhibuerit.

Descenderintque viventes in infernum. Non ita sane reputandum est, quasi viventes corpore & anima absorpti sint in infernum : sed viva corpore intre terræ sinum condita sunt, enimæ vero ad æternos in Inferis cruciatus projectæ. Cum enim in ipso peccati erimine mors illus oppresserit, nec inter moriendum pœnitudinis signa ulla exhibuerint, nonnisi temere affirmaremus, Infernum hic aliter accipiendum esse quam ad literæ rigorem (3). Catholici quidam (4), & e Protestantibus (5) plures Infernum hic de sepulchro interpretantur. *Descenderunt in sepulchrum viventes; Ante sepulti quam mortui*, ait Optatus (6). Filios seditiosorum eadem obvolvit pœna corporis; anima vero servate est, quippe qui in societatem criminis petrum suorum non venerant. Occurrunt in Scriptura phrases his persimiles, quibus hic utitur Moyses. Psalmus LIV. 16. *Descendant in Infernum viventes*. Proverbia I. 12. *Deglutiamus eum sicut infernus viventem*.

℣. 32. Devoravit illos cum Tabernaculis suis, et universa substantia eorum. Fusior est aliquanto Hebræus : *Deglutivit eos* , *& domos eorum* , *& omnem hominem qui erant ipsi Core* , *& omnem substantiam eorum*. Moyses inferius XXVI. 10. 11. circumstantiam quamdem exitii Core hic omissam supplet; nimirum cum dehiscente terra Core absorberetur, filios ejus megno sane prodigio servetos fuisse illæsos.

℣. 30. Descenderuntque vivi in infernum. Perduelles istos vivos spirantesque in inferna suppliciorum loca absorptos affirmasse Moyses visus est; perinde ac vivi spirentesque ab hominum obtutibus Enochum & Eliam raptos fuisse alibi scripsit.

℣. 35. Sed et ignis egressus a Domino interfecit ducentos quinquaginta viros. Receperat se Core in tentorium suum, relictis illis CCL. conjuratis viris ente Tebernaculum. Verum quo tempore hiscens terra absorbuit Dathen, Abiron, & Core, missus simul a Deo ignis corripuit socios illos sceleris, atque in cinerem favillasque redegit. De ratione immissi ignis illius in Seditiosos, non satis convenit inter plures. Sunt qui e Cœlo fulguris instar explosum credant: alii vel e columna nubis, vel e Tebernaculo, vel e singulorum thuribulis, sive ex eltari holocaustorum erumpentem ponunt. Incertissime omnia.

℣. 37. Ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, et ignem huc illucque dispergat, quoniam sanctificata sunt. Hebræus ad literam (7): *Tollat acerras ab inter combustionem* [cedavera combusta] *& ignem hunc alienum* , *quia sanctificatæ sunt*. Alii vertunt ut Vulgata: Disperge hunc ignem. Vox *Serah* significere potest: *Disperge*, & *alienus*. Septuaginta (8) bis legisse videntur *Serah* (9); vertunt enim: *Ignem alienum hunc semina ibi*. Hunc ignem, quo corripiente conflagraverent CCL. illi viri, ignem alienum appellat Moyses, quod eb igne holocaustorum plane differret. Juber insuper senctificari thuribula eorum, idest vetat, ne convertantur in usus communes & vulgares, quod continuerint secras prunas, & suffitum Domino: quamvis autem suffitum illum non exceperit Deus, primum illud consilium, quo Deo ille destinabantur, satis erat, ut in usus profanos de cætero converri non possent: adde pariter, sanctificata illa fuisse ex ultione Dei in caput seditiosorum inducte; simul eutem acquisivisse novum senctitatis genus ex præcepto Dei, jubente illa sibi consecrari, & ex usu cui destinabantur, ut perpetuum staret monumentum qua gloriæ Dei, qua Numinis juste ulciscentis. Tendem animadvertere hic juvat, Deum præcipere non Aaroni, sed Eleazaro, ut e mediis cadaveribus colligat thuribula, sive ut caveat, ne quam sordem contrahat Summus Sacerdos ex cadaveribus illis, sive ne exitio miserorum insultare Aaron videatur.

Ignem huc illucque dispergat. Dissipevit scintillas, quæ corporum reliquias edhuc depascebant, ut illæsus colligeret thuribule. Vel juxta Hebræum: *Dispersit ignem ultra*, idest, trens arem holocaustorum, vel extre etrium, vel in atrio quidem, sed in loco remoto.

℣. 38. In mortibus peccatorum. Verba hæc plerumque jungi sulent præcedentibus. Thuribula hæc sanctificantur supplicio impiorum. Sed Hebræus commode elium sensum admittit (10); ita enim reddi potest, junctus cum superiori versiculo: *Quoniam peccatores morte sua thuribula hæc sanctificaverunt*. Aliter: *Thuribula horum peccatorum*, *monumenta mortis eorum*, idest, testimonium in illos perpetuum stebunt. Chaldæus: *Thuribula peccatorum horum*, *qui peccaverunt in animabus suis*.

Producat ea in laminas, et afficat Altari. Scitum est, Altare holocaustorum opertum fuisse laminis æneis. Jubet Deus supetindui Altare novis hisce laminis æneis, quæ illis prioribus imponatur.

℣. 45. Recedite de medio hujus multitudinis. Extrema omnia Deus populo minitetur. Recipere se Moysem jubet e medio illius, veluti omnes excisurus: id tamen volebant hæc omnia, ut spatium daretur Moysi quidem rogandi, populo vero resipiscendi. Eodem consilio in Exodo XXXII. 10. veluti obsecrat Moysem: *Dimitte me, ut deleam eos*; re ipsa tamen id tacitus innuit: Interpone preces tuas, quibus prohibear, ne sontes puniam. Ex hoc Textu innui videtur, coivisse omnem populum circa Moysem, proxime ad Tabernaculum: fecise etiam vulgo populus acta seditiosorum probaveret, vel saltem non uti par fuit improbaverat.

℣. 46. Pergens cito ad populum, ut roges pro eis. Hebræus: *Abi cito ad populum*, *& expia super eis*. Proripiens te e Tabernaculo, excurre per castra, aggerem te opponens Numinis ultioni. Consuetis quidem legibus nefas erat Sacerdoti eo habitu consistere in medio populi & inter cadavera: nunquam efferebentur e Tabernaculo thuribula sacra & suffitus: sed Spiritu Sancto afflatus Moyses in singulari hoc eventu consuetis legibus non stetit.

---

[1] Septuag. Θεὸς, Θεὸς τῶν πνευμάτων, καὶ πάσης σαρκός. [2] Ἀλλ' ἢ ἐν φάσματι δείξει Κύριος, &c. Alii legunt: Ἀλλ' ἢ ἐν χάσματι, &c. [3] Menoch. Cornel. Est. Bonfr. Jans. Barrad. [4] Abul. Oleast. Pagnin. Cajet. Eugub. Mont. [5] Grot. Drus. Ainsw. Cleric. & alii passim. [6] Optat. Milev. l. I. cont. Parm. [7] ירם את המחתת מבין השרפה ואת האש זרה הלאה כי קדשו [8] Τὸ πῦρ τὸ ἀλλότριον τοῦτο σπεῖρον ἐκεῖ. [9] זרה alienus, & זרע disperge. [10] את מחתות החטאים האלה בנפשתם

CAPUT XVII.

Sacerdotium confirmatur Aaroni, prodigio virgæ floribus sese vestientis & fructibus.

℣. 1. ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Loquere ad filios Israel, & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, a cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, & uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ. 3. Nomen autem Aaron erit in tribu Levi, & una virga cunctas seorsum familias continebit. 4. Ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te. 5. Quem ex his elegero, germinabit virga ejus: & cohibebo a me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant. 6. Locutusque est Moyses ad filios Israel: & dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus: fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron. 7. Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonii, 8. Sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt. 9. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel: videruntque, & receperunt singuli virgas suas. 10. Dixitque Dominus ad Moysen: Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel, & quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur. 11. Fecitque Moyses, sicut præceperat Dominus. 12. Dixerunt autem filii Israel ad Moysen: Ecce consumpti sumus, omnes perivimus. 13. Quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. Num usque ad internecionem cuncti delendi sumus?

℣. 1. ACCIPE AB EIS VIRGAS SINGULAS . . . VIRGAS DUODECIM. Duodecim Principes Tribuum virgam singuli suam ferant; Aaron adjiciat tertiamdecimam, uti est in Versiculo 6. Facile illam exhibet tamquam Princeps suæ Tribus; etenim præter Tribum Levi duodecim erant aliæ, quibus ad Sacerdotium adspirare jus erat, divisa Tribu Josephi in geminas, nempe in Ephraim, & Manasse. Virgæ istæ, vel baculi communi usui illorum Principum serviebant. E Scriptura enim non obscure probatur, Veteres Hebræos scipionem singulos suum gestasse. Illud tantum erat virgis hisce peculiare atque extraordinarium, quod singulæ ferrent adscriptum nomen unius Tribus, & facile Principis tunc illas regentis. Sed Textus Hebræus nunquam prodit, inscriptum illis fuisse nomen Tribus, sed tantum nomen Principis (1); atque ita exponunt Veterum, & Recentiorum plerique (2).

℣. 3. UNA VIRGA CUNCTAS SEORSUM FAMILIAS CONTINEBIT. Innuere quidem videtur hic Textus, singulas hasce virgas prætulisse nomen suæ Tribus; sed Hebræus habet (3): *Unaquæque virga unicuique Capiti Tribus*; totidem erunt virgæ, quot Tribus, seu quot Principes Tribuum. Ferunt, eas virgas amygdalinas fuisse, nec aliis uti consuevisse Hebræos (4); quin & ex una, eademque arbore decerptas omnes fuisse, Rabbini quidam affirmant. Sed interim certa hæc incertissima sunt. Docet quidem aperte Scriptura, virgam Aaronis amygdalinam fuisse; de aliis silet.

℣. 4. UBI LOQUAR AD TE; ad te, o Moyses. Textus Samaritanus & Septuaginta legunt pariter in singulari. Sed Hebræus, & Chaldæus pluralem exprimunt: *Ubi loquar ad vos*, ad vos, Moysem, Aaronem, & Seniores.

℣. 6. FUERUNT VIRGÆ DUODECIM ABSQUE VIRGA AARON. Quæ sententia virgas omnes, Aaronica non excepta, tredecim agnoscit, magis communi suffragio, & assensu probatur (5); cave tamen credas, eam authoritate hujus Textus invicte probari; habet enim tantum ad literam (6): *Duodecim virgas, & virga Aaron in medio virgarum eorum*; his autem verbis non exprimitur, utrum virga hæc tertia & decima accederet reliquis, an una esset e duodecim. Hebræi, pluresque Scriptores Commentariorum (7), duodecim tantum virgas admittunt. Syriacus, Septuaginta, Chaldæus, Arabs tuentur lectionem Hebræi; & versiculus octavus indicat non obscure, virgam Aaronis pro Levitica Tribu fuisse.

℣. 8. INVENIT GERMINASSE VIRGAM AARON. Juxta vim Textus Vulgatæ ita res intelligenda esse videretur, ut noctis illius spatio per data intervalla virga Aaron eas omnes vices, aliam post aliam, subierit: quare cum mane alterius diei Moysi obtulissent sese virentes amygdalæ, reputavit ille statim, eam virgam primo virescere, tum gemmis turgere, flores denique ac fructus emittere cœpisse. Hebræus tamen insinuare videtur, hæc simul omnia unico nisu accessisse virgæ, ut mane alterius diei divitem se proderet virga foliis, floribus, gemmis, & fructibus. Ita enim Textus ad literam: *Ecce floruerat virga Aaron domus Levi, & protulerat gemmam, & fecerat florere florem, & tribuerat amygdalas*. Ad literam ויגמל שקדים *Ablactavit amygdalas*. Hæc verborum phrasis exprimit quidem protuberantem languescente flore fructum, sed non maturum, uti demunstrat Textus Isaiæ XVIII. 5. in quo ipsa eadem verba recurrunt. Opinatur Tostatus, virgam illam tamdiu retinuisse viriditatem, folia, fructus, quamdiu Arca fuit. Idem pariter reputasse videtur S. Ambrosius (8), scribens, virgæ illius

(1) *Uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ*. (2) Philo in vita Mos. lia & Nyssen. in vit. Mos. Abul. hic. Procop. Bonfr. Cornel. (3) מטה אחד לראש בית אבותם (4) Cyrill. in Catena, Rabb. &c. (5) Origen. homil. 9. in Num. & Latini plerique. (6) שנים עשר מטות ומטה אהרן בתוך מטותם (7) Philo, Cajet. Sixt. Sen. Eagub. Fag. (8) Ambros. Ep. 63. nov. edit. num. 58.

illius emblemate significari gratiam Sacerdotii, quæ nunquam languescit, sed conditum intra demissi animi sepem retinet florem authoritatis sui ministerii. Alibi vero (1) docet, virgam hanc arentem olim iterum in Jesu Christo viruisse: sed hæc mystica sunt.

Patres omnes (2) & Scriptores Ecclesiastici vident in Aaronis virga hac amygdalina *virga vigilante* Jeremiæ 1. 11. מקל שקד [Hebræa vox, quæ amygdalam significat, derivatur e radice quæ sonat *Vigilare*; quod arbor ista omnium prima evigilet ad folia, & fructus]; Patres, inquam, agnoverunt in virga hac olim quidem arente, ac nuda, dein viridi & fructibus gloriosa, Jesum Christum, probro passionis suæ, & mortis squallentem, iterum autem in Resurrectione sua ad novam vitam, & gloriam veluti reflorescentem. Alii (3) in virga illa Aaronis, quæ nullo alieno succo, nullo terræ complexu fœcundata flores enititur, designatam voluerunt SS. Virginem, quæ integra virginitate florem Jesse, & fructum Jesum Christum, Mundi Servatorem, peperit. Justa pariter similitudine comparat Origenes (4) virgam Aaronicam cum Domini Cruce, e qua flores, & fructus, nempe fidei fragrantia, & populorum fidelium ditissimus fructus erupere.

℣. 10. Refer virgam Aaron in Tabernaculum. Contineri illam in Arca simul cum Urna aurea mannæ plena, & Tabulis Legis, docet Apostolus (5). Vide Commentarium in Deuteronomium ad caput xxxi. 26. ubi tota hæc difficultas examinatur.

℣. 12. Ecce consumpti sumus, omnes perivimus, Forte Textus reddendus est in futuro: *Ecce consumemur, omnes peribimus*. Chaldæus: *Ecce ex nobis interfecti sunt gladio, & ecce aliquos deglutivit terra, aliqui mortui sunt peste*. Prodit sese verbis hisce furoris & seditionis plenus animus.

℣. 13. Num usque ad internecionem delendi sumus? Hebræus ad literam האם תמנו לגוע, *Numquid consumemur expirando?* Perdemur, nulla evadendi spe? Num tibi continget, ut nos destruas? Num vivos nos absumpturus eris? Chaldæus: *Num morte consumendi sumus?* Pingunt hæc verba inquietum tumultuantium animum, & pravam cordis habitudinem. Ex Interpretibus tamen plures (6) dicta hæc in bonam partem accipienda esse credunt; quasi scilicet territi tot malis Israelitæ quærerent, qua tandem ratione ponerent se in tuto ab irato Numine, ejusque furorem compescerent. Proxime succedens Caput narrat præcepta, quæ docent obsequium Deo præstandum a Sacerdotibus ac Levitis, & quæcumque vicissim conferenda sunt ab Israelitis in commodum, & necessitatea illorum. Quare Caput hoc xviii. perinde haberi posset ac responsum a Deo redditum Israelitis, significantibus, removeri se a Tabernaculo metu ne se discrimini exponerent. Quibus Deus veluti respondit: Soli accedant Sacerdotes, & Levitæ, ac nemo alius. Laicis curæ erit tantum sufficere necessaria Levitis; hi autem vicissim muneri suo præstando ea, qua præscripsi, Lege se totos addicant.

(1) Idem Ep. 4. nov. edit. num. 4. (2) Hieron. in Jerem. cap. 1. Cyrill. lib. 10. de adorat. Greg. Mag. l. 14. Moral. cap. 29. Isidor. in Num. (3) Bern. homil. 2. super Missus est. Rupertus hic 1 & Isidor. &c. (4) Origen. homil. 9. in Num. (5) Hebr. ix. 4. (6) Clarius, Menoch. Cornel. Jansen. Junius, Munst.

CAPUT XVIII.

Functiones & munera Sacerdotum ac Levitarum; quibus necessaria sufficì ab Israelitis e primitiis, oblationibus, & decimis jubet Deus.

℣. 1. Dixitque Dominus ad Aaron: Tu, & filii tui, & domus patris tui tecum,
portabitis iniquitates Sanctuarii: & tu, & filii tui simul sustinebitis pecca-
ta sacerdotii vestri. 2. Sed & fratres tuos de tribu Levi, & sceptrum patris tui su-
me tecum, præstoque sint, & ministrent tibi: tu autem, & filii tui ministrabitis in
tabernaculo testimonii. 3. Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua, & ad cuncta
opera tabernaculi: ita dumtaxat, ut ad vasa Sanctuarii, & ad altare non accedant,
ne & illi moriantur, & vos pereatis simul. 4. Sint autem tecum, & excubent in
custodiis tabernaculi, & in omnibus cæremoniis ejus. Alienigena non miscebitur vo-
bis. 5. Excubate in custodia Sanctuarii, & in ministerio altaris: ne oriatur indigna-
tio super filios Israel. 6. Ego dedi vobis fratres vestros Levitas de medio filiorum
Israel, & tradidi donum Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus. 7. Tu
autem, & filii tui custodite sacerdotium vestrum: & omnia, quæ ad cultum altaris
pertinent, & intra velum sunt, per sacerdotes ministrabuntur: si quis externus ac-
cesserit, occidetur. 8. Locutusque est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam
primitiarum mearum. Omnia, quæ sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi, & filiis
tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna. 9. Hæc ergo accipies de his, quæ
sanctificantur, & oblata sunt Domino. Omnis oblatio, & sacrificium, & quidquid pro
peccato, atque delicto redditur mihi, & cedit in sancta sanctorum, tuum erit, &
filiorum tuorum: 10. In sanctuario comedes illud: mares tantum edent ex eo, quia
consecratum est tibi: 11. Primitias autem, quas voverint, & obtulerint filii Israel,
tibi dedi, & filiis tuis, ac filiabus tuis, jure perpetuo: qui mundus est in domo tua,

vesce-

vescetur eis. 12. Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti, quidquid offerunt
primitiarum Domino, tibi dedi. 13. Universa frugum initia, quas gignit humus, &
Domino deportantur, cedent in usus tuos: qui mundus est in domo tua, vescetur eis.
14. Omne, quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit. 15. Quidquid primum
erumpit e vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de
pecoribus fuerit, tui juris erit: ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium
accipias, & omne animal, quod immundum est, redimi facias. 16. Cujus redem-
ptio erit post unum mensem, siclis argenti quinque, pondere Sanctuarii: Siclus vi-
ginti obolos habet. 17. Primogenitum autem bovis, & ovis, & capræ non facies
redimi, quia sanctificata sunt Domino, sanguinem tantum eorum fundes super alta-
re, & adipes adolebis in suavissimum odorem Domino. 18. Carnes vero in usum
tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, & armus dexter, tua erunt. 19. Om-
nes primitias Sanctuarii, quas offerunt filii Israel Domino, tibi dedi, & filiis, ac fi-
liabus tuis, jure perpetuo. Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi, ac
filiis tuis. 20. Dixitque Dominus ad Aaron. In terra eorum nihil possidebitis, nec
habebitis partem inter eos; ego pars, & hereditas tua in medio filiorum Israel. 21.
Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio, quo
serviunt mihi in tabernaculo fœderis. 22. Ut non accedant ultra filii Israel ad ta-
bernaculum, nec committant peccatum mortiferum. 23. Solis filiis Levi mihi in
tabernaculo servientibus, & portantibus peccata populi legitimum sempiternum erit
in generationibus vestris. Nihil aliud possidebunt, 24. Decimarum oblatione conten-
ti, quas in usus eorum, & necessaria separavi. 25. Locutusque est Dominus ad Moy-
sen, dicens: 26. Præcipe Levitis, atque denuntia: Cum acceperitis a filiis Israel de-
cimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem
decimæ. 27. Ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis, quam
de torcularibus: 28. Et in universis, quorum accipitis primitias, offerte Domino,
& date Aaron sacerdoti: 29. Omnia, quæ offeretis ex decimis, & donaria Domini
separabitis, optima, & electa erunt. 30. Dicesque ad eos: Si præclara, & meliora
quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area, & torculari dederi-
tis primitias: 31. Et comedetis eas in omnibus locis vestris tam vos, quam familiæ
vestræ: quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonii: 32.
Et non peccabitis super hoc, egregia vobis, & pinguia reservantes, ne polluatis
oblationes filiorum Israel, & moriamini.

℣. 1. PORTABITIS INIQUITATEM SANCTUARII. Vestro periculo erit, si quid profanum committetur in Sanctuario. Curandum erat Sacerdotibus, ut Levitæ integra fide redderent ministerii sui pensum; curandum, ne laici, profani, & legali macula polluti accederent ad Tabernaculum. Quin etiam ipsorum periculo erat, siquid peccatum fuisset in Leges, Cæremonias, & Functiones proprii Ministerii: *Sustinebitis peccata Sacerdotii vestri*.

℣. 2. SCEPTRUM PATRIS TUI. Hebræum שבט *Schebet* designat Sceptrum, Virgam, Tribum, Familiam, ideo facile hæc omnia, quod Principes Tribuum, & familiarum insignia dignitatis suæ ferrent sceptra, & virgas. Sceptrum usurpatur pro familia, quemadmodum & pro Regno. Principes, ac Magistratus Græcorum apud Homerum sceptrum omnes gestant (1).

℣. 3. EXCUBABUNT AD PRÆCEPTA TUA. Intellexisse jam Lectores ex Textuum frequentia credimus, illud *excubare* usurpari interdum pro sollicite aliquid curare, cavere. Hebreus hic legit: *Custodient custodias tuas*; iis, quæ curæ illorum commisisti, incumbent; custodiæ suæ habebunt assignata vasa Tabernaculi, quæ ipsorum curæ credidisti.

℣. 4. ALIENIGENA. Nec ex alienigenis natus parentibus, nec alienus religione, nec ex altera Tribu, quam Levitica, natus, sive originem ex ea solummodo ducens per fœminas (2).

℣. 5. NE ORIATUR INDIGNATIO. Hebræus: *Et non erit amplius fervor iræ super filios Israel*, ut antea in seditione Core, & fautorum ipsius.

℣. 6. DONUM DOMINO. Traditi sunt vobis, ut opem conferant in vestro ministerio, & tanquam inferiores ministerii servitiis Domini addicti. Vide supra Caput III. 9.

℣. 7. PER SACERDOTES ADMINISTRABUNTUR. Variat paululum Hebræus (3): *Servietis servitium, pro quo dedi Sacerdotium vestrum*. Sicut ego accepi vos, tanquam munus traditum mihi a populo, in obsequium Tabernaculi mei; ita pariter & vestrum erit integra fide reddere pensum, quod ego vobis imperavi, cum in famulos meos admisi. Vel potius: *Servietis servitutem doni, quod dedi sacerdotio vestro*: servietis mihi, tanquam rependentes paria beneficiis, honoribus ac dignitati, quibus Sacerdotium vestrum ornavi. Textus Samaritanus præfert: *Præstabitis ministerium, nam dono dedi Sacerdotium vestrum*.

℣. 8. DEDI TIBI CUSTODIAM PRIMITIARUM MEARUM. Significat Deus Sacerdotibus suis, meros esse dispensatores, custodes, & usurarios primitiarum, quæ Domino offeruntur. Hebræus (4): *Dedi tibi custodiam elevationum mearum* [oblationum coram me elevatarum]. Nomine oblationum elevatarum censentur decimæ, primitiæ, oblationes, sacrificia, primores natu &c. Hæc omnia curabat summus Sacerdos; cujus erat cura de omnibus Sacerdotum & Levitarum proventibus.

TRA-

(1) Iliad. A. Vide Servium in Æneid. 12. (2) Maimonid. (3) עבדתם עבדת מתנה אתן את כהנתכם (4) נתתי לך את משמרת תרומתי

TRADIDI TIBI . . . . PRO OFFICIO SACERDOTALI. Hebræus ad literam: למשחה *Ad ungendum te*. Septuaginta: εἰς γέρας, *In mercedem tuam*. Seu potius: Omnia hæc trado tibi in honorem unctionis tuæ Sacerdotalis remunerans servitia tui Sacerdotii. Hujus sensus vim totam expressit Vulgata.

℣. 9. HÆC ERGO ACCIPIES DE HIS, QUÆ SANCTIFICANTUR, ET OBLATA SUNT DOMINO. Arduum aliquid fert Textus originalis, ita sonans ad literam (1): *Hoc tibi erit de sanctitate sanctitatum* (sanctissimum) *de igne* (ex iis quæ per ignem absumuntur). Postrema hæc verba varie exponuntur. Sunt qui dicta accipiant de portionibus victimæ pacificæ & hostiæ pro peccato, quæ in jus Sacerdotum cedebant. Sed præstat interpretari de oblationibus frumenti, similæ, olei, vini; quorum pars tantum dabatur igni, reliqua permittebantur Sacerdotibus: seu potius de hostiis pro peccato, quarum carnes concessæ Sacerdotibus appellantur *Sanctam Sanctorum* (2). Illas comedere fas erat solis Sacerdotibus, qui tunc temporis in ministeriis Tabernaculi occupabantur; nec illis nisi in atrio versantibus. Nihil tale de hostiis pacificis, quarum carnes nunquam commendantur eo elogio, *Sancta Sanctorum*, & jus erat iis Sacerdotibus domi suæ una cum familia universa comedere (3). Tandem primitiæ & oblationes, quæ sistebantur Templo ab Israelitis, alienæ erant utique a censu eorum, quæ *Sancta Sanctorum* dicuntur, um a Deo, ex ℣℣. 11. 12. hujus capitis, Sacerdotibus, & eorum liberis, qua puellis, qua maribus traditæ fuerint.

℣. 11. PRIMITIAS AUTEM QUAS VOVERINT, ET OBTULERINT, &c. Hebræus (4): *Elevatio doni eorum, & omnes elevationes* (oblationes elevatæ agitatæque) *Filiorum Israel*. Veniunt in hunc censum portiones hostiæ pacificæ, quæ Sacerdotibus cedebant, primitiæ & oblationes spontaneæ: de his omnibus gustare fas erat Sacerdotibus, uxori, universæque familiæ, ne servis quidem emptitiis exceptis; excluduntur tamen ii, qui operam suam apud illos mercede locant (5).

℣. 13. UNIVERSA FRUGUM INITIA. Idest, primitiæ fructuum, qui leguntur quarto anno (6) ex novis arboribus, novisque vineis. Latiori etiam sensu dicta hæc accipiuntur de primitiis omnibus eorum, quæ humus gignit. Epilogus hæc sunt præcedentis versiculi. Hebræus (7): *Primitiæ omnium, quæ in terra eorum sunt.*

℣. 14. OMNE QUOD EX VOTO REDDIDERINT. Hebræus כל חרם, *Omne anathema*. In Levit. xxvii. 28. animadvertimus; fas esse anathemate homines, bruta, agros, vel aliud quodcumque Domino devovere. Ita devotæ res offerebantur Domino, & Sacerdotis erant.

℣. 15. OMNE ANIMAL QUOD IMMUNDUM EST, REDIMI FACIAS. Definiunt id Hebræi (8) tantum de asino, cum asserant, Israelitas in Ægypto eum solum impurum agnovisse: cum autem lex redimendi primogenitos appendix sit libertatis ex Ægypto, jure meritoque reputatur definienda esse intra limites persuasionis tum receptæ apud filios Israelis: quare de asini tantum capite redimendo hæc edicuntur. Certe Moyses in Exodo (9), cum vult redimi pretio primores natu, asini tantum meminit. Sed nemo prudens ambiget, contineri reipsa in eadem lege, communi immundorum animalium nomine, non asinos tantum, sed mulos, camelos, equos, porcos, si quos forte alebant. Fatemur utique, in censum domesticorum animalium sub Moyse non referri nisi vaccas, capellas, oves, puras animantes; ex impuris vero asinos tantum: non tamen recte inferas, nulla alia animantia rejecisse illos ad impura. Interpretes nonnulli animalibus hisce natura sua impuris addunt alia, casu aliquo inauspicata; uti si quæ forte cæca, & membro aliquo luxata seu vitiata nascerentur.

℣. 16. CUJUS REDEMPTIO ERIT POST UNUM MENSEM SICLIS ARGENTI QUINQUE. Hæc utique accipienda non sunt nisi de homine, quem redimere fas erat seu post mensem, seu citius, sed interdum tamdiu differebatur, donec mater, puerperii sordes expiatura, per se filium Domino offerret. Id præstitit SS. Virgo, cum obtulit per se Jesum Christum Templo, *postquam impleti sunt dies purgationis ejus* (10), idest post quadraginta dies evolutos. Quinque illi sicli reddunt octo libras circiter monetæ nostratis. Quæ ex animalibus immundis prima nascebantur, hæc redimi post octo a nativitate dies jubet lex Exodi xiii. 12. Quid hodie ferat Judæorum consuetudo in redimendis primogenitis, paucis accipe (11): Cum puer aliquis triginta a nativitate dies egerit, ejus pater aliquem e posteris Aaronis, quemcumque maluerit, invitat. Conferunt se pariter ad ejus ædes viri plures; & pater profert in lance monetas plures argenteas vel aureas. Tum Sacerdos accepto a tradentibus infante, matrem illius ita affatur: Tuus ne est puer? Affirmante illa, rursum Sacerdos: Num alios ante hunc liberos seu mares seu fœminas, vel partu effudisti, vel immaturo abortu exclusisti? Cui illa: Minime. Igitur, ait Sacerdos, infans hic jure primogeniti meus est. Tum ad patrem conversus: Si hunc tibi vis, pretio redimas oportet. Cui ille: Aurum hoc & argentum tibi idcirco oblata sunt. Vis igitur hunc pretio redimere? Volo, inquit pater. Tum Sacerdos elatiori voce coram cœtu: Hic puer utpote primogenitus, meus est, uti præcipitur in Numeris xviii. 16. *Gaias redemptio erit post anum mensem siclis argenti quinque*; sed mihi hoc sufficit. Simul autem accipit duos aureos vel eirciter, & puerum parentibus restituit.

SICLUS VIGINTI OBOLOS HABET. Hebræus, viginti *Gerah*. Porro Gerah pondo erat 13. granorum & $\frac{7}{10}$ æquabatque solidum 7. denarios & $\frac{15}{32}$ denarii.

℣. 18. SICUT PECTUSCULUM CONSECRATUM, ET ARMUS DEXTER, TUA ERUNT. Primogenita omnia oblata Domino iisdem conditionibus Sacerdotum erant, ac pectusculum & armus dexter victimarum pacificarum; idest, fas erat illis uti non Sacerdoti tantum, sed uxori ac filiis, dummodo nulla legali macula immundis. Immolabantur illa quidem Domino, sed Altaris igne non cremabantur nisi adipes: effuso sanguine ad basim Altaris, carnes omnes erant Sacerdotum.

℣. 19. PACTUM SALIS ברית מלח, Pactum æternum, sacrum, inviolabile. Sal emblema est rei diuturnæ, servat enim cibos ne corrumpantur: symbolum est etiam sapientiæ & consilii. Itaque de fœdere sapienter constituto, & prudenter atque integre servato usurpatur *pactum salis*. Testatur Scriptura (12), Deum constituisse Regnum Davidi ejusque domui *in pactum salis*, stabili & irrevocabili promissione. Oleaster aliique nonnulli (13) putarunt, in fœderibus solemni ritu sanciendis olim obtinuisse, ut offerretur sal in sacrificiis,

(1) זה יהיה לך מקדש הקדשים מן האש (2) Vide inferius ℣. 9. & Levit. vi. 17. (3) Vide inferius ℣. 17. & Levit. x. 14. (4) תרומת מתנם לכל תנופת (5) Levit. xxii. 10. 11. & seq. (6) Levit. xix. 24. *Quarto autem anno, omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino.* (7) בכורי כל אשר בארצם (8) Abenezra apud Outram. de sacrific. l. 1. c. 11. (9) Vide Exod. xiii. 13. *primogenitum asini mutabis ove: quod si non redemeris, interficies.* (10) Luc. ii. 22. (11) Leo Modena, de Ritibus Judæor. p. 4. cap. 9. (12) 2. Paralip. xiii. 5. *Quod dederit regnum David . . . . in sempiternum, ipsi & filiis ejus in pactum salis.* (13) Vide Fonseca, Bonfr. Vat. & Delrii Adagial.

sceiis, omen durationis fœderis illius. Hinc in Levitico (1) imperatum ajunt, ut in omnibus sacrificiis offerretur sal, nec unquam sal fœderis Domini removeretur. E vetere illo more facile recepta est loquendi phrasis ista, *Fœdus salis*, fœdus sacrificio confirmatum obsignatumque sacratissimis cæremoniis, quarum erat non infima sal, æternitatis symbolum.

ỳ. 20. In terra eorum nihil possidebitis. Certe reputandum non est, Levitas nihil prorsus in Chanaanitide possedisse; suas enim habebant urbes, & circumjacentia Urbibus rura & pascua. Sed nullam peculiarem regionem a reliquis discretam incoluerunt. Urbes agrosque e sua portione singulæ Tribus sufficiebant Levitis, qui inter ipsos versabantur. Fas erat pariter Levitis, pecunia sua emere sibi ab Israelitis agros: qui tamen anno Sabbatico ad veteres dominos redibant.

Agri domusque privatorum religione devotæ Domino, jure perpetuo Sacerdotum erant, quibus & fas erat tanquam de re sua decernere, ac in emptores vendirione transferre, ita tamen, ut quæ de anno Sabbatico & Jubilæi (2) sancita sunt, servarentur. Jeremias & S. Barnabas, Levitæ ambo, fundos jure proprio possidebant. Jeremias emit agrum Hananeelis patrui sui (3); id autem illi deberi jure redemptionis, notat Scriptura. Legimus in Actis iv. 37. S. Barnabam agri sui venditi pretium detulisse ad Apostolos.

Licet autem in distributione Terræ promissionis selectam portionem nullam Deus Levitis tradiderit; adhuc tamen ad cibum ac necessaria vitæ commoda abunde illis suffecit, collatis decimis, primitiis, cæterisque oblationibus. Hæc sane Tribus reliquis minor numero, sola tamen sine labore ac sumptu fruebatur decimis proventuum omnium totius late regionis; quibus accedebant primitiæ, & animalium omnium, quæ mactabantur in singulis urbibus, ventriculus, armus (4), & maxillæ, ac tandem portio massæ (5), quæ subigebatur in singulis iis locis, ubi Levitarum aliquis versabatur.

Feliciores erant etiam res Sacerdotum, qui cum manus hominum brevissima essent, in se tamen derivabant eorum, quæ Levitis collata fuerant, decimam; idest, proventuum omnium totius Israelis centesimam. Accedebat incertorum casuum infinitum additamentum, oblationes panis, vini, olei, primogenita, holocausta: Sacerdotum omnia. Hinc Philo (6) non immerito asserendum sibi duxit, Legem Moysis Regiæ dignitatis gloriam omnem & majestatem, una cum felicissimæ conditionis commodis, Sacerdotibus contulisse. Ita vinculo arctiore hominum ejusdem Tribus animi obstringebantur, quo majori fide, studio, & assiduitate obsequiis Domini insisterent, ac partes Religionis studiosius tuerentur, nisi alia, certe hac de causa, ut commodis rebusque suis consulerent.

Ego pars et hæreditas tua: In iis, quæ mihi impendetis, obsequiis, commoda omnia nanciscemini, quæ vix in hæreditate ditissima (7): ego enim loco omnium vobis ero. Promissionum ejusmodi fides potissimum implenda expectabatur in Sacerdotibus Legis novæ, quorum futurus erat mentis oculus purior, & cor cupiditate magis vacuum, quippe qui sublimius & sanctius gerunt ministerium, quam veteris Legis Sacerdotes.

ỳ. 21. Filiis Levi dedi omnes decimas. Excipiebant Levitæ decimas fructuum, & frumentorum totius agri; tum Sacerdotibus pendebant eorum omnium, quæ congesserant, decimam. Vide infra ỳỳ. 26. 27. 28.

ỳ. 22. Nec committant peccatum mortiferum, Ne id sceleris committant, quo mortis pœnam in suum caput provocent. Meis hisce jussionibus si defuerint, morte punientur. Hebræus ad literam (8): *Ne ferant peccatum ad moriendum*, ut moriantur.

ỳ. 23. Portantibus peccata populi. Textus ita commode redderetur (9): *Portabunt peccatum suum*; vel etiam: *Portabunt peccatum eorum*, scilicet populi. Utrumque autem verissime dicitur; Sacerdotes enim siquid commiserint in suum munus, peccati sui pœnas ferunt; ferunt etiam pœnas iniquitatis populi, cum præbent occasionem violandi, quod rebus sacris debetur, religiosum obsequium. Cum Sacerdotibus datum sit munus docendi populum, atque tuendi & defendendi partes Dei, reos se criminis constituunt, siquid populus admittat sive ignoratione, sive minori rerum sanctarum obsequio. Posterior hæc interpretatio æquior est, & authoritate firmior.

ỳ. 27. Ut reputetur vobis in oblationem primitivorum tam de areis, quam de torcularibus. Solventes Aaroni & Sacerdotibus ejus successoribus decimam e decimis Israelitarum, perinde erit ac si offeratis Deo primitias frugum areæ vestræ, vini, & olei e vestris torcularibus. Hebræus ad literam: *Frumentum de area vestra, & plenitudo de torculari vestro*, seu de puteo, aut lacu, in quo vinum servatur; יקב enim est torcular, seu lacus subterraneus, ubi vina servantur. Jonathan vertit: *Quasi frumentum de area, & quasi vinum maturum plenitudinis ex torculari*; quibus verbis innuitur, primitias vini tunc offerri, cum vinum illud maturum est & potabile.

ỳ. 32. Et non peccabitis super hoc, egregia vobis et pinguia reservantes. Longe alium sensum refert Textus Hebræus: *Et non portabitis super illo* [ob eam rem] *peccatum*, [non puniemini] *cum elevabitis pinguedinem ejus ex eo*; idest, in caput vestrum eam non provocabitis ultionem, quam induceretis, si quæcumque essent in rebus vestris opima & optima, Deo offerre negligeretis.

[1] Levit. II. 13. *Quicquid obtuleris sacrificium, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui, de sacrificio tuo.*
[2] Vide Levit. XXVII. 14 & seq. [3] Jerem. XXXII. 7. *Eme tibi agrum meum, qui est in Anatot; tibi enim competit ex propinquitate ut emas.* [4] Deuteron. XVIII. 3. [5] Num. XV. 20.
[6] Philo de præmiis sacerdot. [7] Vide Deuteron. XVIII. 1. Josue XIII. 14. [8] לשאת חטא למות [9] הם ישאו עונם

CAPUT XIX.

Sacrificium vaccæ rufæ; e cujus cineribus parantur aquæ lustrales. Ritus eluendi sordes legales, & quæ maxime contrahuntur ex funeribus.

ỳ. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron dicens: 2. Ista est religio
victimæ, quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israel, ut adducant ad
te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum:

3. Tradetisque eam Eleazaro sacerdoti, qui eductam extra castra immolabit in conspectu omnium: 4. Et tingens digitum in sanguine ejus, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus. 5. Comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle, & carnibus ejus, quam sanguine, & fimo flammæ traditis. 6. Lignum quoque cedrinum, & hyssopum, coccumque bis tinctum, sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat. 7. Et tunc demum, lotis vestibus, & corpore suo, ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum. 8. Sed & ille, qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua, & corpus, & immundus erit usque ad vesperum. 9. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam aspersionis: quia pro peccato vacca combusta est. 10. Cumque laverit, qui vaccæ portaverat cineres, vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc filii Israel, & advenæ qui habitant inter eos sanctum jure perpetuo. 11. Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus: 12. Aspergetur ex hac aqua die tertio, & septimo, & sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari. 13. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus hac commistione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Israel: quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia ejus super eum. 14. Ista est lex hominis, qui moritur in tabernaculo: Omnes, qui ingrediuntur tentorium illius, & universa vasa, quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus. 15. Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. 16. Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulchrum, immundus erit septem diebus. 17. Tollentque de cineribus combustionis, atque peccati, & mittent aquas vivas super eos in vas. 18. In quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, & cunctam supellectilem, & homines hujuscemodi contagione pollutos; 19. Atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio, & septimo die: expiatusque die septimo, lavabit & se, & vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum. 20. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio ecclesiæ: quia sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus. 21. Erit hoc præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque, qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua. Omnis, qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum. 22. Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima, quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.

℣. 2. ISTA EST RELIGIO VICTIMÆ, QUAM CONSTITUIT DOMINUS. Hebræus: *Hoc statutum legis, quod præcepit Dominus*. Septuaginta: Αὕτη ἡ διαστολὴ τοῦ νόμου, *Hæc est distinctio legis*. Hæc loquendi phrasis meditationes plures S. Augustino (1) suppeditavit; quas plane subduxisset omnes, si reputasset, *Diastolen* hic in Septuaginta perinde valere ac *entolen*, præceptum.

ADDUCAM AD TE VACCAM RUFAM, ÆTATIS INTEGRÆ; idest trimula majorem, & jugo parem (2). Constituit hic (3) Hebræus, seligendam esse *vaccam rufam, integram, sine vitio*, vel sine macula. Id autem accipiunt quidam (4), quasi rufa penitus deligenda esset, villis non maculosa; alii vero malunt, integram requiri membris suis omnibus, nullo mancam; alii tandem legalis cujusque vitii immunem (5); quo sensu *integer & sine defectu* hic unum idemque significarent.

Id unum quo victima hæc nostra ab aliis distinguitur, color est rufus, qui exigitur. Doctorum quorumdam virorum (6) persuasio tenet, hæc omnia sancita esse, ut oppositum aliquid cæremoniis & superstitionibus Ægyptiorum constitueretur. Ægyptii (7) abstinebant manus a juvenca, sacram existimantes, quod in ea Isidem colerent. Fas erat illis quidem immolare tauros, nefas autem juvencas. Hebræis solemne erat mares dare in victimas, sed hic jubentur ad sacrificium statuere rufam juvencam. Quorsum hæc? Rabbini (8), quorum est audax ingenium, uberrimumque in iis explicandis, quæ minime percipiunt, fatentur ingenue, legis hujus causam se penitus ignorare, quin nec Salomonem, tantæ scientiæ virum, illam assequi posse.

Mysterium hoc reserare conatur Spencerus. Demonstrat ille, juvencam animal fuisse Isidi consecratum; immolari consuevisse Lunæ; sub juvencæ emblemate exhibitam Isidem & Astartem. Ut igitur eum cultum de ridiculo traduceret Deus, ait ille, mandavit, ut sacrificio juvencæ legalium sordium expiatio pararetur. Addit ille pariter, rufas juvencas olim plurimi æstimatas fuisse: non igitur mirum, cur colorem illum villosum in solemni hac victima Deus exquireret. Docet insuper, sub eo colore latere mysterium, quod veteribus Patribus docentibus didicimus. Est autem mysterium passionis & sanguinis Jesu Christi, ob sordes hominum expiandas effusi. Probat tandem, Ægyptios non immolasse nisi tauros rufos in odium Typhonis, invisi Numinis, pilorum colore, ut fertur,

[1] Aug. qu. 33. in Num. [2] Ita Syr. Persa, Versiones, Vulgat. Ains. &c. [3] פרה אדמה תמימה אשר אין בה מום [4] Hebr. passim. [5] Levit. xxii. 21. 22. [6] Marsham. Can. Ægypt. & Spencer. l. 2. c. 15. de legib. Hebr. ritual. [7] Herod. lib. 2. c. 41. Diod. l. 1. Bibl. Ælian. lib. 19. de animal. c. 27. & Porphyr. de abstin. l. 2. §. 11. [8] Rabbini apud Spencer. loco cit.

fertur, rufi. Numini huic pernicioso litabatur victimis rufis. Qua in re tanta erat eorum religio, inquit Plutarchus (1), ut victimam unico tantum villo seu albo seu nigro offerre Numini nefas crederent. Erant etiam apud illos in horrore animalia omnia villis Typhonis vestita; execrabiles sunt ejusdem coloris asini; quos ex alto præcipites dabant Cophti ritu solemni (2). Eo autem odium hoc suum provexerant Lycopolitæ, ut vel tubas rejicerent, quod ruditum asinorum imitari quodammodo videantur. Reges Ægyptii olim rufos homines immolabant ad sepulchrum Osiridis (3); cineres vero eorum in ventum sparsisse Manethon affirmat. Profecto si jam inde a Moysis ætate hæc obtinuerant apud Ægyptios, fieri utique poterat, ut consilio opponendi sese illis, sanciverit immolationem vaccæ rufæ, e cujus cineribus lustralis aqua pararetur: quasi scilicet tam longe abesset, ut is color victimam redderet impuram magis & odiosam, quin potius aptior esset ad expiandas sordes, quam alterius velleris hostiæ.

Nec portaverit jugum. Censet Jonathan, quæri vaccam bimula non majorem; quippe quæ esset ætas jugo ferendo impar. Regnans apud gentes fere omnes mos in sacrificium animalia adhuc intacta a jugo, & nullis colonicis usibus adhuc addicta seligebat: ideo forte, quod puriores, vel delicatiores haberentur victimæ; vel saltem gratia majoris obsequii, & religionis. Rebantur Ægyptii, ait Porphyrius (4), inepta esse sacrificio jam domita, & profanis usibus veluti consecrata. Nestor apud Homerum (5), vovet Palladi juvencam anniculam, latæ frontis, indomitam, & jugo intactam. Eadem religione tenebantur Romani, qui victimas illas nominabant *injuges bestias* (6); Virgilius (7) appellat: *Intacta cervice juvencas*.

S. Hieronymus (8), aliique nonnulli censent, sacrificium vaccæ rufæ quotannis renovatum esse; nec sane aliter fieri potuisset, ut ex ea victima cineres suppeditarentur universo Israeli ad frequentissimas usu sordes eluendas. Rabbini (9) nihilo secius definiunt, a Moyse ad usque Esdram unam tantum immolatam fuisse; ab Esdra vero adusque eversionem Templi per Romanos, sex, vel ut summum novem; quod veri speciem omnem superat.

℣. 3. Tradesque eam Eleazaro Sacerdoti, Eleazarum per se vaccam illam deduxisse, & immolasse extra castra, contendunt (10) nonnulli: sed malunt alii (11), munus illud deducendi ad locum immolationis, commissum fuisse Eleazaro; alterum vero Sacerdotem deductam immolasse. Ita vero illis redditur Textus: *Eleazar ducet extra castrametationem; & [alius Sacerdos] mactabit eam ante eum*. Apud Septuaginta vero (12) Sacerdotes alii eum Eleazaro statuunt victimam extra castra, immolant, & cremant: quare illi plurale reddunt quod singulare est in Hebræo, & Vulgata. Constat insuper ex versiculo 8. Sacerdotem alterum ab Eleazaro cremasse victimam; & ex phrasi ipsa Textus non injuria reputaretur, alterius pariter Sacerdotis opera immolari illam opus fuisse; præfert enim: ושחט אתה לפניו, *mactabit eam coram eo*. Numquid ne Eleazar illam coram se jugularet?

Docent Hebræi (13), cæremoniam hanc neminem alium continuata temporis successione obiisse, nisi Summum Sacerdotem; cumque Templum Salomonis excitatum est, huic Sacrificio montem Olivarum destinatum fuisse. Hujus postremi ritus meminit etiam S. Hieronymus Epistola xxvii. quod plane indicat traditionis Hebraicæ ea in re vetustatem.

Vacca rufa extra castra immolata, ejusque sanguis in monte Olivarum effusus, exhibet Jesum Christum extremo agone laborantem, cum scilicet sanguineus sudor ex angore illo expressus humum eamdem irrigavit, quæ sanguinem hujus hostiæ ebiberat (14); & elatus ex ea victima fumus in Cœlum e monte Olivarum se ferens, exhibet Servatorem ex eo monte in Cœlos ascendentem (15).

℣. 4. Tingens digitum in sanguine ejus, Aspersiones illas factas ab Eleazaro exprimit non obscure Textus Originalis. Aspersit autem *Contra fores Tabernaculi*; quamquam longe absens, & e loco immolationis. Docent Hebræi (16), Eleazarum conscensa strue lignorum, parata ad immolandam victimam, & ore ad Occidentem obverso; intinxisse digitum suum in sanguine, qui in vase ad ipsius lævam collocato continebatur; ad singulas autem aspersiones tersisse digitum, affricans illum limbo vasis, tum iterum intinxisse: tandem post septem aspersiones, Sacerdotem manus suas villis vaccæ rufæ tersisse. His absolutis, supposito lignis igne, tamdiu distulisse ventrem hostiæ secare, donec pyra vehementer arderet. Tandem projecisse in ignem ramos cedri & hyssopi cum lana purpurea. Sed postremam hanc cæremoniam alteri Sacerdoti tribuunt. Constat utique ex ℣℣. 7. & 8. hunc Sacerdotem maculam contraxisse; qua removebatur e castris usque ad vesperam, ac priusquam rediret in castra, corpus & vestes pura eluisse; Eleazarum vero hac occasione maculam retulisse aliquam, nullo satis perspicuo documento intelligimus.

℣. 6. Sacerdos mittet in flammam. Reputant nonnulli, ramos hosce cedri & hyssopi per flammas tantum ductos fuisse; quorum tamen opinio nullo probabili argumento fulcitur. Malunt alii, post aspersum solummodo sanguine populum, illos igni traditos fuisse: sed nihil tale Scriptura. Cremabantur autem rami illi cedri, & hyssopi, ac lana purpurea una cum vacca rufa, tanquam Sacrificii hujus extraordinarii appendices: visum est autem hæc simul omnia conferre, ut absoluta undique lustratio perficeretur. Porro eæ arbores aptissimæ censebantur ad lustrandum. Expiabantur leprosi (17), expiabatur & domus (18) lepra infecta, adhibito inter cætera fasciculo e ramis cedri, & hyssopi, vitta lanea coccinea alligato.

Eodem pariter fasciculo usum fuisse Moysem, cum populum, Dominicam Legem rogans, aspersit, affirmat Apostolus (19); nec abfuisse credimus eosdem ipsos ramos in lustrationibus ex aqua affusis cineribus vaccæ rufæ præparata. Ut enim in Sacrificiis laudum, & in holocaustis, quæ Scriptura appellat interdum hostias odoris suavitatis, offerebatur thus, sal, vinum, placentæ, oleum, quæ ad gratum illum odorem natura sua conferrent; ita pariter in hoc Sacrificio, unice in expiationem instituto, nihil ex iis erat omittendum, quæ natura sua expiatoria viderentur.

℣. 10. Habebunt filii Israel, et advenæ . . . ,

[1] Plut. de Iside & Osiride. Τὸν βοῦν τὸν θυσίμον καθιερεύοντι, οὕτως ἀκριβῶς σκοπῶσι τὸν χαρακτῆρα, ὥστε κἂν μίαν ἔχῃ τρίχα, μέλαιναν ἢ λευκήν, ἄθυτον ἡγοῦνται. [2] Plut. ibid. [3] Diodor. Sicul. l. 1. Biblioth. Τοὺς ἀνθρώπους τοὺς ὁμοχρωμάτους τῷ Τυφῶνι τὸ παλαιὸν ὑπὸ βασιλέων θύεσθαι. [4] Δαλμασμένα, οἷς ἤδη καθωσιωμένα τοῖς πόνοις, &c. lib. 4. de abstin. [5] Homer. Odyss. γ. [6] Vide Macrob. l. 2. Saturn. c. 5. [7] Georgic. l. 4. Vide Boch. de animal. sacr. part. 1. l. 2. c. 33. [8] Hieron. Ep. 27. [9] Vide Drus. hic. [10] Ita Vulg. Tostat. Hebræi plerique. [11] Grot. Spencer. [12] Ἐξάξετε, ... καὶ σφάξετε . . . . καὶ κατακαύσετε. [13] Rabb. apud Spencer. loc. cit. [14] Luc. xxii. 44. [15] Act. 1. 10. 11. 12. [16] Vide apud Drus. hic. [17] Levitic. xiv. 4. [18] Ibid. 49. [19] Hebr. ix. 19. *Accipiens sanguinem vitulorum . . . . cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit.*

SANCTUM JURE PERPETUO. Putat Grotius, advenas, quamquam non circumcisos, vel proselytos domicilii, tamen absterfisse labes relatas e funeribus, usu aquarum ejusmodi lustralium.

Ỳ. 12. ASPERGETUR EX HAC AQUA DIE TERTIO, ET SEPTIMO. Hebræus habet: *Ipse purificabit se in die tertia, & in die septima mundus erit. Et si non purificaverit se in die tertia, & in die septima non mundus erit.* Si quis purificationem omisisset die tertia, septima die a labe mundus non censebatur; sed a tertia illa die septem ex integro ducendi erant dies, ut absolute pleneque lustraretur. Huic autem sexta dies habebatur pro tertia: tunc autem primo lavandum erat; iterum vero lotio alia recurrebat die decima, quæ dies septima habebatur, ac totius cæremoniæ postrema.

Non satis luculenter exprimit Scriptura, utrum cineres illi per omnes Regionis urbes distribuerentur; an potius servarentur in Tabernaculo, vel in urbe Sancta. Sed ex usu, in quem destinabantur, satis docemur, late per urbes distributos fuisse; neque enim alia suppetebat ratio expiandi e contactu cadaveris maculam; qua contracta vix fieri potuisset, ut ad procurandos cineres, sine quibus a commercio civili rerumque sacrarum participatione homines arcebantur (1), Urbs sancta vel Tabernaculum adiretur. Docet hæc omnia Philo disertissime (2): *Cæteri fere omnes aqua pura lustrantur, marina plerique, aut fluviali, aut urnis hausta e fontibus. At Moses cinere præparato e sacri ignis reliquiis, de hoc nonnihil sumptum jubet in vas indere, & aquam superinfundere, deinde hyssopi ramo in hac temperatura tincto lustrandos aspergere.*

Ỳ. 13. POLLUET TABERNACULUM DOMINI. Si post contractam ex funere vel tactu cadaveris maculam sese Tabernaculo exhibuerit, pœnam violatæ religionis in se provocabit: vel enim a Judicibus, rei commissæ convictus in contemptum Legum, capitali sententia damnabitur; vel occulti sceleris reus, Dei ultoris gladio interibit. Si vero imprudenti id peccatum obrepserit, jubetur maculam eluere oblatione hostiæ indictæ pro peccato ignorantiæ, idest, ovis vel capellæ (3).

Ỳ. 14. UNIVERSA VASA, QUÆ IBI SUNT, POLLUTA ERUNT. Res omnes domesticæ, vestes, quæ omnia generali *vasorum* nomine designantur. Reddi potest Hebræus כל אשר באהל *Omne quod in tentorio est, immundum erit.* Scitum est inter omnes, in Veterum moribus ubique fere positum fuisse, ut cadaver in domo aliqua jacens illam omnesque in ea versantes polluere reputaretur. Sacerdotum & Aruspicum sanctione interdici homines ingressu in locum, in quo mortuus aliquis continetur, tradit Porphyrius (4). Ne quis incautus eo ingrederetur, adjecto foribus ramo cypressi monebant Romani. Virgilius (5) classem Æneæ, funere amici pollutam ait:

Præterea jacet exanimum tibi corpus amici;
Heu nescis! totamque incestat funere classem.

Ỳ. 15. VAS QUOD NON HABUERIT OPERCULUM, NEC LIGATURAS DESUPER, IMMUNDUM ERIT. Vasa cava liquidorum, vel continendis aliis quibusque, si operculum non habuerint, vel clausa non fuerint in ea domo, ubi quis animam agit, inter immunda sunto. Voces Originalis (6) designare possunt operculum filo seu vitta alligatum circa os vasis; uti cum phialam occludimus: vel juxta phrasim Textus, velut armillæ brachio circumligatæ. Agens Tibullus de lagena quadam pice probe obstructa, & obvoluta insuper filo, utitur iis ferme, quæ hic, phrasibus:

Nunc mihi fumosos veteris proferte falernos
Consulis, & Chio solvere vincla cado.

Reputant alii, vim Originalis ferre, vasa omnia adhærente operculo non munita, immunda censeri oportere. Reipsa quidem vox Textus usurpatur sæpe de rebus, quæ binæ procedunt, communi nexu simul inter se vinctæ. Dictum etiam accipitur commode de arca, quæ forte patuerit, & cujus operculum illi non adhæserit vinculo, ex more ejus ætatis, cum loco serarum & clavium, quibus hodie occluduntur arcæ, artificio quodam vinculis muniebantur; uti ex Homero (7), & Scholiastis ipsius intelligimus. Samaritanus legit: *Omne vas apertum, super quo non fuerit operculum, neque filum, immundum erit.*

Ỳ. 16. SI QUIS IN AGRO TETIGERIT CADAVER . . . . SIVE OS ILLIUS, VEL SEPULCHRUM &c. Hebræorum sepulchra, quemadmodum & cæterarum gentium, extra urbem posita erant; uti pluribus Scripturæ documentis demonstratur. Curabant autem, ut emortualis ille locus erecto aliquo monumento procul nosceretur, ne imprudens quis prope accedens, vitium aliquod septem diebus perseveraturum referret.

Ỳ. 17. MITTENT AQUAS VIVAS SUPER EOS IN VAS; idest, aquas fontis, rivi, fluvii, & non aquas cisternæ vel putei, vel ex imbribus collectas. Qui aspergere debebat, illius erat pariter aquas earum rerum admixtione parare.

Non absimilem lustrationis ritum cernas in Paganis; apud quos solemne erat in eam rem adhibere aquas seu fluviales, seu fontanas, utpote quas haberent purissimas. Virgilius Æneidos IV.

. . . . *Corpus fluviali spargere lympha.*

Et libro VI. v. 228.

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Libentius autem utebantur marinis aquis ad expiationes, quarum, si deessent, defectum supplebant aquæ communes affuso sale, uti apud nos cum lustralem aquam in nostris Ecclesiis consecramus. Theocritus Idyllio XXIV.

. . . . Καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ
Πρᾶτον· ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον (ὡς νενόμισται)
Θαλλῷ ἐπιρραίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.

. . . . *Duro lustrate domum sulphure*
Primum; deinde mixta [ut consuetum est]
Ramoque virenti coronata, aspergite pura aqua.

Legas apud Ovidium in Fastis libro IV. lustrationem quamdam e lixivio parato cinere vaccæ immolatæ, & sanguine equi:

Sanguis equi suffimen erit, vitulique favilla.

Idem pariter describens solemnem lustrationem in Festis Palis Deæ messium, inducit virginem, omnium quæ aderant ætate gravissimam, cremantem vitulos, ut cineres in usum lustrandi fierent:

Igne cremat vitulos, quæ natu maxima virgo
Luce Palis, populos purget ut ille cinis.

Legas tandem apud Athenæum (8) quamdam aquam lustralem, in quam immersus extinguebatur torris, sumptus ex igne altaris, ubi victimæ adolebantur. Aqua illa inspergebantur adstantes, præsentissimo, uti quidem rebantur, piamine ad purgandas sordes. Veteres Græci (9) statuebant ante fores ædium, in quibus esset cadaver, amplum vas figlinum, aqua lustrali plenum, desumpta ex alia domo, quæ cadaveris præsentia impura non esset: hac autem abluebant sese, quicumque pedem e domo illa efferrent. Apud Romanos, *Funus prosecuti, redeuntes ignem supergrediebantur, aqua aspersi; quod purgationis genus vocabant suffitionem.*

Ỳ. 19.

(1) Vide Ỳ. 13. (2) Lib. de victimis offerentibus. (3) Levit. V. 3. 6. *Si tetigerit quidquam de immunditia hominis . . . oblitaque cognoverit postea . . . . agat pœnitentiam pro peccato, & afferat de gregibus agnam sive capram.* (4) Porphyr. lib. 2. de abstin. parag. 50. (5) Æneid. VI. v. 149. (6) כל כלי פתוח אשר אין צמיד פתיל עליו (7) Homer. Odyss. 9. Αὐτὰρ ὅγ' ὡς ἴδε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλλε. (8) Athenæus l. 9. cap. 18. (9) Aristophan. Παράθου τοὔστρακον πρὸ τῆς θύρας. Euripid. Alcest. Πυλῶν πάροιθεν δ' οὐχ ὁρῶ πηγαῖον, ὡς νομίζεται γε, χέρνιβ' ἐπὶ φθιτῶν πύλαις.

℣. 19. Expiatus die septimo lavabit se et vestimenta sua. Lotionem hanc fieri oportere in aqua expiationis, licet nihil tale innuente Textu, affirmat Vatablus. Pura se tantum & vestes eluebat; quibus lustrationibus omnibus absolutis, adhuc tameo a castris ad usque vesperum removebatur.

℣. 20. Peribit anima illius de medio &c. Confer Exodi xi. 15. 19.

℣. 21. Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua, Quibus aquis expiabantur contractæ sordes, iisdem polluebantur ii, qui puri accessissent; seu potius tanta erat aquarum ejusmodi puritas, ut ad illas accedere ne purissimi quidem permitterentur citra crimen violatæ Religionis, non expiandum nisi separatione hominum a civili commercio, & a rebus sacris ad usque vespesum remotione. Est autem id in omnibus fere legalibus commune, nempe victimas illas, quæ peccatis populi veluti onerabantur, imprimere legalem quamdam maculam iis, quorum manibus offerebantur, dum interim illos, pro quibus oblatæ erant, a crimine & macula expiabant; quemadmodum ferme spectamus in aquis, quæ dum manus nostras purgant, sordes nostras veluti in se trahuot, referuntque vicissim io eos, qui se tangunt.

℣. 22. Quiuquid tetigerit immundus, immundum faciet. Cave hæc de sordibus æque omnibus dicta accipias; quædam enim ex iis nullam inducebant maculam in eos, quibuscum civili commercio agendum erat, nec vitiabant res, si quas tetigisset. Removebant tantum homines, quibus inhærebant, a rerum sacrarum participatione. Ejus geoeris erat macula ex aquis lustralibus contracta; neque enim illa commercii in alios fundebatur, nec ultra vesperum perseverabat (1). Hic igitur locus de iis solummodo accipiendus est, quæ ex mortui tactu polluta suot; hæc enim macula inducebatur in alios sive homines, sive res, qui vitiatum illud contiogerent: ex his autem diffundebatur in alios sive homines sive res in infinitum: sed ea tantum macula, quæ e proximo defuncti contactu irrepserat, vel quæ ioducebatur versanti in domo defuncti, septem diebus perseverabat; reliquæ per communicationem participatæ, usque ad vesperum manebant.

Obiter jam animadversum est, sacrificium vaccæ rufæ expressisse Passionem Jesu Christi; sed nunc sub unicum veluti obtutum reducenda sunt varia, quæ in hanc rem observarunt S. Augustinus (2), & Theodoretus (3). Vacca hæc rufa typus etat carnis Jesu Christi e terrena substantia deductæ. Hostia oumeris omnibus absoluta, & a maculis pura, revocat sub oculos morum sanctitatem & innocentiam Jesu Christi: imbecillitas sexus io victima, est pariter infirmitas carnis in Jesu Christo. Color ruber passionis imago est. Victima nullo adhuc jugo subacta exhibet libertatem, qua Jesus Christus sese probro passionis & mortis subdidit; cui integrum fuit pro arbitrio ponere vitam ac resumere (4). Vaccam immolat non Aaron quidem, sed Eleazar; quo designatam commode intelligas abolitionem Sacerdotii in familia Aaronica, ut, ea amota, novum & eximium Sacerdotium substituèretur. Vacca rusa extra urbem educta igne peoitus absumitur: Jesus Christus necatur extra Jerosolymam; cumque in se ipso pura omnia referret, totum se in sacrificium Patri obtulit. Vacca rufa igne absumpta Resurrectionem, & Ascensionem Servatoris repræsentat: cineres victimæ, legalem puritatem inferentes in eos, qui eineribus illis asperguntur, imago sunt Sacramenti Pœnitentiæ, quod Jesus Christus in Ecclesia reliquit ad criminum expiationem, quæ Fideles post Baptismum admiserint.

(1) Bonfrer. hic: contra vero Cornel. a Lapide. (2) Aug. quæst. 33. in Num. (3) Theodoret. quæst. 35. in Num. (4) Joan. x. 18. *Potestatem habeo ponendi eam (animam), & potestatem habeo iterum sumendi eam.*

CAPUT XX.

Maria soror Moysis obit. Aqua contradictionis. Reprehenditur Moyses, quod fiducia aliquantum laberetur. Denuncias illi Deus futurum, ut non ingrediatur in terram promissionis. Iter Israelitis negant Idumæi. Aaron moritur: succedit Eleazar.

℣. 1. VEneruntque filii Israel, & omnis multitudo in desertum Sin, mense primo: & mansit populus in Cades. Mortuaque est ibi Maria, & sepulta
in eodem loco. 2. Cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversum Moysen,
& Aaron: 3. Et versi in seditionem, dixerunt: Utinam periissemus inter fratres no-
stros coram Domino. 4. Cur eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem, ut & nos,
& nostra jumenta moriamur? 5. Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, & addu-
xistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vi-
neas, nec malogranata, insuper & aquam non habet ad bibendum? 6. Ingressusque
Moyses, & Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in
terram, clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus, audi clamo-
rem hujus populi, & aperi eis thesaurum tuum in fontem aquæ vivæ: ut satiati, ces-
set murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. 7. Locutusque est Do-
minus ad Moysen, dicens: 8. Tolle virgam, & congrega populum tu, & Aaron fra-
ter tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris
aquam de petra, bibet omnis multitudo, & jumenta ejus. 9. Tulit igitur Moyses

virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, 10. Congregata multitudine ante petram, dixitque eis: Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? 11. Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet, & jumenta. 12. Dixitque Dominus ad Moysen, & Aaron: quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. 13. Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel contra Dominum, & sanctificatus est in eis. 14. Misit interea nuntios Moyses de Cades ad regem Edon, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Israel: Nosti omnem laborem, quæ apprehendit nos, 15. Quo modo descenderunt patres nostri in Ægyptum, & habitaverimus ibi multo tempore, afflixeruntque nos Ægyptii, & patres nostros: 16. Et quo modo clamaverimus ad Dominum, & exaudierit nos, miseritque angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi, 17. Obsecramus, ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemus via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos. 18. Cui respondit Edom: Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi. 19. Dixeruntque filii Israel: Per tritam gradiemur viam: & si biberimus aquas tuas nos, & pecora nostra, dabimus, quod justum est: nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus. 20. At ille respondit; Non transibis. Statimque egressus est obvius cum infinita multitudine, & manu forti, 21. Nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum per fines suos, quam ob rem divertit ab eo Israel. 22. Cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edon. 23. Ubi locutus est Dominus ad Moysen: 24. Pergat, inquit, Aaron ad populos suos: non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. 25. Tolle Aaron, & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor. 26. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus: Aaron colligetur, & morietur ibi. 27. Fecit Moyses, ut præceperat Dominus: & ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine. 28. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus. 29. Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro. 30. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

℣. 1. VENERUNT . . . IN DESERTUM SIN. Longe aliud est hoc desertum ab alio ejusdem nominis, de quo in Exodo XVI. 1. ubi sermo est de octava statione Israelitarum post exitum ab Ægypto, antequam pervenirent ad Sinai. Distinguendi autem gemina hæc loca argumentum præbet longe diversa ratio, qua uterque describitur in Originali (1), & situum atque rerum utrobique gestarum discrimen. Nihil ferme docet Moyses eorum, quæ gesta sunt a relato ex Ægypto pede, & a murmure populi in Cades-barne, quod incidit in alterum annum itineris Israelitici ad usque exordium ejusdem itineris quadragesimi.

MANSIT POPULUS IN CADES. Perseverasse ibi populum solidis XXIX. annis, tum prælium iniville cum Chananæis & Amalecitis (2), putant Hebræi. Tum, inquiunt, in ejus loci viciniis integro adhuc decennio vagari debuere; quo XXXIX. anni moræ complentur (3). Sed nobis difficile persuadetur, populum longiorem moram quam annuam in Cades-barne traxisse.

MORTUAQUE EST IBI MARIA. Maria utpote natu major Aarone & Moyse, egisse creditur CXXX. annorum ætatem. Utique decennio saltem senior Moyse reputanda est, quippe quæ Moyse fratre suo Nili aquis exposito ita se gessit, ut adultam puellam decebat. S. Gregorius Nyssenus (4), & S. Ambrosius (5) virginem perpetuo egisse illam reputant, cum figura habeatur Virginis Deiparæ, cui nomine ipso prælusit. Porro eam fœminam elegit Deus, ut in opere libertatis Israelitis restitutæ partes haberet potissimas; consilio enim suo id fecit, ut infanti Moysi commodum pararetur, ut nutricem obtineret matrem ipsam suam, annuente ac probante eadem fœmina Principe, quæ puerum ex aquis subduxerat. Id autem typica quadam imagine exprimebat Mariam matrem Jesu Christi, cujus gravissimæ futuræ erant partes in humani generis reparatione; genuit enim, ac nutrivit Mundi Salvatorem, eumque pariter a perquirente ad necem illum Herode subduxit, cujus Herodis typum Pharao exprimebat.

Murmur illud Mariæ in Moysem res est profecto, quæ laudibus ejus fœminæ detrahit plurimum; ex eo tamen illuc ducimur, ut exhibitam in Maria Synagogam agnoscamus (6); quæ invidens dignitati Nationis Gentium ad fidem invitatæ, assumptæque in sponsam veri Moysis, Legislatoris populi electi, interrogat, num Deus illi soli sit locutus? num deserenda sit lex vetus in gratiam novæ? Maria lepra infecta, & rejecta extra castra, sub oculos revocat Judæorum statum, quos Deus ita punivit, ut ad probrum humilitatemque gentis nihil fecerit reliquum; Templo, Sacrificiis, Rege, sedibus destituit. Occumbit Maria priusquam ingrediatur in terram promissionis, longis adeo votis, quæ foverant iteratæ promissiones, expectatam: ita pariter & obit Synagoga, exclu-

(1) Exod. XVI. 1. סין. Num. XX. 1. צין. (2) Num. XIV. 45. (3) Genebrard. Chronic. l. ad ann. mundi 2670. (4) Nyssen. l. de Virginitate cap. 19. (5) Ambros. lib. de Virginibus. (6) Vide Ambros. Ep. XXIII. nov. edit.

exclusa ab aditu patriæ cœlestis, quæ veluti sua illi hereditas, locusque quietis debebatur.

Quo io pretio haberetur Maria apud Israelitas, e ratione loquendi Scripturæ, cum de illa agit, satis intelligimus. Exhibet enim (1) hanc fœminam præeuntem cœtui mulierum omnium Israeliticarum post transfretationem Erythræi, cæterasque exemplo suo invitantem ad laudes Domini concinendas. Ipsa de se Maria oarrat (2), largiente Domino prophetiæ spiritu se afflatam fuisse: *Num per solum Moysem locutus est Dominus? Nonne & nobis similiter est locutus?* Tandem S. Spiritus ipse per se obitum illius scriptis consignare voluit, raro sexus illius exemplo. Commentariorum Scriptores (3) Veteres æque ac Recentiores plurimi de Maria, Moyse, & Aarone illud Zachariæ xi. 8. interpretati suot: *Succidi tres Pastores in mense uno, & contracta est anima mea in eis; si quidem & anima eorum variavit in me* [minus fidelem se præbuit mihi]; id autem redundat in laudem Mariæ, quod pari eum Moyse & Aarone gradu constituitur in regimine populi. Sua adhuc ætate monstrari sepulchrum Mariæ in Cades, juxta urbem Petram, scribit Eusebius in locis. Theodoreto (4) est Maria ceu legislatrix & moderatrix fœminarum Israeliticarum, sicut est Moyses ductor ac Legislator virorum.

℣. 3. UTINAM PERIISSEMUS INTER FRATRES NOSTROS, quos Deus oppressit ad Sepulchra Concupiscentiæ (5), vel una cum illis, qui in seditione Core extincti sunt (6).

℣. 6. INGRESSUSQUE . . . . . . DIMISSA MULTITUDINE, TABERNACULUM FOEDERIS. Insinuare videtur Hebræus, recepisse sese illos metu furoris seditiosorum: *Venit ad portam Tabernaculi a facie multitudinis*: Recipiens sese a populo, fugit in Tabernaculum.

CORRUERUNT PRONI IN TERRAM, CLAMAVERUNTQUE AD DOMINUM, ATQUE DIXERUNT: DOMINE DEUS, AUDI CLAMOREM HUJUS POPULI; ET APERI EIS THESAURUM TUUM FONTEM AQUÆ VIVÆ: UT SATIATI, CESSET MURMURATIO EORUM. Totus hic Textus deest in Hebræo, Chaldæo, Septuaginta, & in Versionibus ad originales illos expressis. Visum est eradere e nova editione S. Hieronymi juxta fidem veterum quorumdam Manuscriptorum Versionis S. Doctoris; sed retinent hanc lectionem Manuscriptorum plerique, & Biblia Latina omnia.

℣. 8. TOLLE VIRGAM, ET CONGREGA POPULUM. Sedit multis ea persuasio (7), virgam esse hanc Aaronicam quæ floruit, quæque servabatur in Tabernaculo. Fidem opinioni suæ adstruunt e verbis versiculi succedentis: *Tulit Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini*. Sed alii (8) mea quidem sententia æquius judicant, agi hic de virga, qua Deus sæpe adeo usus est ad prodigia Moysis ministerio patranda. Illam non semper gerebat in manibus Legislator, sed veluti rem sacram deponebat in Tabernaculo. Virga Aaronica usum fuisse Deum ad prodigia nunquam legimus. Septuaginta habent hic: *Tolle virgam tuam*; & in hoc Capite, ℣. 11. conceptis verbis legitur in Hebræo: *Elevavit Moyses manum suam, & percussit petram in virga sua*.

CUMQUE EDUXERIS &c. Communis fuit res tota Moysi & Aaroni, uti non obscure produnt ℣℣. 10. & 12. sed Moyses post Deum partes præcipuas gerebat.

℣. 10. NUM DE PETRA HAC VOBIS AQUAM POTERIMUS EJICERE? Nisi ex iis, quæ sequuntur, disceremus, Moysis & Aaronis fidem, seu fiduciam hac occasione nutasse, ac nisi Deus ipse per se id exprobrasset utrique, ægre admodum e verbis illorum hanc iniquam illorum animi habitudinem deprehenderemus; in bonum sensum facile interpretaremur singula. Reipsa enim si ex iis, quæ exterius sese produnt, judicium ferendum esset, quid vitii referunt verba hæc Moysis ad populum frequenter adeo murmurantem, incredulum, & rebellem? *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Quodnam meritum vestrum hanc poterit a Deo vobis gratiam impetrare? Nonne vel ultro faventem Deum averteret murmur hoc vestrum & seditio?

Sed Patres (9) & Interpretes in iis verbis ambiguis & nutantibus Moysis indicia deprehendunt cordis fluctuantis, atque in fide labantis. Ita loquitur, veluti si metueret, utrum data fides implenda esset. Quare prævenit quodammodo animum populi, docens, si forte fraudarentur sperato effectu, tota ejus rei invidia onerandam eorum incredulitatem. Quare incertus de eventu & nutans fide silicem percutit; non quidem de potestate Dei minus recte sentiens, sed ambigens, utrum in iis rerum eventibus, murmuris nempe Israelitarum, Deus largitatis & potentiæ suæ argumenta esset exhibiturus. Inquietum & turbatum cor Legislatoris iniquitate populi fide nutavit utique, e firma illa spe cadens, ait Psalmista (10). Bis percussit silicem, veluti reputans, non satis esse semel tetigisse; seu potius Deus diffidentiam ipsius graviter ferens, promissum miraculum tantisper differt; imperaverat, ut solum loqueretur ad petram, statim responsuram datis larga vena aquis. Ilsi parcunt verbis; Moyses percutit, & bis percutit. Cum autem res est educendi aquas e silice, ita se gerit, veluti opus suum id esset, non Dei: *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* ac si nullam ea in re personam ageret Deus. Denique cum Deo gloria tribuenda esset, populique animus ad Deum convertendus, ea mentis commotione populum allocuti sunt, quæ illum excitaret potius, quam sedaret: *Audite rebelles*, &c.

Illud vero ingratissimum eo tempore Deo accidit, quod gloriam sibi ab illis non tribueretur. Id non semel exprobrat Scriptura: *Offendistis me in deserto*, ait inferius xxvii. 14. *nec sanctificare me voluistis coram multitudine*. Et in Deuteronomio xxxii. 51. *Prævaricati estis contra me in medio filiorum Israel ad Aquas Contradictionis, & non sanctificastis me inter filios Israel*. Psalmista, & Zacharias Moysis & Aaronis crimen in eo ponunt, quod dubitaverint: *Et distinxit in labiis suis*, ait David. Nutavit verbis suis: Ut qui minime dubitat, locutus non est: hæsit. Zacharias xi. 8. *Anima eorum variavit in me*, fluctuavit, dubitavit, incerta fuit. Author est Theodoretus (11), Moysem, cum sororem lugeret mœrore perculsus, horum incontinentiam intuitum, ira & tristitia detentum, non usitato more ac studio divinum mandatum ministrasse.

Plura venditant Hebræi de hoc Moysis lapsu. Volunt alii, in eo potissimum peccasse Moysem, quod rebellis ac increduli nomen populo Dei electo exprobraverit; qua in re mitius cum illo agendum erat. Docent alii, jussum a Deo Moysem e quadam certa silice aquas educere, ipsum, ut populo pareret, ex alia eduxisse. Ejus etiam criminis reum vocant, quod populo dubitandi ansam præbuerit, utrum Deus ex omnibus æque locis posset aquas educere, cum dixerit: *Num de petra hac vobis aquam educere poterimus?* Demum alii deridentis sensu verba Moysis interpretantur:

Præ-

(1) Exod. xv. 20. (2) Num. xii. 2. (3) Vide Hieron. in Zach. xi. 8. & alios passim. (4) Theodoret. in Mich. vi. 4. (5) Num. xi. (6) Num. xvi. 31. 32. (7) Lyran. Cornel. Grot. Malv. Jun. Piscat. (8) Abulens. Menoch. Bonfrer. Jansen. Barrad. &c. (9) August. qu. 19. in Num. & serm. 17. & Theodoret. qu. 38. (10) Psal. cv. 32. 33. *Irritaverunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus: & distinxit in labiis suis*. Vide Chrysost. in hunc Psal. & August. in eumdem Psal. (11) Theodoret. in Psal. cv. 32.

Præbendæ igitur a nobis sunt faucibus vestris aquæ de silice, quasi scilicet manna, qui cibus est maxime frigidus, impar sit siti vestræ & fami compescendæ (1). Sed interpretationes ejusmodi omnes infirmiores sunt, quam ut meditationes nostras detineant. Nec pariter immorandum nobis censemus in ejus rei examine, utrum Moysis & Aaronis crimen illud lethale reputandum sit, an veniale, quod nonnullos Interpretes occupat: sunt enim disputationes istæ errori maxime obnoxiæ.

℣. 12. Ut sanctificaretis me. Ut honorem, quam par erat mihi redderetis; ut apud populum conciliaretis mihi obsequium. De potentia Numinis nimis humilem ideam vestra diffidentia illis indidistis, qua vestra agendi ratione invidiam aliquam in potentiam meam conflastis.

℣. 13. Aqua contradictionis. Hebræus מי מריבה *Aquæ Meriba*, querelarum, dissidii, murmuris populi in Moysem & in Deum.

Sanctificatus est in eis. Exeruit potentiam suam, argumenta exhibuit tum infinitæ potentiæ suæ, tum erga populum clementiæ. Vel si hæc ad Moysem & Aaronem referas: *Sanctificatus est in eis*; documento plane illustri, exacta ex iis pœna monstravit, quæ præstanda esset Numini servitus, & quam alte illi fidendum. Addit vero Samaritanus: *Tunc dixit Moyses: Despota Domine, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, & manum tuam fortem. Quis enim Deus in Cœlis & in terra, qui fecerit secundum opera tua, & secundum virtutes tuas? Transeam, quæso, & videam terram illam bonam, quæ est trans Jordanem, montem illum bonum, atque Libanum. Sed dixit Dominus Mosi: Sufficiat tibi, ne addas loqui mihi amplius de hac re. Ascende ad verticem collis, & attolle oculos tuos ad Occidentem, ad Aquilonem, ad Meridiem, & Orientem, & contemplare oculis tuis; non enim transibis Jordanem istum. Præcipe etiam Josue filio Nun, & conforta eum, & corrobora eum; nam ipse transibit ante populum istum: ipse quoque dividet iis in hæreditatem terram quam videbis. Locutus est præterea Dominus Mosi, dicens. Sufficiat vobis circuire montem istum, convertite vos ad Septemtrionem. Populo vero præcipe, dicens: Vos transitis per fines fratrum vestrorum filiorum Esau habitantium in Seir: formidabunt autem vos, ideo custodietis vos plurimum. Ne conseratis cum eis prælium: non enim tradam vobis de terra eorum in hæreditatem, ne vestigium quidem plantæ pedis, quoniam in hæreditatem Esau tradidi montem Seir. Cibum emetis ab eis argento, ut comedatis; aquas etiam emetis ab iis argento, ut bibatis.* Excerpta sunt hæc ex Deuteronomio II. 1. &c. & III. 24. &c.

℣. 14. Misit interea nuncios. Hæc omnia jussu Dei exequutioni mandata fuisse constat ex Deuteronomio IV. 4. Castra tunc habebantur ad Cades, juxta montem Hor in finibus Idumææ (2).

℣. 16. Miserit Angelum. Vulgo hæc accipiuntur de Angelo Domini, socio Israelitarum fidissimo, postquam Ægyptum deseruerunt, qui Moysi in rubo ardenti per visum apparuit, cui & authori prodigia omnia in his libris narrata debentur. Ipse autem creditur S. Michael Archangelus. Persuadetur tamen nonnullis (3), ipsum se Moysem designasse hic nomine Angeli, vel Legati a Deo ad populi libertatem gerendam. Hebræum מלאך *Malach* sonat Angelum, virum a Deo legatum vel suscitatum. Hoc titulo donat Scriptura homines Dei (4), & Prophetas (5). Aggæus Propheta (6) ipse sibi vindicat titulum Angeli Domini; & Malachias (7) nomine *Angeli Domini exercituum* distinguit Sacerdotem. Sed præstat literalem expositionem de Angelo Domini retinere; neque enim Moyses hoc se titulo oggererer, verba faciens cum Rege Idumææ.

℣. 18. Cui respondit Edom: non transibis per me. Legimus in Deuteronomio II. 29. nonnulla, quæ rebus hic narratis repugnare videntur. Verba faciens ibi Moyses ad Regem Esebon, affirmat, Idumæos montis Seir transitum, & commeatus dedisse Israelitis per regionem suam. Ut hæc concilientur, reputandum est, Idumæos variis per varia loca paruisse Principibus, uti ex Genesis XIV. 6. satis constat. Idumæi montis Hor, quo viciniores accesserant tunc Israelitæ, transitum negarunt: vicissim autem qui montem Seir incolebant, antea venientes permiserant. Revocandum est in mentem, filios Edom primas habuisse sedes in montibus Seir; successu deinde temporis dilatasse pomeria in regionem Horræorum. Israelitæ pluribus annis Arabiam Petræam & viciniam regionis Seir peragrarunt, detinueruntque commercia cum Idumæis ibi versantibus: *Circuivimus montem Seir longo tempore*, ait Moyses in Deuteronomio II. 1. Tandem Idumæi transitum Hebræis non negarunt, sed vetuere, ne vitæ necessaria sibi in regione sua illi compararent.

Sed numquid Idumæi jure proprio, & omni æquitate poterant Israelitas transitu per regionem suam rogantes prohibere? Duo Viri doctissimi, Grotius ac Seldenus, hac in re dissident. Defendit Grotius (8), Idumæos nonnisi per summam injuriam id prohibuisse; eaque de causa jure Moysem indicere illis potuisse bellum, nisi Deus intercessisset. Affert in patrocinium opinionis suæ Sanctum Augustinum (9), quem dicit putasse, Hebræos jure inferre potuisse arma in Amorrhæos, negantes transitum per regionem suam iis, qui hostiles actus nullos se patraturos data fide spondebant: *Innoxius transitus negabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere debebat*. Id autem per se iniquum multo erat iniquius in Idumæis erga Israelitas fratres suos, qui jussi erant a Deo ab hostilibus omnibus erga illos abstinere; quique pariter Israelitæ nihil intentatum omiserant, ut æquissimo jure id exigerent ab illis. Addit Grotius, post negatam immerito hanc facultatem jus fuisse Hebræis vi exigere, quod precibus negabatur. Animadvertit in eam rem, Herculem arma intulisse in Orchomenios, & Græcos in Regem Mysiorum paribus causis provocatos. Quid autem potissimum causæ prætenderunt Christiani, ut jure se sumpsisse Crucesignata arma in Saracenos ostenderent, nisi quod isti liberum aditum Christianis peregrinis tendentibus in Judæam negarent?

Vicissim autem Seldenus (10) tuetur, Principibus semper jus fuisse assertum, negandi transitum per regiones suas alienis agminibus, sive præcautione quadam, ne invasionibus & ditionem suam, & subjectas sibi gentes exponant; sive morali ratione, ne mores alieni inducantur in regionem suam, quibus ex vitiato cum militibus commercio populi mores facile corrumpuntur. Producit in rem suam Albericum Gentilem, cujus est cum S. Augustino sententia, in unico tantum rerum eventu prohiberi jure non posse transitum exteris per regionem, cum scilicet certissime constat, innoxia illos omnia servaturos, cum malum præstare illi seu nequeant, seu nolint. Qui vero seu quando illa constabunt? Verum ut Grotii sententiam fulciamus, reputare possumus, Idumæis præsto fuisse omnia, quibus certam haberent spem, He-

(1) Rabb. apud Genebr. & Author Fascicul. myrrhæ, &c. (2) Vide Jud. XI. 16. 17. (3) Grot. Rab. Sal. & Maimon. (4) Judic. XIII. 1. (5) 2. Par. XXXVI. 16. (6) Agg. I. 13. *Dixit Aggæus nuncius Domini, de nuntiis Domini.* (7) Malach. II. 7. *Legem requirent ex ore ejus* (sacerdotis); *quia Angelus Domini exercituum est.* (8) Grot. lib. 2. c. 2. §. 13. de jure belli & pacis. Vide ejusdem Mare liberum l. 1. c. 1. (9) Aug. qu. 44. in Num. (10) Selden. mare clausum c. 20.

Hebræos intactis omnibus transituros; & si quid majus optarent, vix a Moyse petitum, fuisse obtenturos. Quam tenuerant rationem Hebræi erga incolas Seir, pignus erat & exemplum eorum, quæ sibi forent expectanda. Morum corruptionem metuere ab iis, qui sanctissimis legibus, & sapientissimo Legislatore regebantur, superfluum erat.

℣. 19. Nulla erit in pretio difficultas: tantum velociter transeamus. Hebræus ad literam (1): *Tantum non verbum; in pedibus meis transibo*, Seu: *Tantum non aliud: pedibus meis transibo*. Transitum postulo & ultra nihil; Seu potius: Nullum erit inter nos discrimen, ne verbum quidem; quam citissime transibo. Ludovicus de Dieu: *Profecto non est verbum; pedibus meis transibo*. Non vana spondeo, nec ventis loquor: itinerantis more ita transibo, ut ne arma quidem præferam: Transibo, nihil exigens, nihil usurpans, sed omnia emens pretio. Chaldæus: *Nihil mali erit: tantum transibo pedibus meis*. Septuaginta (2): *Sed res nulla est*, quod petimus levissimum est, nullius momenti, nihil est: *Juxta montem transibimus*, citissime per regionem tuam labemur.

℣. 22. Venerunt in montem Hor. Iter flexerunt ad meridiem, ut circumirent regionem Idumæorum, sedes habentium ad extremam oram maris mortui, & quorum regio porrigebatur ultra *Petram*, Metropolim Arabiæ Petrææ. Jam supra ex Eusebio didicimus, Cades ad hanc Urbem proxime accessisse. Chaldæus, Onkelos, & Syriacus conceptis verbis exprimunt, Israelitas movisse castra e Rekem, quæ ipsa est Petra, ut ad Montem Hor proficiscerentur. Igitur Cades consedisse necesse est in agro ejusdem urbis; sicut & eodem in loco continebatur mons Hor, si quæ fides Josepho (3); quod etiam confirmatur ex Eusebio, qui ad vocem Ὢρ tradit, monstrari adhuc juxta montem Hor silicem, unde Moyses aquarum venam eduxit. Habendus est igitur mons Hor non tanquam unicus & singularis mons, sed tanquam plurium montium uno ductu catena; quemadmodum & persimilem seriem montium referunt Libanus, Antilibanus, Taurus, aliique earum regionum celebratissimi. De nomine hujus montis fortasse appellati sunt Horræi, de quibus in Genesi. Ager huic monti adjacens, in quo consederunt Israelitæ, appellabatur *Mozera* vel *Mozeroth* (4).

℣. 24. Eo quod incredulus fuerit. Hebræus, & Chaldæus על אשר מריתם את פי, *Eo quod irritaveritis os meum*. Vel: *Eo quod rebelles fueritis ori meo*, verbis meis non obedieritis, jussionibus meis repugnaveritis. Septuaginta (5): *Quoniam exacerbastis me ad Aquas contradictionis*.

℣. 26. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues Eleazarum. Ascendit Aaron montem, insignia dignitatis suæ ferens; & antequam oculus luci claudat, omnia tradit manibus filio suo Eleazaro; atque ita novam illi dignitatem asserit. Cum autem Eleazar olim Sacerdotali unctione a Moyse initiatus fuisset; res utique non poscebat, ut hic iterum ea cæremonia innovaretur (6). Vel potius ea forte tunc omissa, suppleta est restituto in castra viro, antequam publice muneris sui exercitium iniret (7). Porro Aaron ut filium suum sacris vestibus indutum vidit, tranquillus inter Moysis, uti credere par est, manus animam efflavit. Eleazar, qui ex lege abesse debebat a funere patris sui (8), secus legalem maculam relaturus, facile in singulari hoc eventu privilegio exemptus fuit a lege, & supremum officium una cum Moyse patri amantissimo solvit.

Neque immotandum hic censemus narrandis iis, quæ Rabbini & Interpretum nonnulli (9) temere prorsus vendicarunt. Horum alii putant, Deum præparasse specum in monte, ubi præsto inventa sunt stratum, incensa lampas, & sepulchrum: Aaronem sponte in strato decubuisse, ubi requievit in Domino. Alii vero tradunt, Aaronem vale supremum dicto Moysi & Eleazaro, seorsum ab illis sese recepisse, obiisseque ab eorum oculis remotum; defuncti vero cadaver curasse Angelos. Josepho visus est Aaron decedens in declivi montis coram universo populo spectante constitisse. Sed in hoc capite legimus, ascendisse illum in verticem, ibique diem clausisse. Suspicatur Cajetanus, recedentem a castris virum plures ex Optimatibus comitatos fuisse, qui defuncto supremos honores impenderent; neque enim par esse ait, ut Summus Sacerdos solus cum fratre & filio suo conscenderit montem, destitutus corona amicorum ac necessariorum. Conjecturarum tamen ejusmodi quanta fides? Magnificum Aaronis elogium memoriæ posteritatis scriptum Spiritus S. in sacris voluminibus reliquit. *Pactum meum* (10) *fuit cum Levi* [cum Aarone, vel cum genere Sacerdotali] *vitæ & pacis; & dedi ei timorem, & timuit me, & a facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non est inventa in labiis ejus: in pace & in æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est*. Nec minori elogio illum prosequitur Author Ecclesiastici XLV. 7. *Excelsum fecit Aaron fratrem ejus* [Moysis]. *Statuit ei testamentum æternum* [cum eo fœdus æternum], *& dedit illi Sacerdotium gentis, & beatificavit illum in gloria, & circumcinxit eum zona gloriæ, & induit eum stolam gloriæ, & coronavit eum in vasis virtutis. Circumpedes & femoralia, & humerale posuit ei, & cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro. Stolam sanctam auro & hyacintho & purpura, opus textile viri sapientis, judicio & veritate præditi. Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem*.

Animadvertunt hic Patres (11), nec Moysem, imaginem referentem Legis, nec Mariam exhibentem Prophetas, nec Aaronem gerentem Sacerdotium veteris Legis, ejus virtutis fuisse, ut populum Dei in terram promissionis inducerent. Uni Josue, typo Jesu Christi, ejusque Ecclesiæ, id privilegium reservatum est. Porro Aaron in se uno conciliat characteres omnes, quibus multiplicem gerit rerum futurarum imaginem; Synagogæ nimirum & Ecclesiæ; Sacerdotii legalis, & Sacerdotii Jesu Christi: hæc autem simul omnia aliter & aliter repræsentat. Ecclesiæ Jesu Christi imaginem in eo gerit, quod Moysis Interpres est & Propheta. Rogat Legislator Deum ut mittat, quem mittere destinavit, missionis onus a se deprecans, ac prætendens linguæ suæ vitium, quo minus aptus sit ad verba populo habenda. Deus ipsi Aaronem tradit, quo tanquam Oratore utatur. Agnosce in Moyse Legem, in Aarone Evangelium. Ægre admodum sensa sua exprimit Lex: obscura loquitur Moyses; ejus leges spisso velo & tenebris obvolvuntur. Has tenebras dissipat Evangelium; quæ obscure & confuse Moyses, in apertam lucem producit Jesus Christus. Idem agnosce mysterium in Aarone, cui uni permissus est aditus in Sanctuarium, unde excluditur Moyses: ingreditur autem gerens sanguinem victimarum, ad expiationem universi Israelis; uti Jesu Christo patuit in Cœlum ingressus virtute sanguinis sui, eo veniens, ut criminum nostrorum remissionem procuret.

Præ-

---

[1] רק אין דבר ברגלי אעברה [2] Ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα οὐδέν ἐστι. Παρὰ τὸ ὄρος παρελευσόμεθα. [3] Joseph. Antiq. lib. 4. c. 4. [4] Deuteron. x. 6. [5] Παρωξύνατέ με ἐπὶ τοῦ ὕδατος τῆς ἀντιλογίας. [6] Cornel. a Lapide. [7] Jansen. [8] Levit. xxi. 11. [9] Vide apud Barrad. Itin. Israel. l. 8. c. 10. [10] Malach. ii. 4. 5. 6. 7. [11] Vide Hieronym. Epist. ad Fabiol. de 42. mansion. mans. 33. & alios.

Prærogativis hisce omnibus, quibus dignam gerit imaginem Servatoris Mundi, insignitus Aaron, adhuc tamen aliter spectatus unus idemque vir designat Legem, Synagogam, & vetus Sacerdotium, defectibus suis vitiatum. Lapsus est Aaron, & eo lapsus quo vix credas. Cultus vituli aurei culpa aspergitur; obmurmurantibus in Moysem accedit; fide nutat ad Aquas contradictionis; damnatur ut mortem obeat in deserto, neque, ut cupiebat, terram promissionis ingreditur; exuitur pariter ante obitum dignitatis suæ ornamentis, ut filium induat. His exhibentur Legis imperfectæ vitia, imbecillitas ipsius, reprobatio Synagogæ, & abrogatio Sacerdotii. Historiam Aaronis deprehendere licet in iis, quæ fabula narrat de Mercurio (1); unde menti suboriri potest opinio, Veteres aliquid novisse de vita rebusque gestis à primo illo populi Dei Sacerdote, cujus decora in unum e maximis ipsorum Diis transtulerint. Mercurius furum Deus est: Aaron substulerat Ægyptiorum divitias. Mercurius nuncius est & Interpres Numinum: Aaron Propheta & os Moysis, ac Domini Interpres. Pingitur Mercurius virgam auream tenens: Virgam Aaronis suis prodigiosam floribus, & ad latus Arcæ constitutam mox legimus. Mercurio inventæ lyræ honor tribuitur: Sacerdotes filii Aaronis, & Levitæ canendi instrumentis in Templo munus habent peculiare. Torrendi carnes inventor habetur Mercurius: torrebant & Levitæ, coquebantque carnes victimarum in Templo; Sacerdotes vero victimas cremabant in Altari. Mercurius Deus est itinerantium custos: Aarone & Moyse ducibus iter habet populus per desertum. Furto ablati boves Apollinis a Mercurio, emblema sunt aurei vituli, sive ut ita dicam, furti religionis Ægyptiacæ, bovi Apidi impensæ.

(1) Vide Apollodor. lib. 3. cap. 10. Biblior.

CAPUT XXI.

Victoria Israelitarum in Regem Arad. Populi in Moysem recens murmur; quibus puniendis Deus immittit serpentes. Serpentem æneum erigit Moyses, præsentissimum remedium Israelitis. Bellum in Sebon Regem Amorrhæorum, & in Og Regem Basan.

℣. 1. Quod cum audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnavit contra illum, & victor existens, duxit ex eo prædam. 2. At Israel voto se Domino obligans ait: si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus. 3. Exaudivitque Dominus preces Israel, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus; & vocavit nomen loci illius Horma, id est anathema. 4. Profecti sunt autem & de monte Hor per viam, quæ ducit ad mare rubrum, ut circumirent terram Edom. Et tædere cœpit populum itineris, ac laboris: 5. Locutusque contra Deum, & Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. 6. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, 7. Venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum, & te: ora, ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo; 8. Et locutus est Dominus ad eum: fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet. 9. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur. 10. Profectique filii Israel castrametati sunt in Oboth. 11. Unde egressi fixere tentoria in Jeabarim, in solitudine, quæ respicit Moab contra orientalem plagam. 12. Et inde moventes, venerunt ad torrentem Zared. 13. Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, & prominet in finibus Amorrhæi: siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas, & Amorrhæos. 14. Unde dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. 15. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum: 16. Ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, & dabo ei aquam. 17. Tunc cecinit Israel carmen istud: Ascendat puteus. Concinebant: 18. Puteus, quem foderunt principes, & paraverunt duces multitudinis in datore legis, & in baculis suis. De solitudine, Matthana. 19. De Matthana in Nahaliel: & de Nahaliel in Bamoth. 20. De Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum. 21. Misit autem Israel nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, dicens: 22. Obsecro, ut transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros, & vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec transeamus terminos

tuos.

suos. 23. Qui concedere noluit, ut transiret Israel per fines suos: quin potius exer-
citu congregato, egressus est obviam in desertum, & venit in Jasa, pugnavitque con-
tra eum. 24. A quo percussus est in ore gladii, & possessa est terra ejus ab Arnon
usque Jeboc, & filios Ammon: quia forti præsidio tenebantur termini Ammonita-
rum. 25. Tulit ergo Israel omnes civitates ejus, & habitavit in urbibus Amor-
rhæi, in Hesebon scilicet, & viculis ejus. 26. Urbs Hesebon fuit Sehon regis Amor-
rhæi, qui pugnavit contra regem Moab: & tulit omnem terram, quæ ditionis illius
fuerat, usque Arnon. 27. Idcirco dicitur in Proverbio; Venite in Hesebon, ædifi-
cetur, & construatur civitas Sehon. 28. Ignis egressus est de Hesebon, flamma de
oppido Sehon, & devoravit Ar Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon. 29.
Væ tibi Moab, peristi popule Chamos. Dedit filios ejus in fugam, & filias in ca-
ptivitatem regi Amorrhæorum Sehon. 30. Jugum ipsorum disperiit ab Hesebon, us-
que Dibon, lassi pervenerunt in Nophe, & usque Medaba. 31. Habitavit itaque
Israel in terra Amorrhæi. 32. Misitque Moyses, qui explorarent Jazer: cujus cepe-
runt viculos, & possederunt habitatores. 33. Verteruntque se, & ascenderunt per
viam Basan, & occurrit eis Og Rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai.
34. Dixitque Dominus ad Moysen: Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum,
& omnem populum, ac terram ejus: faciesque illis sicut fecisti Sehon regi Amorrhæo-
rum habitatori Hesebon. 35. Percusserunt igitur & hunc cum filiis suis, universum-
que populum ejus usque ad internecionem, & possederunt terram illius.

℣. 1. CHANANÆUS REX ARAD. Nomen hujus Regis Chananæi in Urbe Arad, ignoratur. Erat autem ea Urbs inter maxime meridionales Chanaanitidis, proxima Cadei, juxta Eusebium, & XX. M. passuum ab Hebrone, & IV. M. a Malachi. Post subactam ab Israelitis Chanaanitidem, posteri Hobab urbem hanc sitam in Tribu Juda tenuerunt.

Movendi in Israelitas belli rationem hanc tradunt Targum Jerosolymitanum ac Rabbini, obitum nempe Aaronis; quo obeunte, nubem Israelitarum ducem evanuisse, falsissime ajunt; Regem vero Arad populisse Israelitas spatio septem stationum, ab Hor usque Mozeram, quam præpostere cum Hazeroth confundunt. Reipsa tamen arma intulit in Hebræos ille, quod meditari illos intellexerit ingredi in regionem suam, vel forte ex illis aliquos eo pedem jam intulisse.

VENISSE SCILICET ISRAEL PER EXPLORATORUM VIAM. Idest, irruptionem meditari in ditionem suam bello non indicto, clam, per secretos cuniculos, exploratorum more: vel forte tentare illos ingredi per eamdem viam, quam olim tenuerant Exploratores, qui a Moyse missi venerant in regionem (1); vel saltem venire illos, viæ ducibus Exploratoribus illis, qui duces itineris ac magistri, utpote jam periti, semper exercitum præcessisse feruntur. Alii tandem cum Septuaginta vertunt (2): *Quoniam venit Israel viam Atharim*. Vox hæc sonans exploratores, usurpatur etiam pro nomine certi loci. Sunt qui hæc verba referant ad Regem Arad, quasi scilicet Princeps ille relatione Exploratorum comperisset, Israelitas iter meditari in regionem suam. Nobis tamen præstat reputare, Israelitas procedentes e Cades per viam Atharim, Arad versus, incidisse in exercitum hujus Regis, commisso prælio superatos.

VICTOR EXISTENS DUXIT EX EO PRÆDAM. Hebræus & Versiones ceteræ: וישב ממנו שבי *Duxit ex eo captivos*. Bello capti hostes, jure belli apud Veteres libertate spoliabantur, mancipiorum loco servire coacti: quin & jus sanguinis in illos integrum erat penes victorem.

Vendere cum possis captivum, occidere noli (3).

℣. 2. DELEBO URBES EJUS. Hebræus ad literam (4): *Anathematizabo urbes ejus*; solo æquabo. Leges Urbium devotarum anathemati habes in Levitico XXVII. & Deuteronomio XIII. Israelitæ voti hujus rei, aggressi Regem Arad, agmen ejus fuderunt, obvios & resistentes trucidarunt, lateque omnia tradiderunt incendio, quo pertupere: sed voti hujus fides penitus soluta non est, nisi post ingressum Josue in Chanaanitidem, fatis jam functo Moyse. Tunc enim tandem capto Rege Arad, ejus Metropolis subversa est, quam deinde posteri Hobab, fratris uxoris Moysis, restituere. Hæc succurrit conciliatio hujus Textus cum altero Josue XII. 14. ubi Rex Hered vel Arad inter eos recensetur, quorum ditionem occuparunt Josue & Israelitæ. Autumant nonnulli (5), historiam belli Israelitarum in Regem Arad hic extra suum locum narrari; consignari enim oportere post Jordanis transvadationem. Votum hoc, de quo Moyses, nuncuparunt Israelitæ in loco, *Horma*, *anathema*, appellato; tunc facile cum ab urgendis fugientibus Rex Arad cessavit. Reputaverim ego, *Horma* nomen esse ejus urbis, quæ in Josue est *Herma* (6), quæ pariter sese offert superius Capite XIV, 45. Vetus illi nomen erat *Sephaad*. *Judic*. I. 17.

Totum hoc Caput usque ad versiculum 17. implicatum est, si quod aliud, maxime, quod vel periodi quædam, vel adscititiæ aliquæ voculæ in Textum irrepserint. Ægre admodum conciliantur quæ hic legimus, cum aliis alibi a Moyse relatis.

℣. 4. PROFECTIQUE SUNT DE MONTE HOR PER VIAM QUÆ DUCIT AD MARE RUBRUM, UT CIRCUMIRENT TERRAM EDOM. Decreverant per regionem Edom perrumpere in Chanaanitidem; sed transitum negante Rege Idumææ, uti jam Capite XX. 18. narratum est, coacti sunt circumducere iter, flectentes prius per viam, quæ ad Mare rubrum ducit; statimque postea fines ditionis Moabiticæ ingressi sunt. Porro e monte Hor proficiscentes substiterunt Salmonæ, deinde in Phunon (7), ubi consignandum credimus & murmur, de quo in Capite V., & serpentum venenatos morsus, de quibus infra.

℣. 5.

(1) Num. XIII. 3. & seq. (2) כי בא ישראל דרך האתרים Ὅτι ἦλθεν Ἰσραὴλ ὁδὸν Ἀθαρείμ. (3) Horat. Vide Grot. lib. 3. de jure belli & pacis c. 7. (4) החרמתי את עריהם (5) Vide Bonfr. hic. (6) Josue XII. 14. Rex Herma unus, Rex Hered unus. Hebr. *Rex Chorma unus*, *Rex Harad unus*; (7) Num. XXXIII. 37. 41. 42.

℣. 5. Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Sunt qui argui his verbis credant sive mannæ aspectum, quæ nihil nisi vilissimi cibi genus præferebat, sive ejus levitatem. Cibus est imbecillior, quam ut valeat ad nutriendum, qui facili digestione resolvitur. Vertunt plerique (1): *Super cibo isto vilissimo*. Septuaginta (2): *Pane inani*, non solido, non robusto.

℣. 6. Ignitos serpentes. Hebræus ad literam (3): *Serpentes seraphim*, vel *urentes*; est enim *saraph* adurens; ex quo inditum nomen *Seraphim* uni e novem Choris Angelorum, quod ardeant velut igne concepto. Interpretum plerique reputarunt, Moysem nomine ignitorum serpentum pingere voluisse anguem Præsterem, non semel pro Dipsade acceptum. Posteriori huic nomen indidit sitis quam morsu parit; appellaturque in Deuteronomio VIII. 15. צמאון *Zimaon*, quod Hebræis idem sonat ac Græcis *Dipsas*. Nomen *Præster* ad literæ rigorem est *adustio*; morsu autem anguis hujus intumescit maligne corpus, & facies æstu intolerabili ardet (4).

Vocem Originalem hydrum vel chersydrum interpretatur Bochartus. Sunt autem hydri, quamdiu vivunt in aqua; cum vero locis palustribus arescentibus coguntur illi angues extra aquas degere, chersydri appellantur. Tunc & venenum acuitur; quo scilicet percussum noxio calore ardet corpus, tumescit, adustione cruciatur, hebetantur carnes, lividis ulceribus depascuntur, resolvuntur membra, ac tandem vomitu bilioso & fœtido agitatur ægrotus.

Septuaginta reddendum Hebræum planius censuerunt: ὄφεις τοὺς θανατοῦντας, *angues mortem afferentes*. Romæ olim in foro positus erat Anguis Serapus vel Serapis, sacrum Ægyptiis Numen. Interdum Deus Serapis pingebatur sub emblemate anguis, totam spiris suis ambientis figuram e Leone, cane, & Lupo simul coalescentem (5). Facile Nummis hujus nomen ex angue *Seraph* derivatum est. Porro Seraph alatum fuisse anguem Isaias (6) indicat. Docet Herodotus (7) se, cum esset in Ægypto, audisse, in eam regionem vere ineunte irrumpere consuevisse e vicina Arabia angues alatos. Quod ille oculatus testis probaturus, contulit se *Butum* [ipsa est Etham Moysis] ubi reipsa ossa plurima anguium illorum, quos aves Ibides hic corripuerant voraverantque, spectavit. Persimiles sunt, ait ille, hydris; alis vero instruuntur, non plumeis, ut aves, sed membranaceis, ut vespertiliones. Id genus anguium innotuit Priscis (8); nec facile alios credimus a Deo missos Israelitarum castra invasisse. Vocem *Saraph* S. Hieronymus in Deuteronomio reddit: *Serpens flatu adurens*.

℣. 8. Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo. Reddi potest Textus (9): *Fac tibi Saraph, & pone eum super vexillum*; nempe erige impositum sive lanceæ, sive hastæ militaris vexilli. Ex ære paratum serpentem hunc fert textus Vulgatæ, quod sumptum est ex ℣. 9. Id autem anguis simulacrum servarunt, detuleruntque secum in Chananæitidem Israelitæ; quin & ad ætatem usque Ezechiæ (10) perseveratum fuisse in cultu ejus superstitioso legimus; donec tandem pius ille Rex confracto simulacro scandalum removit. Monstratur hodie usque in Templo S. Ambrosii Mediolani (11) ænei serpentis statua, quæ Moysis ipsissima affirmatur. Vix tamen aliud æneus hic anguis esse credendus est, quam monumentum instar illius, & ad perennandam simulacri a Legislatore erecti memoriam positum.

Adducto hujus serpentis exemplo probant quidam vetustatem simul & vim præsentissimam in morbos & in morsus maxime venenatos, imaginum sub certis sideribus paratarum, Talismannorum, & cæterorum ejusmodi. Scitum est, olim excantari & cicurari consuevisse serpentes vi carminum: quod ipsa Scriptura affirmante (12) docemur, cum scilicet meminit aspidis obturantis aures suas, ne excantantium voces exaudiat.

Psyllorum & Marsorum virtus necandi & excantandi serpentes celebratur. Vendebant ii laminas quasdam æneas, præsentissimas, uti vulgus rebatur, ad valetudinem e morsibus serpentum restituendam (13). Porro Talismannica hac virtute latenti, quæ prodigiosa censeretur, valuisse æneum hunc anguem, insinuare nobis conatur Marshamus (14).

Sed hæc Marshami opinio adeo imbecillibus adstruitur argumentis, Scripturæ adeo repugnat, ut vel minimo in pretio haberi non mereatur. Virtus omnis Talismannica, carminum, excantationum & magicarum imaginum vis, quanta quanta est, ad Diabolum & versutiam impostorum referenda est: longe alia est indoles serpentis a Moyse erecti ad valetudinem e morsibus serpentum restituendam. Deus ipse per se remedium illud morbi præscripsit, indiditque simulacro vim naturæ suæ superiorem, & plane Divinam. Verissime Author Libri Sapientiæ XVI. 5. 6. 7. animadvertit: *Morsibus perversorum colubrum exterminabantur; sed non in perpetuum ira tua permansit, ... signum habentes salutis ad commemorationem mandati Legis tuæ. Qui enim conversus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem*. Scribit Fortunius Licetus (15), e corpore Hebræorum, quos angues pupugerant, prosiluisse parvos dracones, quibus miseri homines depascebantur; ita ferme quemadmodum & olim accidisse nonnullis referunt Plutarchus ex Agatharcide, & Diodorus Siculus (16). Ajunt Hebræi, Deum naturæ plane opposita remedia adhibenda censuisse in eorum opem, quos anguium virus oppresserat: fertur enim æs anguium veneno infectis plane adversari (17); nec latet, in morsibus venenatis in discrimen venire ægrotum, cui sive animal ipsum, sive ejus imago exhibeatur (18). Paraphrastes Jonathan ultro agnoscit, eos tantum beneficio valetudinis donatos fuisse, qui merito erecti in Deum cordis id sibi promeruissent.

Mo-

(1) נפשנו קצה בלחם הקלקל (2) Ἐν τῷ ἄρτῳ διακένῳ τούτῳ (3) הנחשים השרפים (4) Lucan. l. 9.

Nasidium Marsi cultorem torridus agri
Percussit Prester: illi rubor igneus ora
Succendit; tenditque cutem, pereunte figura,
Miscens cuncta tumor; toto jam corpore major,
Humanumque egressa modum, super omnia membra
Efflatur sanies, late tollente veneno.

(5) Macrob. Saturnal. l. 1. c. 20. (6) Isai. XIV. 29. & XXX. 6. שרף מעופף (7) Herodot. l. 2. c. 76. Τὸ δὲ εἶδος τοῦ ὄφιος, οἷόν περ τῶν ὕδρων. πτίλα δὲ οὐ πτερωτὰ φορέει, ἀλλὰ τῇσι τῆς νυκτερίδος πτερυγέεσι, &c. (8) Cicero, Joseph, Mela, Ammian. Solin. &c. apud Bochart. de anim. sacr. tom. 2. l. 3. c. 13. (9) עשה לך שרף ושים אתו על נס (10) 4. Reg. XVIII. 4. *Confregit serpentem æneum, quem fecerat Moyses; siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum.* (11) Morizon Voyage l. 1. cap. 16. (12) Psal. LVIII. 5. *Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium.* (13) Arnob. l. 2. contra gentes: *Adversus ictus noxios, & venenatos colubrorum morsus, remedia sæpe conquirimus, & protegimus nos laminis, Psyllis, Marsisque vendentibus, &c.* (14) Marsham Canon. Chronic. Ægypt. sæcul. X. pag. 148. 149. (15) Fortun. Licet. de sponte nascent. ortu. (16) Plutarch. l. 8. Symposiac. qu. 9. ex Agatharcide, & Diodor. Sicul. l. 3. p. 184. d. (17) Grot. (18) Vide Vag. Muis, Kimchi, Buxtorf. hist. serp. ænei.

Monet nos Jesus (1), Moysis erectum illum Serpentem typum fuisse erigendi corporis sui in crucem: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis*. S. Justinus in Apologia tradit, Moysem erexisse serpentem in crucem, quam in Tabernaculo statuit; nec sane locus erat alius aptior, ubi signum illud erigeretur, quam coram Sanctuario. Illud autem quod de cruce asserit Justinus, accipiendum est non de cruce, uti nostris moribus de erecta trabe intelligitur, cujus vertici transversa alia incumbit. Scriptores Græci Latinique crucis sæpe nomen usurpant de simplici furca vel stipite erecto. Agnoverunt Patres in eo angue plenum mysticum typum Jesu Christi in crucem sublati. Quemadmodum æneus ille serpens, ait S. Ambrosius (2), virtute sua venenum in iis destruebat, quos angues momorderant, ita pariter & in crucem erectus Servator totam late destruit virtutem Dæmonis, colubri illius veternosi: utque angue decepta prima muliere venenum corruptionis in universum hominum genus transfudit; ita & Jesus Christus in angue æneo expressus saluti est omnibus, qui in illum respicientes totam in eo spem suam collocant (3). Serpens æneus veneno carebat, sicut Jesus Christus peccato (4). Adami carnem ita induerat Christus, ut corruptionis particeps non fieret: sicut & æneum illud simulacrum figuram serpentis, belluæ veneniferæ & sævæ præferebat, minime vero sævitiam.

Pone eum pro signo. Non semel affirmavit Tertullianus, serpentem illum in stipite ita erectum fuisse, ut suspensus ab illo penderet: *Pendentis effigie*. Cum autem alatis serpentibus vexarentur Hebræi, vero proplus putamus, Moysem serpentem æneum conflandum curasse, persimilem anguibus illis vel draconibus, quos olim Veteres præferebant in insignibus: constituisse autem illum vel in hasta vel in signo aliquo militari. Monstratur prope montem Sinai procera maxime petra instar columnæ, super quam erectus æneus ille serpens fertur. Sed constat quam longissime a monte Sinai hæc contigisse. Locum hunc in Phunon vel Fanon ponit Bochartus: meminit autem hujus loci Moyses inferius XXXIII. 43. ubi narrat, Israelitas e Phunon profectos esse in Oboth. Porro Phunon in Idumæa æneis fodinis suis celebratur apud Profanos. Malunt tamen alii historiam hanc componere cum statione ad Salmona, quæ post montem Hor omnium prima occurrit. Nomen *Salmona* derivari potest ex Hebræo *Zelem*, quod sonat imaginem; quod loco nomen facile e simulacro ænei serpentis conciliatum est.

℣. 10. Profecti castrametati sunt in Oboth. Omittit hic Moyses Salmona & Phunon, quæ duæ sunt stationes inter montem Hor & Oboth, ab illo in capite XXXIII. 41. 42. recensitæ. Est Oboth locus Veteribus non ignotus, de quo Stephanus: Ὀβόδα χωρίον Ναβαταίων, *Oboda statio Nabatæorum*. Colebatur ibi Deus Obodas, vetus provinciæ Rex inter Numina consecratus, cui & Dusarem, alterum Regem ejusdem loci, jungit Tertullianus (5). Meminit etiam Plinius (6) Urbis Ebodæ in Arabia, quam Helmodæis tribuit.

℣. 11. Fixere tentoria in Je-Abarim. Vocem *Je-Abarim* exponunt Interpretes alii quidem, *vada transituum* vel *transeuntium*; alii, *angustiæ Abarim*, vel *cumuli Abarim*. Prima versio ex eo adstruitur, quod Je-Abarim adjaceret torrenti Zared (7); quare commode accipitur de vado, unde Israelitæ torrentem trajecere. Sed opinioni exponenti de angustiis vel de cumulis montium Abarim illud repugnat, quod inter stationem Je-Abarim, & montes, de quibus agitur, Moyses (8) constituit stationes torrentis Zared, Mathanæ, Nabaliells, Bamoth Arnon, Dibongad, & Helmondeblataim; quæ loca longe nimis removent Je-Abarim a montibus Abarim: nisi latissime porrigamus montes illos per totum latus Orientale Moabitidis, quod æquissime in re præsenti censeretur. Namque Eusebio & S. Hieronymo (9) est statio Gai vel Hai (10), eadem ac Jee prope urbem Petram in Arabia: affirmat autem Moyses, Orientalem fuisse regioni Moab: *In solitudine, quæ respicit Moab contra Orientalem plagam*. Reputaverim ego quidem, Jee eamdem esse urbem ac Gai, vel Hai, de qua Jeremias XLIX. 3. qui constituere illam videtur in regione Moab: *Ulula, Hesebon, quoniam vastata est Hai*.

Addit hic Samaritanus aliquid, decerptum ex Deuteronomio II. 9. *Dixit Dominus Mosi: Ne hostiliter agas cum Moab, neque prælieris cum eo; non enim dedi tibi de terra ejus in hæreditatem, sed filiis Loth dedi Ar in possessionem*.

℣. 12. Venerunt ad torrentem Zared. Torrentis hujus fontes sunt in montibus ad Orientem Moabitidis: is vero fluens ex Oriente in Occidentem, devolvitur in Mare Mortuum. Torrentem hunc transvadarunt Israelitæ, XXXVIII. annis post murmur in Cades-barne, uti Moyses in Deuteronomio II. 14. animadvertit. Hic constituti Israelitæ in limine regionis Moab, jussi sunt a Deo abstinere manus ab Ammonitis & Moabitis, uti hic refert Samaritanus. Septuaginta reddunt hunc Textum: *Castrametati sunt in valle Zared*. Hebræum equidem *Nachal* significat vallem vel torrentem, torrentem vero potius credimus, quod in Deuteronomio II. 13. 14. agatur de transvadatione torrentis Zared.

℣. 14. Castrametati sunt contra Arnon. Torrens vel fluvius Arnon [fluvius enim appellatur a Josepho (11), Scriptura (12) & hic pariter ℣. 14.] fontes habet in montibus Orientalibus Moabitidis, & ex Oriente ad Occidentem fluens, post separatas veteres regiones Moabitarum & Ammonitarum, in mare mortuum devolvitur, proxime ad ostia Jordanis, in idem mare influentis. Cum Israelitæ pervenissent e Torrente Zared ad Solitudinem Cademoth (13), antequam trajicerent Arnon, Moyses per Legatos petiit a Sehon transitum per ejus ditionem. Sehon rogantibus negavit: tum Deus trajici Arnon jussit (14). Hæc commode reputantur, ut concilietur hic Textus cum Deuteronomio. Fert hic Hebræus: *Castrametati sunt* מעבר *a transitu* [trans] *Arnon*. Ita & Septuaginta: Ἐν τῷ πέραν Ἀρνῶν, *trans Arnon*; qui loci situs, si Moysem scribentem post transvadationem hujus torrentis spectes, rectissime constituitur. Sunt qui reddant: *Cis Arnon*; sed in expositione in eumdem sensum conveniunt.

℣. 14. Unde dicitur in Libro bellorum Domini. Liber hic bellorum Domini inter ignotos est ignotissimus. Censet S. Augustinus (15), Commentarios fuisse ejus gentis, qui historiam illius scriptam referebant; sed quo potissimum narrabatur bellum, de quo hic, magnum adeo reputatum, ut appellari meruerit Bellum Domini. Addit, Moysem utentem testimonio ejus Libri, plus illi authoritatis non conciliasse, quam S. Paulum Græco illi Poetæ, cujus sententiam recitavit. Maluerunt Rabbini, nomine hujus libri agnoscere librum Numerorum, vel Josue, vel Judicum. Putavit Cajetanus designari a Moyse Psalmos CXXXV. CXXXVI. Sed Judæi Doctores (16) agnoscunt pecu-

[1] Joan. III. 14. [2] Ambros. l. 1. de Apolog. David c. 3. [3] Tertull. lib. cont. Jud. c. 10. & lib. 3. cont. Marcion. c. 18. [4] Theodoret. qu. 38. in Exod. & Aug. l. 1. de peccator. meritis c. 32. [5] Tertull. ad Nation. l. 2. c. 8. [6] Plin. l. 6. c. 28. [7] ℣. 12. [8] Num. XXXIII. 45. 46. & hic ℣. 12. [9] Euseb. & Hier. in locis. Ἐν αἷς ἂν τοῦ Γαὶα πόλις, τῇ Πέτρᾳ παρακειμένη. [10] עיי העברים Γαὶ ἐν τῷ πέραν. [11] Joseph. Antiq. l. 4. c. 4. [12] 2. Reg. XXIV. 5. 4. Reg. 2. 33. [13] Deut. II. 26. [14] Ibid. 24. [15] Aug. q. 42. in Num. [16] Hebr. in Lyr. Olcast. Vat. Grot.

liarem alium Librum, vertuntque Hebræum *Sepher*, historiam vel narrationem rei gestæ: *Unde dicitur in historia bellorum Domini*; idest: Hinc fit, ut in historia bellorum Domini exordium ab iis ducatur, quæ gesta sunt in Amorrhæos & populos Basanitidis. Tostatus eosdem esse censet Librum bellorum Domini, & Librum Justorum, de quo Josue x. 13. & secundus Regum liber 1. 18. Non desunt tandem (1), qui suspicentur, hunc locum hic additum esse ab iis, qui Libros Moysis recensuerunt. Quæ posterior sententia his potissimum adstruitur argumentis.

Nullus erat ante Moysem Liber bellorum Domini; neque enim populus Domini bella adhuc gesserat quam Amalecitarum, intra paucos dies confectum (2); quamvis autem reputaretur, hoc bellum relatum fuisse in scriptum ea de re Commentarium, una cum præcepto delendi Amalecitas; sive hic Liber scriptus fuerit ab ipso eodem Moyse authore, sive ab alio quocumque, vix credimus, Legislatorem ex eo sumpsisse testimonium eorum quæ narrat de trajectione Arnon. Cum enim testimonium scriptoris alicujus affertur ad fulciendam rei veritatem, id tum fit solummodo, cum agitur de rebus, quibus dubia esse potest fides, vel quæ ignotæ sunt iis, ad quos liber dirigitur, cum referat res longe remotissimas ab ætate Scriptoris. Hic autem nulla ex his rationibus movere poterat Moysem, ut scriptorem alium testem suæ narrationis induceret. Scriptis enim ea mandabat, quæ omnes norant, quæque populus coram se gesta spectaverat, atque ut singula contingebant, statim referebat in Commentarium. Quid opus fuisset testimonio Scriptoris vel alieni, vel domestici in hoc rerum eventu? Numquid plus norat ille quam Moyses, vel ipsi per se Israelitæ?

At enim Moyses testimonium alieni Scriptoris recitavit, ut dicto suo fidem non apud Hebræos quidem præsentes, sed apud futuram posteritatem adstrueret. Quis vero scriptor ille alienus, qui consilium molitus est referendi posteris historiam bellorum Domini, quo tempore vix illa inceperant? Id quidem commodum fuisset pro ætate Moysi posteriore. Sunt utique Hebræorum bella satis grandia, ut convertant in se mentem & oculos exterorum; sed Moysis ætate vix divinari poterat, quis futurus esset eventus, quod fatum illorum.

Quod in hac objectionum difficultate dicendum superest, si locum hunc pro Mosaico accipias, illud est, nimirum Legislatorem vel per se vel per alios retulisse in Commentarios ea omnia, quæ in populo Domini gerebantur; cum autem in hoc Libro nonnisi obiter leviterque narrare vellet ea quæ contingebant, commodius duxisse, Lectores ad eum librum remittere, in quo res fusius accuratiusque narrabantur. Ita & additionem in hoc Libro non admittimus, & æquam Libri Bellorum Domini notitiam discimus.

Verum si Moyses remittendos tantum censuit ad hunc Commentariorum Lectores, cur decerpta ex illo verba recitat? Si fusiorem narrationem evitabat, cur hac cautione hic tantum, & numquam alias in toto Opere, utendum censuit?

Commodius fortasse credimus, ea quæ hic bella Domini appellantur, ea fuisse, quæ gesserunt Israelitæ sub Moyse, Josue, Judicibus, usque ad Regnum Davidis. Saul Davidem excitabat (3): *Præliare prælia Domini*. Cum Tribus Ruben & Gad jussæ sunt trajicere Jordanem, ut fratribus suis in Chananitidis expeditione suppetias ferrent, indictum est illis ut procederent (4) *Armati ad bellum coram Domino*. Horum igitur bellorum historiam continebat Liber bellorum Domini; ut perinde esset ac publicus Commentarius, in quem referrentur majoris momenti gesta, quemadmodum in Annales Regum Juda & Israelis sæpe adeo productos in Libris Regum referebantur. Soli autem ex eo Commentario deducti sunt versiculi 14. & 15. hujus Capitis; isque liber, ut conjecturis assequi licet, opus erat, fuse res prosequeretur, & prosa oratione conscriptus esset. Porro genus illud Librorum facile scripserunt privati quidam, spiritu quidem Dei non afflati, sed publica authoritate in eam rem electi: vel forte homines ad alia quidem numine afflati, sed privato tantum spiritu hæc scribentes, ut S. Augustinus (5) de Libris quibusdam, in Scriptura quidem laudatis, sed in Canonem sacrorum Librorum non receptis, animadvertit.

Quicumque tandem is fuerit Liber bellorum Domini, illud certo affirmandum est, fragmentum saltem ejus hic recitatum fidem sibi asciscere plane divinam, quamvis etiam reputaretur post Moysis obitum Operi accessisse. Sed modo ad ejus fragmenti expositionem.

Sicut fecit in Mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Sunt qui rei futuræ vaticinium hic agnoscant, eadem scilicet prodigia, quæ in transfretatione Erythræi contigerunt, innovanda esse Israelitis in vado Arnon, ejusque alveum hiscentibus aquis transitum illis daturum in regionem Sehon. Aliis vero ita reddendum probatur: *Sicut fecit in Mari Rubro*, divisis aquis, & ejus alveo exsiccato; ita pariter & *in torrente Arnon* arens ejus alveus spectabitur. Huic sententiæ fidem adstruere aliquam possunt Psalmus LXXIII. 15. & Habacuc III. 13. 14. 15. ubi de pluribus amnibus a Domino exsiccatis in commodum Israelitarum ex Ægypto egredientium agitur. Paraphrastes Chaldæus vel ipso nomine exprimit Arnon in Textu Psalmi modo recitato.

Sed Hebræus hic, qualem præferunt nostra ætate Biblia, obscurissimus est, adeo ut vix interpretationem admittat. Ita sonat ad literam (6): *Ad Vaheb in Supha, ad torrentem Arnon*. Cum verbum hic omne desit, supplere illud pro jure suo sibi quisque nititur. Plures reddunt: *Certavit contra Vaheb in Supha ad torrentem Arnon*: Vaheb autem appellatum dicunt Regem Moab, prælio victum a Sehon. Alii vertunt: *Venit ad Vaheb, ad Supha &c.* Grotius pro *Vaheb* legendum censet *Moab*: *Sehon præliatus est in Moab ad Supha*. Aliis tandem est *Supha* vox appellativa, & *Vaheb* ajunt sonare, fecit, dedit; ut sit sensus: *Dedit turbinem in torrentibus Arnon*.

Mihi vero hæc interpretatio probatur: *Castrametati sunt ad torrentem Zared*; [inde] *venerunt ad Supha*, & [demum] *ad torrentem Arnon*. Legendum ego censuerim *Zared* (7) pro *Vaheb*, quod hic nullo sensu est positum. Supple vero: *Castrametati sunt*, quod paulo antea legitur; vel si mavis: *Trajecerunt torrentem Zared ad Supha*; quod in eumdem sensum collimat. Narravit Moyses ℣℣. 12. & 13. Israelitas venisse ad torrentem Zared, tum ad torrentem Arnon, qui definit segregatque Amorrhæorum, & Moabitarum ditiones. Ad confirmandam dicto suo fidem, recitat testimonium e Libro Bellorum Domini, qui proinde Liber paria retulisse censendus est. Quare legendum est *Zared* pro *Vaheb*, & *Supha* accipiendum pro certo nomine loci, cujus etiam meminit Deuteronomium I. 1. & facile etiam Numeri XXXII. 35. ex quo nomen suum duxisse Sophanitas apud Ptolemæum, censet Grotius. Atque ita demum omnia confirmantur, quæ narrata sunt ℣℣. 12. & 13. hujus Capitis ex recitato Bellorum Domini testimonio. Superest, ut quæ sequuntur ℣. 13. confirmata ex eodem Libro videamus.

℣. 15.

(1) Cornel. a Lapide. (2) Vide Exod. XVII. 14. (3) 1. Reg. XVIII. 17. (4) Num. XXXII. 29. 32. (5) Aug. l. 18. de Civ. Dei c. 38. *Existimo, etiam ipsos, quibus ea, quæ in authoritate esse deberent, Sanctus utique Spiritus revelabat, alia, sicut homines, historica diligentia, alia, sicut Prophetas, inspiratione divina scribere potuisse.* (6) את והב בסופה ואת הנחלים ארנון (7) את זרד בסופה

℣. 15. Scopuli torrantium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar, et recumberent in finibus Moabitarum. Sunt (1) qui temere prorsus affirment, scopulos ad Arnon sponte sese evulsisse, ut cadentes opprimerent hostes Israelis, ripas ejus torrentis ob prohibendum illis transitum obsidentes. Malunt alii, hiscentes scopulos illos, vel divisas aquas per medium alveum transitum illis dedisse in regionem. Sed cui bono tanta Commentorum molimina? Ita litera Textus (2): *Et castrametati sunt in effusione* (fluento) *torrentium, quæ declinavit* (pervenit) *ad habitationem Ar, & innititur finibus Moab*. Moyses, uti jam superius animadversum est, narraverat, torrentem Arnon medium inter Amorrhæorum, & Moabitarum regiones fluere. Probatur id testimonio Libri Bellorum Domini, narrantis, Israelitas castra posuisse ad Arnon, *ad effusionem* (fluentum) *torrentium, quæ inclinatur* (deflectitur) *ad Urbem Ar*, huic amni adjacentem: postquam enim defluxit a septemtrione ad meridiem, verso cursu flectitur ad Urbem Ar, & directo alveo ab Oriente ad Occidentem, in mare mortuum defertur. Describit autem limites regionis Amorrhæorum, & Moabitarum.

℣. 16. Ex eo loco apparuit puteus. Id est, moventes e torrente Arnon, venerunt in locum, ubi indicante Deo puteum nacti sunt, Hebræus fert: *Hinc* venerunt *ad puteum, quem* (cujus occasione) *dixit Deus ad Moysem*. Huic stationi nomen e puteo non prius accessit, quam post indicatum a Deo puteum illum Moysi. Hic, ut puto, definit fragmentum e Libro Bellorum Domini, & Mosaica narratio resumitur. Porro locum hunc fuisse oportet in regione Sehon; nulla enim ejus occurrit mentio inter stationes Israelitarum recensitas hic capite xxxiii. nisi forte sub alio nomine latere censeatur.

℣. 17. Tunc cecinit Israel carmen istud: ascendat puteus. Concinebant. Hebræus: *Tunc Israel cecinit canticum hoc: Ascende putee. Responde*, seu *Cane ritu intercalari*. Magnum utique aliquid accidisse in hac statione necesse est, cum Dominus verba faciens ad Moysem, imperarit, cogeret cœtum Israelitarum, denunciaretque futurum, ut tradente se aquas haberent; populus vero novo cantico celebrarit putei hujus inventi seu prodigium, seu beneficium, laboremque Seniorum populi, qui puteum illum jussu Legislatoris baculis suis effoderant. Scribit Philo (3), populum inventis in eo puteo aquis sese in novum canticum effudisse, pedemque movisse ad choreas, gratias de tanto beneficio Domino acturum. Addit, Principes sumptus contulisse suos, quo puteum illum ita pararent, *ut ex magnificentia Regum opus appareret*. Sed quibus infercit hic Author narrationem Mosaicam, splendidis additamentis non capimur: aptius enim in rem præsentem reputamus, populo in hac Statione aquis carenti Deum indicasse puteum, quem incolæ regionis aggesta arena occuluerant: hunc autem sibi primum a Deo detectum Legislatorem monstrasse Principibus, qui Moysi facile fidem habuere: suis enim baculis eruta arena, statim puteum detexerunt. Scitum est, in Arabia & finitimis regionibus, ubi raræ sunt aquæ, incolas aggesta arena, si qui sunt in agro, puteos celare. Fama est, adhuc in Idumæa scaturigines esse plures cæcas & occultas, omnibus, præterquam incolis, ignotas; referuntque Itinerantes, cruenta interdum institui certamina pro fonte vel puteu, quem Arabes defendere nituntur, itinerantibus omnibus exclusis.

Ascendat puteus. Concinebant. Paraphrastæ, quos sequuntur Rabbini, docent, lætum hunc hymnum cantatum fuisse, cum traheret secum agmen aquas illas e silice Oreb eductas, a quibus nunquam Israelitæ relinquebantur, sive montes ascenderent, sive iter haberent per valles. Principes, inquiunt, in arena, vel in humo ducebant baculis suis sulcos, qui confestim subeuntibus aquis implebantur. Sed hæc ad Rabbinicas fabellas amandamus (4). Canticum, de quo hic sermo, cecinit populus hoc puteo invento, de quo mox actum est. Præfert Hebræus (5), decantatum fuisse iisdem per intervalla modulis recurrentibus, vel a viris & mulieribus alternatim per choros: *Ascende putee: respondete ei* (canite laudes): *Ascende putee. Puteum foderunt eum Principes, exciderunt eum duces populi, in Legislatore suo, in fulcris* (baculis) *suis. Ascende putee: respondete ei, &c.*

Verbis illis, *Ascende putee*, invitabant aquas ut ascenderent, totum replentes puteum. Hunc versiculum ita reddunt Septuaginta: *Tunc cecinit Israel canticum hoc super puteum: Præcinite illi: Puteum foderunt illum principes: exciderunt illum reges gentium in regno ipsorum, dum dominarentur eis.*

℣. 18. De solitudine, Matthana. Seriem narrationis intermissum resumit hic Moyses. Moventes Hebræi e torrente Zared, e deserto, de quo mox actum est ℣. 3. in finibus Amorrhæorum, venerunt in Matthana, locum ad Arnon xii. M. passuum a Medaba, Orientem versus, situm. Hunc locum ætate sua appellari *Maschana*, tradit Eusebius. Matthana non recenset Moyses inter stationes, quas enumerat Capite xxxiii. hujus Libri; sed constat, non omnes stationes Israelis in deserto hic recenseri; neque etiam cogimur affirmare, loca omnia, quorum hic nomina legimus, stationes fuisse; forte enim loca erant tantum, per quæ transierunt Hebræi, ut ad stationes, Capite xxxiii. relatas, proficiscerentur.

℣. 19. De Matthana in Nahaliel, de Nahaliel in Bamoth (℣. 20.) Bamoth vallis est in regione Moab. Hæc pariter loca frustra quæras in censu stationum. Docet Eusebius, *Nabaliel* adjacuisse ad torrentem Arnon. Hebræum *Nahaliel* sonat, *Deus torrens meus*; Bamoth, *Excelsa*. Quare si Bamoth vallem fuisse putes, pugnantia loqui videare. Sed testis est Eusebius, Bamoth Urbem fuisse Moabiticam ad Arnon: quare merito affirmare potuit Moyses, Bamoth, unde iter habuerunt Israelitæ, vallem fuisse. Urbs Bamoth forte imminebat colli; ager *Bamoth* ad ejus pedes jacebat.

Hebræus habet (6): *De Nahalid, Bamoth; de Bamoth, in valle, quæ est in agro Moab, capite* (initio, vertice) *Phasga, & respicit super facies solitudinis*. Mons Phasga erigebatur medius inter regionem Ruben & Moabiticam. Hunc Moyses conscendit, jussu Dei, prospecturus regionem Chanaan, & animam Deo redditurus (7). Ejusdem montis in verticem ductus est a Balac ariolus Balaam, ut Israeli mala imprecaretur (8). Appellatur etiam idem mons *Abarim & Nebo* (9). Crediderim ego quidem, montes Abarim ad occidentem regionis Sehon varia subiisse nomina, pro vario situ, quem tractu suo occupabant, variisque jugis, quæ componebant. Locus ille, ubi constiterant Israelitæ, appellabatur *Nebo*, vertex, *Phasga*. Posterior hæc vox sonat, fractus, præruptus; & totum hunc locum ita reddunt Septuaginta: *Venerunt in saltum, qui est in campo Moab, a vertice* (montis) *excisi, quod spectat ad faciem deserti*. Nomina Bamoth & Phasga generico sensu accepit Chaldæus: *De colle venit ad vallem*, quæ

(1) Rabb. apud Lyr. Menoch. Bonfrer. Montan, &c. (2) ואשר הנחלים אשר נטה לשבת ער ונשען לגבול מואב (3) Philo l. 1. de vita Mos. [illegible] (4) Vide Exod xvii. 6. & 1. Cor. x. 4. (5) עלי באר ענו לה באר חפרוה שרים כרוה נדיבי העם במחקק במשענתם (6) ומבמות הגיא אשר בשדה מואב ראש הפסגה ונשקפה על פני הישימון (7) Deut. xxxiv. 1. (8) Num. xxiii. 14. (9) Deut. xxxii. 49. *Ascende in montem istum Abarim . . . in montem Nebo, &c.*

quæ est in agris Moab, in verticem collis, & prospicit contra Beth jesimoth. Postremum hoc nomen, quod in ipso pariter Hebræo legitur, appellatio est Urbis non semel in Scriptura occurrentis sub nomine *Beth Jesimoth*. Josue XIII. 28. illam jungit cum Phasga; & Ezechiel (1) de ea ita, ut de optima inter urbes Moabiticas, loquitur. Moyses, Capite XXXIII. 45. 46. 47. inter Je-Abarim, & montes Nebo vel Abarim duas tantum stationes ponit, Dibongad & Elmondeblataim. Mihi quidem probatur, montes Abarim porrigi e Septemtrione ad meridiem, cis & trans Arnon; Je-Abarim vero, qui locus erat ultra Zared, nomen suum accepisse e monte Abarim. Eusebius & S. Hieronymus (2) eo de monte agunt sub nomine *Baru*, vel *Bari*, constituuntque juxta Beelmeon & Carjataim.

℣. 21. MISIT AUTEM ISRAEL NUNTIOS AD SEHON. Legatos hosce viros misisse Moysem, cum populus pervenisset ad Cademoth, legimus in Deuteronomio II. 24. 25. Censet autem Eusebius, hoc nomine Desertum significari, longe aliud ab urbe Cademoth, aliter appellata *Jesson*; & reipsa quidem duo hæc loca alterum ab altero distinguere necesse est, cum Jephte in Libro Judicum affirmet, Moysem Arnon trajicere noluisse, nisi petita obtentaque ex Sehon Rege Amorrhæorum facultate. Ut ille negavit, Deus imperavit Moysi, ut transiret. Sed urbs Cademoth remotior in regione continenti erat, ac vulgo in medio montis Phasga statui solet.

Regnum Sehon Regis Amorrhæorum definiebatur ad Orientem & Meridiem a torrente Arnon; ad Septemtrionem a fluento Jeboch; ad Occidentem, ab Jordane. Nec Moyses arma inferendi in eum Regem consilium agitaverat; res enim erat illi tantum cum Chananæis transjordanicis. Nonnisi a Deo jussus arma sumpsit in Regem Sehon & Og; quamquam subjecta illis regio continebatur intra limites promissionis a Deo factæ Abrahamo (3), cui spoponderat, late se illi omnia concessurum, quæ intra limites fluvii Ægypti & Euphratis clauderentur. Norat Deus prævisione sua pervicaciam & injustitiam utriusque hujus Principis, qua in regionem suam provocaturi erant & bellum, & cum bello excidium. Expendimus superius XX. 18. ubi egimus de Idumæis, quid putandum sit de ratione agendi Regis Sehon, cum Israelitis transitum rogantibus negavit.

℣. 22. NON BIBEMUS AQUAS EX PUTEIS. Non bibemus aquas, nisi emptas pretio, vel non bibemus e vestris puteis, contenti sitim levare amnium & torrentium aquis, donec ad Jordanem pervenerimus; neque enim longum est iter, cum Arnon a Jordane nonnisi decem leucarum distinguat intervallum.

℣. 23. VENIT IN JASA. Urbem Jasa constituit Eusebius, *in locis*, inter Urbes Medabam, & Debus vel Dibon; nota est autem oraculis Isaiæ & Jeremiæ (4). Hic prælium commissum est Amorrhæos inter & Hebræos. Non longe aberat ab Arnon, cum Sehon eo usque processerit, prohibiturus, ne Israelitæ in regionem suam penetrarent.

℣. 24. AB ARNON USQUE JABOC ET FILIOS AMMON; QUIA FORTI PRÆSIDIO TENEBANTUR TERMINI AMMONITARUM. Victoria de Sehon relata, Hebræi universa ejus Regis ditione potiti sunt; ejus vero fines ℣. 21. descripsimus. Ne penetrarent in terras Ammonitarum non id tantum vetuit, quod Deus interdicto suo Israelitas cohiberet, sed quod etiam gentes illæ intra fines suos sese muniissent; seu veteri cautione adversus molimina Sehon, seu nova adversus Israelitas, quos accedere propius norant. Septuaginta legunt hic (5): *Quia Jazer termini filiorum Ammon sunt*. Hæc tamen minus vera ad literam stricte videntur. Jazer collocanda est in ditione Sehon: hanc XV. M. passuum ab Hebron removet Eusebius; & ex iis quæ de illa scribit, hæc legisse in Septuaginta, quæ nos, non videtur.

℣. 26. URBS HESEBON FUIT SEHON ..... QUI PUGNAVIT CONTRA REGAM MOAB. Data occasione hic Moyses narrat historiam subactæ Urbis Hesebon a Sehon Rege Amorrhæorum, pulsis Moabitis, veluti purgaturus Hebræos ab invidia, quasi scilicet regionem occupaverint olim ab exordio Moabiticam, adversus quam moveri arma Deus vetuerat. Notat Moyses, regionem illam cum in Israelis potestatem venit, juris fuisse non Moabitarum, sed Amorrhæorum; quare ex his justo bello ereptam, jure gentium sibi acquisivisse victores (6), quin pristinis possessoribus iterum eam sibi vendicandi ulla ratio superesset. Nec immerito ea cautione usus est Legislator; successu enim temporis sub Jephte lis agitari cœpit Hebræos inter & Moabitas, his querentibus, Moysem occupasse regionem suam, quæ proinde Dominis suis iterum vindicanda esset (7). Porro Sehon Moabitis totum regionis tractum ab Hesebon usque ad Torrentem Arnon porrectum abstulerat. Urbem Hesebon norant Veteres sub nomine Esbus; erat autem Metropolis Regni Sehon, inter montes jacens, e regione Jerichuntis, & XX. M. passuum a Jordane.

℣. 27. IDCIRCO DICITUR IN PROVERBIO: VENITE IN HESEBON. Hebræus (8): *Idcirco Moschelim* (quibus Proverbia & parabolæ sunt familiares) *dicunt: Venite in Hesebon*. Septuaginta (9): *Propterea dicent ænigmatistæ: Venite in Hesebon*. Qui proverbia ista usurpabant, Veterum Poetarum genus erant, Poetico quodam, figurato, & sententioso sermone loquentes, quorum dicta, sermones & sententiæ memoria posterorum perennabantur. Familiare id erat maxime Orientalibus, qui in eo partem scientiæ, & sapientiæ suæ constituebant, nihilque habebant magis sublime & elegans, quam Poesim hanc naturalem. Proverbium hic recitatum a Moyse struxerant Amorrhæi subditi Regis Sehon, cum hic regionem Moabiticam occupasset. Id vero aperte constat ex derisoria illa loquendi phrasi, qua Amorrhæi insultant victis ℣. 29. *Væ tibi, Moab; periisti, popule Chamos. Dedit filios ejus in fugam, & filias in captivitatem, Regi Amorrhæorum Sehon*. Ad hæc, milites Sehon mutuo se invicem hortabantur ad restituendam urbem Hesebon in Regis sui commodum: *Venite in Hesebon: ædificetur & construatur civitas Sehon*. Minime igitur mirum est, si Moyses Proverbia hæc laudet, sua jam ætate vetusta. Unum est autem hoc e vetustissimis Canticis triumphi & victoriæ, quotquot unquam noverimus.

℣. 28. IGNIS EGRESSUS EST DE HESEBON ..... ET DEVORAVIT AR MOABITARUM, ET HABITATORES EXCELSORUM ARNON. Sehon, ablata Moabitis Hesebone, arma intulit usque ad Urbem Ar, & excelsa Arnon, vel juxta Hebræum, usque ad *Bamoth Arnon*. De hac urbe satis nos ad ℣. 19. *Ar Moabitarum* ipsissimam esse quidam (10) censent ac *Aroer*, locum ad torrentem Arnon celebrem. Sed multo potiori jure defendunt alii (11), duo hæc nomina duas referre longe diversas Urbes. Parebat Ar Moabitis, quo tempore Hebræi venerunt in Regionem (12); illisque semper deinceps paruit: ex quo datur suspicioni locus, nunquam tantum valuisse Sehon, ut tentatam licet hanc

(1) Ezech. XXV. 9. *Inclytas terræ*, Betjesimot. (2) Euseb. & Hieronym. in locis, in Beelmeon, & Carjataim. (3) Genes. XV. 18. (4) Isai. XV. 4. Jerem. XLVIII. 21. (5) Ὅτι Ἰαζὴρ ὅρια υἱῶν Ἀμμάν ἐστι. Hebr. כי עז גבול בני עמון (6) Vide Grot. de jure belli & pac. l. 3. c. 6. (7) Judic. XI. 13. (8) על כן יאמרו משלים (9) Διὰ τοῦτο ἐροῦσιν οἱ αἰνιγματισταί. (10) Adrichom. (11) Bonfrer. (12) Deut. II. 9. 18. 29.

hanc Urbem superaret. Sed Urbem Aroer Israelitæ, victo Sehon, sibi vindicarunt, eamque Moyses in suam portionem Gaditis adscripsit.

Alter Textui sensus datur, juxta Samaritanum & Septuaginta. Legunt illi *Ad* pro *Ar* in Textu; ex quo non leve sensus discrimen resultat (1): *Quia ignis egressus est ex Hesebon, & flamma de urbe Sehon: comedit usque ad Moab, dominos excelsorum Arnon*. Nomine horum *Principum excelsorum Arnon*, vel *Bamoth Arnon*, accipi possunt vel tantum possessores ejusdem Urbis, vel Numina eorum collium, quod maluit Arabs; vel Sacerdotes eorum Numinum, uti Chaldæus; vel Principes, Magistratus, Columnæ Arnun, juxta Septuaginta (2). Scitum est, stylo Scripturæ sæpe ignem & flammam de bello usurpari. Vide Judices IX. 20. Verba hæc Moysis repetens Jeremias XLVIII. 45. paulo aliter legit; *Ignis egressus est de Hesebon . . . & devoravit partem Moab, & verticem filiorum tumultus*, vel excelsi. Vide infra caput XXIV. 17.

℣. 29. Periisti, populi Chamos. Insultant hic Amorrhæi per apostrophen Moabitis. Chamos Numen erat Moabitarum; illud autem onerant invidia amissi a populo suo prælii, quasi scilicet sua imbecillitate illos ab eo casu eximere non valuisset. Est autem hæc appendix indignæ illius ideæ, quam de majestate Numinum suorum conceperant Pagani. Ut enim populos gentesque norant victos seu victores, imbecilles seu fortes, de imbecillitate vel potentia Numinum judicabant; suum ita in Deos obsequium vel contemptum moderantes. Si res pro voto successisset, thure statim & focis colebatur Deus; si male res esset gesta, squallebat Ara, & Numen ipsum in discrimen veniebat, ne supposito igne cremaretur. Quis esset Deus iste Chamos, peculiari Dissertatione inquisivimus.

Dedit filios ejus in fugam. Chamos Deus Moabitarum cultores suos ludibrio hostium permisit; ne in fugam agerentur non prohibuit, urbes eorum dereliquit victorum direptioni, puellas & matres captivitati. Chaldæus, Syriacus, & Arabs: *Tradidit filios ejus obsides*. Voces Originalis נתן בניו פליטם plerumque significant eos, qui post amissum prælium saluti suæ fuga consulunt. Reddi posset Textus: Chamos dereliquit Sehoni subjectos sibi Moabitas, tanquam fugitivos offerentes libertatem suam victori, ut vitam servent. Vel potius: Eo redactus est Chamos, ut imperet tantum manui ignavorum, qui coram Sehone fugæ se dediderunt.

℣. 30. Jugum ipsorum disperiit, ab Hesebon usque Dibon. Imperium Moabitarum eversum est penitus, ab Hesebon usque Dibon (3). Jugum hic positum est pro imperio: sita erat Hesebon circa extremam septemtrionalem oram Regionis victæ a Sehone: quare pronum est judicemus, Dibon ad extremam alteram oppositam oram meridionalem constitutam fuisse, ad Torrentem Arnon. Hinc Moyses in Numeris XXXIII. 44. 45. 46. collocat Dibon-Gad circa eum locum in censu Stationum Hebræorum: est enim illi Dibon-Gad inter Je-Abarim & Helmon-Deblataim. Variat autem id plurimum a Tabulis Geographicis.

Hebræus hujus Textus discrepat a Vulgata. Ita ille ad literam (4): *Lucerna eorum periit, Hesebon usque ad Dibon*. Nomine lucernæ non semel in Scriptura designantur posteritas & filii. Psalmus CXXXI. 17. *Producam cornu David* (gloriam David) *paravi lucernam* (filium nempe Messiam) *Christo meo*. Proverbia XX. 20. *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris*. Hunc sensum retinuerunt Septuaginta (5): *Et semen totum peribit, Hesebon usque Debon*. Vox *lucerna* usurpatur etiam interdum pro Regno (6); quo forte spectarunt in versione sua Vulgata & Chaldæus.

Lassi perierunt in Nophe, et usque Medaba. Nullibi uspiam in Scriptura recurrit nomen *Nophe*; quare suspicamur, designari ea voce Urbem Nabo, de qua Isaias XV. 2. & XLVI. 2. & Jeremias XLVIII. 1. 22. tanquam una ex Urbibus florentissimis Moabitarum. Isaias jungit Medabæ, quemadmodum & hic pariter ambæ junguntur. Porro Medaba urbs est nota, ab Hesebon non remota. Moabitæ, instante Sehon pressi, receperunt se in Medabam & Nophe. Hebræus fert (7): *Mulieres eorum* (perierunt) *usque ad Nophe, prope Medaba*; Hostis diripuit, vastavit; captivas fœminas & pueros abduxit, ab Hesebon usque Nephe prope Medabam, circa meridiem in ditione Moab. Chaldæus: *Vastaverunt usque Nophe, quod est conjunctum ad Medaba*. Septuaginta (8): *Mulieres eorum succenderunt ignem in Moab*; quæ verba nullum hic sensum reddunt.

℣. 32. Misit Moyses, qui explorarent Jazer. Jazer sita erat ad fontes amnis ejusdem nominis, XV. M. passuum ab Hesebon (9). Urbs est in Scriptura inclyta, in distributione regionis Levitis assignata: tunc autem parebat Amorrhæis, cujus incolas omnes cepit Moyses. Hebræus (10): *Possedit Amorrhæum qui ibi habitabat*. Vel juxta Septuaginta: ἐξέβαλον τὸν Ἀμορραῖον, *ejecerunt Amorrhæum*; legunt enim ויגרשו. Resistentes omnes trucidavit, & sponte sese dedentes abduxit captivos.

℣. 33. Occurrit eis Og Rex Basan . . . in Edrai. Plures Fabulas venditant Rabbini de Og Rege Basan, cujus meminit hic Moyses. Unus erat, inquiunt, e celeberrimis illis Gigantibus Antediluvianis, qui se ab inundantibus late omnia aquis recepturus in tutum, ascendit tectum Arcæ Noemicæ: sed fabulis hisce minime detinemur. Is gigas originem ducebat e Rephaim, cujus immanis molis mensuram in Deuteronomio III. 11. tradit Scriptura. Liber obitus Moysis (11), ut utriusque hujus Gigantis Og & Sehon immanem staturam exaggeret, scribit, diluvii aquas ad genua utriusque non ascendisse. Regio Basan e fertilissimis totius Israeliticæ ditionis habebatur, & greges Basanitidis memorantur sæpe in Scriptura. Successu temporis nomen ei regioni conciliatum est *Bathanæa*. Definiebatur ab Oriente & Septemtrione Montibus Galaaditidis; ab Occidente, Jordane; a Meridie, torrente Jaboc. Urbs Edrai, teste Eusebio, distabat XXV. M. passuum a Botzra; constitui autem solet quinque leucis a torrente Jaboc in plaga septemtrionali.

(1) כי אש יצאה מחשבון להבה מקרית סיחן אכלה ער (עד Samar.) מואב בעלי במות ארנן (2) Ὅτι πῦρ ἐξῆλθεν ἐξ Ἐσεβὼν, φλὸξ ἐκ πόλεως Σηὼν, καὶ κατέφαγεν ἕως Μωὰβ, καὶ κατέπιε στήλας Ἀρνῶν. (3) Ita Onkelos. (4) נירם אבד חשבון עד דיבון (5) Καὶ τὸ σπέρμα αὐτῶν ἀπολεῖται, Ἐσεβὼν ἕως Δαιβών. (6) 3. Reg. XI. 36 & 4. Reg. VIII. 19. *Noluit Dominus disperdere Judam propter David servum suum, sicut promiserat ei, ut daret ei lucernam, & filiis ejus cunctis diebus.* (7) ונשים עד נפח אשר עד מידבא (8) Αἱ γυναῖκες αὐτῶν ἔτι προσεξέκαυσαν πῦρ ἐπὶ Μωάβ. (9) Euseb. in locis. (10) ויורש את האמרי אשר שם (11) Vide Petirath Mose, a Domino Gaulmin Paris. edita 1629.

CAPUT XXII.

Balac Rex Moabitarum accersit ariolum Balaam, ut veniens diris devoveat Israelitas. Balaam exoratur. Asina illum alloquitur. Angelus necem illi minitatur: pervenit ad Balac.

℣. 1. PRofectique castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans Jordanem Je-
richo sita est. 2. Videns autem Balac filius Sephor omnia, quæ fecerat
Israel Amorrhæo; 3. Et quod pertimuissent eum Moabitæ, & impetum ejus ferre
non possent, 4. Dixit ad majores natu Madian: Ita delebit hic populus omnes, qui
in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere.
Ipse erat eo tempore rex in Moab. 5. Misit ergo nuncios ad Balaam filium Beor
ariolum, qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, ut vocarent eum, &
dicerent: Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ, se-
dens contra me. 6. Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me est: si
quo modo possim percutere, & ejicere eum de terra mea: novi enim, quod bene-
dictus sit, cui benedixeris; & maledictus, in quem maledicta congesseris. 7. Perre-
xeruntque seniores Moab, & majores natu Madian, habentes divinationis pretium in
manibus. Cumque venissent ad Balaam, & narrassent ei omnia verba Balac; 8. Ille
respondit: Manete hic nocte, & respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Manen-
tibus autem illis apud Balaam, venit Deus, & ait ad eum: 9. Quid sibi volunt ho-
mines isti apud te? 10. Respondit: Balao filius Sephor, rex Moabitarum misit ad
me, 11. Dicens: Ecce populus, qui egressus est de Ægypto, operuit superficiem
terræ: veni, & maledic ei, si quo modo possim pugnans abigere eum. 12. Dixit-
que Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque maledicas populo: quia benedictus
est. 13. Qui mane consurgens dixit ad principes: Ite in terram vestram, quia pro-
hibuit me Dominus venire vobiscum. 14. Reversi principes dixerunt ad Balac: No-
lult Balaam venire nobiscum. 15. Rursum ille multo plures, & nobiliores quam an-
te miserat, misit. 16. Qui cum venissent ad Balaam, dixerunt: Sic dicit Balac fi-
lius Sephor: Ne cuncteris venire ad me: 17. Paratus sum honorare te, & quidquid
volueris, dabo tibi: veni, & maledic populo isti. 18. Respondit Balaam: Si dede-
rit mihi Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero immutare verbum
Domini Dei mei: ut vel plus, vel minus loquar. 19. Obsecro, ut hic maneatis et-
iam hac nocte, & scire queam, quod mihi rursum respondeat Dominus. 20. Venit
ergo Deus ad Balaam nocte, & ait ei: Si vocare te venerunt homines isti, surge,
& vade cum eis: ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero, facias. 21. Surrexit Balaam
mane, & strata asina sua profectus est cum eis. 22. Et iratus est Deus. Stetitque
angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, & duos pueros habebat
secum. 23. Cernens asina angelum stantem in via, evaginato gladio, avertit se de
itinere, & ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, & vellet ad semitam re-
ducere. 24. Stetit angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingeban-
tur: 25. Quem videns asina, junxit se parieti, & attrivit sedentis pedem. At ille
iterum verberabat eam. 26. Et nihilominus angelus ad locum angustum transiens,
ubi nec ad dexteram, nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit. 27. Cumque
vidisset asina stantem angelum, concidit sub pedibus sedentis: qui iratus, vehementius
cædebat fuste latera ejus. 28. Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci
tibi? cur percutis me ecce jam tertio? 29. Respondit Balaam: Quia commeruisti, &
illusisti mihi: utinam haberem gladium, ut te percuterem. 30. Dixit asina: Nonne
animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? dic, quid
simile unquam fecerim tibi. At ille ait: Numquam. 31. Protinus aperuit Dominus
oculos Balaam, & vidit angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum
pronus in terram. 32. Cui angelus: Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam? Ego
veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria. 33. Et nisi asi-
na declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, & illa viveret. 34. Dixit
Balaam: Peccavi, nesciens quod tu stares contra me: & nunc si displicet tibi, ut va-
dam, revertar. 35. Ait angelus: Vade cum istis, & cave, ne aliud, quam præcepero

tibi,

tibi, loquaris. Ivit igitur cum principibus. 36. Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum ejus, in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon. 37. Dixitque ad Balaam: Misi nuntios, ut vocarem te, cur non statim venisti ad me? an quia mercedem adventui tuo reddere nequeo? 38. Cui ille respondit: Ecce adsum: Numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo? 39. Perrexerunt ergo simul, & venerunt in urbem, quæ in extremis regni ejus finibus erat. 40. Cumque occidisset Balac boves, & oves, misit ad Balaam, & principes, qui cum eo erant, munera. 41. Mane autem facto duxit eum ad excelsa Baal, & intuitus est extremam partem populi.

℣. 1. CASTRAMETATI SUNT IN CAMPESTRIBUS MOAB, UBI TRANS JORDANEM JERICHO SITA EST. Non satis accurate definiri potest Regnum Moabitarum: quod tamen maxime exigerent ea, quæ modo & quæ deinceps narranda sunt. Nobis ea sedet opinio, Moabitas servasse sibi tractum trans, idest, ad meridiem Arnon, cum interim Sehon regionis ad septentrionem hujus torrentis partem maximam occuparet: partem, inquam, maximam; constat enim Phasga adhuc paruisse Moabitis, cum Balac eo deduxerit Balaamum. Jus metropolis Moabitarum semper retinuit Ar, vel *Kir-Areseth*, ad Arnon sita, quæ appellatur in Numeris XXI, 13, *Terminus Moab*. Cum Hebræi transitum per eorum regionem evitassent, satis habuerunt, exteriori circuitu circumambire eorum fines, illis intactis. Trajecto Arnon, relataque de Sehon Rege victoria, Israelitæ castra habuerant in vastis illis agris, Jordani adjacentibus, e regione Jerichuntis, consilio transmittendi statim Jordanem, ac subeundi Chanaanitidem. Hos agros appellat Scriptura *Campestria Moab*, non idcirco scilicet quod Moabitis parerent, sed quod e Moabitis priscis dominis ad se derivasset Sehon, atque ex Sehon recepissent Israelitæ. Moabitæ cum seu florentes Hebræorum res ægre ferrent, seu e potentibus finitimis fatale sibi aliquid ominarentur, quippe qui noscerent futurum, ut brevi parere cogerentur populo, cui ne vires quidem Sehonis resistere valuissent; sese Madianitis vicinis suis, occupantibus modicum regionis tractum ad Arnon, junxere. Fœderatæ illæ gentes cum adhuc impares sese intelligerent, ut superarent Hebræos, ad artes ignotiores confugiendum censuere; statueruntque, per accitum elati nominis Ariolum, diris Hebræos devovere: qua de causa Deus Moabitas hostes declaravit.

Septuaginta, Theodotion, & Græci ita reddunt Hebræum hujus Textus (1): *Castrametati sunt ad Occidentem Moab, juxta Jordanem contra Jericho*. Huic interpretationi illud accidit percommodum, ut per se explicet, cur agri illi appellentur Campestria Moab; quamquam enim extra fines ejus ditionis erant, illi tamen erant reipsa occidentales.

℣. 2. BALAC FILIUS SEPHOR . . . . [℣. 4.] DIXIT AD MAJORES NATU MADIAN. Regiones Moabitarum & Madianitarum altera alteri jacebant proximæ: æque utrosque intererat, Hebræos vel removere vel profligare. Balac Rex Moab consilium suum hac in re communicavit, junxitque cum Senioribus & Principibus Madianitarum. Ex universa hac historia innuitur, Madianitarum politiam non Reges curasse, sed Principes, quos *Seniores* appellabant. Longe alii sunt Madianitæ isti ab aliis ejusdem nominis ad orientem maris Rubri; hos enim adjacuisse necesse est ad meridiem regionis Sehon, ad occidentem Moabitarum in Arabia Petræa. Metropolis eorum adjacebat ad Arnon, proxima Ar Metropoli Moabitarum, ut docet S. Hieronymus in Locis; qui & affirmat, sua ætate Urbis illius rudera superfuisse. Porrigebantur ad Orientem & circa extremam oram septentrionalem maris mortui.

℣. 3. ET QUOD PERTIMUISSENT EUM MOABITÆ, ET IMPETUM EIUS FERRE NON POSSENT. Videntur Hebræi sese ad inferenda in Moabitas arma præparasse (2); vel saltem timuisse Moabitæ, ne impares essent, ut Israelitis resisterent, cum illi sese aggrederentur. Nihil facile norant de datis a Deo jussionibus, ut illis parceretur; sed cum reos se intelligerent negati transitus Hebræis, reputarunt, nunquam illos defuturos, quin ultionem ea de re exigerent. Hebræus: *Timuit Moab a facielus filiorum Israel, quia multus erat* ויקץ מואב *& fuit in angustia Moab*, suis se munitionibus clausit, *ob Israel*. Septuaginta: Προσώχθισε, *adversatus est*.

℣. 5. MISIT ERGO NUNCIOS AD BALAAM . . . ARIOLUM, QUI HABITABAT SUPER FLUMEN TERRÆ FILIORUM AMMON. Hunc amnem, quo Ammonitarum regio perluebatur, quem habuit præ oculis S. Hieronymus, cum ita Textum verteret, penitus ignoramus. Hebræus legit (3): *Misit legatos ad Balaam in Pethor, quæ est super flumen terræ filiorum populi sui*, idest, populi Balaam. Luculenter exprimit Chaldæus sensum hujus Textus ferens, Balac misisse *ad Balaam in Pethor Syriæ* [Hebr. *Aram*] *quæ est juxta Euphratem, in terra filiorum populi sui*. Urbs *Pethor*, vel *Phator*, vel *Phatora*, nota est in Ptolemæo sub nomine *Pacoræ*. Eusebio (4) est pariter Pathura supra, vel trans Mesopotamiam; idest, in parte superiori Mesopotamiæ. Nos constituendam esse malumus circa Tapsacum, & trans Euphratem.

Septuaginta ita usurparunt illud *Pathura*, tanquam pars esset nominis Beor patris Balaam (5): *Misit legatos ad Balaam filium Beor Pathura, qui est super flumen terræ filiorum populi illius*. Sed Scriptura patriam Balaami incertam atque conjecturis perquirendam non relinquit; eam enim aperte in Deuteronomio XXIII. 4. determinat, narrans venisse hominem e Mesopotamia, in Hebræo *Aram Naharaim*; & Capite XXIII. 7. hujus Libri Balaam appellatur *Aramæus*: est autem Aram regio Syriam & Mesopotamiam complectens. S. Petrus (6) innuere videtur, Balaamum hominem fuisse e Bosor. Textus Græcus habet hic, filium fuisse Bosor; nec facile aliter legit S. Petrus in suis Codicibus. Traditio Judæorum S. Hieronymi ætate (7) ferebat, Balaamum originem suam retulisse e Buz filio Melcha; ipsum autem eumdem fuisse ac Eliu, unum ex amicis Job, qui cum antea vir fuisset sanctus & veri Dei Propheta, degeneravit in Ariolum, e priori dignitate ab avaritia, & animi pervicacia deturbatum.

In judicio de Balaam ferendo dissidium est sententiarum. Philo (8) asserit, originem illum retulisse

(1) ויחנו בערבות מואב מעבר לירדן ירחו Παρενέβαλον ἐπὶ δυσμῶν Μωὰβ παρὰ τὸν Ἰορδάνην κατὰ Ἰεριχώ. (2) Origen. homil. 13. in Numer. (3) וישלח מלאכים אל בלעם . . פתורה אשר על הנהר ארץ בני עמו Legit S. Hieronymus *Ammo*, pro *Ammo*; sumpsitque *Phator*, פתור suo litterali sensu pro *vate*, *Ariolo*. (4) Φαθουρὰ ὑπὲρ τὴν Μεσοποταμίαν κεῖται. (5) Πρὸς Βαλαὰμ υἱὸν Βεὼρ Φαθουρά, &c. (6) 2. Petri II. 15. *Secuti viam Balaam ex Bosor*. Græc. Ἐξακολουθήσαντες τῇ ὁδῷ τοῦ Βαλαὰμ τοῦ Βοσόρ. (7) Hieronym. quæst. Hebr. in Genes. (8) Philo in lib. 1. de vita Mos.

tulisse suam ex inclytis Prophetis regionis, nihilque præstitisse, Domino inconsulto; sed alibi (1) plurimo contemptu hominem traducit, tanquam sophistam, scientia artis suæ abutentem; iniquum, hominem auguria captantem, & ariolantem. Scite animadvertit Origenes Homilia XIII. in Numeros, opus utique esse, ut Balaam famam sui nominis apud eas gentes longe lateque promoverit, illamque sustinuerit artis suæ felicibus experimentis, cum tantum valuerit apud Balac, tantumque spei Rex ille in homine collocarit, emeritque tanti ejus imprecationes, & e regione adeo longinqua acciverit hominem, certus ejus verba plus roboris habitura in Israelem, quam copias atque arma. Sed tota hujus hominis vis magicis artibus debebatur, nec ejus scientia aliud sibi proponebat, quam ut aliis malediceret: *Non enim habebat potestatem, vel artem verborum ad benedicendum, sed habebat ad maledicendum. Ars enim magica nescit benedicere, quia nec Dæmones sciunt benefacere.* Non igitur distinguebat Origenes Balaamum ab Ariolis, & excantatoribus, plurimumque aberat, ut illum veri Numinis cultorem fateretur. In eamdem sententiam descendisse videtur Theodoretus (2), docens, Balaam non consuluisse quidem verum Deum, sed Deum etiam inconsultum illi hac occasione respondisse, atque indidisse ori verba, a quibus pronunciandis abhorrebat. Addit, gentes illas inani plane idea hujus hominis occupatas fuisse; quas enim imprecabatur, diræ nihil roboris habebant ad nocendum. Animadvertit, Balaamum, cum non ignoraret Numinis providentiam, nihil tamen arte sua diabolica intentatum reliquisse, ut Deum a proposito voluntatis suæ removeret; quasi scilicet Deus in censum illorum Numinum, quæ Pagani mutabilia appellant, referendus esset. Sed brevi frustra se laborare, Deumque consilia sua non perinde ac homines mutare intellexit. S. Cyrillus Alexandrinus (3) ne hæsitans quidem affirmat, Balaamum virum fuisse scelestum, magum, idololatram, Pseudo-Prophetam, cui veritas tum primum & invito explorata fuit; cum id Israelitis commodum accideret. Caiphæ illum comparat S. Ambrosius (4), quippe qui prophetiam ignorans, & imprudens effutiit. Cum Deus permisit Balaamum oracula pronunciare, eo tantum consilio id præstitit, ut tentaret hominem, potius quam ut eo indicio approbationis erga illum suæ daret argumenta: perinde erat ac cymbalum tinniens, expers gratiæ eorum omnium, quæ pronunciabat: denique ariolus fuit merus, non Propheta.

Hæc porro sententia, quæ Balaamum rejicit ad Magos, Ariolos, Idololatras, communior videtur inter Patres & Scriptores Commentariorum (5); cui etiam fides adstruitur testimonio Scripturæ, hominem arguentis nota *Arioli* (6); quod in sinistram partem in eadem Scriptura semper accipitur, cum ars divinandi & auguriorum veræ Religionis dogmate vetaretur. Ad hæc Balaam ascendit loca celsa, Numinibus consecrata (7): ascendit sacra operaturus: conatur se quodammodo subtrahere impressioni Divini Spiritus, cientis intus linguam suam, & ea inspirantis, quæ consilio ejus & voluntati repugnabant. Ita loquitur de illo ubique Scriptura, tanquam de viro insigniter scelesto. S. Petrus comparat nequissimos infelici huic, *qui mercedem iniquitatis amavit* (8). S. Judas (9) eodem illum in censu habet cum Cain & Core, inter reprobos scelestissimis, quorum Scriptura meminerit.

His licet ita sese habentibus, non desunt, quibus Balaam probetur tanquam veri Dei Propheta, quamquam vita & moribus corruptissimus. Jam supra nos docuit S. Hieronymus, Hebræorum opinione egisse verum Prophetam, donec avaritia corrupto Deus nonnisi nomen Arioli deinceps concessit. Reputat Tostatus, non immerito affirmari posse, egisse illum revera Prophetam: certe constat, illum Deo afflatum eximia oracula pronunciasse. Consulit Deum Jehovah, uti docet Moyses (10) non obscure; eumdemque Deum suum appellat ℣. 18. *Non potero immutare verbum Domini Dei mei.* Idem ipse Dominus per visum apparans vetuit primum, tandem permisit, ut ad Balac pergeret. Offert se coram illo Angelus Domini, alloquitur, remoratur, mandatis suis onerat. S. Augustinus (11), quamquam in tota hac agendi ratione egisse demonstrat Balaamum hominem impium, scelestum, reprobum; pronunciare tamen non audet, purum putumque fuisse Magum: quin inclinari videtur in sententiam, quæ censet cieri illum intus a bono Spiritu: ipsiusque Balaami ac Saulis exemplo probat, Deum uti quandoque impiis, ad oracula. Addit, Balaamum inter eos futurum, qui suprema Judicii dia responsuri sunt Judici: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* neque tamen eo privilegio e numero reproborum eximentur, quod charitate fuerint destituti. Vide etiam Caput XXIII. ℣. 1. Veteres Hebræi (12) plura olim de rebus a Balaamo gestis comminiscebantur; narrabant enim, illum primo a consiliis Pharaoni fuisse; cum vero ex aula sese recepisset in Æthiopiam, ibi ad defectionem secum sollicitasse celebrem quamdam Urbem, quam insuperabilem efficere magicæ virtutis suæ artificio tentaverit. Regem vero Ægypti movisse in illum arma, comitante exercitum Moyse: mortuo autem Rege in ea expeditione, ducendi exercitus provinciam Moysi incubuisse, qui Urbem superavit: Balaamum præcipiti fugæ datum se se in Arabiam recepisse. Rabbinorum quidam censent, Balaamum per se scripsisse totam hanc historiam in Numeris narratam, quam ibi inserendam, sicut & alia plurima, Moyses judicaverit. Ita e. g. ex alieno benedictiones Jacobi filiis collatas, & sententias quasdam Libri Bellorum Domini recitavit. Malunt alii, Ariolum hunc scripsisse librum oraculorum suorum, unde Moyses in suum hæc derivaverit. Origenes (13), & Author Operis imperfecti (14) putant, Magos, qui cunas Jesu Christi adoraturi venerunt, versasse Libros Balaami, ex quibus didicerint ortum novi Regis Judæorum, cum novum quoddam astrum emicaret. Est aliis Balaamus vir idem ac Laban; aliis idem ac Eliu, Jobi amicus.

℣. 6. VENI IGITUR, ET MALEDIC POPULO HUIC. Veteri persuasione apud eas gentes increbuerat, dira & fausta maledicta vel pias imprecationes, excantationes, devotionesque hominum, quos afflatos superiori aliquo Spiritu, probo vel malo, rebantur, valuisse plurimum non in certos modo homines, in greges, in fructus agrorum, sed in regiones, terras, & integras populorum nationes. Hoc excantandi genere evocabantur olim Dii hostilium urbium præsides, atque custodes, eo scilicet consilio, ut illæ Diis suis relictæ, potissimo etiam muni-

(1) Lib. Quod deter. por. insidiari soleat; & lib. Quod Deus sit immutabilis. [illegible] Vide etiam Phil. l. de migrat. Abrah. (2) Quæst. 39. in Num. & qu. 42. (3) Cyrill. Alex. lib. 4. & 6. de ador. in spirit. & verit. (4) Ambr. Ep. 50. 1. class. edit. nov. (5) Oleast. Lyr. Tirin. Cajet. Burg. Jansen. &c. (6) Josue XIII. 22. *Balaam, filium Beor, ariolum, occiderunt, &c.* (7) Vide hoc cap. ℣. 41. & XXIII. ℣. 2. 3. (8) 2. Petri II. 14. 15. (9) Jud. Ep. ℣. 11. *Væ illis, quia in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.* (10) ℣. 8. 9. 12. 18. 19. 20. (11) August. l. 1. de Divers. quæst. ad Simplic. art. 9. & quæst. 48. in Num. (12) Vide Vitam Moysis Hebraice a Gaulminio editam; & Scipionem Sgambatum, archiv. vet. Testam. l. 2. p. 452. (13) Origen. homil. XIII. in Num. (14) Author Operis imperfect. in Matth. homil. 2.

munimento destituerentur. Hinc summa omnium Religio erat, ut genuinum urbium nomen celarent (1), neque ipsum palam verbis proferrent, metu ne hostes eo uterentur in evocationibus, quarum vis esset nulla, genuino Urbis nomine non recitato. Quæ vulgo dabantur Urbibus appellationes, uti Romæ, Carthaginis, Trojæ, longe aliæ erant a genuino & secreto eorum nomine. Secretum illud & paucis cognitum Romæ nomen erat *Valentia*; quod revelanti Valerio Sorano animadversionem severissimam induxit.

Norant etiam Pagani solemnes quasdam imprecationes, quarum recitata formula devovebant hostes Numinibus quibusdam, seu potius Dæmonibus malis & noxiis. Accipe quam recitat Macrobius (2): *Dispater vejovis, manes, sive vos quo alio nomine fas est nominare, ut omnes illam urbem Carthaginem exercitumque, quem ego me sentio dicere, fuga, formidine, terrore compleatis: quique adversum legiones, exercitumque nostrum, arma, telaque ferent, uti vos eos exercitus, eos hostes, eosque homines, urbes agrosque eorum, & qui in his locis regionibusque, agris urbibusve habitant, abducatis, lumine supero privetis, exercitumque hostium, urbes agrosque eorum, quos me sentio dicere, uti vos eas urbes agrosque, capita ætatesque eorum devotas consecratasque habeatis, illis legibus, quibus quandoque sunt maxime hostes devoti; eosque ego vicarios pro me fide magistratuque meo, pro populo Romano, exercitibus legionibusque nostris do, devoveo. Ut me meamque fidem, imperiumque, legiones exercitumque nostrum, qui in his rebus gerendis sunt, bene salvos siritis esse. Si hæc ita faxitis, ut ego sciam, sentiam, intelligamque, tunc quisque votum hoc faxit; ubi faxit, recte factum esto, ovibus atris tribus. Tellus mater, teque, Jupiter, obtestor.* Similibus facile imprecandi formulis devoveri a Balaamo Israelitas Balac optaverat.

℣. 7. HABENTES DIVINATIONIS PRETIUM IN MANIBUS. Eadem videtur Interpretatio, quæ & Septuaginta, Chaldæi, Interpretum sane plurium & Apostoli S. Petri (3), qui de Balaamo scribit: *Qui mercedem iniquitatis amavit.* Hebræus fert ad literam וקסמים בידם *Et divinationes in manibus eorum*: quod exponunt nonnulli (4) de instrumentis in usum ariolandi, alii vero de monitorio libello, cujus ad regulam imprecationes suas dirigi volebat; alii vero de Magis vel Excantatoribus, qui cum Balaamo venerant, ut collata simul opera, rem illam arduam molirentur. Prior illa interpretatio utique cæteris præstat.

℣. 8. MANETE HIC NOCTE. Facile Balaamus solebat noctu & per quietem revelationes suas captare: inferius autem videbimus, illum, ut in se spiritum Prophetiæ deduceret, præparationibus quibusdam comparare sese consuevisse. Secedebat ab aliis remotus, antequam prophetico supercilio oracula funderet; id autem appellat, *assumere parabolam*: *Assumpta parabola.*

℣. 18. NON POTERO IMMUTARE VERBUM DOMINI MEI, UT VEL PLUS VEL MINUS LOQUAR. Non exprimit utrum impotentiam illam, qua tenebatur, ut nihil immutare valeret eorum, quæ sibi a Deo dictarentur, efficeret constans animi propositum nihil loquendi, nisi quæ Deo revelante disceret, an impedimentum aliquod physicum & necessarium, quo se veluti coactum experiretur, ut nihil effaretur, nisi quæ Deus juberet. Totus historiæ hujus contextus satis indicat, postremum hoc indicare illum voluisse. Hebræus: *Non potero transgredi os Domini Dei mei, ad faciendum parvum vel magnum.*

℣. 20. VADE CUM EIS. Cupidum lucri Balaamum punit Deus, permittens, ut pravam animi sui habitudinem sequatur (5). Intueri licet in hoc Propheta totam humani cordis corruptionem, totamque voluntatis depravationem, cum totum se validæ alicujus inclinationis imperio permittit. Agnita Dei voluntate nondum tamen quiescit; cum enim primum illud responsum ex Deo acceptum non satis votis suis respondeat, secundum postulat; & cum illud animo suo indulgeat, idem omni animi contentione prosequitur. Autumavit Philo (6), Balaamum secundum hoc Dei responsum ficte simulasse: Vel potius, falso responsi alicujus sibi faventis prætextu, iter cum Legatis Balac prosequi decrevisse. Hanc opinionem confirmare videntur ea, quæ proxime sequenti versiculo legimus; Deus enim irritatus, quod viam prosequitur, coram eunte sese offert, ac necem minitatur.

℣. 22. ET IRATUS EST DEUS, STETITQUE ANGELUS &c. Hebræus: *Et iratus est Deus, quod ambularet ipse: & stetit Angelus Domini in via, in adversarium illi.* Innui verbis hisce videtur, nunquam Deum consensisse, ut in incepto itinere pergeret. Sed Interpretum plerique censent, Balaamum extorta quodammodo facultate ad Regem Moab proficiscendi, ea conditione, ut diris Israelem non devoveret, iter suum prosecutum fuisse animo contraria omnia meditante: quare in hominem impium Domini furor exarsit; permittens enim Deus, ut iter susciperet, pravas tamen cordis habitudines, minime probavit.

Septuaginta textum ita reddunt (7): *Et iratus est furore Deus, quia ibat ipse. Et insurrexit Angelus Dei in via ad calumniandum ei.* Interpretes illi reddere conati sunt vim Hebræi Satan, שטן לו, quod sonat interdum calumniari, accusare, opponi, sese adversarium exhibere; quare reddiderunt, *calumniari*, Græce, *Diaballein*, unde *Diabolus*, calumniator, & *Diabole* calumnia. Angelus ille Domini, de quo hic, ipse est Angelus patronus Israelitarum, ait Origenes (8); S. scilicet Michael, qui ubique in Scriptura constitutus in patronum Israelis videtur (9).

℣. 23. CERNENS ASINA ANGELUM STANTEM IN VIA .... AVERTIT SE DE ITINERE, ET IBAT PER AGRUM. Hic Angelus per visum ter apparuit asinæ Balaami; primo in aperto agro, quem asina evitatura, deserta via Regia per sata excurrit ℣. 23. secundo in angusta via, quam gemini parietes utrimque claudebant; tunc autem ut asina illum evitaret, crus Balaami parietis affrictu prope contrivit, ℣. 25. Tertio tandem Angelus apparuit in loco adeo arcto, ut nullum esset nec ad dexteram nec ad sinistram effugium; tunc asina resistens, sub Propheta cecidit. Ille in asinam iratus, verberibus instabat; Deus bruti os aperuit, ℣℣. 26. 27. 28. Reputat S. Augustinus (10), Angelum stetisse *in sulcis* [inter ordines] *vinearum*, juxta viam, cum primum sese obtulit asinæ; Balaamum vero cum asina viam tenuisse angustam inter duos parietes, qui geminas vineas ad utrumque latus sepiebant. Asinam Angeli minitantis fulmineo ense territam, cum se ad parietem comprimeret, Prophetæ crus attrivisse. Tunc Angelum priore loco relicto, in media via stetisse inter duos parietes (11), adeo ut asina, cum neque progredi neque regredi posset, resistere coacta fuerit; cumque Balaam a verberibus non cessaret, demum illam voces exclusisse. Si primam expositionem a nobis propositam sequaris, lego ℣. 24. *Cum stetisset Angelus in angustiis duarum maceria-*

(1) Vide Plin. l. 3. c. 6. & l. 28. cap. 2. & Solin. c. 2. & Plut. problem. 6. (2) Macrob. Satur. l. 3. c. 9.
(3) 2. Petri II. 15. (4) Origen. in Num. homil. 13. *Divinacula in manibus eorum.* Ita & Grot. Malv. &c.
(5) August. quæst. 48. in Num. (6) Philo l. 1. de vita Mos. Προσποιησάμενος τὸ θεῖον, ὡς ἐφ' ὑγιεῖ.
(7) Καὶ ὠργίσθη θυμῷ ὁ Θεὸς, ὅτι ἐπορεύθη αὐτός. Καὶ ἀνέστη ὁ Ἄγγελος τοῦ Θεοῦ ἐν τῇ ὁδῷ ἐνδιαβάλλειν αὐτόν.
(8) Origen. homil. 13. in Numer. (9) Theodoret. qu. 41. in Num. (10) Aug. qu. 58. in Num.
(11) ℣. 24. *Stetit Angelus in angustiis duarum maceriarum.*

geriorum stetit &c. Docet nos alibi idem ipse Balaam (1), eorum quæ contigerunt, se nihil novisse, nisi cum cadente asina, velo ex oculis remoto, Angelum minitantem intuitus est. Vide ℣. 27.

℣. 28. Aperuit Dominus os asinæ. En prodigium, quo audito reclamant Increduli, & magna illa ingenia vulgaribus superiora. Ex his quidam, uti Maimonides apud Grotium, censent, totum hoc colloquium intus in mente & animo Prophetæ institutum fuisse; quæ pariter est interpretatio quorumdam de dialogo illo primam inter fœminam & anguem in horto Eden. Maluit S. Gregorius Nyssenus in Vita Mosis, nihil conceptis verbis expressisse brutum, sed tantum consueto sono rudisse; cum autem ariolus nosset auguria captare e cantu & volatu avium, uti e sono animalium, statim illum, quid vellet asina, intellexisse. Moysem vero, ut diabolicæ hujus artis fraudes detegeret, artis, inquam, reputantis se voces irrationalium brutorum nosse, hanc historiam ita narrare, veluti si reipsa asina conceptis vocibus ariolum allocuta fuisset.

Sed interpretum plerique agnoscunt locutionis hujus in asina veritatem, rati Dæmonem vel Angelum Domini ita commovisse linguam ejus ac circumstantem aerem, ut & sonus ederetur, & ad aures Balaami & sociorum ferretur. Apostolus S. Petrus (2) ita de re tota loquitur, tanquam certa & minime dubia, non phantastica historia: *Correptionem habuit suæ vesaniæ, subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ insipientiam.* In tota hac re nihil magis admiratur S. Augustinus (3), quam Arioli stupiditatem, qui ne admirans quidem audiit loquens & respondens brutum, tamquam si ratione uteretur. Opus utique fuerat, ut *talibus monstris* esset *assuetus*, cum nihil ad rem tantam obstupesceret: vel forte adeo occupabatur itinere, ac spe præmii a Rege Moab, ut mentem non haberet ad expendendum novum adeo monstrum expeditam. Neque ita reputandum, quasi anima bruti tunc lumine aliquo rationis illustraretur: intacta natura, habitudine, organo hujus bruti, Deus illo tantum usus est ut instrumento ad producendum sonum & verba, quæ audire malum hunc Prophetam volebat. Major ne hic difficultas, majusve prodigium fuerit, quam in eo quod incuriosis oculis omnes hic intuentur & audiunt, hominem scilicet, qui invitus, volensque dira imprecari, fausta rogat? cujus lingua movetur longe alio spiritu, quam qui hominem animat, & possidet? Si Dæmon adeo valuit, ut voces exprimeret e brutis, arboribus, amnibus; cur Deus paria saltem præstare non valuerit? Anne postremum hoc arduum est magis, quam quod narrant de asino Bacchum alloquente, de ove Phryxi, de equo Achillis, de agno in Ægypto sub Bocchoris regno, de elephante Regis Pori, de bubus in Sicilia, & Italia; quos olim disertas voces effudisse narrant Historici? Nec arbores obmutuerunt semper: quercum Dodonæam reddidisse oracula, fama est, sicut & ulmum salutasse Apollonium Thyaneum. Fertur etiam amnis Caucasus salutasse Pythagoram. Nec de veritate earum rerum omnium vades nos exhibemus; sed nec omnes rejiciendæ sunt, cum innixæ sint fidei frequentissimorum, gravissimorum, sapientissimorumque Historicorum (4). Fac autem, nutaret historiarum ejusmodi veritas: numquid & revocandum est pariter in dubium, quod ipse per se Spiritus Sanctus in Moyse & Apostolo S. Petro restatur?

℣. 30. Dic quid simile unquam fecerim tibi? Hebræus varie redditur (5): Vertunt tamen plerique: *Numquid consuevi facere tibi sic?* Alii: *An ego ita tecum me gerere volui? an mea causa hoc actum est?* Alii: Num unquam restiti, vel me tibi opposui? Septuaginta (6): *Numquid despectione despiciens feci tibi hoc?* Maluerim ego Hebræum ita reddere: *Quid mihi prodest, si ita egero?* Verbum *Sacan* sonat interdum commodum, utilitatem aliquam e re quapiam capere.

℣. 32. Perversa est via tua, mihique contraria. Septuaginta: Οὐκ ἀστεία ἡ ὁδός σου ἐναντίον μου, *Non est urbana via tua coram me.* Putaverim tamen hic legendum ὀρθεία *honesta*, pro ἀστεία, quæ vox nihil commodum hic sonat. Chaldæus: *Notum est coram me, quod tu volebas ire per viam contra me.* Hebræum ita vertunt plures כי ירט הדרך לנגדי: *Via tua pervertitur coram me.* Viam perversam, fallacem sequeris. Bochartus vertit: *Iter tuum implicatum est coram me.* Oleaster: *Asina deflexit a via, quæ erat coram me.* Cur illam cædis? Viam non deseruit, nisi ut me obvium evitaret. Originalis vox, nonnisi bis in Bibliis recurrens, hic scilicet, & in Job xvi. 11. genuinam significationem habet ignotam.

℣. 33. Ea occidissem, et illa viveret. Inferunt ex his Hebræi (7) asinam, ut loqui desiit, statim decidisse exanimem: sed nulla necessitas hæc inferre e verbis Angeli cogit; ita enim commode redduntur: *Nisi illa deviasset, ego te occidissem, illa incolumi;* te nunc mortuo, illa viveret.

℣. 36. In oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon. Censet Eusebius in Locis, ad vocem *Moab*, Metropolim hanc esse Moabitarum, appellatam Ar vel Areopolim, sive urbem Moab ad Arnon adjacentem. Versabatur tunc facile Balac in finibus, unde prospectus erat in castra Israelitarum. Rediit exinde in Metropolim, ut Balaamum exciperet.

℣. 39. Venerunt in urbem, quæ in extremis regni ejus finibus erat. Hebræus ad literam (8): *Venerunt ad urbem Chuzoth.* Syntaxis Textus exigere videtur, ut illud *Chuzoth* pro genuino hujus urbis nomine accipiatur: sed nulla ejus nominis urbs innotescit in Moabitide. Mendum irrepsisse in Textum certe opinor, ut pro קרית חוצות *Chiriath Chuzoth*, legendum sit ob similitudinem literarum קרית הרשת *Kirharesetb*, vel *Kariathares*, urbs nota in Isaia xvi. 7. 11. & quarto Regum, iii. 25., ubi appellatur *Muri fictiles*. Eadem est ac *Ar* vel *Areopolis* vel *Rabbath-Moab*, Metropolis Moabitarum. Igitur Balac Ariolum deduxit in Metropolim Regni sui. Septuaginta: Εἰς πόλεις ἐπαύλεων, *in civitates commorationum*, seu agrorum, sive tabernaculorum, vel diversoriorum. Alii: *In urbes platearum.* Alii tandem: *In urbes finium*, vel in finibus constitutas, vel separationum; quæ separant ditionem Moabitarum a cæteris.

℣. 40. Misit ad Balaam . . . . munera. Legimus in Chaldæo, Balac misisse ad Prophetam carnes victimarum, quas immolaverat. Sed Hebræus & Septuaginta ferunt tantummodo, *misisse ad Balaam*, misisse illum accitum, ut ascenderet verticem montis Baal.

℣. 41. Duxit eum ad excelsa Baal. Septuaginta (9): *Ascendere eum fecit ad columnam Baal.* Asserit Philo, erectum ibi stetisse simulacrum in honorem Dæmonis. Arabs: *Assumpsit eum ad quædam templa Dei sui.* Excelsa Baal במות בעל loca erant facile consecrata Deo Chamos; neque enim Moabitarum Numen aliud noscimus: nomen autem Baal est Numinibus omnibus ejus regionis commune. Spectare hic & in sequentibus licet veteris superstitionis morem, colendi scilicet ac eri-

(1) Cap. xxiv. 3. 4. *Dixit homo, cujus obturatus est oculus . . . . . Qui cadit, & sic aperiuntur oculi ejus.*
(2) 2. Petri ii. 16. (3) Aug. quæst. 48. & 50. in Num. (4) Vide apud Boch. de animal. sacr. parte i. l. 2. c. 14. Vide & Grotium hic. (5) ההסכן הסכנתי לעשות לך כה (6) Μὴ ὑπεροράσει ὑπεριδοῦσα ἐποίησά σοι τοῦτο. (7) Heb. in Muis, Vat. Barrad. &c. (8) ויבאו קרית חצות
(9) Ἀνεβίβασεν αὐτὸν ἐπὶ τὴν στήλην τοῦ Βαάλ.

erigendi Numinibus simulacra, vel alia in editis locis monumenta.

Intuitus est extremam partem populi. Solemne erat in devotionibus magicisque imprecationibus, ut intuerentur præsentes eos, qui diris & malo Dæmoni devovendi essent. Idcirco Balac in specula constituit Balaamum, unde prospectus daretur castrorum Israelis; partem tantummodo prospexisse Propheram volunt Vulgata, Septuaginta, Chaldæus, Syriacus, Arabs. Indicare pariter videtur Hebræus versiculo 10. Capitis subsequentis, oculis illius nonnisi quartam partem agminis subjectam fuisse: *Quis numerabit pulverem Jacob, & numerum quartæ partis Israel?*

Sed Interpretum plures (1) certant, Balaamo e specula respicienti tota patuisse Hebræorum castra; reddunrque Hebræum (2): *Et vidit inde extremum populi*. Consideravit tota late castra, qua porrigebantur, ad extremam utramque oram; cui opinioni sententiam adjudicare videtur versiculus 13. Capitis sequentis. Audiens Balac Balaamum fausta rantum imprecari Israelitis, ratusque terrorem ingentis agminis hæc a viro expressisse, ita inviravit: *Veni mecum in alterum locum, unde partem Israel videas, & totum videre non possis*. Docti quidam Critici contendunt, voces Originalis totum agmen significare. Vide quæ contulimus ad Genesis XLVIII, 3.

(1) Lyr. Tost. Cajet. Dionys. Carrus.

(2) וירא משם קצה העם

CAPUT XXIII.

Sacrificia Balaam in editis locis Baal. Fausta imprecatur Israelitis bis, quin dira imprecetur, uti Baal rogabat.

℣. 1. Dixitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic septem aras, & para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes. 2. Cumque fecisset juxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum, & arietem super aram. 3. Dixitque Balaam ad Balac: Sta paulisper juxta holocaustum tuum, donec vadam, si forte occurrat mihi Dominus, & quodcumque imperaverit, loquar tibi. 4. Cumque abiisset velociter, occurrit illi Deus, locutusque ad eum Balaam: Septem, inquit, aras erexi, & imposui vitulum, & arietem desuper. 5. Dominus autem posuit verbum in ore ejus, & ait: Revertere ad Balac, & hæc loqueris. 6. Reversus invenit stantem Balac juxta holocaustum suum, & omnes principes Moabitarum: 7. Assumptaque parabola sua, dixit. De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni, inquit, & maledic Jacob: propera, & detestare Israel. 8. Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur? 9. De summis silicibus videbo eum, & de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur. 10. Quis dinumerare possit pulverem Jacob, & nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia. 11. Dixitque Balac ad Balaam: Quid est hoc, quod agis? Ut malediceres inimicis meis, vocavi te: & tu e contrario benedicis eis. 12. Cui ille respondit: Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus? 13. Dixit ergo Balac; Veni mecum in alterum locum, unde partem Israel videas, & totum videre non possis, inde maledicito ei. 14. Cumque duxisset eum in locum sublimem, super verticem montis Phasga, ædificavit Balaam septem aras, & impositis supra vitulo, atque ariete, 15. Dixit ad Balac: Sta hic juxta holocaustum tuum, donec ego obvius pergam. 16. Cui cum Dominus occurrisset, posuissetque verbum in ore ejus, ait: Revertere ad Balac, & hæc loqueris ei. 17. Reversus invenit eum stantem juxta holocaustum suum, & principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, inquit, locutus est Dominus? 18. At ille assumpta parabola sua, ait: Sta Balac, & ausculta, audi, fili Sephor: 19. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit? 20. Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. 21. Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israel: Dominus Deus ejus cum eo est, & clangor victoriæ regis in illo. 22. Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. 23. Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Jacob, & Israeli, quid operatus sit Deus. 24. Ecce populus, ut læna consurget, & quasi Leo erigetur: non accubabit, donec devoret prædam, & occisorum sanguinem bibat. 25. Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas. 26. Et ille ait: Nonne dixi tibi, quod

quod quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem? 27. Et ait Balac ad eum: Veni, & ducam te ad alium locum: si forte placeat Deo, ut inde maledicas eis. 28. Cumque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem, 29. Dixit ei Balaam; Ædifica mihi hic septem aras, & para totidem vitulos, ejusque numeri arietes. 30. Fecit Balac, ut Balaam dixerat, imposuitque vitulos, & arietes per singulas aras.

℣. 1. ÆDIFICA MIHI SEPTEM ARAS. Cui septem illæ aræ consecrabantur? Qui Prophetam veri Dei egisse illum reputant (1), persuadentur pariter, has aras erexisse Domino Cœli & terræ, quem Israelitæ sub nomine *Jehovah* venerabantur. Huic sententiæ fidem illud potissimum adstruit, quod Balaam verum Deum vocat, eumque Deum suum appellat; & hic pariter, ℣. 4. loquens ad Deum vel Angelum suum, ait: *Septem aras erexi, & imposui vitulum & arietem desuper*. Utrum ista locutus fuisset ad verum Deum, si aras illas statuisset Dæmonibus? Quibus vero ea sedet persuasio (2), Balaam Ariolum fuisse & magum, censent pariter, oblata fuisse ab eo sacrificia Diis Balac, cujus rei gratia statutus fuerit a Rege in monte Numinibus illis consecrato, & participaverit iis Sacrificiis, quæ simul omnes offerebant. Exprimit id non obscure Hebræus ℣. 2. *Et fecit Balac, quemadmodum locutus est Balaam; & obtulerunt Balac & Balaam juvencum & arietem in Altari*. Quæ opponunt de Balaam, qui Deum *Jehovah* alloquitur, Deumque suum appellat, cui & erigi jussit septem Aras; iis reponimus, Balaamum verba fecisse ad Deum, cum ignoraret quis esset; Deum suum appellasse, erexisse ejus nomini septem Aras, ratum, se hisce omnibus amicum Dæmonem venerari. Cum hæc narrat Moyses, res ipsas & eventus veritatem respicit, non præjudicia & animum Prophetæ.

℣. 4. CUMQUE ABIISSET VELOCITER. Raræ in Hebræo voces magis latent, quam שפי quæ hic in Vulgata redditur *velociter*. Septuaginta: Ἐπορεύθη εὐθεῖαν, *Ivit recta*. Chaldæus: *Abiit solus*. Recentiores alii: *Abiit in excelsa* (3); quæ nobis interpretatio omnium accuratissima probatur; eo enim sensu usurpata vox sæpius occurrit in Scriptura. Isaias XIII. 2. *Super montem caliginosum* (Hebr. צל הר נשפה *super montem excelsum*). Jeremias III. 2. *Leva oculos tuos in directum* (Hebræus צל שפיים *ad loca excelsa*). Et capite XIV. 6. loquens de ejulatibus, quibus in editis lamentabantur, eamdem vocem adhibuit, *steterunt in rupibus*, עמרו על שפיים. Scribit tandem, onagros fame veluti arescentes, in edita loca sese recipere, ut frigidiores auras captent. In his omnibus occurrit Hebræum *Schephim*, quod nos hic exponimus. Igitur Balaam ascendit in speculam altiorem, quam ubi Aræ a se imperatæ stabant erectæ. Ludovicus de Dieu contendit, verti hic Textum oportere: *Abiit in planitiem*, seu *in vallem*; ducta hac explicatione e Syriaco, ubi vox controversa sonat planitiem; שפיא enim est planities, e שפי planum facere. Imo loci, quem tenebat, situs postulabat, ut descenderet potius quam ascenderet. Reddunt alii: *Abiit tristis*. Alii: *Abiit leviter*.

℣. 7. ASSUMPTAQUE PARABOLA SUA DIXIT. Stylo & phrasi poetica, tropica ac parabolica loqui cœpit, Prophetæ, & hominis afflati enthusiasmo, verba veluti oracula protulit.

DE ARAM ADDUXIT ME BALAC. Aram patre Sem, & Avo Noe natus, frequentavit Syriam, & Mesopotamiam (4). Porro vox Aram, cum sola sine addito usurpatur, designat Syriam; cum vero jungitur *Padan* vel *Naharaim*, indicat Mesopotamiam. Exprimit apertissime Moyses in Deuteronomio XXII. 5. Balaamum venisse ex Aram Naharaim, quare certissime illum venisse e Mesopotamia dicimus. Addit hic, Balaamum egressum esse *e montibus Orientis*, e montibus scilicet superioris Mesopotamiæ, ad Orientem regionis Moab.

℣. 9. VIDEBO EUM. Nec tamen propterea dabitur mihi, ut diris illos devoveam. Frustra Balac constituit me in hac specula, ut prospiciam castra Israelitarum. Nolentibus volentibus nobis, gens ista quieta permanebit, impermixta & invicta. Jam superius animadversum est, opus fuisse, ut ii qui diris devovebantur, haberentur sub oculis; id vero nihil Balaamo profuit, nihilque nocuit Israelitis.

POPULUS SOLUS HABITABIT. Intra regionis suæ fines continentes sese Judæi, exteros vel nosse quidem horrebant. Cum autem regionem tenerent a mari dissitam (5), nec operam negotiationi darent, cum cæteris gentibus raro communicabant. Contenti ubertate soli, quod colebant, occupati alendis filiis suis, legibus & moribus plane a cæteris aliarum gentium discreti, ut sese noscendos proderent alienis, penitus negligebant. Criticorum nonnulli reputant, phrasim illam, *Habitabit solus*, designare tranquillum certæ pacis otium, & confidentiam populi nihil metuentis, nec externa ope indigentis. Hoc sensu David affatur Deum Psalmo IV. 10. *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me*. Et Moyses (6) futurum prænunciat: *Habitabit Israel confidenter, & solus*. Describens Jeremias XLIX. 31. gentem, quæ nihil metuens securam tuetur tranquillitatem, his phrasibus utitur: *Nec ostia, nec vectes eis; soli habitant*. Idem facile significabat verbis hisce suis Ariolus.

INTER GENTES NON REPUTABITUR. Natio populorum illustris & gloriosa cum cæteris e vulgo recensenda non est; speciali enim titulo pertinet ad Dominum. Vel potius: Natio gentium est a cæteris segregata, nulloque commercio jungenda cum aliis. Vel tandem: Populus est, ope & protectione Domini ita fultus, ut auxilia cæterarum gentium non quærat.

℣. 10. QUIS DINUMERARE POSSIT PULVEREM JACOB, ET NOSSE NUMERUM STIRPIS ISRAEL? Idest, florentem Israelis posteritatem, quam ita multiplicaturum se spopondit Deus, tanquam pulverem terræ (7), quis recenseat? Hebræus: *Quis numerabit pulverem Jacob, & numerum quartæ partis Israel?* Sive tunc ariolus subjectam tantum haberet oculis quartam partem castrorum, sive innueret, vix dinumerari posse quartam ejus gentis partem, nedum universum populum simul. Castra Israelitarum quadrifariam divisa erant, ut singulæ partes Tribus tres continerent (8), sub uno communi signo coeuntes. De una e quatuor hisce partibus sermonem habuit Balaamus.

MORIATUR ANIMA MEA MORTE JUSTORUM, ET FIANT NOVISSIMA MEA HORUM SIMILIA. Novissima scilicet vitæ meæ. Reddi etiam posset alio sensu Textus cum Septuaginta: *Moriatur anima mea inter animas Justorum, & (9) fiat semen meum, ut semen istorum*. Vel aliter: *Moriatur anima mea morte Justorum*,

(1) Olcast. Tirin. &c. (2) Origen. Est. Bonfr. Menoch. (3) Kimchi, Vat. Jun. (4) Genes. X. 22. (5) Joseph. lib. I. contra Appion. cap. 4. (6) Deut. XXXIII. 28. (7) Genes. XIII. 16. (8) Vide Num. II. (9) Καὶ γένοιτο τὸ σπέρμα μου, ὡς τὸ σπέρμα τούτων.

justorum, Israelitarum (1) Heb. *Jescharim, & merces mea sicut merces illorum*. Nosce hic in Balaamo imaginem impiorum, inanibus votis, quæ exprimit cupiditas potius quam amor, Cœli felicitatem sibi imprecantibus; sed plane contraria, quam quæ eo fert, via currentibus. Promissam a Jesu Christo beatitudinem nemo non optat, sed rari invitantem imitatione sequuntur (2).

℣. 13. VENI MECUM IN ALTERUM LOCUM, UNDE PARTEM ISRAEL VIDEAS, ET TOTUM VIDERE NON POSSIS. Jam capite XXII. 41. animadversum est, ex hoc Textu inferri, Balaamo totum fuisse sub oculis Israelem, cum a priore specula prospiceret; quare emendari oportere Textum, qui fert, partem solummodo castrorum oculis illius fuisse subjectam. Sed hac etiam abjecta solutione, ita reddi posset Textus, ut nihil oppositum referret authoritati capitis præcedentis; quo pariter omnia concilientur. Ita ergo verti potest (3): *Veni mecum in alterum locum, unde illum videas, neque enim vidisti nisi partem solum [& non totum]: inde illi maledices*. Interpres Samaritanus & Glassius hanc interpretationem servant, cui nec repugnat syntaxis, nec indoles Linguæ sanctæ, quæque omnem conciliat inter duos hosce Textus oppositionem. Tribuunt alii longe alium Textui sensum, æque tamen optimum, quo concilietur cum capite XXII. Ita ergo illi: *Veni, rogo te, mecum in alterum locum, unde videas partem ejus quem vidisti prius, & totum videre non possis*.

℣. 14. IN LOCUM SUBLIMEM SUPER VERTICEM MONTIS PHASGA. Reddi potest Textus (4): *In Agrum speculatorum in verticem præruptum*; vel in dorsum Phasga. Mos constituendi speculatores in vertice montium, unde signum darent gentibus in agro positis sive igne excitato, sive in summa hasta aliquid elevantes, notus est apud Prophetas (5). Reddunt quidam Hebræum. *Adduxerunt e Sede Zophim in verticem Phasga*.

℣. 18. STA, ET AUSCULTA. Jussa Dei stantes accipere æquum est. Vide Judic. 3. 20. Turcæ in Divano suo agentes, cum de excipiendis mandatis Imperatoris sui res est, stantes consulunt in argumentum honoris & reverentiæ. Des Breves pag. 319.

℣. 18. AUDI FILI SEPHOR. Septuaginta (6). *Auribus percipe testis, filius Sephor*. Hebræum paulo aliter, ac nos, legerunt; habet enim ad literam: *Audi me fili Sephor*.

℣. 19. NON EST DEUS QUASI HOMO, UT MENTIATUR, UT FILIUS HOMINIS, UT MUTETUR. Variantia sunt quædam inter Exemplaria Septuaginta & Hebræum. Textus ad literam: *Non est Deus homo, ut mentiatur: ut filius hominis, ut pæniteat eum*. Septuaginta editionis Romanæ: *Non sicut homo, Deus suspenditur*, διαιτηθῆναι, *neque quasi filius hominis minas patitur*. Interpres Origenis legit (7): *Non sicut homo, Deus frustratur; nec sicut filius hominis, terretur ipse*; vel, juxta Exemplaria nonnulla, *Terret ipse*. Author Libri Judith (8): *Non quasi homo, sic Deus comminabitur, nec sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur*.

℣. 20. AD BENEDICENDUM ADDUCTUS SUM, BENEDICTIONEM PROHIBERE NON VALEO. Non satis assequimur, quo sensu dixerit Balaam, venisse se ad benedicendum, cum voluntas ejus & Balac satis sit explorata; venit enim ad devovendos diris Hebræos. Sed reputare possumus, illum, cum venisset, data & accepta fide nihil proferendi, nisi quæ animo inspiraret Deus, reipsa quidem destinatum fuisse ad benedicendum, non ad maledicendum; non voluntate quidem vel sua vel Balac, sed Domini. Adduxit me Deus ad benedicendum; ejus spiritus vi intus cienti resistere non valeo. Hebræus (9) in alium sensum commode redderetur: *Ego electus sum ad benedicendum; Deus benedixit: Ego non reddam, non exprimam maledictum*. Septuaginta (10): *Ad benedicendum assumptus sum: benedicam, & non avertam*.

℣. 21. NON EST IDOLUM IN JACOB, NEC VIDETUR SIMULACHRUM IN ISRAEL. Aperta sunt omnia in Textu, ad quem etiam commode reducitur Textus Hebræus, uti a Chaldæo acceptus est (11); sed commode pariter alio sensu vertitur; e. g. *Non est iniquitas* [seu vanitas] *in Jacob, nec labor in Israel*. Cum Israelitæ puros se continuerint a crimine & Idololatria, nullum ex illis ultoris Numinis exemplum statuetur. Aliter: *Non est excantatio in Jacob, nec præstigium in Israel*. Frustra adversus illum erunt omnes excantationes meæ, nullis meis artibus lædetur. Septuaginta (12): *Non erit labor in Jacob, neque videbitur dolor in Israel*. Gens est, quam Deus tutela sua & amore dignatur, ut nullo tangi ex iis malis queat, quæ in eam optatis.

CLANGOR VICTORIÆ REGIS IN ILLO: clangore victoriæ Regis resonant ejus castra; vel triumphali clangore buccinarum Regis sui, Dei Israel, cujus Majestas residet in Tabernaculo in medio castrorum. Spectavit Balaam tubas, quibus Dei jussu movendi castra signum edebatur (13). Mos erat Regibus Orientis familiaris, ut cum versarentur in castris, signum e Regio tentorio daretur buccinis (14). Simile aliquid Deus in Tabernaculo suo imperavit.

℣. 22. CUJUS FORTITUDO SIMILIS EST RHINOCEROTIS. Septuaginta habent *Monocerotis*; & voces originalis (15) redduntur interdum a Vulgata *Unicornis*; quæ proinde varia nomina unum idemque animal significant, quamquam Latine tria sunt longe inter se diversa. Monoceros piscis est e genere cetorum, e cujus mandibula superiori porrigitur cornu detortum, striatum, & acutum. Pleraque cornua, quæ inter cimmelia servantur, ejus piscis potius quam Unicornium, vel Rhinocerotum censentur. Scripsit ea de re Paulus Sachs medicus Hamburgensis librum A. 1676. inscriptum: *De Monocerologia*.

Rhinoceros bellua est fere Elephantis magnitudine, cui nomen ex unico cornu, quod in naso porrigitur. Pausaniæ bicorne est animal; cujus unum cornu ingens e naso emergit, alterum vero minus, at solidissimum in altum surgit. De hac bellua mira adeo & incredibilia narrant Veteres, ut fabulosa esse plures autumaverint; nec sane diffitendum est, quæ de illo narrantur pleraque, vix fidem mereri: non tamen propterea Rhinoceros e rerum natura penitus submovendus est.

Quamquam autem non satis constet, quid eo nomine intellexerint Veteres; compertum est tamen, belluas uno cornu instructas non unius esse generis. Aliis in naso surgit, aliis in fronte, vel in capite. Unicornes sunt in India vaccæ, tauri, capellæ, cervi, asini, damæ, & alia sexcenta: septem varia earum genera distinxit Dalecampius (16). Noti sunt apud Plinium asini, oryges, & tauri

[1] מות ישרים ותהי אחריתי כמהו [2] Vide Bernard. in cantic. serm. 21. [3] לך נא אתי אל
שדה צפים אל ראש הפסגה [4] וקבנו לי משם מקום אחר אשר תראנו משם אפס קצהו תראה וכלו לא תראה
[5] Isai. XXI. 11. Jerem. VI. 1. & L. 2. &c. [6] Ἐνώτισαι μάρτυς υἱὸς Σεπφώρ. Legunt hi עד *hed*, pro
עדי *adai*. [7] Origen. homil. 16. in Numer. [8] Οὐχ ὡς ἄνθρωπος ὁ Θεὸς ἀπειληθῆναι, οὐδ'
ὡς υἱὸς ἀνθρώπου διαιτηθῆναι. Judith. VIII. 15. [9] הנה ברך לקחתי וברך ולא אשיבנה [10] Εὐλογεῖν
παρείλημμαι· εὐλογήσω καὶ οὐ μὴ ἀποστρέψω. [11] לא הביט און ביעקב ולא ראה עמל בישראל. Vox
Aven quandoque significat Idola, ut Isai. LXVI. 3. & 1. Reg. XV. 23. [12] Οὐκ ἔσται μόχθος ἐν
Ἰακώβ, οὐδὲ ὀφθήσεται πόνος ἐν Ἰσραήλ. [13] Vide Num. X. 2. [14] Quint. Curt. lib. 3.
[15] כתועפות ראם לו Septuag. Ὡς δόξα μονοκέρωτος αὐτῷ. [16] Vide Dalecamp. in Plin. lib. 8.
cap. 21. & lib. 11. cap. 45.

ganti unicornes. Cosmas Monachus, cujus scripta vulgavit P. D. Bernardus Montfaucon (1), descripsit Rhinocerotem veluti belluam in Æthiopia notissimam. Jesuitæ Lusitani, qui in iis regionibus diu versati sunt, affirmant non vidisse se tantum id generis animalia, sed catulum ex illis nutriisse olim apud se; adeo ut existere eas belluas, nulla sit ratio ambigendi. Unam ex his vidisse se in aula Regis Persarum affirmat D. Chardin (2), quam & describit. Narrat autem, datam fuisse munus Regi Persidis a Legato quodam Æthiopum. Utuntur Abyssini Rhinocerotibus cicuraris ad vecturas, uti de Elephantibus solent. Quem vidit Author, hujus in naso cornu surgebat magnitudine & figura instar ferme coni ex saccaro duarum librarum; colore subnigro, quemadmodum & corium tegens verticem belluæ, supra nares. Rictum habet Rhinoceros rotundum & aduncum, uti rostrum Aquilæ. Dentibus instruitur tantummodo quatuor, duobus in superiori, totidem in inferiori mandibula. Loco maxime humili habet oculos, fere labiis oppositos: cauda est tenui, novem vel decem nodis intercisa, ut corollam precariam referat, pede circiter longa. Corio tegitur undique aspero, præter dorsum & caput, nodis quibusdam vel squammulis, testudinis squammas referentibus. Pedibus nititur brevibus & crassis, trifido ungue ante, & duro quodam corio retro munitis. Cornua Rhinocerotis inter cimmelia quædam curiosorum monstrantur. Vidi ego quædam coloris subatri, solida, nonnihil recurva, & longa minus quam Unicornis, & Monocerotis. Cornu Unicornis album, e media fronte porrectum, ad quinque palmos eminet. Piscis Monocerotis cornu longius est, ut interdum quinque, sex & septem pedes æquet. Sed cornua Rhinocerotum apud DD. Foucaut & Tournefortium multo minora sunt & crassiora, sed non uniformia magnitudine; quæque ejusdem belluarum generis esse omnia, vix credo. Cum apud Indos ac Æthiopes multæ sint unicornes belluæ, varia variarum cornua, tanquam Rhinocerotis, obtrudi facile potuerunt.

Hæc quæ expendimus de Rhinocerote, minime tamen Textum Mosaicum illustrant, ut distinguamus quam potissimum belluam Moyses designaverit sub nomine רְאֵם *Reem*. Interpretes, qui in indaganda certa ejus vocis significatione plurimum laborarunt, non satis inter se conveniunt. Sunt qui de Monocerote, de Unicorne, de Rhinocerote, de bove *Uro*, de Dama, vel caprea, vel Oryge explicent. Bochartus (3) favet orygi, vel capreæ Arabiæ, quæ pinguis est bellua, vellere albo, & egregie cornuta. Vertit ille Textum Mosaicum; *Elevationes ejus sicut Orygis*; ita eminet, ut oryx, vel caprea, quam Arabes *rim* appellant. Unum singulare cornu orygi tribuit Aristoteles. Qui censent, orygem Veterum damam [*gazella*] esse nostratum, agnoscunt, instrui illum duplici nigro cornu, intus cavo, latiori inferius, recto, acuto, & per transversum radiato. Affirmat Agatharcides, capite XXVI. Æthiopes uti in certaminibus cornubus orygis, uti cæteri hominum ensibus. In hæc Moysis verba nihil certius succurrit, quam quod *Reem* bellua sit robusta & acris, ut innuit Balaamus, qui robur Hebræorum comparat robori Reem: *Cujus fortitudo, ut Rhinocerotis*. Vertunt alii: *Cujus magnitudo, vel elevatio, sicut Reem*. Porro notissimam fuisse oportet in Arabia & Judæa belluam, cujus sæpe adeo meminit Scriptura. Ferox erat ac indomita. Interrogat Deus Jobum (4), utrum Reem accedere velit, & cibum capere in ejus præsepi, ut jumenta cætera; utrum subdere collum jugo, ut aret terram. Tandem duplici cornu instructum videtur Reem. Loquens Moyses de pulchritudine Josephi (5), comparat illam tauro; cornubus vero esse sit perinde magnificis ac Reem. Rogat David (6) Dominum, ut eripiatur e faucibus leonis, & a cornibus Reem.

℣. 23. NON EST AUGURIUM IN JACOB, NEC DIVINATIO IN ISRAEL. TEMPORIBUS SUIS DICETUR JACOB ... QUID OPERATUS SIT DEUS. Reddi posset Textus: Nulla sunt auguria & excantationes adversus Israelitas: frustra erunt omnia. Futuris retro sæculis pandentur quæ Deus illis operatus est prodigia. Vel potius; Auguria spernunt Hebræi, nec dignas censent vanas hasce fallacesque artes studio suo atque labore. Fidem suam obligavit Deus, revelaturum se illis opportune quid futura tempora essent latura, datis subinde Prophetis, monituris, quid suo tempore præstandum sit. Interpretatio hæc, quæ Septuaginta (7) est & Origenis (8), omnium optima videtur.

℣. 24. UT LEÆNA CONSURGET, ET QUASI LEO ERIGETUR. Recentiores Interpretes plerumque ita reddunt Hebræum (9): *Consurget ut leo major* [justæ ætatis, & pleni roboris], *& erigetur quasi leo*. Septuaginta (10); *Ut catulus leonis exsurget, & sicut leo glorificabitur*. Sed æquior est Vulgatæ interpretatio, ut servetur antithesis leonem inter & leænam.

(1) Tom 2. Collection. nov. PP. pag. 338. (2) Chardin, Voyage de Perse tome 3. p. 45. (3) Boch. de anim. sacr. part. 1. l. 3. c 27. (4) Job. XXXIX. 9. 10. (5) Deut. XXXIII. 17. (6) Psal. XXI. 22. (7) Κατὰ καιρὸν ῥηθήσεται Ἰακὼβ . . . . τί ἐπιτελέσει ὁ Θεός. (8) Origen. contr. Cels. (9) כלביא יקום וכארי יתנשא (10) Ὡς σκύμνος ἀναστήσεται, καὶ ὡς λέων γαυριωθήσεται.

CAPUT XXIV.

Balaam tertio fausta precatur Israelitis. De adventu Messiæ, excidio Amalecitarum, de Cinæis, & populis trans Euphratem oracula.

℣. 1. CUmque vidisset Balaam, quod placeret Domino, ut benediceret Israel, nequaquam abiit, ut ante perrexerat, ut augurium quæreret: sed dirigens
contra desertum vultum suum, 2. Et elevans oculos, vidit Israel in tentoriis com-
morantem per tribus suas: & irruente in se spiritu Dei, 3. Assumpta parabola, ait:
Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cujus obturatus est oculus. 4. Dixit auditor
sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur
oculi ejus: 5. Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, & tentoria tua, Israel! 6. Ut

valles

valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas, 7. Fluet aqua de situla ejus, & semen illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag, rex ejus, & auferetur regnum illius. 8. Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Devorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, & perforabunt sagittis. 9. Accubans dormivit ut leo, quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus; qui maledixerit, in maledictione reputabitur. 10. Iratusque Balac contra Balaam, complosis manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus e contrario tertio benedixisti: 11. Revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te, sed Dominus privavit te honore disposito. 12. Respondit Balaam ad Balac: Nonne nuntiis tuis, quos misisti ad me dixi: 13. Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo: sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar? 14. Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. 15. Sumpta igitur parabola, rursum ait: Dixit Balaam filius Beor: Dixit homo, cujus obturatus est oculus: 16. Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, & visiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. 17. Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope. Orietur Stella ex Jacob, & consurget virga de Israel: & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. 18. Et erit Idumæa possessio ejus: hæreditas Seir cedet inimicis suis: Israel vero fortiter aget. 19. De Jacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias civitatis. 20. Cumque vidisset Amalec, assumens parabolam, ait: Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur. 21. Vidit quoque Cinæum: & assumpta parabola, ait: Robustum quidem est habitaculum tuum: sed si in petras posueris nidum tuum, 22. Et fueris electus de stirpe Cain, quamdiu poteris permanere? Assur enim capiet te. 23. Assumptaque parabola iterum locutus est: Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus? 24. Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt. 25. Surrexitque Balaam, & reversus est in locum suum: Balac quoque via, qua venerat, rediit.

℣. 1. NEQUAQUAM ABIIT. Noscens Balaam, frustra se recessurum seorsum, ut se compararet ad excipiendum propheticum afflatum, satis habuit respicere regionem deserti, idest, agri Moabitici (1), ubi castra habebant Israelitæ: tunc autem rapi se, invitum licet, spiritu Dei intelligens, in novas benedictiones Hebræorum, emphasi, quam prius, majori prorupit.

℣. 3. DIXIT HOMO, CUJUS OBTURATUS EST OCULUS; idest, cujus oculi tenebantur, ut non viderent, quæ vel ejus asina intuita est. Voces Originalis (2) semel hic tantum, iterumque in Threnis III. 8. recurrunt: utrobique autem insinuare possunt hominem clausis oculis. Nihilo tamen secius Septuaginta (3), Chaldæus, Syriacus, Arabs & recentiores Interpretes exponunt sensu plane a Vulgata contrario, de homine qui apertis oculis intuetur, qui plane videt, de homine Propheta, vidente, & cui visiones sunt familiares.

℣. 4. QUI CADIT, ET SIC APERIUNTUR OCULI EJUS. Spectat Balaam ad ea, quæ sibi contingerunt, cum scilicet una cum asina cadens, statim velo ex oculis suis Dei manu remoto, quid asinæ eunti obsisteret, intuitus est. Reddi potest Hebræus (4): *Qui cecidit, quamquam apertis oculis*, vel potius: *Qui sternitur* [coram Deo] *& revelationes ejus accipit*. Vel forte: Qui habet visiones dormiens, & per somnium. Postremam hanc Interpretationem sequi videntur Septuaginta, cum ferant

(5): *In somno revelati sunt oculi ejus*. Vertunt alii (6): Qui raptus est in ecstasim, cui Deus oculos aperit. Hebræorum quidam censent (7); Balaamum reipsa quidem, antequam caderet, cæcitate vel lippitudine laborasse.

℣. 6. UT VALLES NEMOROSÆ. Vario sensu reddi potest Textus (8). Onkelos: *Sicut torrentes in deserto*. Jam alibi animadvertere potuere Lectores, ipsam Hebræam vocem, quæ sonat torrentem, usurpari etiam de valle. Septuaginta (9): *Ut valles* [nemora] *umbrosæ*. Reddi etiam potest Textus originalis: *Latæ valles*, vel *Torrentes extensi*.

UT TABERNACULA QUÆ FIXIT DOMINUS. Interpretum plures (10) putant, Hebræum *Ahalim*, quod hic redditur *Tabernacula*, arboris genus quoddam esse. Textus originalis ad literam (11): *Sicut Ahalim quæ Dominus plantavit*. Favent huic Interpretationi verbum *plantare*, & vox *cedri*, quæ in altero membro tanquam parallela nomini Ahalim ponitur. Adde, quod Septuaginta & S. Hieronymus Ahalim interdum reddunt stacten, vel aloen (12) quæ genus sunt arboris. Sed cum aloe arbor sit minus frequens in Palæstina & Arabia, quippe quæ ex India sufficitur; & cum pariter aloe ingrato sit odore, & ab unguentis, quæ Ahalim admittebant, penitus removenda sit; merito suspicamur, Hebræam vocem aliquid aliud, præter aloen, significare. Nec melius rem tenere mihi videntur, qui explicant de gingiberi (13);

T 2 est

(1) Vide Num XXII. 1. (2) הגבר שתם העין (3) Ὁ ἀληθινῶς ὁρῶν, vel ἀληθινῶς ὁρῶν. Forte ita legunt vocem שתם ac si duæ voces essent, ש qui, & tum תם purus, qui purum habet oculum. (4) נפל וגלוי עינים (5) Ἐν ὕπνῳ ἀποκεκαλυμμένοι οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ. (6) Jun. & Tremel. & Menoch. (7) Rabb. Salom. (8) כנחלים נטיו (9) Ὡσεὶ νάπαι σκιάζουσαι. (10) Pagn. Vatab. Jun. Piscat. Fag. alii. (11) כאהלים נטע יהוה (12) Vide Psal. XLIV. 9. Prov. VII. 17. Cant. IV. 14. (13) Jun. Tremel. Piscat. Buxtorf.

est enim genus hoc arboris ignotum Hebræis, Græcis, Latinis, Arabibus; cujus Arabes tantum recentiores meminerunt, atque ex India deferri ingenue fatentur.

Alnus, quæ ingens est arbor, humida amans loca, suo nomine affinitatis præfert aliquid cum Hebræo *Ahalim*; sicut & congruit cum iis, quæ de arboribus propter aquas satis hic legimus. Noluerim ego tamen aliquid in ea re certi affirmare. Si quis in versione Hebræi Ahalim retinendam maluerit aloen, illi commodum erit exponere de aloe Syriæ, Rhodi, vel Cretæ, quæ aspalatus appellatur: est autem arbuscula spinis aspera, cujus ligno, cortice detracto, utuntur pigmentarii, ut liquida per se unguenta crassiora reddant ac spissiora. Notat Cassiodorus (1), ligni hujus odorem mitissimum esse, & alicubi ætate sua obtinuisse, ut pro thure ante aras adoleretur. Sed hæc omnia valere tantum possent pro iis Textibus, in quibus *Ahalim* pro ligno odorifero ponitur. Hic vero, ubi tentoria Israelitarum comparantur Ahalim, arbor proceritate sua insignis quærenda est.

Quasi cedri paopa aquas. Est cedrus arbor in Scriptura notissima, quam ita oculati testes pingunt (2). Arbor est in ipso Libani jugo proveniens, procerior pino, & ingens adeo, ut ægre quinque simul homines ejus ambitum complectantur. Ramis ornatur non recte surgentibus, sed protensis ad latera, & altero contra alterum adstrictis tanto ordine ac vinculo, ut commode quisque super illos seu cubet, seu sedeat. Densa gignit folia & crassa, sed succo destituta, & veluti aculeo pungentia, nunquam non viridia. Ligno est solido, incorruptibili, nodoso, & suave olenti. Poma sunt pineis perquam simillima.

℣. 7. Fluet aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas multas. Regionem possidebunt Hebræi adeo aquis divitem, ut putei illorum & cisternæ regurgitent: plenis situlis haurietur fœcundus humor, eorumque posteritas periode erit ceu regium flumen, pleno semper alveo uberrimum, copiam opesque in omnes eas provincias ferens, quas perluit. Reddi etiam potest Textus in hunc sensum: Agros habebunt irriguos, & serent in locis fertilitate atque humore pinguibus. Sed præstat figurato & prophetico sensu explicare de adventu Messiæ. Hoc placuit Septuaginta, reddentibus (3): *Exibit homo de semine ejus, & dominabitur gentibus multis*. Placuit & Chaldæo, Syriaco, aliisque pluribus Interpretibus.

Alii vero de Israelitis simpliciter exponunt, quorum posteritas aquæ e situla fluenti comparatur. Israelitarum natio fecunda erit populus adeo, ut nati ex illis filii instar ingentis fluvii sint. Non semel Scriptura figurata hac phrasi fontis seu scaturiginis ebullientis aqua utitur, qua filiorum procreationem significet. Adhortans Discipulum suum Salomon, ut connubii leges sanctas habeat, & inviolatas, monet (4): *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ.* Isaias XLVIII. 1. ita Judæos alloquitur: *Qui vocamini nomine Israel, de aquis Juda existis.*

Textum originalem ita reddunt nonnulli (5): *Fluet aqua e ramis ejus, & semen ejus cadet in aquas*, vel *super aquas multas*. Aspergentur uberi adeo rore arbores, ut aqua stillet e ramis; & semen in terram humentem cadens germinabit facile, & statim adolescet: *Aqua defluet e rotis ejus*; machinæ scilicet ad hauriendas aquas & irrigandos agros (6), aqua undique stillabunt, rivis exuberantibus.

Tolletur pauptea Agag rex ejus, et auferetur aeanum illius. Saul Rex Israelis a Deo reprobatus, vita pariter & Regno multatus, quod prepostera pietate misertus sit Agag Regis Amalecitarum (7). Vertunt quidam Hebræum (8): Rex Israel *exaltabitur præ Agag* [nomen erat Regum Amalecitarum] *& elevabitur Regnum ejus* in dies. Vel, relatis verbis hisce ad Saulem: Princeps iste *exaltabitur supra Agag*, victoriam de Regibus Amalecitarum reportabit: sed Deus *auferet Regnum ejus ab eo*.

Samaritanus & Septuaginta (9): *Extolletur præ Gog regnum ejus, & augebitur regnum ejus*. Exemplaria quædam Septuaginta pro *Gog* legunt *Og*. Porro scitum est, Og Regem fuisse Basan; sed princeps ille victus armis Hebræorum, vita & Regno jam cesserat, tota ejus regione Hebræis victoribus subjecta; quare nihil erat, cur exitium illius Balaam prænunciaret. Veteres Græci Interpretes eamdem lectionem, quam Septuaginta, secuti præferunt Gog vel Og. Veterum Patrum nonnulli (10) hoc interpretati sunt de victoriis a Filio Dei referendis e Gog & Magog, nempe, ut ipsi quidem exponunt, ex Antichristo. S. Ambrosius epistola L. novæ Editionis legit: *Attolletur Regnum ejus in altum*. Gemina habet Philo (11): *Et crescens ejus regnum, in dies magis in altum tolletur*.

℣. 8. Devuaabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, et peafoaabunt sagittis. Longe alio sensu Hebræus Textus exponitur. Ita ille ad literam (12): Israel *comedet gentes angustiatores ejus, & ossa eorum exossabit, & sagittas earum franget*. Chaldæus: *Devorabit domus Israel superbias populorum inimicorum suorum, & præda regum eorum delectabuntur, & terram eorum possidebunt*. Sunt qui pro verbis illis Vulgatæ, *Perforabunt sagittis*, reddant Hebræum: *Veneno inficient sagittas*; vel: *E pharetra educent sagittas*. Sed priores versiones præferendæ sunt.

℣. 10. Complosis maniaus, ut loquentem interciperet, prohiberetque ne prosequeretur; vel indignatione, & strepitu furentis. Vide *Job* XXXVII. 23. *Jerem. Thren.* II. 15.

℣. 11. Dominus privavit te honore dispusito, vel præmio, quod tibi destinaveram, cum loqui te contraria plane meis votis coegerit. Non infrequenter in Scriptura ponitur *honor* pro præmio; uti & interdum remotiori causæ, vel tantum occasioni, effectus causæ proximæ tribuitur.

℣. 14. Dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat exsaemo temporae. Balaam rediturus in patriam, ipso ineundæ viæ articulo, consilium privato spiritu suo se dictaturum Regi promittit: id autem innuit sermonis ejus exordium: statim vero Divino œstro abreptus, ea prosecutus est ore, quæ ipse nolebat, fausta Israelitis imprecatus. Egregie Chaldæus: *Consulam tibi quid facies; & indicabo tibi quid faciet populus hic populo tuo in fine dierum*. Scimus utique, impium hunc Ariolum noxium in Hebræos consilium Regi Moabitarum dedisse (13). Sed alia plane, quam præsenti, occasione; quamquam hac eadem insinuatum fuisse, Interpretes plures reputarunt (14).

Hebræus discrepat plurimum a Vulgata: *Monebo te, quod facturus est populus iste populo tuo in novissimo dierum*. Ita pariter legunt Septuaginta, ac cæteri

(1) Cassiodor. in Cantic. c. 4. (2) Vide Arabiam Gabrielis Sionitæ c. 6. (3) Ἐξελεύσεται ἄνθρωπος ἐκ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ, καὶ κυριεύσει ἐθνῶν πολλῶν. (4) Prov. v. 15. 16. (5) יזל מים מדליו וזרעו במים רבים (6) Vide Deut. XI. 10. (7) 1. Reg. XV 9. (8) וירם מאגג מלכו ותנשא מלכתו (9) Ὑψωθήσεται ὑπὲρ Γὼγ ἡ βασιλεία αὐτοῦ, καὶ αὐξηθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ. (10) Origen. homil. 17. in Num. Euseb. lib. 9. Præp. c. 3. Cyprian. l. 1. ad Quirin. testim. 10. (11) Lib. 1. de vita Mos. Καὶ ἐπιβαίνουσα ἡ τοῦδε βασιλεία, τὰς καθ' ἡμέραν ἀεὶ πρὸς ὕψος ἀρθήσεται. Legendum in Hebræo gag pro gog, ut hæc versio serveiur: *Regnum ejus exaltabitur super tectum, & elevabitur ejus Regnum*. (12) יאכל גוים צריו ועצמותיהם יגרם וחציו ימחץ (13) Vide Num. XXXI. 16. & Apocalyps. II. 14. (14) Jonathan, Targ. Hierosol. Menoch. Tirin. Bonfr. &c.

teri, qui duces illos sequuntur. Utrumque sensum jungere voluisse videtur Onkelos, cujus versionem superius dedimus. Duplici interpretatione Textum exponit Origenes. Homilia XVIII. in Numeros, Hebræi & Septuaginta Textum retinet; Homilia XX. cohæret Vulgatæ. Sunt (1) qui utrumque sensum ita concilient: Antequam revertar in patriam, consilium tibi dabo, sed antea tibi ea promam, quæ ab Israelitis populo tuo imminent.

℣. 17. VIDEBO EUM, SED NON MODO &c. Divino afflatus œstro designat Messiam, quasi de illo sermonem jam antea præcedentibus verbis instituisset, quanquam versu præcedenti nihil re ipsa de illo fuerit locutus. Sed cum totum hoc oraculum Messiam spectet, nec alius sit scopus potissimus loquentis, facile intelligimus, de nullo altero dicta hæc esse exponenda: *Videbo eum* quidem magnum Regem; *sed non modo*, non quamprimum. *Intuebar* non meis quidem, sed posterorum meorum oculis; quod adamussim tum impletum est, cum Magi Jesum Christum adoraturi, ductu sideris Balaami oraculo intra prædicti, venerunt. Recentiores quidam Rabbini hæc verba referunt ad Davidem Messiæ typum, Commode etiam redditur Hebræus: Ea videbo, quæ tibi prædixi; vel: Jam video, sed remotissima adhuc tanquam longe prospecta: video exitum tuum, video regionem tuam amissam; sed hæc omnia mala sunt ætatis remotioris. Septuaginta: *Ostendam, sed non modo: beatificabo eum, sed non appropinquat*, sed non statim. Quæ spopondi Israelitis, singula implebo, sed non modo: cumulabo illos bonis, quamquam non statim. Porro Oraculis ejusmodi plena fides nonnisi sub Messia stetit.

ORIETUR STELLA EX JACOB. Uno Patrum Christianorum, & Veterum Judæorum Interpretum (2) assensu hæc omnia de Messia loqui constat. Sed recentiores Hebræi, cum Oraculi hujus sensum explicant, inter se committuntur. Sunt qui de Messia sensu spirituali exponant, de Davide vero ad literam (3): in quam posteriorem sententiam plerique concesserunt. Tunc autem suam fidem stetisse literæ Oraculi putant, cum David Moabitas subegit: *Occidet Principes Moab*. Sed qua ratione huic Principi congruunt ea, quæ sequuntur? *Vastabitque omnes filios Seth*. Pronum est autem hæc accipere vel de mortalibus omnibus, vel de Justis; quibus nec jure victoris, nec Regis unquam Princeps ille imperavit. Est igitur, cur prono & literali sensu exponamus de Messia, cujus typum tunc gessit David, cum Moabitas aliasque gentes imperio submisit. Christi ætate, communi opinione receptum fuisse videtur, astrum illud, quod oriturum hic Balaam prædicit, Messiæ adventum indicaturum fuisse. Ea fortasse persuasione tenebantur Magi, qui Jesu Christi cunas adoraturi venerunt. Scriptores plurimi (4) putasse videntur, Balaami Oraculum sidus illud materiale, tum primum micans, respicere. Sed astrum illud ex Jacob non emersit; designabat solummodo exortum veri sideris ex Jacob nascentis, Orientem, Germen David; quemadmodum Messias in Scriptura sæpe describitur. Jesus Christus verum erat astrum, cujus adventum indicatura tantum materialis ea stella fulgebat. Utrumque autem sidus eodem simul tempore mortalium aspectibus offerendum erat; sed cum mortale illud indicando tantum adventui Messiæ destinaretur, munere suo vix functum evanuit.

Secundo Ecclesiæ sæculo *Ben-Cosiba* quidam obtrudere se volens pro Messia, nomen sibi vindicavit *Bar-Coceba*, vel *Filius sideris*, stellam illam Jacob, oraculo Balaami prædictam, spectans. Magno numero Judæos ille seduxit, cum firma esset tunc persuasio, hoc Oraculum, quod explicamus, Messiam respicere.

VASTABIT OMNES FILIOS SETH. Filiorum Adami nonnisi trium nomina servavit Scriptura; videlicet Abel, Cain, Seth, De posteris Abelis nihil memoriæ proditum est: Cain fons est & origo filiorum hominum, qui opponuntur filiis Dei, Seth generis sui authorem referentibus. Quare commode nomine filiorum Seth Justi omnes & Electi designantur, nempe Christiani, filii Dei per Jesum Christum, qui illos Patri suo genuit, suoque submisit imperio. Sub alia vero ratione, nomine filiorum Seth Mortales omnes intelliguntur (5), e Noe, qui e Patriarcha Seth genus retulit, Hoc sensu congruit prorsus oraculum Jesu Christu, qui Imperio suo subdidit vel subdet Gentes late omnes, quas coram Tribunali suo extrema Judicii die convocabit.

Recentiores quidam Interpretes (6) censent, nomine filiorum Seth indicari certas aliquas gentes, notas, finitimasque Judæis. Seth nomen esse Regis inter Moabitas celebris, autumat Grotius. Nomen urbis regionis Moab, maluit R. Nathan apud Lyranum, Junius vertit: *Filios tergi*, ob probrum originis Moabitarum, ex Loth & filiabus ipsius. Samaritanus ita commode redditur (7): *Transfiget extrema Moab, & deiciet muros filiorum elevationis*. Veri speciem habet maximam, secundum periodi membrum eumdem retinere sensum, ac primum, quod frequens est stylo parabolico; ut proinde filii elevationis ipsissimi Moabitæ censendi sint: sive scilicet eo nomine spectatus sit situs locorum, quæ illi tenebant, montibus enim asperam incolebant regionem; sive Gentis ingenium & mores. Tumorem animi illorum sæpe exprobrat Scriptura. Porro de situ aspero regionis Moabiticæ, hæc habes apud Jeremiam XLVIII. 28. *Relinquite civitates & habitate in petra, habitatores Moab; & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis*. De fastu illorum ita prosequitur idem Propheta ℣. 29. *Audivimus superbiam Moab; superbus est valde... sublimitatem ejus & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis ejus*. Idem Propheta ea repetens, quæ nos legimus in Capite XXI. 28. hujus Libri (8): *Ignis egressus est de Hesebon, & devoravit Ar Moabitarum, & habitatores, vel Principes excelsorum Arnon*; ita loquitur: *Ignis egressus est de Hesebon, & devoravit partem Moab, & verticem filiorum tumultus* (Hebr. *elevationis*). Habes hic incolas excelsorum Arnon, vel filios elevationis, vel celsitudinis, tanquam synonymos Moabitis.

℣. 18. ERIT IDUMÆA POSSESSIO EJUS; HÆREDITAS SEIR CEDET INIMICIS SUIS: ISRAEL VERO FORTITER AGET. Idumæi sub jugum missi a Davide (9) manserunt Regibus Juda subditi usque ad Regnum Joram filii Josaphat (10), cum excusso jugo Regem sibi statuerunt. Iterum vero sub jugum redacti sunt ab Hircano Macchabæo (11), qui & ad excipiendam Circumcisionem & Legem Judaicam adegit. Seir designare regionem Edom, & duo hæc nomina alterum pro altero indiscriminatim usurpari, tam certum est, quam quid aliud.

℣. 19. DE JACOB ERIT QUI DOMINETUR, ET PERDAT RELIQUIAS CIVITATIS. Dominatoris nomine hic de-

(1) Piscat. (2) Onkel. Jonath. Targ. Hierosol. (3) Maimonid. (4) S. Maximus, serm. 3. de Epiph. Haymo, Drutmar. Procop. D. Th. &c. apud Barrad. (5) Ita Onkelos, Theodoret. & alii passim. (6) Oleast. (7) מחץ פאתי מואב וקרקר כל בני שת Forte legendum hic *Kodkod*, קדקד, *vertex*, uti apud Jerem. XLVIII. 45. pro *Karkar*, cujus vocis ignota est radix. Karkar nomen est loci, Moabitis finitimi. Judic. VIII. 10. (8) והאכל פאתי מואב וקדקד בני שאון Vero *saon*, שאון elevationem, derivatum e nasa נשא Vide Jerem. XLVI. 18. שאת elevatio, altitudo, superbia, legitur in Genesi XLIX. 3. (9) 2. Reg. VIII. 14. Psal. LIX. 2. & 3. Reg. XI. 15. 16. (10) 2. Reg. VIII. 22. *In diebus ejus recessit Edom, ne esset sub Juda, & constituit sibi Regem*. (11) Joseph. Antiq. l. XIII. c. 17.

designatur Messias, qui felici & salutari exitio ex urbe hujus Mundi (1), & commercio sæculi rapit electos carosque sibi famulos & amicos. Textus Originalis discrepat plurimum a Vulgata; habet enim (2): *Dominabitur de Jacob* (egredietur de Jacob Princeps qui dominetur) *& perdere faciet superstitem de civitate*. Perdet Messias Gentiles omnes, quorum & subvertet Templa, & Religionem tollet. Sed & eos potissimum perdet, qui ex Urbe sese receperint, qui Religionem Romæ dominantem, Paganismum ibi, tanquam in Urbe regni sui Metropoli, residentem (3), atque rerum potientem deseruerint; educet ex ea caros sibi famulos & electos. Vel aliter: Messias exitio erit Paganismo, qua late patet per Orbem urbesque omnes (4); Paganos adversarios suos exterminabit. Sunt qui oraculi hujus malum omen definiant ad Idumæos, de quibus paulo ante, cæterosque hostes Judæorum. Inferet David arma victricia in eos pariter, qui claudi se intra Urbes non sinentes, saluti suæ in desertis abdiri consueverint; illos enim & deteget & perdet. Legimus in tertio Regum xi. 15. 16. Regem illum *occidisse omne masculum in Idumæa*.

Hebræum hujus textus ita ego verterem, una tantum literula immutata: *Egredietur Dominator ex Jacob*, והאביד שעיר מעיר, *sed peribit Seir de urbibus suis*. שעיר lego pro שריד. Continuatio est præcedentis oraculi in Idumæos pro Hebræis. Porro oraculi juxta hanc interpretationem fides complera est utique ad sensum in ortu Messiæ, emblemate quodam a Principibus hisce e Jacobo prognatis exhibitis ac in variis illis malis, quibus adeo oppressi sunt Idumæi, ut penitus jam inde a pluribus sæculis interierint.

℣. 20. Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur. Balaam e montis specula subjectam Arabiam & Palæstinam respiciebat; prout autem oculos huc illucque vertebat, alio & alio œstro afflatus, oracula singulis illis locis, quæ intuebatur, apta fundebat. Primo omnium fausta imprecatur Israelitis: dein vertitur ad Moabitas (5), Idumæos (6), Amalecitas, Cinæos, ac tandem Assyrios. Porro Amalecitæ, inquit, *Principium gentium sunt*; idest, omnium primi qui armis vexarint Israelitas ex Ægypto moventes (7); sed victi tandem, Saule Regnum illorum evertente (8), delebuntur. Alii vero ita exponunt: Amalec inter circumjacentes omnes florentissimus est, & potentissimus; sed peribit tandem, simili omnino ac cæteri excidio. Maluerim ego dictum accipere de vetusta Amalecitarum origine; antiquiores enim erant illi Moabitis, Ammonitis, Idumæis, quin & Hebræis, siquidem verum sit, ut insinuare videtur Moyses (9), Amalec jam inde ab ætate Abrahami floruisse. Ægre ego quidem in animum induxerim, Amalec, Esau (10) nepotem, patrem fuisse Amalecitarum. Cæteros filios Edom discretam ab aliis gentem effudisse, nusquam legimus; nec sane facile credi potest, brevi adeo annorum spatio Amalecitas in populum excrevisse. Ab ortu Amalec usque ad exitum ex Ægypto, constitui vix potest annorum ccl. neque majus, intervallum.

℣. 21. Vidit quoque Cinæum. Tenebant Cinæi occidentalis Maris Mortui regionem, Idumææ conterminam, quæ deinde regio Tribui Juda cessit. Recensentur Cinæi in Genesi xv. 19. inter gentes, quarum regiones Deus Abrahamo promisit. Jethro socer Moysis Cinæus erat, in cujus obsequium cæteria ejusdem Familiæ, qui Religioni Hebræorum accedere non detrectarunt, decretæ sunt ab Hebræis intra Regionis suæ finium sedes, ut securi habitarent. Reliqui Cinæi sive jugum Israelitarum subierunt, sive sese ad Idumæos receperunt. Ex historia Saulis constat, sub eo Principe res habuisse suas cum Amalecitis communes (11). Paraphrastes Chaldæus vertit plerumque pro *Cinæis Salmonæos*, quæ gens est Arabiæ, vetustis Geographis non ignota.

Si in petra posueris nidum tuum. Cinæi, perinde ac gentes reliquæ, montana Idumææ & Arabiam Petræam tenentes, domos sibi parabant in scopulis excisas. Eo spectat Balaam, uti & ad nomen Cinæi, ex Hebraica radice nidum sonante deductum. Regionis illius vici coalescebant non e domibus quidem cæmentitiis simul collectis, uti apud nos, sed hominum manu simul incolentium sub eadem palma vel sub eodem specu: sub terra enim effossis in sedibus commorabantur (12).

℣. 22. Et fueris electus de stirpe Cin.... Assur enim capiet te. Fueris licet inter potentissimos ac robustissimos e Cinæorum stirpe potens atque robustus, Assur tamen invalescet in te & captivum ducet. Hæc autem spectata sunt sub Regibus Sennacheribo, Nabuchodonosore, uti & sub Holoferne, qui late vastationem intulerunt non in regionem tantum Hebræorum, uti docet Scriptura, sed in cæteras etiam vicinarum gentium, uti ex Prophetis intelligimus. Post Regnum Saulis, de Cinæis perpetuum est silentium, ideo forte quod in unam gentem coaluerint cum Idumæis & Arabibus: quare oraculi hujus impleta fides quærenda est in iis malis, quæ Idumæos sub Regibus Assyriæ oppresserunt.

Hebræus hujus Textus sensum alterum reddit (13): *Quia nidus tuus erit in combustionem, donec Assur captivet te*. Tutus licet regionis vestræ situs non prohibebit, quin ignis in intimas usque petras vestras inferatur, donec omnes ab Assyriis hostibus capti abducamini in servitutem. Chaldæus: *Si fuerit Salmæus in consummationem* [penitus eversus] *Assyrius captivabit te*; idest, quamquam ad mala extrema redigaris, nulla tamen tui miseratione tangetur Assyrius, sed dura te premet captivitate. Septuaginta (14): *Si fuerit Beor nidus iniquitatis, Assyrii captivum te ducent*; quasi scilicet *Beor* metropolis esset Cinæorum. Judæi pro *Cin* legunt hic *Cain*: Mendosissime. Grotius ita Textum hunc reddit: *Attamen Cin erit in prædam hostibus suis, & quamdiu eris? Assyrius enim ducet te captivum*. Futurum augurabatur, ut Cinæorum res sensim infirmarentur, donec in potestatem hostium venientes, una cum Israelitis ab Assyriorum Regibus in captivitatem abducerentur. Sunt qui reputent, Cinæos rediisse e Babylonia cum Judæis sub Esdra, quippe qui in primo Paralipomenon ii. 55. inter posteros Juda recensentur. Favet huic opinioni Samaritanus: *Cum nidus tuus fuerit in combustionem, discedet ex Assur incola tuus*.

℣. 23. Heu! quis victurus est, quando ista faciet Deus? Exprimit his verbis remotissimæ ætatis oracula se fundere. Vel relatis prioribus hisce ad ea quæ sequuntur: *Heu! quis victurus est post ea, quæ Deus faciet Assyriis?* Vel, cum Deus ultionem suam in has gentes exercebit? Verba illa, *Assumpta parabola*, quæ in exordio hujus versiculi leguntur, in eam me persuasionem inducunt, novum hic sensum institui, ut priora hæc ad posteriora referenda sint. Tandem variata punctorum ratione in Hebraico ita commodo redditur (15): *Heu, quis vivet cum Deus destruet, seu vastabit has gentes?* Væ illis, qui calamitosis

adeo

[1] Orig. hom xviii. in Num. [2] וירד מיעקב והאביד שריד מעיר [3] Targ. Hierosolym. Menoch. Tirin. [4] Varob. [5] Num. cap. xxiv. 17. [6] ℣. 18. 19. [7] Ita Onkel. Targ. Hierosol. Jonath. Rabb. Lyr. Vat. Bonfr. &c. [8] 1. Reg. xv. [9] Genes. xiv. 7. [10] Genes. xxxvi. 12. [11] 1. Reg. xv. 6. [12] Bellon. observ. l. 2. c. 61. [13] כי אם יהיה לבער קין עד מה אשור תשבך [14] Καὶ ἐὰν γένηται τῷ Βεὼρ νοσσιὰ πανουργίας, Ἀσσύριοι αἰχμαλωτεύσουσί σε. [15] אוי מי יחיה משמו אל Deo מ משמו e שמם destruere, vastare.

adeo temporibus vivent? quomodo vitam servabunt?

℣. 24. VENIENT IN TRIERIBUS DE ITALIA; SUPERABUNT ASSYRIOS. Romani superarunt Assyrios, id est, gentes Syriæ, Mesopotamiæ, & Orientales cæteras, quæ sub communi Assyriorum nomine censentur. Ea, quam hic sequimur, interpretatio, cohærens Textui Vulgatæ, suffragatores habet Paraphrastas Chaldæos, Rabbinos, & plures Commentariorum Scriptores. Ipse doctus Bochartus omnibus eruditionis suæ nervis evincere conatur, *Citthim*, quod hic legitur in Hebræo, Italiam significare.

Sed plures contendunt, Citthim varias indicare gentes ex his derivatas, quæ primo incoluerunt Cariam, Syriam, & Pamphiliam, missisque Coloniis Italiam, Macedoniam, Insulas Cyprum, & Cretam frequentarunt (1). Demonstrare conati sumus in Genesi x. genuinam regionem Citthim, vel Chetim fuisse Macedoniam: certoque tenemus, respicere hic Balaamum victorias Macedonum sub auspiciis Alexandri Magni, de Regibus Persidis, successoribus Regum Assyriæ, cæterisque in eorum regione dominantibus. Perseus & Alexander Reges Macedonum Cethim Reges appellati sunt in Libris Macchabæorum (2): nec uspiam in Scriptura occurrit nomen illud *Cethim*, ubi non commode de Macedonia explicetur. Tota Oraculi hujus vis tenetur, si de Imperio Græcorum in Asia intelligas; nec de Romanorum imperio, nisi vi Textui illata, commode exponitur. Hanc sententiam sequuntur ex Græcis plerique (3) cum Grotio, Medo, aliisque nonnullis.

VASTABUNTQUE HEBRÆOS. Scitum est, Hebræos vel Judæos submissos fuisse Alexandro & successoribus, ex quibus Antiochus Epiphanes dira persecutione illos oppressit. Scitum est pariter, eosdem dominos sensisse Romanos, quibus gravissime urgentibus, in eum denique miserrimum rerum statum devenere, in quo adhuc se positos gemunt. At sub Hebræorum nomine Interpretum plerique (4) designari hic censent populos Transeuphratæos, quorum libertas & Imperium Alexandro Magno evertente perierunt.

AD EXTREMUM ETIAM IPSI PERIBUNT. Ipsum denique Græcorum Imperium a Romanis eversum est. Romani hujus Imperii eversionis nullibi unquam Scripturam meminisse animadverti, uti neque post idem Imperium, novum alterum ab illa indicatur. Oracula Veteris Testamenti ejus quidem ortum, magnitudinem, & diuturnitatem prædicunt; nunquam vero exitum: quasi scilicet, idem ipsum Imperium imago futurum esset Regni Jesu Christi, qui vaticiniorum omnium est scopus, Regni scilicet illius in ævum permansuri. Qui sermonem hic esse de Romanis ajunt, censent pariter, Imperium illud eversores sensisse Gothos, cæterasque barbaras Gentes, quæ cum in ejus ditionem irruerint, maximam ejus partem ad se derivarunt. Ultimum hoc excidium manere aliqui volunt sub Antichristo, & in exitu rerum. Porro Romanorum Imperium adhuc perseverare in Imperio Germanico, Grotius (5) certat.

℣. 25. REVERSUS EST IN LOCUM SUUM, sive in patriam. Rediit ille in patriam post relictum Moabitis impium illud consilium, cujus funestas appendices proxime sequens caput narrat. Legimus infra capite xxxi. 8. Balaamum trucidatum fuisse ab Israelitis in regione Madian, sive quod ille post reditum suum in Mesopotamiam eo se contulisset (6), sive quod abeuntem Madianitæ retinuerint, adeoque inter illos versantem idem sinistrum fatum atque illos Hebræorum armis oppressos obvolverit. Scribens hic Moyses, Balaamum rediisse in patriam, nihil aliud forte indicavit, quam reditum decrevisse, quamquam non implevit: seu forte suscepto jam itinere prohibitum fuisse a Madianitis, ne ulterius prosequeretur. Sæpe in Scriptura factum dicitur, quod animo tantum destinatum erat.

[1] Medus l. 1. Differt. 48. [2] 1. Macch. 1. 1. & viii. 5. [3] Septuag. Ἐξελεύσεται ἐκ χειρῶν Κιτιαίων. Vide Theodor. q. 44. & alios. [4] Onkelos, Grotius, Fag. alii passim. [5] Grot. de jure belli & pac. l. 2. c. 9. art. 11. [6] Ita Grot. Bonfr. Tirin. &c.

CAPUT XXV.

Crimen Israelitarum cum puellis Moabiticis. Incidunt in Idololatriam Beelphegor, cujus criminis præcipuos authores comprehendi jubet Moyses. Studium Phinees, qui occidit Zambri, atque ita furorem Domini compescuit. Deus spondet Sacerdotium Phinees ejusque posteris; ac Moysi imperat, ut arma inferat in Madianitas.

℣. 1. MOrabatur autem eo tempore Israel in Settim, & fornicatus est populus
cum filiabus Moab, 2. Quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi
comederunt, & adoraverunt deos earum. 3. Initiatusque est Israel Beelphegor, &
iratus Dominus, 4. Ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos
contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel. 5. Dixitque Moyses
ad Judices Israel: Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.
6. Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores taberna-
culi. 7. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari, filii Aaron sacerdotis, surrexit
de medio multitudinis, & arrepto pugione, 8. Ingressus est post virum Israelitem
in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem in locis genitali-
bus. Cessavitque plaga a filiis Israel: 9. Et occisi sunt viginti quatuor millia homi-
num. 10. Dixitque Dominus ad Moysen: 11. Phinees filius Eleazari, filii Aaron
sacer-

sacerdotis avertit iram meam a filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos,
ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. 12. Idcirco loquere ad eum: Ecce
do ei pacem fœderis mei. 13. Et erit tam ipsi, quam semini ejus pactum sacerdotii
sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israel. 14.
Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Sa-
lu, dux de cognatione, & tribu Simeonis. 15. Porro mulier Madianitis, quæ pari-
ter interfecta est, vocabatur Cozbi, filia Sur principis nobilissimi Madianitarum. 16.
Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 17. Hostes vos sentiant Madianitæ, &
percutite eos: 18. Quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepere insidiis
per idolum Phogor, & Cozbi filiam ducis Madian sororem suam, quæ percussa est
in die plagæ pro sacrilegio Phogor.

℣. 1. IN SETTIM. Locus est in agro Moabitico, Jordani proximus, qui inferius Capite XXXIII. 49. appellatur *Abel-Settim*, *Luctus Settim*; fortasse quod XXIV. M. hominum ibi interierint, ut infra legitur. Stationum Israelitarum ab egressu ex Ægypto, antequam Chananitidem ingrederentur, suprema hæc constituitur.

FORNICATUS EST POPULUS CUM FILIABUS MOAB. Persuasus Balaam futurum, ut inexpugnabiles essent armis Hebræi, quamdiu Legibus suis paruissent, & avitam Religionem tenuissent; author fuit Moabitis & Madianitis (1), ut missis puellis suis ad Hebræos, in crimen illos pellicerent. Monuit insuper, ut cum puellæ implicitos amore suo tenerent Hebræos, non prius tamen postulantibus illis consentirent, quam illi sacrificiis Numinibus suis antea oblatis incestum sibi veluti emissent. Suadenti plus nimio obtemperatum est, reique eventus ostendit, viri callidi impia consilia plurimum nocere.

℣. 3. INITIATUS EST POPULUS BEELPHEGOR. In Dissertatione nostra de *Beelphegor*, demonstrare conati sumus, Deum illum Adonidem esse, vel Solem. Reddi potest Hebræus (2): *Conjunxit se Israel*, vel connubia vinxit, *cum Beelphegor*. Psalmus CV. 28. narrat comedisse illos *sacrificia mortuorum*: quod exponimus de sacrificiis in honorem Adonidis vel Osiridis, cujus obitus quotannis lugebatur.

℣. 4. TOLLE CUNCTOS PRINCIPES POPULI, ET SUSPENDE EOS CONTRA SOLEM IN PATIBULIS. Idest, inter Principes populi eos, qui majori criminis culpa tenentur. Ex iis plerique, quorum erat in regimine populi authoritas, consortes se sceleris præbuisse creduntur (3); vel saltem in eo peccarunt, quod ruentes in crimen populos authoritate sua non cohibuerint. Sed docti plures Interpretes Textum aliter reddunt (4): *Tolle cunctos Principes populi, & jube suspendi* [reos] *coram Sole*, ut Dominum ulciscaris. Imperat Deus Moysi, ut adhibitis Judicibus populi, expendat reorum causas, & quos convicerit de Idololatria & fornicatione, palam agat in patibulum. In hanc sententiam concedunt Paraphrastæ Chaldæi, & Veterum ac Recentiorum plerique (5). In executionem latæ a Principibus vel Judicibus sententiæ, neci primum traditi sontes creduntur, tum in erecta patibula a mane ad vesperum suspensi.

Sed quo mortis genere sublati sint, quæve patibuli, unde pependerunt, forma, ignoratur. Lapidibus, ceu idololatras, confectos prius, dein actos fuisse in patibulum, docent Thalmudistæ (6). Alii Originalis vocibus exprimi malunt tensionem membrorum violentam, qua compages omnes perinde solverentur, ac cum vivus aliquis e patibulo suspensus, gravi ad pedes alligato pondere distrahitur. Alii vivos furca a nostris non dissimili (7) sublatos, vel actos in crucem, vel palis appensos adhuc vivos putant. Justus Lipsius, Carolus Sigonius, & Batonius (8) autumarunt, crucis supplicium apud veteres Hebræos familiariter obtinuisse: sed contraria docetur a Judæis Doctoribus persuasio, ratis nunquam obtinuisse, ut acti in crucem rei manibus pedibusque clavis affigerentur. Hinc vero argumenta ducunt, quipbus veritatem historiæ Passionis Jesu Christi infirment; sed irrito conatu, non enim per Judæos, sed per Romanos actus est in Crucem Servator. Nulla vernaculo Hebræo sermone vox occurrit, exprimens cruci affigere, sive crucem, qualis eo nomine apud nos designatur. Fert tantum Scriptura, suspendere in ligno, affigere ligno. Certant Hebræi, neminem apud ipsos vivum actum fuisse in patibulum: quæ illorum opinio pluribus Scripturæ testimoniis adstrui posset. Ita Josue necatos prius Reges Chananæos suspendit e furca (9). Docet Philo (10), Moysem, cum non satis pro crimine punire homicidas mortis pœna censeret, adjecta opprobrii appendice imperasse, ut e trabe suspensa illorum cadavera ad vesperum usque ferale sui spectaculum exhiberent. Philistæi Saulis & filiorum ejus in prælio ad Gelboe interfectorum cadavera e muris Bethsan suspenderunt (11). Verum animadversionis genus istud ita familiariter obtinuisse fatemur, ut & vivos homines actos interdum in crucem teneamus. Vide nostram Dissertationem de Suppliciis Hebræorum.

℣. 5. DIXIT MOYSES AD JUDICES ISRAEL. Non alios Judices hic designari ferunt, quam qui versiculo superiori. Qua phrasi eorum confirmatur opinio, qui censent, Moysem non damnasse supplicio Principes illos, sed Judices adhibuisse ad urgendam spreti Numinis ultionem. Septuaginta legunt: ταῖς φυλαῖς, *Dixit Tribubus*, scilicet in Hebræo שבטי pro שפטי.

OCCIDAT UNUSQUISQUE PROXIMOS SUOS. Hebræus: *Occidat unusquisque viros suos*. Judex quisque vel Princeps Israelitas criminis reos pro ditione sua singuli, & pro sua Tribu interimant.

℣. 6. INTRAVIT CORAM FRATRIBUS SUIS AD SCORTUM. Hebræus hodie plane aliter legit; habet enim (12): *Vir de filiis Israel appropinquare fecit Madianitidem ad fratres suos, coram oculis Moysis*. Et Septuaginta (13): *Veniens duxit fratrem suum ad Madianitidem*. Porro Hebræus ita etiam redditur: Venit Hebræus, & accessit fratribus suis cum Madianitide. Sed Textus Samaritanus hodie pati-

[1] Madianitarum meminit ℣. 6. 17. 18. hujus Capitis, & Cap. XXXI. ℣. 16. [2] ויצמד ישראל לבעל פעור [3] Ita Septuag. Symmach. S. Aug. Theodoret. Orig. Menoch. Tirin. Bonfr. Lyran. &c. [4] קח את כל ראשי העם והוקע אותם ליהוה נגד השמש [5] Vide Selden. de Synedriis l. 2. c. 1. p. 49. [6] Gemar. Babyl. ad titul. Sanhedr. c. 4. [7] Jaasen. hic. [8] Vide Casaub. advers. Baron. Exercitat. 16. pag. 537. [9] Josue X. 25. 26. [10] Philo de special. legib. [11] 1. Reg. XXXI. 12. [12] איש מבני ישראל בא ויקרב אל אחיו את המדינית לעיני משה [13] Septuag. Ἐλθὼν προσήγαγε τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ πρὸς τὴν Μαδιανῖτιν.

pariter cohæret Vulgatæ; nec vetusti Codices Septuaginta aliter legisse reputandi sunt, cum Græci Patres Textum, uti sonat in nostris Latinis Exemplaribus, reddiderint. Historiam hanc seu assequutus non est Josephus (1), seu veritatem fabulis personavit; ita enim rem narrat. Zambri, adscita in uxorem Cozbi, filia viri principis inter Madianitas, probrum criminis, Legi Dei plane adversantis, non tantum celandum sibi non duxit, sed tanquam decorum sibi id esset ac gloriosum, palam genua flexit Idolis. Moyses coram populi concione, neminem expresso nomine significans, indignam libertatem, quam sibi arrogabant quidam, latas a Deo leges palam & aperte pessundandi, exaggeravit: proinde hortari se viros Dei studio animatos, ut facinus tam immane ulciscerentur. Loquentis verba excipiens Zambri impudenter adeo atque impotenter in Moysem debacchatus est, ut præsentes omnes indignitate rei obstupescerent. Continuo Zambri ad propria secesserat; ac Phinees ardore plane divino percitus, in ejus tentorium convolans, nactus hominem cum uxore, uno ictu utrumque transfodit. Eadem in suis Exemplaribus legisse videtur Philo, ac præfert Vulgata; habet enim (2), Phineem, cum vidisset Israelitam, qui oblatis profanis sacrificiis ad fœminam prostitutam convolabat, hominem prosecutum, fœminam cum proco valido ictu necasse. Hæc pariter legit Origenes.

℣. 7. Arrepto pugione. Genuina significatio Hebræi רמח *Romac* non satis explorata est. Genus esse teli ad inferendam injuriam, fatentur omnes: utrum vero lancea, an spiculum, an hasta, an ensis, an ferrata clava, ignoratur. Utuntur Septuaginta hic voce Σειρομάστην, *Seiromastes*, quæ sonat ferrum oblongum, & acutum, quo utuntur Telonarii, ut quid in saccis & canistris contineatur, explorent.

℣. 8. In locis genitalibus. Eadem originalis vox קבה (3) redditur in eodem versiculo *lupanar*. Porro exprimere creditur conclave, cubile, vel concameratum locum tectumque, ventrem, cisternam. Vox apud nostrates vernacula *alcova*, ex Arabico deducta, derivatur ex eadem radice ac *Kabah*, quam vocem hic legimus. Reddi posset: Ingressus Phinees in conclave, utrumque perfodit in conclavi ejusdem fœminæ. Chaldæus Textum perinde reddit ac Vulgata. Septuaginta vero paulo aliter interpretantur (4): *Ingressus in caminum, & transfodit utrosque, hominem . . . & mulierem per vulvam ejus*. Hunc autem Textus esse sensum genuinum, ne ambigimus quidem.

Cessavitque plaga a filiis Israel. Vulgo creditur Deus peste animadvertisse in Hebræos, vel saltem morbum aliquem, late miseros depascentem, immisisse, ut tantum crimen ulcisceretur. Hæc autem pœna optime exprimitur in Hebræo Psalmi cv. 29. & hic ℣. 10. uti & Capite xxvi. 1. juxta Hebræum. Recentiores plurimi censent, Moysem indicare tantum voluisse, statim post Zambri a Phinee interfectum, Dei furorem cessasse, cessatumque pariter ab inferendo sententiis Judicum supplicio in eos Israelitas, qui rei criminis tenerentur. Nos tamen opinamur, Israelitas illos, quorum xxiv. m. interfecta sunt, uti versiculus proxime sequens narrat, Dei gladio cæsos fuisse. Voces, quibus utitur Textus originalis, non violentam mortem Judicum sententia decretam, sed plagam extraordinariam cœlitus inflictam significant.

℣. 9. Occisi sunt viginti quatuor millia hominum. Hebræus (5): *Et fuerunt mortui in plaga* [narrata] *quatuor & viginti millia*. S. Paulus (6) nonnisi tria & viginti millia recenset; idcirco fortasse, quod ejus Codices majorem numerum non narrarent; vel eos distinxerit, quos vindex Dei gladius percussit, ab aliis, Judicum animadversione, sublatis. Sunt qui Textum hunc Apostoli referant ad cædem post cultum vituli aurei; qua de re vide quæ contulimus ad Exodi xxxiv. 28. Damnum ea occasione majus quam ceteræ, sensit Tribus Simeonis, ideo facile, quod maxime omnium criminis particeps fuerit. Animadversum est in postremo censu, de quo infra, paulo post gravem illum casum instituto, Tribum illam xxxvii. m. hominum fuisse imminutam, ex priore illo censu, in capite ii. hujus Libri relato. Situs propinquitas [Simeonitæ enim castrorum meridionalem plagam tenebant] (7), & Optimatum ejusdem Tribus in crimen ruentium exemplum maxime valuerunt, ut vulgo reliqui admitterent, quod vindicis Numinis iram in se provocaret.

℣. 12. Do ei pacem foederis mei. Fœdus pacificum cum illo compono; vel, me cumulaturum illum bonis spondeo; vel, innovo in ejus gratiam fœdus jam alias sancitum cum Israelitis, & populo meo veniam indulgeo. Plerique intelligunt de Sacerdotio, quod se illi ejusque posteris collaturum Deus pollicetur. Promissionem hanc suam nuncupat pactum, fœdus pacis, felicitatis, & bonorum, quod scilicet Sacerdotii commoda & decora sint plura, & Sacerdotes componendæ Deum inter & homines pacis sint intermedii. Honore illo donantur, ut ad Deum tanquam familiares, amici, & ejus *homines pacis* accedant. Tandem reddi posset Hebræus בריתי שלום *Do ei fœdus meum*, firmum, stabile, permanens: fœdus cum illo ineo nunquam resolvendum. Id sequenti versiculo designatur.

℣. 13. Pactum Sacerdotii sempiternum. At enim Sacerdotium nonne juris erat Phineis, quippe qui inter filios Eleazari Summi Sacerdotis primoris natu privilegio præstaret? Quid igitur novi illi Deus addit? Id utique, quod non illi tantum Deus pollicetur Sacerdotium, sed & futuræ ejus posteritati perpetua successione: successurum illum patri suo spondet, quieta & a nemine turbata successione; tum & longam filiorum seriem successuram, quorum singuli apti futuri essent Sacerdotio: constat enim plura fuisse naturæ vitia, quibus dignitati illi impares reddebantur. Sed arduum est etiam aliud: qui enim hæc cum Historia concilientur? Scitum est, familiam Phineis Summum Sacerdotium non retinuisse, nisi usque ad Heli Summum Sacerdotem; tunc autem in familiam Ithamari patrui Phineis transisse. Sunt qui Heli, e familia Ithamari, proximum Phineis successorem statuant: sed plerique inter Phineem & Heli tres hosce constituunt, Abiezer, Bocci, & Usi. Perseveravit Summum Sacerdotium in ea Ithamari familia usque ad Regnum Davidis, vel etiam usque ad initium Salomonis. David socium dignitatis Abiatharo, quinto e familia Ithamari Sacerdoti, dedit Sadocum e genere Phineis (8). Sed cum Abiathar Adoniæ partes secutus fuisset, excidit a favore Principis, & dignitate, quæ uni asserta est Sadoco, sub Regni Salomonici exordium. Igitur Sacerdotii summa dignitas extra familiam Phineis cl. annos divagata est.

Huic

[1] Joseph. Antiq. l. 4. c. 6. [2] Philo lib. 1. de vita Mos. [3] Hæc vox hic solum legitur, & in Deuteronomio xviii. 3. ubi ventrem aut stomachum significare videtur. Asserit S. Hieronymus in vita Sanctæ Paulæ, *caba* Syrorum lingua esse cisternam; & Grotius docet, honesto hujus vocis sono pudenda designari. Vide Isai. li. 1. Adde Num. xxiv. 7. Psalm. lxvii. 27. Prov. v. 15. 16. Isai. xlviii. 1. S. Epiphanius apud Drusium ait, *Bar-caba* sonare filium prostitutæ. Aquila vertit τέγος, *conclave*, *cubiculum*. Symmachus, πνιγεῖον, *caminum*, seu potius πορνεῖον, *prostibulum*. Drus. [4] Εἰς τὴν κάμινον, καὶ ἀπεκέντησεν ἀμφοτέρους, τόν τε ἄνθρωπον . . . καὶ τὴν γυναῖκα διὰ τῆς μήτρας αὐτῆς. [5] ויהיו המתים במגפה [6] 1. Cor. x. 7. 8. [7] Vide Num. ii. 10. 12. [8] 1. Paral. vi. 50.

Huic difficultati reponitur; Primo: Factam a Deo in favorem familiæ Phineis spem acquisivisse illi quidem jus Sacerdotii perpetuum; non tamen fidem suam obligasse Deum, ut possessionem sacræ dignitatis actu illi perpetuam assereret (1). II. Id generis factæ a Deo promissiones conditionibus plerumque adstringuntur, postulantque, ut illi, qui iis donantur, indignos nunquam his beneficiis se præbeant, opponantque velut largitionibus divinis, quibus effundendis præsto semper est Deus, cum fidem suam ea in re obligavit, dummodo non indignis conferantur (2). III. tandem, breve annorum interstitium in serie tot sæculorum perinde reputarur ac nullum. Perseveravit Sacerdotium in familia Phineis a Salomone ad usque captivitatem Babylonicam, & ea soluta, usque ad moram per Antiochum Epiphanem persecutionem: quod spatium implet DCCCCL. annorum.

Zelatus est pro Deo suo. Ultus est spreti Numinis majestatem, neque jussum opperiens nec facultatem: ipse in ultionem criminis plus nimio manifesti, & sententiam damnationis suæ in sese referentis insurgit. In his rerum eventibus sapientem quemlibet Magistratus munere fungi posse arbirratus est (3); & in causa communi adversus malum publicum notumque, ratus est homines singulos milites esse (4); ac integrum esse unicuique, ut in transgressores legum Domini armetur. Juris dogmate sancitum est apud Hebræos, cujus originem referunt ad Moysem, & exemplo Phineis confirmant, ut privato cuique, hominem, qui palam ad Idola deficiat, vel sacrilegium admittat, vel palam ad alienigenam fœminam accedat, vel tandem Sacerdotem, qui vitio aliquo legali pollutus accedit ad altare, fas sit propria authoritare interficere. Tunc autem ea crimina palam admitti censent, cum saltem coram decem hominibus committuntur. Ejusmodi *judiciorum zeli* (5) exempla plurima offert Scriptura. Mattarhias Macchabæorum pater Judæum transfodit, qui Idolorum cultu palam se polluit (6). Nec alia de causa trecentos illos fratres suos occiderunt Judæi, ut in tertio Macchabæorum narratur. Tandem non absimilem causationem obtenderunt Sancti Stephani interfectores (7); eamdemque Judæi illi, qui jurejurando sese obligarunt, ut Apostolum S. Paulum perimerent (8). Scitum est denique, ad quem malorum excessum devenerint Zelarores illi, qui supremæ obsidionis tempore in mediis Jerosolymis debacchabantur. Sed facultas ista, quam sive jus, sive consuetudo recepta concedit Hebræis, nonnisi pro ipsorum gentilibus esse censenda est, & forte pro aliis gentibus, apud quas nullæ datæ sunt leges, quæ negent privata authoritate ultionem injuriæ urgeri, quam Deo vel legibus illatam esse quisque arbitretur.

Expiavit scelus filiorum Israel; non vera quidem ac proprie dicta expiatione, sed ultionis divinæ vindicem iram avertens, atque memorando illo & illustri ultionis specimine cæteros revocans ad saniora consilia, quos pravum Zambri exemplum adducere valuisset in crimen.

℣. 14. Zambri filius Salu, Septuaginta: *Filius Salo*; vel, juxta alia exemplaria: *Filius Salmat*.

℣. 15. Cozbi filia Sur principis nobilissimi. Vir hic Rex appellatur infra capite XXXI. 8. ubi pariter unus e quinque Madianitarum Principibus dicitur.

℣. 17. Hostes vos sentiant Madianitæ. Nihil hic de Moabitis, quamquam facile ejusdem criminis, ac Madianitæ, consortibus. Sed Deus deleri illos noluit, in gratiam Loth patris ipsorum. Vide Cap. XXI. 2.

(1) Cajet. (2) Dionys. Carth. Titin. (3) Vide Grot. l. 2. de jure belli & pac. c. 20. art. 9. (4) Tertull. (5) Vide Selden. lib. 4. c. 4. de jure nat. & gent. & Grot. loco cit. (6) 1. Macc. II. 24. (7) Act. VII. 57. (8) Act. XXIII. 13.

CAPUT XXVI.

Tertius census populi in deserto.

℣. 1. POstquam noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen, & Elea-
zarum filium Aaron sacerdotem: 2. Numerate omnem summam filiorum
Israel a viginti annis, & supra, per domos, & cognationes suas, cunctos, qui pos-
sunt ad bella procedere. 3. Locuti sunt itaque Moyses, & Eleazar sacerdos in cam-
pestribus Moab super Jordanem contra Jericho, ad eos, qui erant 4. A viginti annis,
& supra, sicut Dominus imperaverat, quorum iste est numerus. 5. Ruben primogeni-
tus Israel: hujus filius Henoch, a quo familia Henochitarum: & Phallu, a quo fami-
lia Phalluitarum: 6. Et Hesron, a quo familia Hesronitarum, & Charmi, a quo fa-
milia Charmitarum. 7. Hæ sunt familiæ de stirpe Ruben: quarum numerus inventus
est, quadraginta tria millia, & septingenti triginta. 8. Filius Phallu, Eliab. 9. Hu-
jus filii, Namuel, & Dathan, & Abiron: isti sunt Dathan, & Abiron principes po-
puli, qui surrexerunt contra Moysen, & Aaron in seditione Core, quando adversus
Dominum rebellaverunt, 10. Et aperiens terra os suum, devoravit Core, morienti-
bus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum est gran-
de miraculum, 11. Ut, Core pereunte, filii illius non perirent. 12. Filii Simeon
per cognationes suas: Namuel, ab hoc familia Namuelitarum: Jamin, ab hoc familia
Jaminitarum: Jachin, ab hoc familia Jachinitarum: 13. Zare, ab hoc familia Zarei-
tarum: Saul, ab hoc familia Saulitarum. 14. Hæ sunt familiæ de stirpe Simeon, qua-
rum omnis numerus fuit, viginti duo millia ducenti. 15. Filii Gad per cognationes
suas:

suas: Sephon, ab hoc familia Sephonitarum: Aggi, ab hoc familia Aggitarum: Suni, ab hoc familia Sunitarum: 16. Ozni, ab hoc familia Oznitarum: Her, ab hoc familia Heritarum: 17. Arod, ab hoc familia Aroditarum: Ariel, ab hoc familia Arielitarum. 18. Istæ sunt familiæ Gad, quarum omnis numerus fuit, quadraginta millia quingenti. 19. Filii Juda, Her, & Onan, qui ambo mortui sunt in terra Chanaan. 20. Fueruntque filii Juda, per cognationes suas: Sela, a quo familia Selaitarum: Phares, a quo familia Pharesitarum: Zare, a quo familia Zareitarum. 21. Porro filii Phares: Hesron, a quo familia Hesronitarum: & Hamul, a quo familia Hamulitarum. 22. Istæ sunt familiæ Juda, quarum omnis numerus fuit, septuaginta sex millia quingenti. 23. Filii Issachar per cognationes suas: Thola, a quo familia Tholaitarum: Phua, a quo familia Phuaitarum: 24. Jasub, a quo familia Jasubitarum: Semran, a quo familia Semranitarum. 25. Hæ sunt cognationes Issachar, quarum numerus fuit, sexaginta quatuor millia trecenti. 26. Filii Zabulon per cognationes suas: Sared, a quo familia Sareditarum: Elon, a quo familia Elonitarum: Jalel, a quo familia Jalelitarum. 27. Hæ sunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit, sexaginta millia quingenti. 28. Filii Joseph per cognationes suas, Manasse, & Ephraim. 29. De Manasse ortus est Machir, a quo familia Machiritarum. Machir genuit Galaad, a quo familia Galaaditarum. 30. Galaad habuit filios: Jezer, a quo familia Jezeritarum: & Helec, a quo familia Helecitarum. 31. Et Asriel, a quo familia Asrielitarum: & Sechem, a quo familia Sechemitarum: 32. Et Semida, a quo familia Semidaitarum; & Hepher, a quo familia Hepheritarum. 33. Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantum filias, quarum ista sunt nomina: Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa. 34. Hæ sunt familiæ Manasse, & numerus earum, quinquaginta duo millia septingenti. 35. Filii autem Ephraim per cognationes suas, fuerunt hi: Suthala, a quo familia Suthalaitarum: Becher, a quo familia Becheritarum: Theben, a quo familia Thebenitarum. 36. Porro filius Suthala fuit Heran, a quo familia Heranitarum. 37. Hæ sunt cognationes filiorum Ephraim, quarum numerus fuit, triginta duo millia quingenti. 38. Isti sunt filii Joseph per familias suas. Filii Beniamin in cognationibus suis: Bela, a quo familia Belaitarum: Asbel, a quo familia Asbelitarum: Ahiram, a quo familia Ahiramitarum: 39. Supham, a quo familia Suphamitarum: Hupham, a quo familia Huphamitarum. 40. Filii Bela: Hered, & Noeman. De Hered, familia Hereditarum: de Noeman, familia Noemanitarum. 41. Hi sunt filii Beniamin per cognationes suas, quorum numerus fuit, quadraginta quinque millia sexcenti. 42. Filii Dan per cognationes suas: Suham, a quo familia Suhamitarum: hæ sunt cognationes Dan per familias suas. 43. Omnes fuere Suhamitæ, quorum numerus erat, sexaginta quatuor millia quadringenti. 44. Filii Aser per cognationes suas: Jemna, a quo familia Jemnaitarum: Jessui, a quo familia Jessuitarum: Brie, a quo familia Brieitarum. 45. Filii Brie: Heber, a quo familia Heberitarum: & Melchiel, a quo familia Melchielitarum. 46. Nomen autem filiæ Aser, fuit Sara. 47. Hæ cognationes filiorum Aser, & numerus eorum, quinquaginta tria millia quadringenti. 48. Filii Nephtali per cognationes suas: Jesiel, a quo familia Jesielitarum: Guni, a quo familia Gunitarum: 49. Jeser, a quo familia Jeseritarum: Sellem, a quo familia Sellemitarum. 50. Hæ sunt cognationes filiorum Nephtali per familias suas: quorum numerus, quadraginta quinque millia quadringenti. 51. Ista est summa filiorum Israel, qui recensiti sunt, sexcenta millia, & mille septingenti triginta. 52. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 53. Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum in possessiones suas. 54. Pluribus majorem partem dabis, & paucioribus minorem: singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio: 55. Ita dumtaxat, ut sors terram tribubus dividat, & familiis. 56. Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores. 57. Hic quoque est numerus filiorum Levi per familias suas: Gerson, a quo familia Gersonitarum: Caath, a quo familia Caathitarum: Merari, a quo familia Meraritarum. 58. Hæ sunt familiæ Levi. Familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Musi, familia Core. At vero Caath genuit Amram. 59. Qui habuit uxorem Jochabed filiam Levi, quæ nata est ei in Ægypto; hæc genuit Amram viro suo filios, Aaron, & Moysen, & Mariam sororem eorum. 60. De Aaron orti sunt Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar; 61. Quorum Nadab, & Abiu mortui sunt, cum obtulissent

ignem

ignem alienum coram Domino. 62. Fueruntque omnes, qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini, ab uno mense, & supra, quia non sunt recensiti inter filios Israel, nec eis cum cæteris data possessio est. 63. Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt a Moyse, & Eleazaro sacerdote, in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho. 64. Inter quos, nullus fuit eorum, qui ante numerati sunt a Moyse, & Aaron in deserto Sinai. 65. Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in solitudine: Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius Jephone, & Josue filius Nun.

℣. 1. POSTQUAM NOXIORUM SANGUIS EFFUSUS EST. Hebræus & Septuaginta (1): *Et fuit post plagam*; idest, post pestem, qua tam magna hominum multitudo sublata est, ait Chaldæus. Vide superius caput ℣. 8.

℣. 2. NUMERATE OMNEM SUMMAM FILIORUM ISRAEL A VIGINTI ANNIS ET SUPRA. Tertius hic est Israelitarum census post relatum ex Ægypto pedem. Primus enim institutus est sexto mense post susceptum iter (2); secundus post evolutos septem menses a primo (3); tertius denique quadragesimo anno itineris Israelitarum per desertum. Censeri jubet Deus ex integro Israelitas, postquam morte perempti defecerunt, qui recensiti fuerant in gemino priore lustro, ut constaret quot capita referrent singulæ Tribus, & pro numero illarum distributio regionis dirigeretur; ac proinde major terræ tractus assignaretur frequentioribus Tribubus, minor minoribus. Referri autem in tabulas jussit Deus homines a viginti annis & supra, ut scilicet de numero militum singularum Tribuum constaret Imperatori, qui ex prudentia sua omnia moderaretur, aliis alia munera distribuens, quiete ac labore invicem indicto. Nulla terrarum portio assignata est iis, qui ætate xx. annorum essent inferiores, nec puellis: sed jus paternæ hæreditatis integrum illis relictum est. Ambigendi ratio est, utrum ii, qui exeunte bello ætatem viginti annorum impleruntt, suas, uti reliqui fratres, partes peculiares obtinuerint. Bellatum est spatio septem annorum sub Josue, & terrarum distributio aliquod etiam temporis spatium occupavit. Iniquum plane videbatur negligere in divisione partium juvenes illos, qui interim adolescebant. Animadvertere juvat ingens plane populi decrementum, collato hoc censu cum prioribus. Minor est enim hic postremus MDCCCXX. capitibus, quam census primo capite hujus Libri relatus.

Discrepant autem non leviter Hebræus & Septuaginta in peculiaribus numeris ac supputationibus, quamquam in generali totius exercitus numero conveniunt. Juvabit hic referre singula illa variantia, uti & quæ ex utroque hoc Textu ob variam rationem pronunciandi nomina propria oriuntur. Jubet Deus pariter censeri Levitas uno mense majores, quippe quorum nulla in distributione terræ ratio habenda erat. Sed hic illorum census minus accurate institutus videtur, cum nonnisi quinque præcipuarum familiarum capita referantur (4): quamquam multo frequentiores familiæ in ea Tribu fuisse videntur (5). Porro Levitarum capita ad tria & viginti millia recensita sunt.

℣. 4. SICUT DOMINUS IMPERAVERAT, QUORUM ISTE EST NUMERUS. Reddi potest Hebræus: *Sicut Dominus præcepit Mosi & filiis Israel egredientibus ex Ægypto*. Hæc autem verba spectare tantum eos censenda sunt, qui ætatem implebant *viginti annorum & supra*. Hos enim tantum censeri Deus jussit (6). Septuaginta: *Quemadmodum constituit Dominus Mosi, Et hi filii Israel, qui exierunt ex Ægypto*; idest: En posteros eorum, qui egressi sunt, qui enim adulta ætate exierant, & in murmur populi trahi se passi sunt, interierunt in deserto ante hunc censum. Vide ℣. 64.

℣. 7. QUADRAGINTA TRIA MILLIA ET SEPTINGENTI TRIGINTA. In priori censu capita XLVI. M. & quingenta descripta sunt (7).

℣. 9. PRINCIPES POPULI, Hebræus (8): *Vocati cœtus*, qui ad cœtum vocantur; Principes Tribuum, qui in cœtu populi dabant suffragium, vel viri amplissimi. Varablus: Viri secretioris cœtus. Vide superius XVI. 2.

℣. 10. & 11. FACTUM EST GRANDE MIRACULUM, UT, CORE PEREUNTE, FILII ILLIUS NON PERIRENT. Quodnam vero id prodigium? Lyranus & Rabbini docent, Core recepisse se in tentorium, Moysem vero denunciasse jussu Dei omnibus, qui circa tentorium illud versabantur, ut removerent se ab impiis: sed filii Core perseverarunt cum patre, non quidem ut defectioni illius faverent, sed ut precibus suis impetrarent, ut impiorum partes desereret. Cum subito hiscens terra absorbuit Core; Deus filios ejus præservavit intactos, atque in aere suspensos, quin & novo prophetandi spiritu donavit, ut Psalmum XLV. canerent, *Deus noster refugium & virtus*; vel, juxta alios, Psalmum XLI. inscriptum: *Intellectus filiis Core*. Sed traditiones ejusmodi, quamquam veteres, fidem nonnisi maxime dubiam merentur. Ita Hebræus ad literam (9): *Et fuerunt in signum*, Divinæ severitatis exemplum. *Et filii Core mortui non sunt*. Septuaginta, Chaldæus, cum Interpretibus plurimis, sensum hunc retinent, qui cæteroqui a sensu Vulgatæ non abhorret; neque enim nisi ingenti prodigio fieri poterat, ut filii seditiosorum ita servarentur a Deo, ut criminis patrum suorum participes non fierent. Commode etiam cum Samaritano vertitur: *Fuerunt in fugam*. Josephus (10), Eusebius (11), Author Constitutionum Apostolicarum (12), S. Gregorius Nyssenus (13), S. Chrysostomus (14), S. Petrus Damiani (15), Zonaras (16) reputant, Core igne correptum fuisse, S. Ambrosius (17) & S. Epiphanius (18) falso crediderunt, filios Core, hiscente terra, una cum patre suo absorptos fuisse; quod illis utique lapsu memoriæ excidit. Core quidem intra voraginem mersus est; sed filii perseverarunt incolumes, sive in exitio patris, sive in incendio castrorum.

℣. 12. Quinque tantum e filiis Simeon, hic recensentur, cum in Genesi XLVI. 10. & in Exodo VI. 15. sex legantur. Ahod facile, cujus hic nomen reticetur, sine liberis decessit.

NAMUEL. Appellatur *Jamuel* in Genesi & in Exo-

(1) ויהי אחרי המגפה 70. Μετὰ τὴν πληγήν. (2) Exod. XXXVIII. 25. (3) Num. I. 1. (4) ℣. 58. Vide Jansen. ad ℣. 58. (5) Vide 1. Par. XXIII. 6. 7. 8. & seq. & Exod. VI. 16. & seq. (6) Exod. XXX. 14. & XXXVIII. 25. (7) Num. I. 21. (8) קראי העדה Septuag. Ἐπίκλητοι τῆς συναγωγῆς. (9) ויהיו לנס ובני קרח לא מתו (10) Joseph. Antiq. lib. 4. cap. 3. (11) Euseb. in Psal. XL. 18. (12) Constit. Apostol. l. 2. c. 27. (13) Nyssen. de vita Mos. sub finem. (14) Chrysost. hom. 4. in Vidi Dominum. (15) Petr. Damiani Opuscul. 18. c. 4. (16) Zonar. Annal. (17) Ambros. de 42. Mansionib. mans. 15. (18) Epiphan. Anchorat. c. 101.

Exodo, locis citatis; sed in primo Paralipomenon IV. 24. est *Namuel*.

JACHIN. Septuaginta: *Achim*. In Paralipomenis, eodem loco, est Jarid.

℣. 13. ZARE; *Zobar* est *Genes.* XLVI. 18, & *Exod.* VI. 15.

℣. 14. VIGINTI DUO MILLIA DUCENTI. In censu relato priori capite hujus libri, ℣. 24. erant quinquaginta novem millia & trecenti. Quare decrevit ea Tribus XXXVII. millibus, Vide Caput XXV, ℣. 9.

℣. 15. SEPHON, alio nomine *Ziphon* in Genesi XLVI. 16.

℣. 16. OZNI. In Genesi XLVI. 16. est *Esbin*. HER. Septuaginta, *Addi*.

℣. 17. AROD, in Genesi XLVI. *Arodi*.

℣. 18. QUADRAGINTA MILLIA QUINGENTI. Septuaginta: *Quadraginta quatuor millia*. In præcedenti censu (1) quadragintaquinque millia hominum, & sexcenti erant.

℣. 21. HAMUL. Septuaginta: *Jamon*, vel *Jamuel*, vel *Jamul*.

℣. 22. SEPTUAGINTA SEX MILLIA QUINGENTI. In præcedenti censu, LXXIV. millia & sexcenti. *Num.* I. 27.

℣. 24. JASUB. Appellatur *Job* in Genesi XLVI. 13.

℣. 25. SEXAGINTA QUATUOR MILLIA TRECENTI. In præcedenti censu descripta sunt capita LIV. millia & quadringenta. *Num.* I. 29.

℣. 27. SEXAGINTA MILLIA, QUINGENTI; cum in præcedenti illo (2) essent LVII. millia & quadringenti.

℣. 29. DE MANASSE ORTUS EST MACHIR. In Paralipomenis (3) e Manasse orti referuntur Ezriel, & Machir. Vide quæ de genealogia Manassè dicuntur infra, capite XXXI. 39.

℣. 30. JEZER. *Abiezer* appellatur in Josue XVII. 2. & 1. *Par.* VII. 18.

℣. 32. SEMIDA. Septuaginta: *Samaer*.

℣. 34. QUINQUAGINTA DUO MILLIA SEPTINGENTI. In præcedenti censu triginta duo millia & ducentos non superabant. *Num.* I. 35.

℣. 35. BECHER. Desideratur in Exemplaribus Septuaginta, & *Bared* appellatur in Paralipomenis (4).

℣. 36. HERAN. Septuaginta: *Eden*.

℣. 37. TRIGINTA DUO MILLIA QUINGENTI. Ad quadraginta millia & quingentos antea pervenerant (5).

℣. 38. ASBEL. Septuaginta: *Asuber*.

AHIRAM; alio nomine *Echi* (6), & *Aharad* (7). E Benjamino decem filios natos legimus in Genesi: sed fortasse quinque posteritate carentibus, quinque tantum reliquorum nomina hic servata sunt. Belæ, de quo hic, familia in duos divisa ramos, constituit geminas familias, Hereditarum & Noemanitarum (8).

℣. 39. SUPHAM. Septuaginta: *Sopha*, vel *Sophan*. In Genesi XLVI. 21. *Muphim*: in 1. Paralipomenon VII. 12. *Suphim*.

HUPHAM; alio nomine *Chuphim*, vel *Huphim* (9), vel *Huram* (10).

℣. 40. HERED. Septuaginta: *Hader* vel *Hadar*. Ita legitur & in 1. Paralipomenon VIII. 3.

℣. 41. QUADRAGINTA QUINQUE MILLIA SEXCENTI. Septuaginta in nonnullis Editionibus habent: *Triginta quinque millia quingenti*. In aliis: Quadraginta quinque millia quingenti; in aliis autem cohærent Vulgatæ. Benjamitæ in præcedenti censu referebant capita hominum XXXV. millia & quadringenta.

℣. 42. SUHAM. Apud Septuaginta *Sâme*; & in Genesi XLVI. 23. *Husbim*.

℣. 43. SEXAGINTA QUATUOR MILLIA QUADRINGENTI. Filii Dan censi sunt in superiori censu, hominum LXII. millia, & septingenti (11).

℣. 47. QUINQUAGINTA TRIA MILLIA QUADRINGENTI. Apud Septuaginta numerantur solummodo quadraginta tria millia quadringenti; sed Exemplaria quædam cum Vulgata cohærent. Census superior exhibebat LI. M. & quingentos (12).

℣. 50. QUADRAGINTA QUINQUE MILLIA QUADRINGENTI. Septuaginta in nonnullis Codicibus: *Quadraginta millia trecenti*. In aliis: Quadraginta millia quadringenti. In aliis non discrepant a Vulgata. Tribus Nephthali ante recensita, LIII. M. hominum & quadringentos ferebat (13).

℣. 51. SEXCENTA MILLIA, ET MILLE SEPTINGENTI TRIGINTA. Gemina habent Septuaginta. In priore illo censu, de quo in primo Capite hujus Libri, ratio ducta est DCIII. millium, cum quingentis & quinquaginta (14): quare inter ambos discrimen est tantum MDCCC. ac viginti hominum.

℣. 54. PLURIBUS MAJOREM PARTEM DABIS, ET PAUCIORIBUS MINOREM. Id consilii cœperat potissimum Deus, ut pro viribus in populum suum bonorum omnium, sicut & in latifundiis induceretur æqualitas, quam Veteres Legislatores & fecere plurimi, & quantum vires dabant, promoverunt. Hanc Lycurgus inter Lacedæmones firmavit (15); & cum Platonem (16) rogassent Arcades & Thebani, ut politiæ formam Urbi, quam recenter construxerant, aliquam daret; nunquam ille a se impetrare potuit, ut ad locum se conferret, quippe qui certior factus esset, hanc bonorum æqualem distributionem populos recusare. Reputandum est utique, cum majorem soli portionem assignat Moyses majori populo, & minorem minori, reputandum est, inquam, æstimationem loci fieri oportere, juxta soli naturam, & fœcunditatem, non ex tractu & extensione. Ita e. g. Tribui Benjamin soli tractus cessit angustior, quam pro numero hominum; sed ejus ubertas brevitatem aliunde compensabat.

Sed quomodo dicta hæc concilientur, distributio scilicet soli pro proportione ad numerum hominum, ex quibus singulæ Tribus coalescerent, & ea, quæ infra mandantur (17), ut sorte latifundia distribuantur? Reputant Hebræi (18), toti huic cæremoniæ præsedisse Summum Sacerdotem, indutum Urim, & pronunciasse de assignanda Tribubus portione; tum vero, ajunt, quæ portio esset singularum Tribuum, missa sorte decidebatur: has autem sortes ita Deus providentia sua moderabatur, ut singulis Tribubus contingerent ea, quæ illis convenirent, pro numero hominum, e quibus coalescebant, & juxta pronunciatum antea Oraculum a summo Sacerdote. Hanc explicationem si sequaris, dicas necesse est, nullam fuisse earum sortium utilitatem, nisi ut querelæ omnes & simultates Israelitarum inter se tollerentur. Malunt alii (19), ante ductas sortes jam distributas fuisse partes soli pro numero & qualitate singularum Tribuum; hanc vero distributionem missas sortes confirmasse, id agente Deo, ut sortito ea obvenirent singulis, quæ jam antea in mediata distributione acceperant. Sed multo æquius censemus, unum in vas collecta nomina Tribuum, singula educta fuisse, & ad singulas pariter Tribus eductas fuisse ex alio vase schedas, referentes adscripta nomina certæ cujusdam regionis, e. g. agri Jerichuntis, montium Meridionalium

V Palæ-

(1) Num. I. 25. (2) Num. I. 31. (3) 1. Par. VII. 14. *Porro filius Manasse, Ezriel: concubinaque ejus Syra, peperit Machir.* (4) 1. Par. VII. 20. (5) Num. I. 33. (6) Genes. XLVI. 20. (7) 1. Par. VIII. 1. (8) Vide ℣. 40. (9) Genes. XLVI. 21. (10) 1. Par. VIII. 5. (11) Num. I. 39. (12) Ibid. ℣. 41. (13) Num. I. 43. (14) Num. I. 46. (15) Plut. in Lycurgo. (16) Diogenes Laertius, in Platone. (17) ℣. 55. *Ita duntaxat, ut sors terram Tribubus dividat, & familiis.* (18) Rabb. in Seder-Olam cap. 14. & Cod. Barabatra, cap. 8. (19) Tostat.

Palæstinæ &c. Tum Geometræ terram illam dimetientes, pretium æstimabant, & pro numero majori vel minori Israelitarum, quibus ea regio tribuenda erat, pariter soli portio major, minorve tradebatur. Putat Masius (1), unum solummodo præsto fuisse vas continens schedas inscriptas certis loci portionibus; singulas autem Tribus ex ordine suam deduxisse schedam, qua docente norant quæ sibi possidenda esset regio. Confirmatur ea opinio, quod singulæ Tribus portionem suam juxta ordinem generationis acceperunt.

Porro in universa telluris distributione sub Josue mire omnia congruere animadvertimus ea, quæ olim a Jacobo & Moyse fatidico ore prolata sunt, cum sorte quæ singulis Tribubus obtigit. Post clara adeo & perspicua divinorum illorum hominum documenta, nihil opus fuisse sorte videri potuisset: terrarum distributio jam ferme omnis decreta erat, ut solum superessent limites ponendi: id autem erat potius æquitatis, & sapientiæ Seniorum ac Principum in eam rem selectorum, quam incerto sortis arbitrio committendum. Sed & æque necessarium erat persuaderi Israelitis, ea omnia quæ antea prædicta fuerant, Deo esse Authori deputanda. Res etiam poscebat, ut certis argumentis assereretur veritas Prophetarum, ut incredulitatis vestigia vel minima delerentur, & rimæ omnes clauderentur, nequid suspicionis in animos populi irreperet adversus sinceritatem & æquitatem eorum, qui distribuendæ regioni præsiderent. Ejus pariter cautionis gratia noluit Deus rem omnem committere Josue, quamquam totius gentis supremo Principi, viro spiritu Dei afflato, & probatæ notæque probitatis: noluit summum Sacerdotem Eleazarum adhibere, quamquam primam gereret in Republica sacram dignitatem, ac præsto semper in manibus Urim & Thummim haberet. In his enim omnibus populus incredulus, rudis, avarus, invidus, suspicionis aliquid, seu gratiæ, seu minus curatæ æquitatis admittere potuisset. Qua erat sapientia Deus censuit, rem totam arbitrio sortis committendam; ut plene persuaderentur, neminem nisi illum, quo largiente regionem obtinuissent, authorem etiam distribuendæ fuisse.

℣. 59. Qui habuit uxorem Jochabed. Longe alium a Vulgata sensum exhibet textus Hebræus (2): *Et nomen uxoris Amram Jochabed, filia Levi, quæ peperit* [alteram Jochabedam] *ipsi Levi, in Ægypto; quæ* [altera] *peperit ipsi Amram viro suo, Aaron & Moysen*: Hebræum aliquanto aliter legisse videntur Septuaginta; ita enim ferunt (3): *Nomen autem uxori ejus* [Amrami] *Jochabed, filia Levi, quæ genuit istos* [filios, Lobni, Hebroni, Musi, & Chori] *ipsi Levi in Ægypto; & genuit ipsi* [Amramo] *Moysen, Aaronem, & Mariam*; adeo ut, juxta hos Interpretes, ipsa eadem Jochabed uxor Levi, & mater filiorum ipsius, ad secundas nuptias cum Amramo transiens, liberos genuerit Moysem & Aaronem; quod vix fidem meretur. Maluerim ego potius agnoscere geminas Jochabedas, alteram scilicet filiam Levi, alteram Amrami uxorem. Commode etiam in hunc sensum reddi potest Hebræus: *Uxor Amram vocabatur Jochabed*: patre Levi genita est in Ægypto; ad literam [*quam uxor Levi genuit ipsi in Ægypto*], Tum Amramo nubens, *peperit ipsi Moysem, Aaronem, & Mariam*. In hunc sensum interpretata est Vulgata. Vide quæ de Jochabeda disseruimus ad Exodi II. 1.

℣. 62. Viginti tria millia; cum viginti duo millia tantum descripta essent in censu præcedenti (4).

℣. 64. Nullus fuit eorum, qui ante numerati sunt. Idest, qui murmuris vel incredulitatis culpa aliqua tenebantur. Vide quæ in similem phrasim animadvertimus superius XIV. 23. Origenes (5) producit in rem præsentem spiritalem quemdam sensum gravissimum, ex eo petitum, quod omnes quicumque pedem retulerant ex Ægypto, & obsignati fuerant circumcisione, interierunt in deserto, prohibiti ab ingressu terræ per Moysem promissæ. Gens hæc circumcisa, murmuris tamen & pervicaciæ in jussiones Domini rea, deductaque in desertum a Moyse, exhibet non obscure populum Hebræum, qui ad fines usque terræ Promissionis perveniens, pedem intro inferre non permittitur. Vicissim autem populus alius incircumcisus, docilior tamen & fidelior quam patres sui, in terram avis suis promissam feliciter ingreditur, ductorem sequens non Moysem, typum Legis & spiritus servitutis, sed Josue, qui Jesu Christi imaginem gerit.

(1) Ita Hebræi apud Masium, in Josue XV. 1. Vide Munst. Bonfrer. Est. (2) ושם אשת עמרם יוכבד בת לוי אשר ילדה אתה ללוי במצרים ותלד לעמרם את אהרן ואת משה (3) Τὸ δὲ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Ἰωχαβὲδ, θυγάτηρ Λευί, ἣ ἔτεκε τούτους τῷ Λευὶ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ ἔτεκε τῷ Ἀμβρὰμ τὸν Ἀαρὼν καὶ Μωυσῆν. (4) Num. III. 43. (5) Origen. homil. 21. in Num.

CAPUT XXVII.

Filiæ Salphaad postulant, ut filiabus fratre carentibus jus permittatur in paternam hæreditatem. Moyses e vertice Abarim inspicit Chananitidem. Josue successor Moysis ad regimen populi destinatur.

℣. 1. Accesserunt autem filiæ Salphaad, filii Hepher, filii Galaad, filii Machir,
filii Manasse, qui fuit filius Joseph: quarum sunt nomina, Maala, & Noa,
& Hegla, & Melcha, & Thersa, 2. Steteruntque coram Moyse, & Eleazaro sa-
cerdote, & cunctis principibus populi, ad ostium tabernaculi fœderis, atque dixe-
runt. 3. Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ concitata
est contra Dominum sub Core, sed in peccato suo mortuus est: hic non habuit ma-
res filios: Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habuit filium? Date
nobis possessionem inter cognatos patris nostri. 4. Retulitque Moyses causam earum
ad judicium Domini. 5. Qui dixit ad eum: 6. Justam rem postulant filiæ Salphaad:
da eis possessionem inter cognatos patris sui, & ei in hæreditatem succedant. 7. Ad
filios

filios autem Israel loqueris hæc: 8. Homo, cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas. 9. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. 10. Quod si & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus. 11. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi sunt, eritque hoc filiis Israel sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi. 12. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel. 13. Cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron. 14. Quia offendistis me in deserto Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas; hæ sunt aquæ contradictionis in Cades deserti Sin. 15. Cui respondit Moyses: 16. Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc: 17. Et possit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere: ne sit populus Domini sicut oves absque pastore. 18. Dixitque Dominus ad eum. Tolle Josue filium Nun, virum, in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum. 19. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine: 20 Et dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. 21. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur, & ingredietur ipse, & omnes filii Israel cum eo, & cætera multitudo. 22. Fecit Moyses, ut præceperat Dominus. Cumque tulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote, & omni frequentia populi. 23. Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit, quæ mandaverat Dominus.

℣. 1. ACCESSERUNT FILIÆ SALPHAAD. Jam superius xv. 32. animadversum est, quam labili fundamento innitantur Interpretes ii, qui putant, Salphaad ipsum fuisse hominem lapidibus confectum in pœnam lignorum die sabbati collectorum.

℣. 3. IN PECCATO SUO MORTUUS EST. Alienus est ab eorum numero, qui extraordinariam ultionem in suum caput provocavere, sive conscii murmuris, sive gravioris alterius criminis, uti defectionis Dathan & Abiron. Vitam semper egit privatam; eodemque eum ceteris omnibus fato occubuit in deserto, latæ a Domino sententiæ reus, morte damnantis eos quicumque murmuris participes in Cades-Barne sese constituerunt.

CUR TOLLITUR NOMEN ILLIUS DE FAMILIA SUA? Recepta apud Hebræos politia ferebat, ut filiæ in paternos fundos hæreditate non succederent, si fratribus non carerent. Salphaad sine liberis maribus decesserat, & ad id usque fundos nullos possederat: sed relictæ ex eo filiæ in ipso limine terram promissionis ingrediendi, intelligentes nullas sibi in ea distributione partes obventuras, cum fœminarum ratio in ea re nulla haberetur, Moysem convenientes, ostenderunt, nomen & familiam patris sui penitus extinguendam fore in Israele, siquidem omni hæreditate in terra Chanaan ipsæ carerent; cum enim, ajebant, in alienas familias jure connubii migraturæ simus, si nobiscum pariter nihil inferamus maritis paternæ hæreditatis, nunquam illi quidem facient, ut nomen Salphaad & familia utcumque reviviscat, adoptionis quodam genere transeuntes in ejus Tribum & cognationem. Quare, nisi vana rogare nos intellexeris, petimus, ut hæreditatis portionem nostram cum cæteris decernas, qua scilicet in maritorum domos illata id ab illis impetremus, ut nomen Salphaad, cujus possessuri sunt hæreditatem, perennetur. Addebant, imperaret, ut ea ratio illarum in distributione regionis servaretur, quemadmodum si patre vel fratribus non carerent.

℣. 9. SI FILIAM NON HABUERIT, HABEBIT SUCCESSORES FRATRES SUOS. Jus successionis primo omnium ad filios spectabat; qui si deessent, devolvebatur ad filias: si utrisque careret defunctus, substituebantur fratres. Definiunt Hebræi (1), hæreditatem filii carentis successione, in patrem illius superstitem transfundi. Singularem hunc successionis modum, quod triste aliquid & ingratum præferat, non attigit Moyses; patrem enim filio succedere, præter consuetum naturæ ordinem est (2). Verum si defuncti absque liberis mariti uxor novas conciliare nuptias seu posset seu vellet, antequam mariti sui bona restitueret, datum sibi alia Moysis lege habebat, postularet a fratre superstite defuncti mariti, ut ab illo in conjugem exciperetur (3). Hinc filias Salphaad ita loquentes Gemarra Babylonica inducit: *Si nos non reputamur tanquam filius, & mater nostra expectet levirum, accipiat mater nostra partem patris nostri, & partem fratris patris nostri. Quod si nos reputamur tanquam filius, da nobis hæreditatem in medio fratrum patrum nostrorum.*

℣. 11. SIN AUTEM NEC PATRUOS HABUERIT, DABITUR HÆREDITAS HIS, QUI EI PROXIMI SUNT. Si e defuncto nulli supersint seu filii, seu fratres, seu sorores, [qui certe omnes intelligendi sunt hic ex analogia versiculi præcedentis] successio reflectitur ad patrem, uti in præcedenti versiculo animadversum est, sive ad avum, qui patris nomine censetur, sive ad fratres defuncti, vel tandem ad fratres patris sui. Præterit hic filios fratrum, quibus præferri jubet patruum, tanquam propinquiorem fonti, unde bona illa derivata sunt. Hæc legum sancita una cum Phœnicibus, ut observat Grotius (4), migrarunt in Africam. Si fratres vel patrui deessent, tunc hæreditas devolvebatur ad filium patrui, vel ad necessarios e paterno genere, adhuc longius ascendendo, si necessitas postularet: neque enim hæreditatis jus erat ullum, sive matri, sive materno genere necessariis. Uxoris hæreditas spectabat ad maritum, excepta dote, quæ filiis debebatur. Pueri e serva matre vel extranea nati, a jure legitimo hæreditatis excludebantur. Hebræorum hasce leges retinuere Gentes omnes, apud quas valuit politia, ait Origenes (5).

[1] Vide Selden. lib. de successione in bona cap. 12. & 13. [2] Deut. xxv. 5. [3] Philo, lib. 3. de vita Mos. [4] Grot. hic. Vide eumd. l. 2. c. 7. §. 14. de jure belli & pac. [5] Origen. homil. xxii. in Num. Vide & Grot.

℣. 16. DEUS SPIRITUUM OMNIS CARNIS. Deus, quo largiente creaturæ omnes habent, ut sint & vivant: Deus, qui penetralia omnia humani cordis rimaris, cui exploratæ sunt animi habitudines dotesque necessariæ, ut quis in supremum populi Imperatorem eligatur. Non raro in Scriptura Deus insignitur titulo Dei vel Patris omnium spirituum (1).

℣. 17. ET POSSIT EXIRE ET INTRARE ANTE EOS; ceu pastor, qui gregem suum curat. Ea comparatione usus est Jesus Christus (2), describens munera boni pastoris, oves suas deducentis, qui illis præcedit, & cujus voces audit grex morigerus &c. Solemne erat Priscis (3), ut Reges appellarent Pastores populi. Deum rogat Salomon (4), ut sibi sapientiam concedat, qua *egredi & ingredi* coram populo suo possit; idest, deducere illum valeat, æque sapienterque moderari. Sæpe phrases illæ *egredi & ingredi*, officia omnia vitæ civilis significant. Apostoli selegerunt virum (5), *qui cum illis congregatus fuit in omni tempore, quo intravit & exivit inter eos Dominus Jesus*; idest, toto eo tempore, quo inter eos vixit & versatus est. In Psalmo cxx. *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum*; idest, in omnibus vitæ tuæ gestis deducat te, sive domi stantem, sive egredientem, sive in urbe, sive in agro.

℣. 18. VIRUM, IN QUO EST SPIRITUS. Virum spiritu meo afflatum; vel quem ego spiritu meo afflavi, quo tempore jussi te seligere Principes Israelis, quos vocares in partem regiminis, & quibus ego *de spiritu tuo tradidi* (6). Explicat Onkelos de spiritu prophetiæ; & in Deuteronomio xxxiv. 9. legimus, Josue *repletum fuisse spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas*. Tandem repleri spiritu exhibet plenitudinem omnem donorum S. Spiritus, aptam gerendo muneri, quod Deus viris nonnullis ea largitione sua donatis imponit; spiritum roboris, consilii, judicii, discretionis, intelligentiæ, & sapientiæ, necessarium iis, qui ad regimen populi vocantur.

PONE MANUM TUAM SUPER EUM. Typica hac cæremonia delignare poterat, Moysem munus sibi antea a Deo traditum totum in humeros Josue rejicere, onusque simul cum prærogativis omnibus & beneficiis, quæ illud consequebantur, imponere: quare non immerito Scriptura, loco Deuteronomii citato, huic manuum impositioni illam gratiam & spiritum sapientiæ, quo Josue redundavit, deberi declarat. Ad hæc, Moyses indicabat eo ritu, destinare se & consecrare Josue Domini servitiis; quamobrem veluti deducere e classe rerum communium, ut evocet in novam quamdam & extraordinariam sanctitatem. In Genesi xlviii. 14. animadvertimus vetustatem hujus moris, imponendi manus in benedictionibus, quas superiores authoritate viri inferioribus largiuntur. Res est autem hic de manuum impositione ordinis plane superioris, qua supremum munus committitur, tum & supernaturales dotes tribuuntur, ne electus in munere illo desit. Omni ætate in Ecclesia Christiana ab Apostolis (7) ad nos usque spectare licet ejusdem moris disciplinam in sacra Ministrorum, & Principum Ecclesiæ electione; uti & in Confirmatione privatorum Fidelium, qui Episcopalis manus impositione Spiritum Sanctum accipiunt.

℣. 20. DABIS EI PRÆCEPTA CUNCTIS VIDENTIBUS. Meo nomine illi præscribes leges, quæ in munere suo gerendo servet; vel meo numine coram summo Sacerdote & populo illi imperabis, ut regiminis hoc opus assumat, quo scilicet intelligant homines mea electione illum in Principem designari, ac promptos se imperio illius submittant.

ET PARTEM GLORIÆ TUÆ; non quidem splendoris illius, qui micabat in ore Moysis, uti contendunt Hebræi (8), sed authoritatis ejus & imperii. Jam nunc sese ut Principem & Ducem populi gerat; omnes ad nutum illius submittantur. Totius denique majestatis externæ Principatus tui illum participem facito; dum interim ego illum cumulabo intimis donis ad regimen necessariis.

℣. 21. PRO HOC, SI QUID AGENDUM ERIT, ELEAZAR SACERDOS CONSULET DOMINUM. Obscurum aliquid & implexum præfert Textus Hebræus: *Et coram Eleazar Sacerdote stabit, & petet ei in judicio Urim coram Domino. Ad verbum ejus egredientur & ingredientur ipse & omnes filii Israel cum eo.* Ambiguum est, utrum ad nutum Josue Summus Sacerdos & Israelitæ reliqui ducendi sint; an potius jussu summi Sacerdotis, vel Dei per illum imperantis, a Josue & a populo instituendum sit bellum, vel deferendum. Postrema hæc explicatio literæ magis cohærere videtur. Nihil magis ad sensum demonstrat naturam politiæ Judaicæ, Theocratiæ scilicet illius, vel Divini Regiminis, cujus meminit Josephus (9), quam collata hic a Deo in Summum Pontificem authoritas, ut nihil ageretur movereturque non prius consulto, & expectato Sacerdotis oraculo. De oraculo *Urim & Thummim* fusius in Exodo xxviii. 30. disputatum est. Rabbini in hunc Textum docent (10), cum bellum, quod voluntarium appellant, decernendum esset, coram Sacerdote & Synedrio sistere se Principem oportuisse, assensum & facultatem impetraturum. Voluntarium autem id bellum dicunt, quod suscipiendum esset in gentes, quas Judæi bello affligere nullo Dei præcepto jubebantur. Sed disciplinam hanc nulla moris & usus, apud Reges Judæorum obtinentis, maxime post Regnum Davidis, authoritas vindicat: eam enim usque ad ætatem rara Deo inconsulto bella suscepta sunt.

[1] Vide superius xvi. 22. & Heb. [2] Joan. x. 1. 2. &c. [3] Homer. passim. Ποιμένα λαῶν. [4] 3. Reg. iii. 7. & 2. Paral. i. 10. [5] Act. i. 21. [6] Num. xi. 17. [7] Act. vi. 6. & 1. Timoth. iv. 14. [8] Onkelos, & Rabb. [9] Joseph. l. 2. cont. Appion. [10] Selden. l. 3. c. 12. de Synedriis.

C A P U T XXVIII.

Leges de sacrificiis quotidianis festisque diebus.

℣. 1. DIxit quoque Dominus ad Moysen: 2. Præcipe filiis Israel, & dices ad
eos: Oblationem meam, & panes, & incensum odoris suavissimi offerte
per tempora sua. 3. Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum: 4. Unum offeretis mane, &

alterum

alterum ad vesperum: 5. Decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, & habeat quartam partem hin. 6. Holocaustum juge est, quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini. 7. Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in Sanctuario Domini. 8. Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam, juxta omnem ritum sacrificii matutini, & libamentorum ejus, oblationem suavissimi odoris Domino. 9. Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba, 10. Quæ rite funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum. 11. In calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos, 12. Et tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos: & duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes: 13. Et decimam decimæ similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos: holocaustum suavissimi odoris, atque incensi est Domino. 14. Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum: hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt. 15. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis. 16. Mense autem primo, quartadecima die mensis, Phase Domini erit, 17. Et quintadecima die solemnitas: septem diebus vescentur azymis. 18. Quarum dies prima venerabilis, & sancta erit; omne opus servile non facietis in ea. 19. Offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem: 20. Et sacrificia singulorum ex simila, quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, 21. Et decimam decimæ per agnos singulos: idest, per septem agnos. 22. Et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis, 23. Præter holocaustum matutinum, quod semper offeretis, 24. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, & in odorem suavissimum Domino, qui surget de holocausto, & de libationibus singulorum. 25. Dies quoque septimus celeberrimus, & sanctus erit vobis: omne opus servile non facietis in eo: 26. Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis, & sancta erit: omne opus servile non facietis in ea. 27. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem: 28. Atque in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas, 29. Per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem, hircum quoque, 30. Qui mactatur pro expiatione: præter holocaustum sempiternum, & liba ejus. 31. Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis,

℣. 2. PANES ET INCENSUM. Hebræus: לחמי לאשי, *Panem meum ignitionibus meis*, pro Sacrificiis meis igne consumptis. Id autem commode exponitur seu de sacrificiis generatim, quæ nomine panis & ciborum Domini (1) interdum designantur; vel tantum de oblationibus similæ, panum, & liquorum, quæ victimæ in Altari adolendæ sunt appendices.

At enim cur iterum hic proferuntur in medium ea, de quibus non semel jam in Libris præcedentibus? Ideo forte quod adhuc eorum observatio accurate in sacrificiis neglecta fuerit. Quare revocare legum diu antea latarum (2) memoriam, e re esse censuit Legislator; simul monens Israelitas, ut quamprimum possent, jussa Dei omnia implere satagerent, omnique omissa causatione legibus ejus omnino tandem obsequerentur.

℣. 3. AGNOS ANNICULOS IMMACULATOS. Agnus omnino offerendus erat. In cæteris sacrificiis quandoque agnus vel hœdus indiscriminatim adhibebatur; & Scriptura utitur non raro voce, quæ utrumque significare commode potest. Hic vox כבשים in Originali occurrens, nonnisi de agno accipitur. Seligendus autem erat anniculus: utrum vero sacrificio par esset octo tantum diebus natus, ut aliarum hostiarum mos obtinebat (3), ambigo.

℣. 4. AD VESPERUM. Hebræus: *Inter duas vesperas*. Vide Exodum XII. 16.

℣. 6. HOLOCAUSTUM JUGE EST QUOD OBTULISTIS IN MONTE SINAI. Non ego quidem novum aliquod sacrificium impero, sed vetus illud, quod offerri vidistis jam ad Sinai, cujus ritus & leges alibi vobis præscripsi (4). Ex hoc Textu innui videtur, juge illud sacrificium jam inde a motis castris ad Sinai, intermissum fuisse.

℣. 7. LIBABITIS VINI QUARTAM PARTEM HIN. Quadrans hin æquat pintam, & pintæ quadrantem, cum quinque pollicibus cubicis. De *sicera* conjecturas nostras dedimus in Numeris XV. 3. Putant quidam Interpretes, quandoque licuisse vina e dactylis, vel similibus expressa, libatione offerre. Liquorem hunc sumptu suo sufficiebant Sacerdotes, totusque liquor super hostiam fundebatur. In sacrificiis, quæ privati offerebant, non totum quidem vinum, quod præbebant, libationibus erogandum erat; sed ejus pars major Sacerdoti relinquebatur.

IN SANCTUARIO DOMINI; idest, in ejus atrio, in loco ejus sancto, in Altari Holocaustorum.

(1) Vide Heb. Levit. III. 11. & Num. XXVIII. 24.
(2) Grot. Ainsw.
(1) Vide quæ diximus in Exodum XXIII. 19.
(4) Exod. XXIX. 38.

℣. 10. In holocaustum sempiternum. Hebræus: על עלת התמיד *Super* [præter] *oblationem jugem, & libamen ejus*. Singulis Sabbatis duo agni anniculi cum suis libationibus ita offerebantur, ut præterea consuetum adhuc quotidianum sacrificium, matutinum ante reliqua, & vespertinum post reliqua, cum suis libationibus perseveraret. Mane singulorum Sabbatorum tres agnos oblatos fuisse, & unum vesperis, censet Jansenius; mane etenim, ait, suus erat agnus holocausti quotidiani, & duo insuper alii ad sacrificia hic ℣. 9. imperata.

℣. 11. In Calendis. Decernit hic Deus sacrificia, calendis singulorum mensium peculiaria: sed nullam ejus diei requiem ab operibus injungit. Prætermissum est hoc Festum in Levitico xxiii. ubi festi Hebræis dies indicti sunt. Scriptoribus quibusdam (1) ea sedit opinio, Neomeniarum dies feriatas fuisse; cujus tamen rei nulla sunt sive in Libris, sive in moribus Hebræorum documenta. Judæi nostrates perinde habent Neomenias ac festa, quæ spontanea tantum religione servantur; quin & fœminas potius spectare, quam viros, censent (2).

Spencerus in sua Dissertatione (3) de Neomeniis, vel prima ineuntis mensis die, contendit, Festum illud ex Paganis adoptasse Hebræos, sicut & Hebræos pariter menses suos a phasi, idest, a primo lunæ apparentis exortu duxisse; sed neutrum satis probatum credimus. Nam ad secundum quod attinet, quæ afferuntur argumenta ad menses e phasi repetendos, nihil evincunt aliud, nisi forte, eam supputandi tempora rationem labentibus Reipublicæ annis, a Moyse utique remotissimis, obtinuisse; satisque a nobis demonstratum in Dissertatione de Chronologia in Genesim arbitramur, Moysis ætate & diutissime etiam post Moysem, Judæos solarem annum, & æquos inter se menses servasse.

Quæ vero affert de vetustate Neomeniarum apud Paganos, ea demonstrant, Græcorum, Romanorum, Ægyptiorum, Arabum & Barbarorum religione sacras fuisse lunæ primas singulorum ineuntium mensium dies. Prima illa die ad arcem Athenarum ascendere solebant, ut a Diis bona in urbem & cives impetrarent, uti tradit Demosthenes (4). Vix apparentis Lunæ nova cornua aspiciebat Proclus (5), continuo eodem in loco detractis calceis Numen illud adorabat. Affirmat Libanius (6), sacrificia diebus Neomeniarum lege Athenis injuncta fuisse. Lucianus ita Empedoclem deridet (7): *Ubi primum rursus in Græciam devolaro, tui memor, tibi in fumario libabo, terque noviluniis ad Lunam inhians, vota faciam.*

Eadem qua Græci, Latini pariter erga Lunam superstitione tenebantur. Olim, ait Macrobius (8), Sacerdotum inferiorum munus erat explorare novæ lunæ primam apparitionem, eamque Regi Sacrorum nunciandi. Gaudii tunc significationes (9), compotationes, veluti si exoriens Astrum salutaretur; cujus etiam rei gratia & tendebantur in Cœlum manus, & Sacrificia Junoni a Sacerdotibus offerebantur (10). Eadem placuisse Ægyptiis ferunt (11); quin & apud Turcas hodie ineuntis mensis prima dies ritu plane singulari colitur. Sed numquid ex his de origine Neomeniarum apud Hebræos aliquid argueretur? Nonne multo æquius reputaremus, Judæorum imitatione hæc apud Ethnicos obtinuisse? Nonne constat, ipsos pariter Ethnicos eos derisisse, qui Festum illud observabant, tanquam ridiculos Judaicarum superstitionum imitatores? Horatius (12):

> . . . . *Hodie tricesima Sabbata. Vin tu*
> *Curtis Judæis oppedere? Nulla mihi, inquam,*
> *Relligio est. At mi: sum paulo infirmior, unus*
> *Multorum.*

Persuasum est nobis, festum & sacrificium Neomeniarum ideo statuisse Deum, ut creationis Mundi monumentum staret (13); seu potius ut agnosceretur Providentia & Sapientia (14) Numinis Universum regentis, dirigentisque ad arbitrium anni & temporum cursus, vices, & successiones. Mercium venditiones suspendi prima illa die indicat Amos (15); conveniebantur ea pariter Prophetæ; ut verbum Domini audiretur (16). Denique putant, feriatam diem illam duxisse plures spontanea religione. Ex historia Saulis & Davidis (17) intelligimus, convivia tunc agi consuevisse cum amicis & familia: uti & primam eamdem diem nunciatam fuisse clangore buccinarum, quidam arbitrantur.

℣. 13. Decimam decimæ similæ; vel centesimam mensuræ, cujus nomen reticetur: est autem decima pars, vel assaron ephi, continens tres pintas circiter. Capiebat ephi decimam cori: & assaron, ephi decimam. Certa hæc similæ mensura offerebatur in singulis holocaustis: & holocausta hic recensita omnia cum suis libationibus, singulis mensium exordiis offerebantur.

℣. 15. In holocaustum sempiternum. Hebræus (18): *Super* [præter] *oblationem jugem*. Victimæ pro peccato nec holocausti lege offerebantur, nec ferebant adjunctas similam, & vini libationes.

℣. 23. Præter holocaustum matutinum. Supple pariter & vespertinum, perinde ac matutinum absque intermissione perpetuum. Sermo tamen hic est de matutino ideo fortasse, quod oblivioni magis obnoxium esset, ex pluribus, quæ per diem offerebantur, Sacrificiis (19): quod sane incommodum nullum erat Sacrificio vespertino, postremo omnium quotidie oblato.

℣. 24. In fomitem ignis, et in odorem suavissimum Domino, qui surget de holocausto. Hebræus ad literam (20): *Panis* [seu cibus] *ignitionis odoris quietis* [qui ardebit in odorem gratissimum] *Domino super* [præter] *oblationem jugem fiet, & libamen ejus*. Sacrificia hæc Domino offerentur, tanquam destinatus illi cibus, vel panis: quæ phrasis est plane humana, quasi scilicet in majoribus festis diebus Deus instrui sibi convivium lautius, & delicatioribus epulis instructum juberet.

℣. 26. Quando offeratis novas fruges Domino. Die Pentecostes offerebantur in Templo fruges, ex quibus, juxta quorumdam sententiam, conficiebantur panes propositionis (21); vel tantum (22) offerebantur duo panes, qui statuti prius ante Dominum, deinde cedebant Sacerdotibus in cibum (23).

℣. 27. Vitulos de armento duos. Unicum vitulum

(1) Tost. Sanct. Tirin. (2) Buxtorf. Synag. Jud. c. 17. (3) Spencer. de legib. Hebr. ritual. lib. 3. cap. 1. Dissert. 4. (4) Demosthen. orat. 1. in Aristogiton. (5) Marin. in vita Procli: A'nvρaμβaι αυτω ε ες αυτω υπολειμετα την θεον επρατζετο. (6) Liban. Declamat. 8. (7) Lucian. in Icaromenipp. (8) Macrob. Saturnal. l. 1. c. 15.
(9) Horat. l. 3. Ode 19. *Da Lunæ propere novæ;*
Da noctis mediæ pocula.
Idem lib. 3. Ode 23.
Cælo supinas si tuleris manus,
Nascente Luna.
(10) Macrob. l. 1. c. 15. Saturn. (11) Maimon. (12) Horat. serm. l. 1. Satyr. 9. (13) Lyran. (14) D. Thom. 1. 2. qu. 102. art. 4. ad 10. (15) Amos viii. *Quando transibit mensis, & venumdabimus merces.* (16) 4. Reg. iv. 23. (17) 1. Reg. xx. 18. 19. (18) על עלת התמיד
(19) A Lapid. Menoch. (20) לחם אשה ריח ניחח ליהוה על עולת התמיד יעשה ונסכו (21) Vat. Fag.
(22) Munst. Clar. Jansen. &c. (23) Vide quæ diximus in Levit. xxiii. 17.

gulum in hac solemnitate offerendum exigit Moyses in Levitico (1). Sed ibi sermo esse creditur tantum de vitulo, qui una cum panibus primitiarum offerebatur; seu potius agi de vitulo mane cum primitiis mactando, nulla facta vituli vespertini mentione; vel tandem alterum esse sacrificium illud, quam duo hi vituli, de quibus hic. Constat enim, plures interdum concurrere hostias ejusdem naturæ eadem simul die offerendas. Dogma est Hebræorum rituale, hæc omnia sacrificia ita offerenda fuisse, ut alterum alteri non officeret.

(1) Levit. XXIII, 18. *Offeretis cum panibus, vitulum de armento unum.*

CAPUT XXIX.

Sacrificia pro festo Buccinarum, Expiationis, & Tabernaculorum.

℣. 1. MEnsis etiam septimi prima dies venerabilis, & sancta erit vobis: omne
opus servile non facietis in ea, quia dies clangoris est, & tubarum. 2.
Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum,
arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem: 3. Et in sacrificiis eorum,
similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem,
4. Unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem: 5. Et hircum pro pec-
cato, qui offertur in expiationem populi, 6. Præter holocaustum calendarum cum
sacrificiis suis, & holocaustum sempiternum cum libationibus solitis. Eisdem cære-
moniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino. 7. Decima quoque dies
mensis hujus septimi erit vobis sancta, atque venerabilis, & affligetis animas ve-
stras: Omne opus servile non facietis in ea. 8. Offeretisque holocaustum Domino
in odorem suavissimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos
immaculatos septem; 9. Et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas
per singulos vitulos, duas decimas per arietem, 10. Decimam decimæ per agnos
singulos, qui sunt simul agni septem: 11. Et hircum pro peccato, absque his, quæ
offerri pro delicto solent in expiationem, & holocaustum sempiternum, cum sacrifi-
cio, & libaminibus eorum. 12. Quintadecima vero die mensis septimi, quæ vobis
sancta erit, atque venerabilis, omne opus servile non facietis in ea, sed celebrabi-
tis solemnitatem Domino septem diebus. 13. Offeretisque holocaustum in odorem
suavissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos
immaculatos quatuordecim: 14. Et in libamentis eorum, similæ oleo conspersæ tres
decimas per vitulos singulos, qui sunt simul vituli tredecim: & duas decimas arieti
uno, id est, simul arietibus duobus. 15. Et decimam decimæ agnis singulis, qui
sunt simul agni quatuordecim: 16. Et hircum pro peccato, atque holocausto sem-
piterno, & sacrificio, & libamine ejus. 17. In die altero offeretis vitulos de ar-
mento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim. 18. Sa-
crificiaque, & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos rite celebrabi-
tis: 19. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque, & li-
bamine ejus. 20. Die tertio offeretis vitulos undecim, arietes duos, agnos annicu-
los immaculatos, quatuordecim: 21. Sacrificiaque, & libamina singulorum per vi-
tulos, & arietes, & agnos rite celebrabitis: 22. Et hircum pro peccato, absque
holocausto sempiterno, sacrificioque, & libamine ejus. 23. Die quarto offeretis vi-
tulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 24. Sacrifi-
ciaque, & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos rite celebrabitis:
25. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus, & li-
bamine. 26. Die quinto offeretis vitulos novem, arietes duos, agnos anniculos im-
maculatos quatuordecim: 27. Sacrificiaque, & libamina singulorum per vitulos, &
arietes, & agnos rite celebrabitis: 28. Et hircum pro peccato, absque holocausto
sempiterno, sacrificioque ejus, & libamine. 29. Die sexto offeretis vitulos octo,
arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 30. Sacrificiaque, & liba-
mina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos rite celebrabitis: 31. Et hircum
pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus, & libamine. 32. Die
septimo offeretis vitulos septem, & arietes duos, agnos anniculos immaculatos qua-
tuor-

tuordecim: 33. Sacrificiaque, & libamina singulorum per vitulos, & arietes, &
agnos rite celebrabitis: 34. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno,
sacrificioque ejus, & libamine: 35. Die octavo, qui est celeberrimus, omne opus
servile non facietis, 36. Offerentes holocaustum in odorem suavissimum Domino,
vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem: 37. Sacrificia-
que, & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos rite celebrabitis: 38.
Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus, & libami-
ne. 39. Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris: præter vota, & oblationes
spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libatione, & in hostiis pacificis,

℣. 1. MENSIS SEPTIMI PRIMA DIES, festa erit & solemnis. Ea die civilis annus inibat, atque ineuntis exordium tubarum clangore nunciabatur. Quæ peculiaria fuerint hujus Festi sacrificia, docet hic Moyses: holocaustum ex vitulo, ariete, septem agnis cum libationibus, & pro peccato hircus. Addebantur, præter hæc, sacrificia in Neomeniis præscripta (1), nempe duo vituli, cum ariete, agni septem, & facile etiam hircus pro peccato, qui eadem ipsa die offerendus erat. Hæc autem sacrificia perpetuum Sacrificium, matutinum & vespertinum, minime impediebant, sive suo ex ordine dejiciebant.

℣. 7. DECIMA DIES MENSIS SEPTIMI. De festo expiationis solemnis fusius nos ad Levitici XVI. 29. & XXIII. 27.

℣. 11. ABSQUE HIS QUÆ OFFERRI PRO DELICTO SOLENT; idest, sacrificiis aliis, recensitis in Levitico XVI. 5. nimirum duplici hirco pro peccato, & ariete in holocaustum. Addebatur vitulus pro peccato Summi Sacerdotis, & aries in holocaustum, perseverantibus sacrificiis quotidianis & perpetuis cum suis libationibus. Vide eumdem locum ℣. 3.

℣. 12. QUINTA-DECIMA DIE septimi mensis anni Sancti, qui primus erat mensis anni civilis. Erat autem dies illa sacra Festo Tabernaculorum, quod per octo continuos dies celebrabatur, ducti per desertum itineris monumentum: qua de re fusius disseruimus in Levitico XXIII. 34.

℣. 35. DIE OCTAVO QUI EST CELEBERRIMUS. Cum festa alia solemnia intra septem dies terminarentur, unum hoc ad octo dies prorogabatur: erat autem octava illa dies præcedentibus solemnior, quamquam prima die minor. Appellatur autem in Textu עצרת *conclusio*, *adimpletio*; vel ex LXX. Ἐξόδιον, sive ut Samaritanus, Τελείωσις ἐπισχέσεως, *Perfectio retentionis*, dies quo quis se clausum continebat, observabat sese, colligebatque in obsequium tantæ diei; dies ab operibus omnibus servilibus feriata. Minor tamen erat ea die hostiarum numerus præscriptus, qui sensim per dies singulos minuebatur.

℣. 39. PRÆTER VOTA ET OBLATIONES SPONTANEAS. Sacrificia omnia in hoc capite descripta fiebant, perseverantibus adhuc tamen cæteris aliis sacrificiis, sive spontanea religione, sive ex voto, sive ex legis præcepto offerendis. Generalia & communia præcepta iis, quæ privatis quibusque imposita erant, nihil derogabant.

(1) Vide superius Caput XXVIII. 11.

CAPUT XXX.

Leges pro votis; quorum religione jus erat patri solvere filiam, marito uxorem: modo eadem ipsa die, qua votum nuncupabatur, illi resisterent.

℣. 1. NArravitque Moyses filiis Israel omnia, quæ ei Dominus imperarat: 2. Et
locutus est ad principes tribuum filiorum Israel: Iste est sermo, quem
præcepit Dominus: 3. Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxe-
rit juramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit.
4. Mulier si quippiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo pa-
tris sui, & in ætate adhuc puellari: si cognoverit pater votum, quod pollicita est,
& juramentum, quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit: 5. Quid-
quid pollicita est, & juravit, opere complebit. 6. Sin autem, statim, ut audierit,
contradixerit pater: & vota, & juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur
sponsioni, eo quod contradixerit pater. 7. Si maritum habuerit, & voverit aliquid,
& semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento, 8. Quo
die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit, reddetque, quodcumque promi-
serat. 9. Sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes ejus,
verbaque, quibus obstrinxerat animam suam: propitius erit ei Dominus, 10. Vidua,
& repudiata quidquid voverint, reddent. 11. Uxor in domo viri cum se voto con-
strinxerit, & juramento, 12. Si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsio-
ni, reddet, quodcumque promiserat. 13. Sin autem extemplo contradixerit, non te-
nebitur promissionis rea: quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit.

14. Si

14. Si voverit, & juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit, ut faciat, sive non faciat. 15. Quod si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam: quidquid voverat, atque promiserat, reddet: quia statim ut audivit tacuit. 16. Sin autem contradixerit, postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus. 17. Istæ sunt leges, quas constituit Dominus Moysi, inter virum, & uxorem, inter patrem, & filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in parentis domo.

℣. 3. SIQUIS VIRORUM VOTUM DOMINO VOVERIT. Votorum & sacramentorum religio parem habet cum Orbe ipso vetustatem, petiturque e principiis a natura positis, fidei & sinceritatis, qua mortales omnes jubentur promissionum suatum fidem integram reddere; licet enim nihil reipsa quidem Deo promittere valeant homines, quod Dei non sit, æque tamen verum est, fidem nostram obligare posse nos ad aliquid in gloriam ipsius præstandum, quod melius sit, quod sublimius, quod perfectius, quam quæ ipse legibus suis exigit. Cum vero nos fidem nostram obstrinximus, si quidem defuerimus promissis, reos nos prævaricationis & infidelitatis in Deum constituimus.

Vota non probant Hebrei, docentes temere prorsus, satis esse superque, si Lex sancte ac plene servetur: & quicumque, inquiunt, votum nuncupant, perinde se habent, ac si altare in editis locis excitent; qui vero semel nuncupatum confirmat, perinde est ac si in eodem Altari politas victimas immolet (1). Addunt non minus præpostere, voti religione neminem teneri, nisi votum illud solemnibus formulis ore tenus expresserit, juxta vim Textus Originalis hujus versiculi: *Secundum omne quod egressum est de ore ejus, faciet*. Et in Deuteronomio XXIII. 23. *Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis & facies*. Fatendum est utique, ut voti solemnitas ac vis religione aliqua pollicentem penes homines devinciat, exprimi verbis promissiones suas oportere: ut autem Deo cordis nostri abscondita intuenti obstringamur, nullis opus est verbis.

Tandem Rabbini discrimen ingens inter vota & promissiones jurejurando obligatas statuunt (2). Voto semper obstringimur etiam in rebus vel imperatis vel permissis a Lege; nec unquam ejus religioni quis deest, quin simul & culpam contrahat, ac flagrorum animadversioni se obnoxium faciat. E. g. Siquis voto sibi interdixerit phylacteria, vel lacinias vestium a Moyse præscriptas, illi implenda est fides voto nuncupata: eidem vero impune deerit, si non voto, sed jurejurando obstricta sit. Hanc autem assignant utriusque rationem, voto quidem, non jurejurando naturam rei quodammodo immutari. Siquis temere vovisset, solvi eo vinculo poterat, sistens se Tribunali trium Judicum, vel coram sapiente aliquo viro & legis Doctore, qui solutum esse ea religione hominem illum pronunciabat: simul autem in pœnam levitatis suæ referebat impositum illud ab eo pensum, ut sacrificium pro peccatis ignorantiæ offerret. Hæc Hebræorum erat disciplina juris in hac re, si Rabbinos audias.

℣. 4. SI COGNOVERIT PATER .... ET TACUERIT, VOTI REA ERIT. Quamquam lex definit hic tantum puellas ætate minores, in ædibus patris adhuc versantes, Doctores tamen Hebræi ajunt, æque id valere pro pueris ætate minoribus, & puellis etiam adultioribus, adhuc in domo patris, tanquam e familia, versantibus. Sub generali patris nomine censentur etiam avi vel tutores, & quicumque patris loco sunt erga liberos. Porro illis integrum erat assentiri voto filiorum, vel silentio, vel assensu aperto: tunc enim assentiri censebantur, cum voventibus authoritate sua non intercedebant; eorumque silentium perinde erat ac permissio, nec ad resistendum diutius illi, quam diei unius tempus concedebatur (3). Si qua die norant de voto, siluissent, nunquam deinceps integrum erat illis filios ab eo implendo removere. Ætas vero votis illis nuncupandis apta, juxta Hebræos, definiebatur ad XIII. annos pro maribus, & duodecim pro puellis (4).

Porro cum agitur de votis, sedulo distinguendum est inter ea, quæ juris sunt naturalis, & quæ juris positivi. Quæ naturali jure præcipiuntur, nullis vicibus obnoxia sunt: quæ vero positivo, leniri interdum, & exceptionibus nonnullis variari possunt. Porro explendi fidem voto nuncupatam obligatio nullo jure solvi potest, cum ex jure ipso naturæ petatur. Cum autem contingere possit interdum, ut quis præpostere fidem hanc suam obstringat, sive ex se facturum spondens ea quæ majori alicui bono opponuntur, sive quæ in potestate nostra posita non sunt; consuluit Lex, ut ii, qui naturales sunt judices eorum, qui voto sese obstrinxerunt, de qualitatibus ejusmodi votorum cognoscant, & executionem sive permittant, sive prohibeant, vel religionem ad proba alia opera præstanda transferant. Hoc veluti fundamento nititur Genitorum authoritas in vota filiorum, ac viri in vota uxoris, uti & authoritas ea vota solvendi, quæ ab Ecclesiasticis Præsulibus obtinetur, in quos sive mos sive jus rerum ejusmodi judicium transtulit.

Modus vero, quo votorum nexus solvitur, cum juris sit positivi, varius apud varios fuit. Unicam tantummodo diem præscribit Moyses parentibus vel marito, ut voluntatem suam prodant in vota filiorum vel uxorum: legi huic subjicit filios, quamdiu in domo & familia patris versantur; alii aliter sanxerunt. Apud Romanos, jura patrum sarta tecta servabantur in filios, etiam post ductam uxorem familiamque constitutam, quoadusque emanciparentur. Eumdem morem, obtinentem apud Persas, Authores quidam Græci tyrannidis accusarunt (5).

℣. 6. STATIM UT AUDIERIT. Hebræus: *In die qua audierit omnia vota ejus*. Patribus unica tantum dies ad deliberandum de votis filiorum dabatur, uti jam supra animadversum est: qua in re tamen non tempus nuncupati voti, sed illud, ex quo pater ipse de re illa certior factus esset, spectabatur.

℣. 7. SI MARITUM HABUERIT ... ℣. 8. QUO DIE AUDIERIT VIR, ET NON CONTRADIXERIT, VOTI REA ERIT. Agitur hic de puella jam oppignorata, sed quæ adhuc in domo patris commoratur, cui integrum non erat obstringere se voto, minime quæsito futuri conjugis assensu (6). Sunt qui reputent (7), patrem simul & maritum convenire debuisse, ut voti hujus obligatio tolleretur: quod si uterque voti obligationem solutam non definiisset, sponsam voto obstrictam fuisse. Suspicantur tamen alii (8), sermonem hic esse non de puella tantum oppignorata, sed nupta, quæ adhuc in domo patris perseveraret; quod Hebræis moribus est familiarissimum. Porro uxores e mariti voluntate pendebant, ex vi sanctionis legalis, sive ut ratum habe-

(1) Apud Fag. (2) Vide Selden. de jure nat. lib. 7. cap. 2. (3) Vide ℣. 6 & 15. (4) Grot. hic. (5) Idem, de jure belli & pac. l. 2. cap. 5. art. 7. (6) Ita Rabb. & alii recentiores. (7) Ainsw. ex Hebr. (8) Bonfr.

haberent, five ut nuncupatum votum aboletent, Docet S. Auguſtinus (1), agi hic de puella, quæ adhuc in domo patris & ſub ejus poteſtate commoratur, cujus votum aſſenſu ſuo pater confirmaverit: ſi hæc voto jam obſtricta nuberet, nec vir conſentiret, ut nuncupati in domo paterna voti rea perſeveraret, ſolvebatur ea religione, adeo ut promiſſa violaret impune.

℣. 11. Uxor in domo viri. En aliud de nupta præceptum. Ponitur hic puella extra domum & authoritatem patris, viro ſuo tantum ſubdita. Vetitum eſt illi, inſcio neque aſſentiente viro votum aliquod nuncupare. Qui verſiculum 7. explicant de nupta, & viro ſuo tantum ſubjecta, Textui huic congruum alium ſenſum ſerutantur: intelligunt autem, alii quidem (2), ſi nupta fœmina voto ſeſe obſtrinxiſſet ſuperſtite viro [*in domo viri*, ideſt, *vivente viro*] cujus interim maritus ante obiiſſet quam mentem ſuam de voto illo aperiret, fœmina minime obnoxia voto tenebatur. Alii (3) interpretantur de voto matrisfamilias, cujus nulla eſſet ad obligandum vis, niſi accedente patrisfamilias aſſenſu. Sed violenta ſunt hæc nimium, & Textui oppoſita. Quare commode dicta ſuperius retinemus, verſu ſcilicet ſeptimo ſermonem eſſe de nupta adhuc in domo patris commorante, uti Rachel & Lia in domo Labani diutius perſeverarunt; & in ℣℣. 11. & 12. de uxore matrefamilias, quæ in domo ſua verſabatur.

℣. 14. Si voverit .... ut per jejunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam. Legis hujus ſenſum definiunt Hebræi (4) ad jejunium ſolummodo & abſtinentiam; certantque, maritale jus ad duo hæc tantum vota porrigi: in quam ſententiam inclinari pariter S. Auguſtinus (5) videtur. Ægre ſibi perſuadet, Deum totam viro conferre authoritatem ſuam in vota uxoris, quæ continentiam e. g. vovet, nihil autem ſaltem in ea re permittere uxori erga maritum: conſtat enim, utrique conjugi jus eſſe æquale in corpus alterius (6). Sed docti plures Interpretes (7) cenſent, legis hujus ſanctionem latiſſime, quantum fieri poteſt, accipi oportere; duo hæc vero tantum, jejunium & abſtinentiam exhibuiſſe Legislatorem, non ut limites huic legi præſcriberet, ſed ut exemplum daret in re, quæ maxime familiaris eſt, & crebra, & cui maritus minus facilem præbet aſſenſum. Poſteriori huic interpretationi favet Hebræus, ita reddens ad literam (8): *Omne votum, & omne juramentum ligaminis ad affligendam animam, vir ejus ſtabiliet illud, & vir ejus infringet illud*, Ideſt, vota omnia, quibus ſeſe obſtrinxerit, obligaverit, devinxerit.

℣. 15. Si audiens vir, tacuerit, et in alteram diem distulerit sententiam. Paulo aliter Hebræus: *Si tacuerit vir de die in diem, vel ex una in alteram diem*; ſi mentem ſuam ea die non aperuerit, ſi ad aliquot dies rem diſtulerit, non petita deliberandi facultate: aſſerunt enim fas fuiſſe tempus poſtulare, quo conceſſo ad illud uſque tempus aſſenſus in votum tuto ſuſpendebatur.

℣. 16. Sin autem contradixerit, postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus. Tunc ſcilicet fœmina voto ſoluta, tota voti non impleti culpa vir onerabitur. Cum tamen maritum portaturum iniquitatem fœminæ ſeribit Moyſes, non ita res accipienda eſt, quaſi ſive uxor in ea re aliquid peccaverit, ſive maritus eo nomine ſit damnandus, quod jure ſuo utatur; ſed nullam ſupereſſe mulieri religionem vel timorem, diſcrimen totum in ſe transferente marito. Alii vero ita interpretantur (9): Si maritus datum ſibi ſpatium diei ad deliberandum neglexerit, poſt hæc autem voto uxoris intercedat, tota ejus omiſſionis culpa onerabitur. In hanc ſententiam recidit S. Auguſtinus (10), docens, maritum, qui ſilentio ſuo in uxoris votum conſenſerit, uti in præcedenti verſiculo dicitur, tum vero voti ream impediat uxorem, id malo ſuo illum tentare.


(1) Aug. qu. 59. in Numer. (2) Vatab. Fag. ex Hebræis. (3) Clar. Fag. (4) Hebr. apud Oleaſt. & Ainſv. (5) Aug. qu. 59. in Num. n. 4. (6) 1. Cor. VII. 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* (7) Cornel. Bonfr. Men. (8) כל נדר וכל שבעת אסר לענות נפש אישה יקימנו ואישה יפרנו (9) Cajet. Bonfr. (10) Auguſt. quæſt. 59. in Num. n. 3.

C A P U T XXXI.

Bellum Madianiticum. Prædæ ex æquo diſtributio inter eos qui certarunt, quique in cuſtodiam caſtrorum remanſerunt, ac Sacerdotes.

℣. 1. LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2. Ulciſcere prius filios Iſrael de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum. 3. Statimque Moyſes, Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui poſſint ultionem Domini expetere de Madianitis. 4. Mille viri de ſingulis tribubus eligantur ex Iſrael, qui mittantur ad bellum. 5. Dederuntque millenos de ſingulis tribubus, ideſt, duodecim millia expeditorum ad pugnam: 6. Quos miſit Moyſes cum Phinees filio Eleazari ſacerdotis, vaſa quoque ſancta, & tubas ad clangendum tradidit ei. 7. Cumque pugnaſſent contra Madianitas, atque viciſſent, omnes mares occiderunt, 8. Et reges eorum, Evi, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe, quinque principes gentis: Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. 9. Ceperuntque mulieres eorum, & parvulos, omniaque pecora, & cunctam ſupellectilem, quidquid habere potuerant depopulati ſunt: 10. Tam urbes quam viculos, & caſtella flamma conſumpſit. 11. Et tulerunt prædam, & univerſa, quæ ceperant, tam ex hominibus quam ex jumentis, 12. Et adduxerunt ad Moyſen, & Eleazarum ſacerdotem, & ad omnem multitudinem filiorum Iſrael: reliqua autem utenſilia portaverunt ad caſtra in campeſtribus

Moab




TABULA
Itineris, & Stationum
ISRAELITARUM
in Deserto
AB EORUM EGRESSU EX ÆGYPTO
AD TRANSITUM IORDANIS.
Delineata et incisa juxta Auctoris
SYSTEMA A P. STARCK-MAN.
Iericho
Planities Moab
Esebon
AMORRHÆI
CHANAAN
MARE MORTUUM
MADIANITÆ
Lebna
Arnon Torrens
DESERTUM CADEMOT
Arnon
IDUMÆI
Rethma
MOABITÆ
DESERTUM ZIN
Mons Hor
Torrens Zared
Zared
PETRÆA
Obot seu Obodas
Je-abarim
Salmona
Phunon
Petra

Moab juxta Jordanem contra Jericho. 13. Egressi sunt autem Moyses, & Eleazar sacerdos, & omnes principes synagogæ, in occursum eorum extra castra. 14. Iratusque Moyses principibus exercitus, tribunis, & centurionibus, qui venerant de bello, 15. Ait: cur fœminas reservastis? 16. Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & prævaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, unde & percussus est populus? 17. Ergo cunctos interficite, quidquid est generis masculini, etiam in parvulis: & mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate, 18. Puellas autem, & omnes fœminas virgines reservate vobis: 19. Et manete extra castra septem diebus: Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio, & septimo. 20. Et de omni præda, sive vestimentum fuerit, sive vas, & aliquid in utensilia præparatum, de caprarum pellibus, & pilis, & ligno, expiabitur. 21. Eleazar quoque sacerdos, ad viros exercitus, qui pugnaverant, sic locutus est: Hoc est præceptum legis, quod mandavit Dominus Moysi: 22. Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, 23. Et omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur: quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur: 24. Et lavabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis. 25. Dixit quoque Dominus ad Moysen: 26. Tollite summam eorum, quæ capta sunt, ab homine usque ad pecus, tu, & Eleazar sacerdos, & principes vulgi: 27. Dividesque ex æquo prædam inter eos, qui pugnaverunt, egressique sunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem: 28. Et separabis partem Domini ab his, qui pugnaverunt, & fuerunt in bello, unam animam de quingentis tam ex hominibus, quam ex bobus, & asinis, & ovibus, 29. Et dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt. 30. Ex media quoque parte filiorum Israel accipies quinquagesimum caput hominum, & boum, & asinorum, & ovium, cunctorum animantium, & dabis ea Levitis, qui excubant in custodiis tabernaculi Domini. 31. Feceruntque Moyses, & Eleazar, sicut præceperat Dominus. 32. Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ovium sexcenta septuaginta quinque millia, 33. Boum septuaginta duo millia, 34. Asinorum sexaginta millia, & mille: 35. Animæ hominum sexus fœminei, quæ non cognoverunt viros, triginta duo millia. 36. Dataque est media pars his, qui in prælio fuerant, ovium trecenta triginta septem millia quingentæ: 37. E quibus in partem Domini supputatæ sunt oves sexcentæ septuaginta quinque. 38. Et de bobus triginta sex millibus, boves septuaginta, & duo: 39. De asinis triginta millibus quingentis, asini sexaginta unus: 40. De animabus hominum sedecim millibus cesserunt in partem Domini triginta duo animæ. 41. Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum, 42. Ex media parte filiorum Israel, quam separaverat his, qui in prælio fuerant: 43. De media vero parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, idest, de ovibus trecentis triginta septem millibus quingentis, 44. Et de bobus triginta sex millibus, 45. Et de asinis triginta millibus quingentis, 46. Et de hominibus sedecim millibus: 47. Tulit Moyses quinquagesimum caput, & dedit Levitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut præceperat Dominus. 48. Cumque accessissent principes exercitus ad Moysen, & tribuni, centurionesque, dixerunt: 49. Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra: & ne unus quidem defuit. 50. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini singuli, quod in præda auri potuimus invenire, periscelides, & armillas, annulos, & dextralia, ac murænulas, ut depreceris pro nobis Dominum. 51. Susceperuntque Moyses, & Eleazar sacerdos omne aurum in diversis speciebus, 52. Pondo sedecim millia, septingentos quinquaginta siclos, a tribunis, & centurionibus. 53. Unusquisque enim, quod in præda rapuerat, suum erat. 54. Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonii, in monimentum filiorum Israel coram Domino.

℣. 2. ULCISCERE FILIOS ISRAEL DE MADIANITIS. Supremum est hoc bellum a Moyse gestum: incidit autem paulo ante mensem undecimum anni quadragesimi post exitum ab Ægypto, & mense circiter ante obitum Moysis. Arma moveri in Moabitas non jubet Deus, quamquam forte non minus Madianitis impios; illis enim invitantibus venerat nequissimus ille Balaam Ariolus: iisdem & vir impius inspiravit pessimum illud consilium, quod in Madianitas extrema omnia induxit. Servandos censuit Deus Moabitas in gratiam Lot patris ipsorum; simulque datum antea (1) præceptum abstinendi scilicet manus ab illis, non censuit revocandum. Scelerum illorum men-

[1] Deuteronom. II. 9.

mensuræ implendæ adhuc aliquid deerat. Ex Josue XIII. 21. innui videtur, Madianitas fœdere sese obstrinxisse in Hebræos cum Sehon Rege Amorrhæorum. Inter Principes vel Duces copiarum Sehon, quinque Principes Madian recensentur infra ℣. 8.

℣. 3. Ultionem Domini. Bellum a Domino imperatum, ut pœnas de Madianitis sumeret: ultionem injuriæ Domino irrogatæ a Madianitis. Consilium agitaverant Madianitæ irretiendi turpibus deliciis, & Idololatria Israelitas. Utrumque hoc crimen gloriæ & majestati suæ officiens, unica simul ultione punire decernit Deus.

℣. 6. Cum Phinees filio Eleazari. Belli hujus sanctissimi & religiosissimi Imperator electus est Phinees, in præmium insignis illius studii, quo sæviit in Hebræos, ad cultum Beelphegor turpissime deficiscentes (1). Interpretum nonnulli (2) reputant, totam ejus belli molem impositam fuisse Josuæ; Phineem vero custodiam habuisse sibi commissam sacrorum vasorum, de quibus infra. Fides opinioni huic ex eo conciliatur, quod cum Josue recens constitutus fuisset Princeps populi Domini, res utique poscebat, ut & belli illius gerendi curam susciperet: quod sane munus illum melius, quam Phineem decebat; res enim bellicas tractare Sacerdotum non est. Nunquam revera in toto hoc bello Josue sese prodit; sed nec ejus nomen legitur, cum post confectam feliciter expeditionem, Moyses & Eleazar obviam victoribus occurrerunt (3). Si Josue adfuisset in castris; numquid solus defuisset officio plaudendi victoribus? Hæ tamen omnes a rerum convenientia ductæ rationes minime infringunt Textum, prono & naturali sensu in id ferentem, ut reputemus, Phineem belli hujus dirigendi munus sibi demandatum gessisse. Numquid Moyses siluisset nomen Josue, siquidem Principem expeditionis egisset? quis hæc de Historico docto gravique censeat?

Vasa quoque sancta et tubas ad clangendum tradidit ei. Hebræi (4), eorumque fidem secuti Interpretes plures censent, Phineis in ea expeditione partes fuisse unicas servandi Arcam, eo in bello, uti & in aliis interdum (5), in castra delatam. Phineem comitabantur Sacerdotes & Levitæ, ad ferendam debita religione & obsequio Arcam destinati. Alii (6) nomine sacrorum vasorum designari hic censent tubas Phinei ereditas, quas inflaret in exercitu, pro munere Sacerdotibus in Lege commisso (7). Reddunt illi: *Moyses dedit illi vasa* [vel instrumenta sacra] idest, *buccinas ad clangendum*. Favet huic expositioni Hebræus: *Moyses misit Phinees ad exercitum; & vasa sanctitatis & tubæ ad clangendum in manu ejus*. Hæc quidem interpretatio præ cæteris nobis probatur; sed nollem totum Phineis munus ad hoc tantummodo definire, ut buccinis clangeret. Præerat ipse agmini, inflabatque seu ipse per se buccinas sacras, vel inflandas tradebat cæteris Sacerdotibus. In Deuteronomio XX. 2. animadvertemus semper præsto fuisse in exercitu Sacerdotem, inter cujus munera hoc pariter recensent Doctores Judæi, ut signum daret buccina.

℣. 8. Reges eorum. Designantur potissimarum urbium Madianitarum Reguli, in sua quisque civitate regnantes, quemadmodum Reguli illi in Chanaanitide, Josue ætate (8). Volunt quidam, bis hos principes paruisse Regi Madian; quod olim frequentissimum erat in Oriente, ubi Reges superioribus aliis Regibus parebant. Appellantur alibi *Principes Madian*, & *Principes Sehon* (9), quasi scilicet Regi Sehon, cum viveret, subderentur, vel Regis hujus Amorrhæorum copias duxissent.

Recem. Petra, Urbs metropolis Arabiæ Petrææ, appellatur *Recem*, vel *Arce*, vel *Raceme*. Princeps *Recem* nomen suum fortasse ex ea urbe derivabat, & facile tunc ibi dominabatur. Transiit deinde Urbs in Metropolim Idumææ, post eversas vel fractas res Madianitarum.

Sur, pater est Cosbi, fœminæ illius miseræ, quam Phinees una cum Zambri uno ictu transfodit (10).

Balaam, celebris ille Madianitarum Ariolus, juxta nonnullos (11); id permittente Numine, ut qui primum dederat belli fomitem, eodem cum cæteris fato obvolveretur. Sed a nobis alibi (12) demonstratum est, illum e Mesopotamia fuisse. Reputant quidam, Ariolum hunc, cui sordidum avaritiæ crimen principabatur, substitisse in Madianitide, ut opperiretur consiliorum suorum eventum, & præmium referret; vel forte ad famam rei sinistræ, quæ Israelitas afflixerat, velut accitum e regione sua rediisse (13), operæ suæ mercedem postulaturum. Vide quæ de hac re disseruimus in caput XXIV. 25.

℣. 9. Quidquid habere potuerant, depopulati sunt. Hebræus & Septuaginta (14): *Omnem exercitum eorum prædati sunt*, vel robur eorum omne, & divitias. Superius autem narratum est, mares omnes gladio trucidasse: mares igitur, quotquot nacti sunt, occiderunt; vastarunt agros, urbes, & prædam omnem diripuerunt. Non sine veri specie reputamus, vel longius illos non penetrasse in regionem, vel plures ex hostibus fuga saluti suæ consuluisse, cum sub Judicibus (15) Madianitæ tanta florerent potentia, ut & vicinis suis essent terrori, & Israelitas septennali captivitate oppresserint.

℣. 10. Castella. Hebræum טירות *tirot* sonat domum, ædes, casas, pastorum claustra vel ovilia. Septuaginta reddunt ἐπαύλεις, casas pastorum, diversoria.

℣. 11. Et tulerunt prædam . . [℣. 12.] et adduxerunt ad Moysem . . . . reliqua autem utensilia portaverunt ad castra. Ex verbis Textus innui videtur, spoliorum portionem delatam fuisse ad Moysem, qui e castris exierat; reliqua vero spolia in castra translata fuisse: sed nihil tale Textus Hebræus, ita sonans ad literam: *Ceperunt omne spolium, & omnem capturam, in homine & in animali. Et adduxerunt ad Moysem, & ad Eleazar Sacerdotem, & ad cœtum filiorum Israel, captivitatem & capturam, & spolium ad castrametationem ad campestria Moab*. Tota igitur præda in unum veluti locum cogebatur, ex veteri more, tum æquis portionibus dividebatur in milites, eos pariter, qui prælio non interfuerant. Qui præsentes adfuerant expeditioni, continuerunt se, ne ingrederentur in castra: Moyses enim & Eleazar illis venientibus occurrerunt, antequam intrarent, & antequam hæc omnia conferrent; cum vero contulisse illi prædam dicuntur, significat hic tantum venisse illos, ut deferrent, atque omnia proxime ad castra deduxisse.

℣. 13. Egressi sunt autem Moyses et Eleazar, sive ut monerent ne ingrederentur, nisi expiari, sive ut de victoria gratularentur, sive ut intelligerent, quomodo Dei jussiones implessent.

℣. 15. Cur fœminas reservastis? Nullo quidem peculiari mandato Moyses cædem fœminarum imperaverat; & in bellis plerumque servabantur fœminæ ac pueri inter spolia, quæ cedebant victoribus. Hic tamen dolus, quo Hebræos fefelle-

sant

(1) Joseph. lib. 4. Antiq. c. 6. & Philo lib. 1. de Vita Mos. Lyr. Menoch. Cornel. (2) Bonfr. Tirin. Bonfr. (3) ℣. 13. (4) Rab. Lyr. Munst. Fag. Bonfrer. Spencer. & alii passim. (5) Josue VI. 8. & 1. Reg. 4. 5. & 2. Reg. XI. 11. (6) Oleast. Vat. Ainsw. Fisc. (7) Num. X. 9. (8) Grot. (9) *Cum Principibus Madian . . . Duces Sehon, habitatores terræ*. (10) Num. XXV. 15. (11) Oleast. Masius, quid. Apud Tirin. (12) Num. XXII. 5. (13) Grot. & Drus. ex Hebr. (14) כל חילם Septuag. Τὴν δύναμιν αὐτῶν ἐπρονόμευσαν. (15) Judic. VI. 1.

rant fœminæ Madianitarum, & quod populo pepererant malum, suadere debuerant Hebræis, ne mitius cum illis agerent, quamquam nullo præcepto sollicitati.

℣. 16. AD SUGGESTIONEM BALAAM. Nunquam aperte ea res, gravis licet, narrata est in præcedentibus capitibus, nisi forte indicata solum censeatur capite xxiv. 14. Sed hic non obscure legitur, uti & apud Michæam vi. 5. & 2. Petri ii. 15. Judam ℣. 11. Apocalypsim ii. 14.

℣. 18. PUELLAS ET OMNES FŒMINAS VIRGINES, Hebræus (1): *Et omnem pubem in mulieribus, quæ non cognoverunt concubitum masculi, vivificate vobis*, vivam servate.

℣. 19. MANETE EXTRA CASTRA SEPTEM DIEBUS, ut legis præcepto morem geratis; quo scilicet immundi censentur, quicumque cadaver attigerint, & e castris spatio septem dierum removentur. Vide Numeros, xix. 11. 13.

℣. 20. ET DE OMNI PRÆDA, SIVE VESTIMENTUM FUERIT, SIVE VAS, &c. Hebræus (2): *Vos, & captivitas vestra, & omnis vestis, & omne vas pelliceum ... purificabitis*. Non Israelitæ modo, sed & puellæ quæ servatæ fuerant, & præda omnis ex hostibus capta, habebantur immunda, quod scilicet sive contigissent cadavera, sive in tentoriis adfuissent, ubi cædes commissæ fuerant (3); vel tandem impurum aliquod attigissent. Et nisi reipsa, certe tamen opinione censebantur immunda; in tanta vero secernendi munda ab immundis ambiguitate, omnia in unum censum immundorum rejiciebantur.

℣. 21. HOC EST PRÆCEPTUM LEGIS, QUOD MANDAVIT DOMINUS MOYSI. Præceptum est hoc quidem novum, in præcedentibus Libris nunquam relatum. Alibi tamen animadvertere licet præscriptas peculiares leges ad lustrationem vasorum ex metallo, ligno, & fictilium, quæ cum hac affinitatis aliquid præferunt. Vide Leviticum vi. 28. xi. 33. xv. 12.

℣. 23. OMNE QUOD POTEST TRANSIRE PER FLAMMAS, IGNE PURGABITUR. Hebræus, Septuaginta, & Versiones cæteræ ferunt, metalla hæc omnia per flammam traducta fuisse, tum lota aqua Expiationis, admixtis cineribus vaccæ rufæ.

℣. 27. DIVIDESQUE EX ÆQUO PRÆDAM INTER EOS, QUI PUGNAVERUNT, ET INTER OMNEM MULTITUDINEM. Primo igitur præda universa in duas æquas partes divisa est, quarum prior decernebatur iis, qui certaverant, altera populo, qui sese in castris continuerat. Tum qui prælio interfuerant, ex universa, quæ sibi cedebat, massa segregarunt quingentesimam portionem, solvendam Eleazaro summo Sacerdoti & reliquis minoribus Sacerdotibus. Ita pariter e massa populi destinata est quinquagesima portio, quæ ceu primitiarum genus quoddam Levitis daretur. Ita Eleazari & Sacerdotum, quorum sane minimus erat numerus, pars pro proportione reliquas ceterorum superabat: sicut & præda militibus qui prælio interfuerant, numero xii. millium, segregata, opimior utique fuit fere quinquagesima parte, quam quæ reliquo populo cessit. Hæc singularis ejus victoriæ disciplina fuit, longe profecto alia ab ea, quam Hebræorum mores ex consuetis belli regulis ferebant.

Legibus hisce constitutum erat, juxta Rabbinos (4), ut Regi primum manubiæ omnes darentur, quæ sub communi Regii thesauri nomine censebantur; idest, quæcumque ad Regem devictum pertinerent, tentorium, mancipia, bruta, spolia: tum quidquid supererat prædæ, in duas æquas partes distribueretur, quarum altera Regis erat, altera militum. Posterior autem hæc portio æquali portione dividebatur tam inter milites, qui certaverant, quam eos qui remanserant ad sarcinas. In hunc sensum exponunt verba illa Davidis (5): *Æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident. Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum, & præfinitum, & quasi lex in Israel usque in diem hanc.* Censent autem, jam inde ab Abrahamo hæc obtinuisse: sed ægre in animum ego quidem induxerim, pronam hanc esse & naturalem veteris hujus Davidicæ Legis interpretationem. Portione spoliorum donarunt Macchabæi (6) non milites tantum, qui certaverant, sed & debiles etiam, viduas, & orphanos.

Quæ ratio esset dividendi spolia apud Veteres Græcos, ex Homero noscitur. Conferebant milites prædam omnem in unum: tum Rex vel Imperator æquis portionibus dividebat in singulos; ita tamen, ut major quam cæteris & opimior portio cederet Imperatori. *Non equidem*, ait Achilles ad Agamemnonem (7), *tibi unquam æquale habebo præmium, quando Achivi Trojanorum deprædabuntur urbem. Sed si quando divisio venerit, tibi præmium multo majus; ego parvum habens veniam ad naves.* Et paulo superius: *Quomodo tibi dabunt præmium Achivi? Nihil enim commune repositum est quod sit distribuendum. Sed quæ quidem ex urbibus deprædati sumus, ea divisa sunt. Populos autem non decet collecta hæc iterum congregare*, ut iterum distribuantur. Eadem facile animadvertas sexcenties apud Veteres. Fertur etiam portio captæ prædæ ex hostibus mitti consuevisse ad absentes. Spolia ab Achille & Ajace capta (8) missa sunt ad Philoctetem in Lemnum. Nec Dii sua parte spoliorum privabantur. Lege edixerat Numa, ut primitiæ spoliorum Jovi Feretrio offerrentur, quod Romuli imitatione sancitum est: secunda spolia, Marti; tertia, Quirino (9).

Ejusdem disciplinæ vestigia deprehendimus apud Hebræos. Qua ubique utitur Scriptura, phrasis indicat, Principes divisisse ex æquo prædam inter se & milites. Blanditur sibi Pharao, divisurum se cum militibus spolia, quæ sibi spondebat ex Hebræis: *Dividam spolia, implebitur anima mea* (10). Uxor Sisaræ mœrorem suum de absentia viri solatur, putans occupari illum in prædæ distributione (11). Davidis lege sancitum est, ut distribuantur omnia ex æquo, tum inter eos, qui certarunt, tum eos qui remanserunt ad sarcinas (12). Idem vero Princeps accipit collatum a militibus id quod appellatur preda David (13): *Hæc est præda David*. Gedeoni datæ sunt inaures omnes Ismaelitarum. Syri, cum ditionem Juda invasissent, ingentis relatæ prædæ spolia omnia miserunt ad Regem (14), facile ut inter victores distribueret. Quod vero attinet ad spoliorum portionem Deo consecrandam, præter adductum jam exemplum, alia quædam suppetunt in Scriptura (15). Ita David & Principes ejus exercitus non semel e spoliis ea hoste raptis munera contulerunt, qua in Templi, qua in sacrorum vasorum constructionem.

℣. 32. FUIT AUTEM PRÆDA, QUAM EXERCITUS CEPERAT. Hebræus (16), & Septuaginta (17): *Et*

(1) וכל הטף בנשים אשר לא ידעו משכב זכר (2) ואתם ושביכם וכל בגד וכל כלי עור (3) Vide Levit. xi. 32. & Num. xix. 14. *Hæc est lex hominis, qui moritur in Tabernaculo. Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus.* (4) Vide Selden. de jure nat. & gent. lib. 2. cap. 16. (5) 1. Reg. xxx. 24. 25. (6) 2. Macc. viii. 28. (7) Homer. Iliad. A. (8) Dictys lib. 2. (9) Servius in Æneid. vi. in hunc vers.

Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

(10) Exod. xv. 9. (11) Judic. v. 30. (12) 1. Reg. xxx. 24. (13) Ibid. ℣. 20. (14) 2. Par. xxiv. 23. (15) 1. Par. xxvi. 26. (16) ויהי המלקוח יתר הבז אשר בזזו עם הצבא
(17) Καὶ ἐγενήθη τὸ πλεόνασμα τῆς προνομῆς .... ἀπὸ τῶν προβάτων ἑξακόσιαι, &c.

fuit præda, quæ inventa est *præter spolia, quæ populus prædatus est, sexcenta millia & septuaginta quinque millia*; præter ea quæ privatus quisque ad se privatum in commodum traxerat; ex collata in commune præda tam multæ oves comparatæ sunt, Vel juxta alios (1): *Residuum prædæ, quod captum est*, præter ea scilicet, quæ in bello, & quæ duodecim millibus hominum alendis spatio septem dierum, quo extra castra sese continueront, absumpta sunt, *ad sexcenta septuaginta quinque millia oviam pervenie bat*.

ỷ. 41. NUMERUM PRIMITIARUM DOMINI ELEAZARO . . . . [42] EX MEDIA PARTE FILIORUM ISRAEL. Confer superius ỷ. 27. Tradidit Dominus Eleazaro cæterisque Sacerdotibus e genere Aaronis quinquagesimam, quam Dominus ipsis reservaverat, ex universa præda distribuenda inter duodecim millia virorum, qui expeditionem illam confecerant. Ita reddi potest Hebræus (2): *Dedit Moyses tributum elevationis Domino, Eleazaro &c.*

ỷ. 49. NE UNUS QUIDEM DEFUIT. Hebræus ad literam (3): *Neque non numeratus est aliquis*; idem redditus est numerus, qui antea, cum lustraremus exercitum. Septuaginta (4): *Et non dissonuit* [dissensit] *ex eis ullus*. Id vero exponit Origenes de unanimi pugnantium consensu: sed in Septuaginta phrasis ista cum sensu Vulgatæ componenda est. Vide Exodum XXIV. 11. juxta Septuaginta,

ỷ. 50. PERISCELIDES, crurum ornamenta. Crura interdum ornant Orientales pretiosis ingentibusque annulis. Vocis Hebrææ אצעדה non satis explorata est significatio: deducitur ex radice, quæ gressus & ambulationem significat. Septuaginta cum nonnullis aliis Interpretibus explicant χλιδῶνα, *torquem*, ornamentum lacertorum, armillam; quam significationem præferre constat in secundo Regum I. 10., iis verbis Amalecitæ ad Davidem: *Tuli armillam de brachio illius* [Saulis],

ARMILLAS. Latina vox *armilla* significat summi brachii ornamentum virorum, quæ proinde interdum *virilia* dicitur (5). Dabantur autem tanquam indicium vel præmium spectatæ virtutis, Hebræum צמיד *Zamid* nunquam non designat manuum ornamenta, uti ex textibus illud exhibentibus (6) probatur. Sonat etiam jugum, unde conjectura aliqua de ornamenti illius figura ducitur.

ANNULOS. De significatione vocis originalis טבעת *tabahath* satis convenit inter omnes; nunquam enim non annulos exprimit. Cum autem latissimo sensu usurpetur, non facile determinatur, utrum accipienda sit de annulis, qui digitis inferuntur.

DEXTRALIA. Meminit Sapiens in Ecclesiastico XXI. 14. armillarum dexteræ manus. Hebræum עגיל *Hagil* de monili exponunt plures. Syriacus de inauribus; cui versioni plurimum favet Ezechiel (7), qui *Hagilim* pro inauribus fœminarum usurpat. Reputaverim ego quidem, annulos fuisse e parte aurium superiore pendentes. Vide quæ contulimus ad Genesis XXXV. 4.

MURÆNULAS. Latina vox *Murænula* designat monile aureum & argenteum e pluribus metalli liciis, uno plexu simul intortis. Hanc nobis exhibet ornamenti ideam S. Hieronymus in sua Epistola ad Marcellam (8). Nec facile aliud insinuarunt Septuaginta voce ἐμπλόκιον, qua utuntur, sonante rei alicujus plexum. Quod attinet ad Hebræum כומס *Cumas*, id penitus latet Scriptores Commentariorum. Septuaginta, & Author Vulgatæ reddunt illud in Exodo, ornamentum dexteræ manus; Chaldæus zonam, seu veteris moris femoralia. Vide quæ disseruimus ad Exodi XXXV. 22,

Ex his omnibus demonstratur, Madianitas procedere in bellum, ditissimo & magnifico cultu superbos. Idem pariter animadvertere licet in expeditione Gedeonis adversus illos suscepta; nam ornamentorum pretiosissimorum ingentia spolia retulit. Iisdem moribus hodie pariter utuntur Turcæ, Ismaelis posteri, & Arabes origine. Omnia autem ornamenta hic recensita familiaria olim Orientalibus erant, Procedentes in bellum Persæ monilia, ampliores pedum & manuum armillas, inaures e margaritis, auro & argento gerebant (9). Ornamenta hæc omnia e sepulchro Cyri eruit Alexander Magnus (10),

ỷ. 51, AURUM IN DIVERSIS SPECIEBUS. Hebræus (11): *Aurum, & omne vas operis*. Aurum omne elaboratum, & non rude, vel signatum in pecuniam ejus ætatis, Moyses & Eleazar exceperunt.

ỷ. 52. SEDECIM MILLIA &c. Reddunt hæc libras vigesies ac sexies mille, computatis in siclum solidis triginta duobus, & denariis quinque.

ỷ. 53. UNUSQUISQUE QUOD IN PRÆDA RAPUERAT, SUUM ERAT. Consulendus est Versiculus 32. in quo sedulo distinguitur præda, quæ cederet privatis, ab altera, quæ collata in communem massam divisa est per medium. Singulis militibus permissum est quod sibi quisque in bello comparaverat. Conferre ea tantum jussi sunt, quæ speciem sui præberent majorem, uti greges, mancipia: aurum, argentumque vel grave vel in ornamenta deductum, privatis permissum est. Hanc autem prædam sibi partim servarunt, partim vero Moysi & Eleazaro dono dederunt: quæ tamen Præfectorum tantummodo liberalitas fuit.

(1) Jun. Malv. (2) ויתן את מכס תרומת יהוה לאלעזר Septuag. Ἔδωκε τὸ τέλος Κυρίῳ τὸ ἀφαίρεμα τοῦ Θεοῦ. (3) ולא נפקד ממנו איש (4) Καὶ οὐ διαπεφώνηκεν ἀπ' αὐτῶν οὐδὲ εἷς. (5) Papias: *Armilla propria virorum sunt, ab armorum virtute, quæ quondam virilia dicebantur, eadem & circuli & brachiales rotunda. Virilia ex vir*, & *armilla* ex *Armus*, pars superior brachii. (6) Vide Genes. XXIV. 22. 30. 47. & Ezech. XVI. 11. & XXIII. 42. (7) Ezech. XVI. 12. עגילים על אזניך (8) *Aurum colli sui, quod quidem murænulam vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente quadam ordinis flexuosi catena contexitur, absque parentibus vendidit.* (9) Vide Brisson. de Reg. Persar. l. 2. (10) Arrian. lib. 6. (11) . . . כל בלי מעשה הזהב Septuag. Πᾶν σκεῦος εἰργασμένον.

CAPUT XXXII.

Moyses sedes distribuit Tribubus Ruben, Gad, & Manasse, ea tamen conditione, ut trajecto cum ceteris Jordane, fratribus suis ad subigendam Chananitidem socias vires conjungant.

℣. 1. Filii autem Ruben, & Gad habebant pecora multa, & erat illis in jumentis infinita substantia. Cumque vidissent Jazer, & Galaad aptas animalibus alendis terras, 2. Venerunt ad Moysen, & ad Eleazarum sacerdotem, & principes multitudinis, atque dixerunt: 3. Ataroth, & Dibon, & Jazer, & Nemra, Hesebon, & Eleale, & Saban, & Nebo, & Beon, 4. Terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio uberrima est ad pastum animalium: & nos servi tui habemus jumenta plurima: 5. Precamurque, si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem. 6. Quibus respondit Moyses: Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis? 7. Cur subvertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus? 8. Nonne ita egerunt patres vestri, quando misi de Cadesbarne ad explorandam terram? 9. Cumque venissent usque ad vallem botri, lustrata omni regione, subverterunt cor filiorum Israel, ut non intrarent fines, quos eis Dominus dedit. 10. Qui iratus juravit, dicens: 11. Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto, a viginti annis, & supra, terram, quam sub juramento pollicitus sum Abraham, Isaac, & Jacob, & noluerunt sequi me, 12. Præter Caleb filium Jephone Cenezæum, & Josue filium Nun: isti impleverunt voluntatem meam. 13. Iratusque Dominus adversum Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur universa generatio, quæ fecerat malum in conspectu ejus. 14. Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa, & alumni hominum peccatorum, ut augeretis furorem Domini contra Israel. 15. Quod si nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet, & vos causa eritis necis omnium. 16. At illi prope accedentes, dixerunt: Caulas ovium fabricavimus, & stabula jumentorum, parvulis quoque nostris urbes munitas: 17. Nos autem ipsi armati, & accincti pergemus ad prœlium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Parvuli nostri, & quidquid habere possumus, erunt in urbibus muratis, propter habitatorum insidias. 18. Non revertemur in domos nostras, usque dum possideant filii Israel hæreditatem suam: 19. Nec quidquam quæremus trans Jordanem, quia jam habemus nostram possessionem in orientali ejus plaga. 20. Quibus Moyses ait: Si facitis, quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam: 21. Et omnis vir bellator armatus Jordanem transeat, donec subvertat Dominus inimicos suos, 22. Et subjiciatur ei omnis terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominum, & apud Israel, & obtinebitis regiones, quas vultis, coram Domino. 23. Sin autem, quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est, quin peccetis in Deum, & scitote, quoniam peccatum vestrum apprehendet vos. 24. Ædificate ergo urbes parvulis vestris, & caulas, & stabula ovibus, ac jumentis: & quod polliciti estis, implete. 25. Dixeruntque filii Gad, & Ruben ad Moysen: Servi tui sumus, faciemus, quod jubet dominus noster. 26. Parvulos nostros, & mulieres, & pecora, ac jumenta relinquemus in urbibus Galaad: 27. Nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu, Domine, loqueris. 28. Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, & Josue filio Nun, & principibus familiarum per tribus Israel, & dixit ad eos: 29. Si transierint filii Gad, & filii Ruben vobiscum Jordanem omnes armati ad bellum coram Domino, & vobis fuerit terra subjecta: date eis Galaad in possessionem. 30. Sin autem noluerint transire armati vobiscum in terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca. 31. Responderuntque filii Gad, & filii Ruben: Sicut locutus est dominus servis suis, ita faciemus: 32. Ipsi armati pergemus coram Domino in terram Chanaan, possessionem jam suscepisse nos confitemur trans Jordanem. 33. Dedit itaque Moyses filiis Gad, & dimidiæ tribui Manasse filii Joseph, regnum Sehon regis Amorrhæi, & regnum Og regis Basan, & terram eorum cum urbibus suis per circuitum. 34. Igitur extruxerunt filii Gad, Dibon, & Ataroth, & Aroer. 35. Et Ethroth, & Sophan, & Jazer, & Jegbaa. 36. Et Beth-nemra, & Betha-

Betharan, urbes munitas, & caulas pecoribus suis. 37. Filii vero Ruben ædificaverunt Hesebon, & Eleald, & Cariathaim, 38. Et Nabo, & Baalmeon versis nominibus, Sabama quoque: imponentes vocabula urbibus, quas extruxerant. 39. Porro filii Machir, filii Manasse perrexerunt in Galaad, & vastaverunt eam interfecto Amorrhæo habitatore ejus. 40. Dedit ergo Moyses terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitavit in ea. 41. Jair autem filius Manasse abiit, & occupavit vicos ejus, quos appellavit Havoth Jair, idest, Villas Jair. 42. Nobe quoque perrexit, & apprehendit Chanath cum viculis suis: vocavitque eam ex nomine suo Nobe.

Ṽ. 3. ATAROTH. Ejus nominis Urbes erant geminæ, altera scilicet *Ataroth* sine addito, altera vero *Ataroth Sophan* nuncupata in Hebræo, versiculi 35, quamquam in Vulgata legatur *Etharoth*, ac distinguitur a *Sophan*, tanquam illa duo essent adversarum Urbium nomina distincta. Septuaginta in secundo illo textu omiserunt *Ataroth*. Certus situs Urbis Ataroth, & Eteroth, vel Eteroth Sophan, ignoratur.

NEMRA, Inferius Ṽ. 36. sicut & Josue XIII. 27. appellatur *Beth-Nemra*. Jacebat in Tribu Gad (1), non Ruben, ubi eam collocat Eusebius; solet autem ad Jordanem constitui.

HESEBON. De hac, uti & de *Dibon & Jaser*, alibi actum est (2).

ELEALE. Vicus erat ingens, mille passibus ab Hesebone, teste Eusebio: sed qua in plaga jaceret, non docet. Hujus meminere Isaias (3) & Jeremias (4), cum in Moab vaticinantur.

SABAN, alio nomine *Sebam*, vel *Sebama*, vineis suis celebris (5). Ejus situs ignoratur, eamque inter Rubeniticas illam recenset Eusebius. Hanc iterum Moabitis paruisse, ex Prophetis Isaia & Jeremia intelligimus.

NEBO, vel *Nabo*. Hujus nominis Urbs pariter & mons innotuerunt. Mons *Nabo* vel *Nebo* portio erat montis Abarim. Urbs *Nebo*, quæ Rubenitis cessit, ab Hesebone, teste Eusebio, nonnisi VIII. M. passuum ad meridiem distabat. Rediit ad veteres dominos Moabitas, quibus Isaiæ ætate parebat (6).

BEON, Septuaginta, *Baian*. Nihil de illa Eusebius, nisi quod filiis Ruben traditam fuisse scribit. Eadem est facile ac Mehon, vel Baal-Mehon (7), vel Beth-Mehon (8), vel Beth-Baal-Mehon (9); quæ tria unius ejusdemque urbis sunt nomina. Beol-Mehon constituit Eusebius juxta montem transjordanicum, ubi tepentium aquarum sunt scaturigines. Has autem aquas collocat S. Hieronymus prope Baaram in Arabia. Distat Beel-Mehon XII. M. passuum ab Hebrone.

Ṽ. 7. CUR SUBVERTITIS MENTES? Hebræa vox לב את תניאון למה varie redditur: sed omnes hi sensus fere conveniunt cum Vulgatæ interpretatione. Hæc quidem historia repetitur in Deuteronomio I. 12, 13. 18, sed his adjunctis omnibus ac exprobrationibus omissis.

Ṽ. 11. SI VIDEBUNT &c. Ad literam: *Si vident*. Phrasis est jurisjurandi familiaris, quæ tacitum aliquid subinferri significat. Animadvertere licet frequentibus Scripturæ exemplis, odiosa & funesta sæpe reticeri. Similes jurisjurandi formulas habes in Psalmis. *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar* (10). *Sicut juravit Domino: Si introiero in Tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei*.

NOLUERUNT SEQUI ME. Hebræus אחרי מלאו לא *non compleverunt post me*: minus integra fide obsecuti sunt mihi (12). Vide quæ in similem phrasim disseruimus superius XIV. 24.

Ṽ. 12. PRÆTER CALEB FILIUM JEPHONE, CENEZÆUM. Unde nomen Cenezæi Calebo conciliatum est? Dissident Scriptores. Idem ipsi cognomen tribuitur in Libro Josue XIV. 6. eodemque in Libro XV. 17. Othoniel appellatur *filius Cenez, frater Caleb*. Hisce autem omnibus in eam opinionem ducimur, Jephone patrem Calebi nomen Cenez sibi pariter vindicasse, quamquam nullibi ita appellatus legitur. Reputari etiam posset, Calebum ejusque familiam, cum sedes habuissent sibi assignatas in regione antea a Cenezæis possessa, nomen Cenezæi traxisse, uti si quispiam e Britannia in Picardiam migret, Picardus a gentilibus suis appellatur. Si tamen hæc opinio adoptetur, reputare utique oportet, nomen Cenezæi aliena manu huic Textui adjectum fuisse; vel forte Calebum id sibi conciliasse cognomen ad castra in Cades-barne, statim ac Deus fidem illi suam obligavit collaturum se ipsi in hæreditatem e regione Cenezæorum portionem (13).

Ṽ. 15. QUOD SI NOLUERITIS SEQUI EUM &c. Hebræus ad literam: *Cum aversi fueritis a Deo, & ipse addet adhuc dimittere populum in deserto, & perdetis populum omnem hunc*. Reddi etiam posset ad sensum Septuaginta: *Avertetis vos a Domino, adjiciendo adhuc relinquere eum in deserto, & inique facietis in totam Synagogam hanc*.

Ṽ. 16. AT ILLI PROPE ACCEDENTES. Filii Ruben & Gad, intelligentes Moysem ingratis auribus hæc accepisse, primo receperunt sese, rati illum postulata facere recusaturum: dein vero ex ejus sermone inferentes, illum ideirco ipsorum voluntati adversari, quod reputaret nolle illos trajicere cum fratribus suis Jordanem, propiores iterum facti, testati sunt, se ad omnia, quæ juberentur, promptos fore atque paratos.

PARVULIS NOSTRIS URBES MUNITAS. Restituemus veteres Urbes, quæ olim Amorrhæis paruerunt, & quæcumque sarcienda sunt, sarciemus. Cum verbis compositis careant Hebræi, *ædificare* ponunt pro *reædificare*. Nunquam utique fieri poterat, ut brevi duorum mensium spatio vel novæ urbes coaderentur, vel eversæ penitus restituerentur; quas olim Amorrhæi tenuerant, quassatæ quidem, sed non eversæ jacebant.

Ṽ. 17. PROPTER HABITANTIUM INSIDIAS. Metuendi illis Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, ac Madianitarum & Amorrhæorum reliquiæ. Optima etiam politica ratio poscebat, ut recens occupata Provincia incolis non destitueretur, ne regressi hostes jure postliminii iterum illam sibi vindicarent. Cum autem e Tribubus Ruben, Gad, & dimidia Manasse quadraginta solummodo virorum millia Jordanem trajecissent (14), in occupata regione subsliterunt LXX. M. ac sexcenti octoginta viri, præter fœminas & adolescentes viginti annis minores; postremo enim in censu Tribus illæ omnes numerum implebant centum decem millium, quingentorum ac octoginta virorum (15).

Ṽ. 19. TRANS JORDANEM. Hebræus: *Trans Jordanem*,

(1) Josue XIII. 24. 27. (2) Num. XXI. 25. & 30. & 32. (3) Isai. XV. 4. & XVI. 9. (4) Jerem. XLVIII. 34. (5) Isai. XV. & 2. Jerem. XLVIII. 32. (6) Isai. XV. 2. (7) Numer. XXXII. 38. & Ezech. XXV. 2. (8) Jerem. XLVIII. 23. (9) Josue XIII. 17. (10) Psal. LXXXVIII. 36. (11) Psalm. CXXXI. 2. 3. (12) Gloss. (13) Vide Josue XIV. 6. (14) Vide Josue IV. 13. (15) Num. XXVI.

danem, & ultra. Nec in ea regione, nec alibi, si quid ex illis jure armorum subigatur.

℣. 20. CORAM DOMINO. Coram Arca, sub auspiciis Domini & ductu. Vel: Ope & auxilio Domini.

℣. 21. OMNIS VIR BELLATOR. Quadragiota tantum millia, uti animadversum est; nec facile Josue majorem numerum exegit. Totios agminis frontem constituebaot, atque omnium primi Jordanem trajecerunt.

℣. 25. FILIIS GAD ET RUBEN. Nihil hic de dimidia Tribu Manasse, sive quod Moyses illam cum duabus reliquis comprehenderit, sive quod ea media Tribus nonnisi deinceps junxerit sese Ruben & Gad.

℣. 26. IN URBIBUS GALAAD. Inditum est huic regioni nomen Galaditidis, quamquam vere nonnisi modica hujus portio id sibi nomen vindicabat: sed denominationes ejusmodi ad arbitrium sunt. Vide infra ℣. 39.

℣. 30. SIN AUTEM NOLUERINT TRANSIRE Jordanem vobiscum, ne patiamini, ut portionem suam trans amnem obtineant: cogite in Chanaanitidem venire, illamque armis subigere; tunc autem debitam sibi hæreditatem, sicut & reliqui fratres, accipiant. Fusiores sunt hoc loco Septuaginta, quam Hebræus & Vulgata. *Si autem non transierint armati vobiscum in prælium ante Dominum; & traducetis impedimenta eorum, & uxores eorum & pecora eorum priora vobis in terram Chanaan, & cohæreditabunt in vobis in terra Chanaan.*

℣. 34. ATAROTH, AROER, ET ETROTH, AT SOPHAN. Hebræus, Samaritanus, Syriacus, & Arabs legunt: *Ataroth, & Aroer, & Etroth Sophan*. Septuaginta pro *Ataroth* habent *Astaroth*, & omittunt *Etroth*. Sunt qui unicam faciant ex Ataroth & Etroth; sunt qui distinguant. Prior illa urbs appellatur tantum *Ataroth*, altera vero *Etroth Sophan*. Utriusque situs incertus est; sed Sophao eadem est facile ac Saphon (1), cui forte nomen ex Saphon filio Gad, cujus meminere Numeri XXVI. 15.

AROER jacet ad Arnon (2), colebaturque primitus ab Emim; hisque pulsis a Moabitis, Moabitæ vicissim ab Amorrhæis fugati sunt. Ex Amorrhæis ad se derivarunt Israelitæ; sed tandem post adductas in captivitatem Tribus Ruben & Gad, ad Moabitas veteres Dominos rediit. Ætate Jeremiæ (3), a Moabitis tenebatur.

℣. 35. JEGBAA. Hujus urbis non meminerunt Septuaginta, adeoque nec Eusebius; quare certus ejus situs ignoratur. Recurrit de illa sermo in historia Gedeonis (4), in qua cum *Nobe* jungitur. Si posterior hæc eadem fuit ac *Nebo* vel *Nabo*, id ad certum Jegbaæ circiter situm determinandum ducit. In eodum Judicum loco legimus, Gedeonem institisse fugientibus Madianitis per viam, quæ ad Arabes Scenitas in tentoriis viventes ducebat. Porro Arabes illi sedes habebaot mari mortuo Orientales. Vide quæ continuimus superius in ℣. 3. cum de Nebo egimus. Mihi quidem *Jegbaa* est ipsa *Beon* ℣. 3. Recurrunt enim hic urbes omnes ibi recensitæ, levi solummodo nominum discrimine.

℣. 36. BETH-NEMRA, eadem est ac *Nemra*. Vide ℣. 3.

BETHARAN. Tradunt Eusebius (5) & S. Hieronymus, urbem hanc Herodem magnum restaurasse, restauratamque *Libiadem* vel *Liviadem* in honorem Augusti appellasse. Egregie autem demonstrat Cellarius (6), magis meridionalem esse, quam adscribitur in Tabulis Geographicis, & constitui oportere ad meridiem Hesebonis, & ad Orientem Maris Mortui. Bethamnaram a Betharam distinguere videtur Eusebius (7), qui priorem illam V. M. passuum a Liviade septemtrionem versus constituit: sed utramque ego unicam esse arbitror.

℣. 37. HESEBON ET ELEALE ET CARIATHAIM. De Hesebone & Eleale jam superius disseruimus. Ad *Cariathaim* quod attinet, docet Eusebius, ætate sua appellatam fuisse *Cariadam*, vel juxta S. Hieronymum, *Corojatham*. Christianis incolis frequentabatur, distabatque a Medaba X. M. passuum Occidentem versus. Meminit hujus Jeremias, qui & illi addit epithetoo *Excelsæ* (8).

℣. 38. NABO, ET BAALMEON, VERSIS NOMINIBUS, SABAMA QUOQUE. Jam obiter animadvertimus levia quædam nominum earum urbium discrimina. Nabo, Nebo, & Nobe eadem facile urbs sunt; de qua nos superius disseruimus. *Baal-Meon* eadem est ac Baal-beth-Meon, Beth-Meun, Meon, & facile etiam Beon & Baia, vel *Jeg-baa*. De omnibus hisce urbibus, vel potius de una eadem, quæ varia hæc nomina in se conciliat, jam supra actum est. Tandem *Sabama* optime componitur cum Seban, vel Saban, vel Sophan, de quibus actum est supra. Hebræi jure victoris, & domini Urbibus illis a se restauratis nova nomina imposuerunt. Textus Hebræus (9) innuere potest, singulos, qui restituere illas Urbes susceperunt, nomina illis sua indidisse. Hanc expositionem præfert Targum Jerosolymitanum: *Imposuerunt illis nomina, juxta nomina virorum, qui illas ædificarunt*; confirmaturque ea versiculo 42. ferente, Nobem nomen indidisse suum urbi, antea Chanath appellatæ: *Apprehendit Chanath*.... *vocavitque eam ex nomine suo, Nobe*. Neque tamen propterea cessatum est ab iis sæpe veteri nomine appellandis (10).

℣. 39. PERREXERUNT IN GALAAD. Ea, in qua tunc versabantur, Regio appellata est interdum Galaaditis. In hoc, quod exponimus, capite ℣℣. 6. & 29. oomine Galaad tota late hæreditas filiorum Israelis trans Jordanem censetur; re tamen vera Regio Galaad non occupabat nisi portionem tractus, qui dimidiæ Tribui Manasse & Tribui Gad cessit. Maspha Galaad in medio ejus regionis, ex longitudine sumptæ, jacebat.

℣. 40. DEDIT MOYSES TERRAM GALAAD MACHIR FILIO MANASSE. Usurpatur hic Galaad arctissimo plane sensu pro regione filiis Machir assignata. Cum autem hic narrat Moyses, hanc regionem Machir traditam fuisse a Moyse, dicta hæc accipienda sunt de posteris ejusdem viri; si enim Machir vixisset adhuc, quæ nonnullorum fuit persuasio, vitam prorogasset ultra CCL. annos, quod pro ejus ætatis hominibus fidem superat.

In Genealogia Manasse implexa sunt aliqua, quæ hic commode explicare juvat. Legimus in Paralipomenis (11), Manasse duos liberos genuisse, nimirum Esriel, & Machir; e Machir nati sunt Phares, & Sares; e Sares, Ulam, & Recen; ex Ulam, Badan. Hæc in septimo primi Paralipomenon. Sed in primo ejusdem libri (12), Esron e Tribu Juda uxorem adscivit filiam Machir, ex qua Segub, pater Jair. Tandem in 1. Par. VII. 15. assignari videntur ipsi Machir in filios Happhim, & Sa-

(1) Josue XIII. 27. (2) Deut. II. 36. & 4. Reg. X. 33. (3) Jerem. XLVIII. 19. (4) Judic. VIII. 11. (5) In locis ad Betharam, de libro Jesu. (6) Cellar. l. 3. c. 13. (7) Euseb. in Beth-ramnaram libri Num. (8) Jerem. XLVIII. 1. juxta Hebr. (9) ויקראו בשמות את שמות הערים אשר בנו (10) Bonfr. Malv. Vide Jos. XIII. Isai. XV. XVI. Jerem. XLVIII. Ezech. XXV. (11) 1. Par. VII. 14. *Porro filius Manasse, Esriel, concubinaque ejus Syra peperit Machir patrem Galaad.* ℣. 16. *Et peperit Macha uxor Machir filium, vocavitque nomen ejus Phares. Porro nomen fratris ejus Sares, & filii ejus Ulam & Recen.* (17.) *Filius autem Ulam, Badan.* (12) 1. Par. II. 21. *Ingressus est Hesron ad filiam Machir patris Galaad, & accepit eam cum esset annorum sexaginta, quæ peperit ei Segub.* (22.) *sed & Segub genuit Jair.*

& Saphan, & Salphaad: *Machir autem accepit uxores filiis suis Happhim, & Saphan, & habuit sororem nomine Maacha; nomen autem secundi, Salphaad*. Quamquam io aliis Catalogis Genealogicis (1) Salphaad semper adscribitur filius Hepher, nepos Galaad, & abnepos Machir. Taodem in Josue XVII. filii Manasse septem, vel octo recenseotur.

Ut varia hæc io speciem repugnantia concilientur, animadvertere juvat, familiare esse Scripturæ, ut communi filiorum nomine censeantur etiam remotiores posteri, successores, filii, vel adoptione tantum, vel qui ooo jure quidem generatioois, sed Legis sanctione pertinent, uti cum viri alicujus, qui filiis carens decesserit, vidua ejus uxor ducitur a fratre defuncti, ut illi suscitet liberos. Tandem filiorum oomen tribuitur ioterdum locis, quæ a posteris alicujus incoluntur. Ita Scriptura filios Manassi assignat posteros omnes e Machir filio ipsius prognatos, iidemque, qui filii Machir, & filii pariter Manassis appellantur. Constat utique, Manassi unicum fuisse hæredem Machir: quin nec alios genuisse liberos videtur; Esriel enim, de quo in Paralipomenis, vel sine liberis decessit, vel uous est ex nepotibus Machir, uti licet inferre e Numeris XXVI, 31. & ex Josue XVII. 2. ubi *Asriel*, vel *Esriel* tanquam ex filiis Galaad unus recensetur.

℣. 41. JAIR FILIUS MANASSE. En argumentum, id probans, quod supra a oobis affirmatum est, nimirum nomine filiorum designari ioterdum oepotes, vel aboepotes, vel posteros tantum. Scitum est inter omoes, Jair patrem habuisse Segub, avum Esrbnem, abavum Machir filium Manassis; cum enim Machir filiam suam ouptum dedisset Esroni e Tribu Juda, ex illis parentibus natus est Segub, pater Jair. Posterior iste sequutus est Tribum Manasse, uode seu ex matre, seu ex avia trahebat originem; vindicavitque sibi jure armorum e regione Galaad portionem, intra sortem Maoassis contentam. Reputarunt nonnulli, uxorem adscivisse illum e filiabus Machir, ejusque connubii jure (2) Urbes illas occupasse.

HAVOTH-JAIR, IDEST, VILLAS JAIR. Nomeo *Havoth-Jair* חות יאיר sermooem purum Hebræum non refert. Contendit autem Bochartus (3), coaluisse hos vicos e collectis simul in rotundum spatium Arabum more tentoriis. Alibi vero Scriptor idem (4) censet, casas fuisse Arabum simul uno io gyrum complexu collectas. Ita pariter & Ludovicus de Dieu de casis Arabum exponit. Quæ illorum opinio repetitur e vernaculo Arabum sermone, ubi vocis hujus *Havot* radix reperitur. Hebræus: *Jair filius Manasse ivit* [in Galaad], *& accepit havot eorum; & vocavit eas Havoth-Jair*.

℣. 42. NOBE . . . . . . APPREHENDIT CHANATH. Urbs *Chanath* recensetur in Paralipomenis inter Urbes Jair, sive quod Nobe ductu, & auspiciis Jair illam domuerit, sive quod post ejus obitum in jus posterorum Jair transiverit.

(1) Num. XXVI. 29. 33. & XXVII. 1. & Josue XVII. 3.
(2) Vide Selden. lib. de success. in bona c. 18.
(3) Boch. de animal. sacr. parte 1. l. 2. c. 44.
(4) Idem, Phaleg l. 4. cap. 29.

CAPUT XXXIII.

Stationes Israelitarum in deserto, ab exitu ex Ægypto, quousque pervenerunt in agrum Moabiticum. Exterminium Chananæorum Deus populo imperat.

℣. 1. HÆ sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto per turmas
suas in manu Moysi, & Aaron. 2. Quas descripsit Moyses juxta castrorum loca, quæ Domini jussione mutabant. 3. Profecti igitur de Ramesse mense primo, quintadecima die mensis primi, altera die Phase, filii Israel in manu excelsa
videntibus cunctis Ægyptiis. 4. Et sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus (nam & in diis eorum exercuerat ultionem) 5. Castrametati sunt in Socoth.
6. Et de Socoth venerunt in Etham, quæ est in extremis finibus solitudinis. 7. Inde egressi venerunt contra Phihahiroth, quæ respicit Beelsephon, & castrametati sunt
ante Magdalum. 8. Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem: & ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati sunt in
Mara. 9. Profectique de Mara venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, & palmæ septuaginta: ibique castrametati sunt. 10. Sed & inde egressi, fixerunt tentoria super mare rubrum. Profectique de mari rubro. 11. Castrametati sunt
in deserto Sin. 12. Unde egressi, venerunt in Daphca. 13. Profectique de Daphca, castrametati sunt in Alus. 14. Egressique de Alus, in Raphidiim fixere tentoria, ubi populo defuit aqua ad bibendum. 15. Profectique de Raphidiim, castrametati sunt in deserto Sinai. 16. Sed & de solitudine Sinai egressi, venerunt ad sepulchra concupiscentiæ. 17. Profectique de sepulchris concupiscentiæ, castrametati
sunt in Haseroth. 18. Et de Haseroth venerunt in Rethma. 19. Profectique de
Rethma, castrametati sunt in Remmomphares. 20. Unde egressi, venerunt in Lebna.
21. De Lebna, castrametati sunt in Ressa. 22. Egressique de Ressa venerunt in
Ceelatha. 23. Unde profecti, castrametati sunt in monte Sepher. 24. Egressi de
monte Sepher, venerunt in Arada, 25. Inde proficiscentes, castrametati sunt in Ma-

ceio-

celoth. 26. Profectique de Maceloth, venerunt in Thabath. 27. De Thabath, castrametati sunt in Thare. 28. Unde egressi, fixere tentoria in Methca. 29. Et de Methca, castrametati sunt in Hesmona. 30. Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth. 31. Et de Moseroth, castrametati sunt in Benejaacan. 32. Profectique de Benejaacan, venerunt in montem Gadgad. 33. Unde profecti, castrametati sunt in Jetebatha. 34. Et de Jetebatha venerunt in Hebrona. 35. Egressique de Hebrona, castrametati sunt in Asiongaber. 36. Inde profecti, venerunt in desertum Sin, hæc est Cades. 37. Egressique de Cades, castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus terræ Edom. 38. Ascenditque Aaron sacerdos in monte Hor, jubente Domino: & ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis Israel ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis, 39. Cum esset annorum centum viginti trium. 40. Audivitque Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, in terra Chanaan venisse filios Israel. 41. Et profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona. 42. Unde egressi, venerunt in Phunon. 43. Profectique de Phunon, castrametati sunt in Oboth. 44. Et de Oboth venerunt in Jeabarim, quæ est in finibus Moabitarum. 45. Profectique de Jeabarim, fixere tentoria in Dibongad. 46. Unde egressi, castrametati sunt in Helmondeblathaim. 47. Egressique de Helmondeblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo. 48. Profectique de montibus Abarim, transierunt ad campestria Moab, supra Jordanem contra Jericho. 49. Ibique castrametati sunt de Bethsimoth usque ad Albesatim in planioribus locis Moabitarum, 50. Ubi locutus est Dominus ad Moysen. 51. Præcipe filiis Israel, & dic ad eos: Quando transieritis Jordanem: intrantes terram Chanaan, 52. Disperdite cunctos habitatores terræ illius: confringite titulos, & statuas comminuite: atque omnia excelsa vastate, 53. Mundantes terram, & habitantes in ea, ego enim dedi vobis illam in possessionem, 54. Quam dividetis vobis forte. Pluribus dabitis latiorem, & paucis angustiorem. Singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. Per tribus, & familias possessio dividetur. 55. Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ; qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, & lanceæ in lateribus, & adversabuntur vobis in terra habitationis vestræ. 56. Et quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.

℣. 2. QUAS DESCRIPSIT MOYSES. Hebræus totius hujus versiculi ita redditur ad literam: *Et scripsit Moyses exitus eorum & profectiones eorum, juxta os Domini. Et istæ profectiones eorum, & exitus eorum*; idest, omnia ea loca, unde moverunt, vel qua inter eundum transiere. Minime reputandum est, Moysem hic nomina omnia recensuisse locorum, quibus castrametati sunt, vel qua transierunt. Stationes tantum memorat insigni aliquo eventu celebres, uti & nomina Urbium, quarum in agro substitit. Profecto in ea regione, ubi rarissimæ sunt urbes, uti de Arabia Petræa constat, totumque ferme agri tractum occupant deserta, non ita frequens occurrit locus aliquis memorabilis, vel peculiari nomine commendandus. Posteritatis memoriæ servavit Moyses nomina desertorum quorumdam, celeberrimarumque Urbium, penes quas longior a populo mora tracta est. Reputemus etiam oportet, Israelitas lento admodum agmine processisse, nunquam non indagantes loca aquis, & pascuis sibi, & gregibus commoda; neque enim Deus assiduo prodigiorum famulatu illis serviebat.

Quod autem in hac re arduum occurrit maxime, illud est, nimirum unum idemque loci nomen scribi, & pronunciari varia ratione. Hinc factum est, ut diversa inter se loca non semel confunderentur, & unica sæpe urbs distingueretur in plures. Enitemur pro viribus, ut varios illos Textus, idem sæpe nomen referentes, conciliemus, & partem hanc Scripturæ hue usque neglectam curemus.

℣. 3. PROFECTI DE RAMESSE. E florentissimis Regionis Gessen unam hanc Urbem esse reputamus. Eo se receperunt Israelitæ, ut inde profectionem suam ducerent. Constituenda est viginti leucis circiter ab extrema ora, vel cuspide Maris Rubri. Vide Exodum I. 11.

℣. 4. IN DIIS EORUM EXERCUERAT ULTIONEM. Vide quæ disseruimus in Exodo XII. 12.

℣. 6. SOCCOTH ET ETHAM. De utroque hoc loco actum est in Exodo XIII. 20. Legunt Septuaginta: *Soccoth & Buthan*. Buthan utique reputanda est urbs Butum, de qua Herodotus (1), quam & constituit in Arabia ad Ægypti fines, in valle quadam montibus Arabiæ subjecta.

℣. 7. BEEL-SEPHON. Ipsissimam credimus urbem Clysma, vel Colaan, juxta quam Hebræi Erythræum transfretarunt.

℣. 8. DESERTUM ETHAM. Idem & Desertum Sin appellatur in Exodo XV. 22.

MARA, ubi Moyses ingratum aquarum saporem, injecto in aquam ligno, correxit. Constituendum hunc locum censemus viginti leucis circiter infra extremam cuspidem Maris rubri, in plaga meridionali.

℣. 9. ELIM. Idem est forte locus ac nemus palmarum, quod Straboni quinque dierum itinere distat a Jerichunte in Arabia Petræa. Vide quæ contulimus ad Exodi XV. 27.

℣. 10. SUPER MARE RUBRUM. Stationem hanc omittit Caput XVI. Exodi.

Desertum Sin, de quo hic, & in Exodo XVI. 1. ac XVII. 1. aliud est plane a Deserto *Sin* vel *Zin*, de quo in Numeris XX. 1. & X. 36. & alibi sæpe. Postremum hoc terræ promissionis adjacebat; cum vicissim Sin alterum vicinius esset Sinai. Demonstratum est alibi, Cades vel Cadesbarne sitam fuisse in Deserto Zin.

℣. 12.

[1] Herodot. l. 2. c. 75.

℣. 12. Daphca. Stationem hanc Moyses in Exodo omittit. Septuaginta legerunt *Raphca*, nec alio sub nomine recenset Eusebius in suo Libro de Locis Hebraicis.

℣. 13. Alus. Frustra hoc pariter nomen quæras in Exodo. Nota sunt autem in Arabia Petræa, *Allus Elysa*, vel *Lysa*. Sunt qui geminas urbes constituant; quarum vel alterutra ædificata fuit, vel eadem quæ prior, restituta, opera Chananæi cujusdam e Bethel, Judicum ætate (1). Vide Eusebium & Ptolemænm in *Allus*.

℣. 15. Raphidim et Sinai. De utraque hac statione vide quæ contulimus ad Exodi xvii. 1. & xix. 1.

℣. 16. De solitudine Sinai egressi venerunt ad Sepulchra concupiscentiæ. Jam in caput x. 33. animadvertimus, spatio trium dierum prorogatum fuisse iter, antequam ad Sepulchra Concupiscentiæ perveniretur; sicut & stationem illam præcessisse alteram, facile in loco, qui appellatus est *Incensio*, cujus meminit caput xi. 3. hujus Libri. Illud tamen non suscipimus negotii, arduum plana & impossibile, ut certus harum stationum situs determinetur.

℣. 17. Hazeroth. Locus hic non procul a Cades-barne removendus est. Eumdem credimus ac Aserim, vel, uti legunt Septuaginta, *Hazeroth*, quo ex loco ad usque Gazam regio Hevæorum porrigebatur (2). Vox Hebræa *Hazerim*, vel *Hazeroth*, sonat vicos vel castella muris non clausa, qualia potissimum apud Arabes obtinebant, uti non uno Scripturæ Textu docemur (3). Si quis autem certum aliquem locum nomine *Hazoth*, vel *Hazeroth* designatum voluerit, illi commodum erit hunc ipsum componere cum *Asor*, quæ florentissima erat (4) omnium urbium tractus meridionalis regionis Chanaan. *Asor* & *Cades* ceu propinquas urbes constituit Josue (5). Asor alio nomine appellatur *Esron* (6), atque Tribui Juda cessit in partes.

Nihil hic Moyses de Cades-barne, quamquam statio est, post stationem ad Sinai, omnium celeberrima. E Cades-barne exploratores ad inspiciendam Chananitidem missi sunt. Eo venisse Israelitas scribit Moyses post undecim dierum iter e monte Horeb. Narrat eodem capite, ℣. 46. (7), populum diuturnam ibi moram traxisse. Jam alibi demonstratum est, eamdem esse Cades & Cadesbarne, sitam in deserto Zin, in finibus Idumææ, non procul ab Asor.

℣. 18. Rethma. Frustra alibi in Scriptura nomen hoc loci quæras. Sonat autem *Rethma* juniperum. Septuaginta legunt *rathanim*. Aquila vertit juniperum, Symmachus (8) umbraculum.

℣. 19. Remmom-Phares. Locus est, perinde ac superior, ignotus.

℣. 20. Lebna. Urbis hujus, sitæ in plaga meridionali ditionis Juda, sæpius mentio in Scriptura occurrit. Ad Eleutheropolim Eusebius & S. Hieronymus collocant. Sed multo ulterius ad meridiem sitam fuisse credimus. Arx erat validissima, cum Sennacherib illam obsidione cingendam censuerit (9). Nihil obstare putamus, quominus credantur Hebræi castrametati fuisse in adjacente ejusdem urbis agro, cum Moyses affirmet ambiendo montes Sehir longiorem temporis ac itineris moram populum impendisse (10). Cum vero situs proximarum aliarum stationum inspicitur, Lebna media reperitur inter Cades-barne & Gazam, uti ex Josue x. 29. constat.

℣. 21. Ressa. Cum nuspiam alibi in Scriptura nomen hoc loci occurrat, id in causa est, cur certus ejus situs determinari ægre admodum possit. Cum nomine Ressa affinitatis habent aliquid Geressa & Caphar-Orsa in Arabia. Opinatur Grotius (11), Caphar-Orsa nomen derivare suum e Caphtorim, qui omnem tenuerunt regionem *ab Hazerim*, vel Aseroth, *usque ad Gazam*. Scribit Josephus (12) Antigonum soluta obsidione Massadæ, cepisse arcem Ressæ; atque in vita S. Hilarionis legimus, totam urbem Ressam, Gazam inter & Cades constitutam, ejus opera ad Christum venisse. Urbis *Rissch*, vel *Riche*, in itinere ex Ægypto Gazam, meminit Tevenothius parte 11. capite 35. Vide Renaudot in liturgiis Orientalibus l. 1. pag. 445. Est facile urbs Arich sive Arischa, aut Laris, quam Guillelmus Tyrius ad mare solitudinis filiorum Israel constituit.

℣. 22. Celatha. Hic locus vel latet penitus, vel forte idem est ac *Ceilath*, cujus sæpe nomen recurrit in primo Regum xxiii. Sed Ceilat in continente remotior erat, quam par sit. Hanc statuit Eusebius ad Orientem Eleutheropolis, Hebronem euntibus.

℣. 23. In monte Sepher הר שפר. Hunc montem, cujus nullibi usquam Scriptura meminit, ignoramus. Insedisse illi crediderim קרית ספר Cariat Sepher, vel Urbem Sepher; nisi discrimen duo hæc nomina scribendi obstaret.

℣. 24. Arada. Eamdem censemus ac Adar, cujus meminit Josue in descriptione limitum meridionalium Chanaanitidis. Scribit enim ille, lineam, qua hæc regio ex eo latere ab Arabia distinguitur, duci (13) per Sinam, Cades-barne, Esron [vel Haseroth] Adar, & Carcaam. Ita ferme fines ipsos describit Moyses (14), lineam eamdem repetens ex *Acrabim*, vel *Ascensu scorpionis*, deducensque per Cades-barne, Adar, Asemonam. Quæ hic Arada, alibi a Josue appellatur *Herad*, atque a Lebna non procul constituitur. Mihi quidem probatur, eamdem esse urbem cum ea, quæ in Genesi xvi. 14. *Barad* nuncupata est. Affirmat Moyses, puteum Videntis & Viventis situm fuisse inter Cades & Barad. Rex Arad petiit infestis armis Israelitas, cum in Desertum Cades secundo venerunt, & *Hormam* usque insecutus est (15). Est Arad Eusebio locus juxta Desertum Cades, xx. millibus passuum ab Hebrone, & xl. a *Malati*, vel *Malata*, eadem facile ac Maceloth, de qua in proxime sequenti versiculo.

℣. 25. Maceloth. Silet hanc quidem urbem alibi Scriptura, sed meminit sæpe Eusebius cum S. Hieronymo (16), meminit, inquam, Malatis, vel Malatæ urbis, iv. m. passuum ad Arad, & xx. m. ab Hebrone. Ego quidem minime distinguendam hanc urbem censeo a *Molada*, de qua Josue xv. 26. Urbe in ditione Juda, neque alia facile a Maliatta Ptolemei. Vide quæ contulimus in Josue, agentes de Beth felet.

℣. 26. Thahath. Locus hic inter ignotos nobis est ignotissimus.

℣. 27. Thare. Locus incognitus. *Cletarro* locus ejus regionis occurrit apud Ptolemæum.

℣. 28. Methca. Eadem ne ac *Moca*, urbs Arabiæ Petrææ ex Nummo Antonini pii nota? (17)

℣. 29. Hesmona, Urbs limitropha inter Ægyptum & Tribum Juda (18), in plaga maxime meridionali ejusdem Tribus sita. Asemonam appellat Moyses sequenti capite, quo nomine in Scriptura magis innotescit (19).

℣. 30. 31. 32. Moseroth, Bene-Jaacan, Gadgad. Horum locorum certum situm ignoramus; quin & altero ab eo, quem nunc tenent, ordine recen-

(1) Judic. 1. 16. (2) Deut. 11. 23. (3) Genes. xxv. 16. Isai. xlii. 11. (4) Josue xi. 10. *Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat.* (5) Josue xv. 3. & 23. & 24. collatum cum Deut. xxxiv. 4. (6) Ibid. 25. (7) Ibid. ℣. 2. (8) Apud Euseb. in locis. (9) 4 Reg. xix. 8. (10) Deut. 11. 1. (11) Grot. in Deut. 11. 23. (12) De Bello l. 1. c. 12. (13) Josue xv. 3. (14) Josue xii. 14. (15) Num. xxi. 1. (16) Vide Euseb. in locis Heb. ad Asason Thamar & Arad. (17) Apud Cellar. lib. 3. cap. 14. Arabiæ. (18) Euseb. & Hieron. in locis Heb. (19) Num. xxxiv. 4.

recensitos legimus in Deuteronomio x. 7. *Filii Israel moverunt castra e Beroth filiorum Jacan* [vel *e Beroth-Bene Jacan*] *in Mosera, ubi Aaron mortuus est ac sepultus. Inde venerunt Gadgad*. Non immerito suspicamur, in alterutro ex his Textibus transpositionem aliquam unius voculæ irrepsisse. Jam alibi scriptum legimus (1), Aaronem diem clausisse in monte Hor; sed fortasse castra habita fuere in loco *Mosera* appellato, & monti huic subjecto. Non tamen in eo, quod describimus, itinere, Aaron decessit, sed potius in reditu, cum scilicet Hebræi iterum eamdem stationem, Moseram, tenuerunt, seu potius cum in eadem regione Moseroth mensi sunt castra; verisimillimum enim est, in hac statione non adeo ad montem Hor accessisse. Occurrit urbs *Massarta* circa Petram in Arabia; nec incongrue confunditur cum *Moseroth* vel *Mosera*. Ponimus autem cum plerisque Interpretibus, *Moseroth* & *Mosera* vel unum omnino, vel duo fuisse loca propinqua.

Gadgau. Certus situs hujus montis Gadgad ignoratur. Hebræus nostræ ætatis legit חר גדגד, *ad valles Gadgad*. Verum Septuaginta, uti & Vulgata, legunt הר גדגד *Montem Gadgad*. Origenes (2) habet *Galgat*. *Gadgad* & *Gadgada* distinguit Eusebius; nos vero easdem censemus: sed ille neutrius loci situm definit. Eamdem posuisse videtur Gadgadam cum Jetabata, dum scribit, locum esse irriguum aquarum torrentibus; quæ propria sunt Jetabatæ, stationis statim post Gadgad succedentis, apud Moysem.

℣. 33. Jetabatha. Idem ne locus, ac Sepulchra Concupiscentiæ? Scribi posset עיי התאוה *Je-Taabuba*, *Tumuli Concupiscentiæ*. De loco hoc nihil scimus aliud, quam quod uberi aquarum vena dives fluxerit (3). Septuaginta legunt *Thabata*.

℣. 34. Hebrona. Locus incognitus.

℣. 35. Asiongaber. E re futurum censemus, si certus statuatur situs hujus loci, cujus sæpe mentio occurrit in Scriptura, ut scilicet ea, quæ hic dicturi sumus, valeant pro reliquis Textibus, idem nomen referentibus. Jam alibi (4) animadversum est, Scriptoribus quibusdam eam sedisse opinionem, Asiongaber urbem fuisse ad Mediterraneum, eamdem cum *Gasion-Gaber*, vel *Gabria* Strabonis, & *Beto-Gabria* Ptolemæi. Sed aperte nimis Scriptura constituit Asiongaber ad Idumæam, & ad Mare Rubrum (5), ut ea plane invita alibi quæratur.

Eusebio, & S. Hieronymo urbs est *Elat* Mari Rubro proxima, quam ætate sua appellatam ferunt *Asiam*, vel *Esiam*: sed cum Elat describunt, non satis perspicue docent, an jaceret Urbs illa ad ramum illum Maris Rubri, qui propius ad Ægyptum accedit, appellaturque Sinus Suez; an potius immineret alteri ramo ejusdem maris, quem Elaniticum Veteres nuncupabant. Affirmat Josephus (6), Asiongaber ætate sua *Berenicem* appellatam fuisse, urbem Elanæ satis proximam: sed cum ejusdem nominis ea ætate non una fuerit urbs, neque idem Scriptor situm ejus, de qua loquitur, determinaverit, nihilo nos instructiores reddit. Isaacus Vossius *in Melam*, ac post illum Berkelius, putarunt, Asiongaber vel Berenicem adjacuisse lateri Orientali Sinus Suez, quem Heroopoliticum Veteres appellarunt. Cellario contraria omnia probantur, rato Urbem Berenicem, de qua Mela, aliam esse plane ab ea, quam Josephus ab Asiongaber non distinguit; atque Asiongaber jacuisse ad Sinum Elaniticum, cum vicissim Berenice Melæ ad Sinum Heroopolitanum, Ægyptum versus, idest, ad litus Occidentale ejusdem Sinus pertineret.

Hæc vero sententia nobis præ cæteris probatur; reputamus enim, Israelitas moventes ex *Hebrona*, venisse in Elat, vel Elan, tum Asiongaber, urbem facile ad extremam oram Sinus Elanitici. Elat hic quidem non meminit Moyses, sed defectum supplet in Deuteronomio 11. 8. *Per viam campestrem de Elat, & de Asiongaber venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab*.

℣. 36. In desertum Sin, hæc est Cades. Jam sæpius monuimus, Desertum Sin, vel Zin longe aliud esse a deserto Sin ad Mare Rubrum. Demonstrare etiam conati sumus, Cades, & Cadesbarne sive unum esse eumdemque locum, sive jacuisse ambo in deserto Zin. Nunc autem secundo venerunt Israelitæ in Cades, sed non eundem, ac prius, locum castris metandis elegerunt. Primo enim adventu diuturnam traxerunt in Cadesbarne moram, nullam aquarum penuriam experti; secundo vero, aquarum penuria coacti, abierunt in murmur, & Moyses aquas expressit e silice. Est autem hic Statio ad Aquas Contradictionis, rei eventu celebris. Ibi pariter Maria soror Moysis diem clausit (7); ac Moyses per legatos suos a Rege Idumææ transitum postulavit, & passus est repulsam (8).

℣. 37. Hor. Hunc montem constituamus oportet in Idumæa, ibi circiter, unde patet transitus ex Arabia, vel Idumæa in Chanaanitidem. Nomeo stationis, quæ tenebatur ad radices montis Hor, Moseram fuisse docemur ex Deuteronomio x. 6. Cum Israelitarum quidam in ditionem Regis Arad invasissent, ille hostes aggressus, & insecutus est: sed Hebræi devota hostili Regione anathemati (9), insignem de Arad victoriam retulerunt. Collato hoc Textu cum altero capitis xiv. 45. & capitis xxi. 3. noscimus, Israelitas aditum tunc secundo tentasse in Chanaanitidem per eamdem viam, per quam primo venerant; quæ Regia via tunc fuisse videtur euntibus e Chanaanitide in Arabiam, media inter Idumæam ad Orientem, montem Sehir ad Occidentem, & Amalecitas inferius ad mare Rubrum.

℣. 41. Salmona. Jussi a Deo Israelitæ, ut abstinerentur ab Idumæis, coacti sunt iter relegere per viam, quæ ad Mare Rubrum (10), idest, ad Asiongaber, unde paulo ante moverant, ducit, & cursu ambire regionem Edom, & Moabitarum, qui transitum concedere recusarunt. Creditur Deus in Salmona immissis anguibus ultionem suam in populum exeruisse. Vide quæ de hac statione disseruimus ad Caput xxi. 6.

℣. 42. Phunon, alio nomine *Phenon*, *Phinon*, vel *Fana*, vel *Metallofenon*. Locus est in Idumæa celebris, situs inter Urbes Petram & Zegor, vel Zoaram, quo ad fodinas damnatos fuisse Martyres quosdam, memoriæ proditum est. Phenon est Eusebio xv. m. passuum a Dedan (11), meridiem versus. Facile autem nomen Phunon inditum loco est ex Phinon, uno ex Principibus Idumææ, de quo Genesis xxxvi. 41.

℣. 43. Oboth. De hac statione vide quæ contulimus in Numeros xxi. 10.

℣. 44. Je-abarim. De hoc pariter loco vide ibidem caput xxi. 11.

℣. 45. Dibon-gad, sæpe & *Dibon* appellatur. Facile nominis illius *Dibon-gad* accessio facta est, cum Israelitæ in regionem venerunt. Veteribus ac Recentiorum pluribus succurrit, ut *Dibon* a *Dibon-gad* distinguerent: sed discriminis hujus nullam sentimus necessitatem. Collocandam Dibongad credimus ad Arnon, ubi & Dibon ab Eusebio & S. Hieronymo constituitur: tum & inter duas hasce stationes *Oboth* & *Dibon-gad*, medias

poni-

(1) Num. xx. 25, & xxxiii. 38. (2) Homil. xxvii. in Num. (3) Deut. x. 7. *Castrametati sunt in Jetebata, in terra aquarum atque torrentium*. (4) Vide Dissertationem in regionem Ophir in Genes. (5) 3. Reg. ix. 26. (6) Joseph. l. 8. c. 11. (7) Num. xx. 1. (8) Ibid. ℣. 14. (9) Num. xxi. 1. & seq. (10) Num. xxi. 4. (11) Vide Euseb. in locis ad Fenon, & ad Dedan, & Boch. de animal. sacr. part. 2. l. 3. c. 13. & Cellar. l. 3. c. 14.

ponimus stationes ad torrentem Zared, ad Mathanam, & ad Nahaliel. Vide Caput XXI. 19. 20. & 30. ubi singulæ istæ seu castrametationes, seu variorum locorum ejus tractus nomina a Moyse recensentur. Paruit Dibon primo Moabitis, dein armis subacta a Sehone, ex Sehone victoribus cessit Israelitis, & Tribui Ruben obtigit (1). Tribuitur interdum Gaditis (2), ideirco fortasse, quod utriusque Tribus fines attingens, utriusque pariter incolis frequentaretur. Ita & postea Jerosolymæ accidit, quæ modo inter Urbes Juda, modo inter Beniamiticas numerata est. Tandem rediit ad Moabitas, qui ætate Prophetarum Isaiæ (3) & Jeremiæ (4) illam tenebant.

℣. 46. HELMONDEBLATHAIM. Inter Dibon-gad & *Helmondeblathaim* mediam intercessisse credimus Urbem vel Stationem *Bamoth Arnon* capite XXI. 19. 20. recensitam. Urbis hujus *Deblathaim* vel *Beth Deblathaim*, ut in Jeremia XLVIII. 22. appellata est, certus situs ignoratur. Sunt qui *Helmon* & *Deblataim* in duo diversa loca distinguant. *Helmon* nomen est forte loci, ubi castrametati sunt Israelitæ, & *Deblataim* urbs eidem loco proxima. *Helmodenos* constituit Plinius prope Ebodam, *Oboth* hic appellatam, in Arabia Petræa.

℣. 47. VENERUNT AD MONTES ABARIM CONTRA NABO. Nonnisi debellato Sehone, ad radices montis Abarim processerunt. Confer hunc textum cum iis quæ disseruimus supra capite XXI. 19. 21. &c.

℣. 48. TRANSIERUNT AD CAMPESTRIA MOAB . . . [℣. 49.] IBIQUE CASTRAMETATI SUNT DE BETHSIMOTH USQUE AD ABELSATIM. Moyses e montibus Abarim, excurrentibus in regionem Sehon, movens, venit ad Jordanem, certus trajiciendi statim amnem: cum vero castrametatus fuisset in agro ad Occidentem regionis Moabiticæ (5), in loco hic appellato *Abelsatim*, & in capite XXV. 1. *Sethim*, a Moabitis & Madianitis accitus est Ariolus Balaam, infausta belli illius causa, cujus occasione longior adhuc mora ibi a populo protracta est. Ex Moyse scimus, castra Israelitarum occupasse a *Bethsimoth* ad *Abelsatim*. Porro de *Abelsatim* jam alibi egimus. De *Bethsimoth*, vel, uti legunt Septuaginta, *Bat-Asimuth*, sua adhuc ætate mansisse affirmat Eusebius oppidum, nomine *Isimut*, ad meridiem & e regione Jerichuntis, ex qua urbe X. M. passuum distabat ad mare mortuum. Jacebat igitur *Isimut* vel *Bethsimoth*, vel *Bethjesimoth*, uti appellatur in Josue XIII. 20. & Ezechiele XXV. 9. ad lævam, idest, ad meridiem castrorum Israeliticorum: quare & Setim ad dexteram constituenda est, Bethjesimoth inter Rubeniticas recensita est.

℣. 52. CONFRINGITE TITULOS, Lapides Numinibus consecratos, Hebræam vocem משכיות, reddiderunt Septuaginta σκοπιὰς, *speculas*, seu loca excelsa, ubi vigiles morantur. Vertunt alii imagines pictas vel sculptas. Chaldæus: *Omne templum adorationis eorum*. Maluerim ego exponere, uti Vulgata, lapides, & monumenta, erecta in editis locis & sub dio. Originalis vox sonat proprie quodcumque longe prospicitur, vel quod habetur in conspectu positum.

STATUAS COMMINUITE. Reddi posset Hebræus (6): *Omnes imagines conflatilium eorum perdetis*.

OMNIA EXCELSA VASTATE. Septuaginta (7): *Omnes columnas eorum auferetis*. Exprimere potest Hebræus generaliter: Evertetis Aras omnes, Lucos sacros, & monumenta alia superstitiosa, in editis locis constituta. Ad literam כל במותם, *omnia excelsa eorum*.

℣. 53. MUNDANTES TERRAM ET HABITANTES IN EA. Hebræus (8): *Possidebitis terram, & habitabitis in ea*. Sive ex Septuaginta (9): *Perdetis*, expelletis, fugabitis, *omnes habitantes terram, & inhabitabitis in ea*.

℣. 54. QUAM DIVIDETIS VOBIS SORTE. Vide quæ contulimus ad caput XXVI. 54. de modo hujus distributionis, & qua ratione concilietur divisio per sortes cum mandato distributionis servandæ, juxta numerum hominum Tribuum singularum.

℣. 55. ERUNT VOBIS QUASI CLAVI IN OCULIS, ET LANCEÆ IN LATERIBUS. Non satis convenit inter Scriptores de literali significatione vocum, quas hic reddidere *clavos*, שיכים, & *lanceas* לצנינים sed summo omnium assensu vicissim constat, Textum hunc figurata & proverbiali phrasi exprimere quæ populo toleranda essent gravia ab hostibus, quibus præpostera miseratione pepercerant. Septuaginta vertunt (10): *Erunt aculei in oculis vestris, & jacula in costis vestris*. Excitabunt vos, & velnti stimulis acuent curiositatem vestram, expandentes sub oculis ritus suos superstitiosos; trahent vos etiam quodammodo invitos, quemadmodum equi incitantur calcaribus ad cursum (11). Seu potius: Hostes illi, quibus falsa pietate pepercerítis, erunt vobis deinceps oneri & tormento, tamquam spinæ in oculis & acus in lateribus infixæ (12). Vide persimiles phrases in Josue XXIII. 13. & Ezechiele XXVIII. 24.

(1) Josue XIII. 16. 17. (2) Num. XXXII. 34. Vide Euseb. in locis. (3) Isai. XV. 2. (4) Jerem. XLVIII. 22. (5) *Campestria Moab*. Hebr. *Araboт Moab*. Septuag. *Ad occasum Moab*. (6) את כל צלמי מסכותם תאבדו Septuag. Πάντα τὰ εἴδωλα, τὰ χωνευτὰ. (7) Πάσας τὰς στήλας ἐξαρεῖτε. (8) והורשתם את הארץ וישבתם בה (9) Ἀπολεῖτε τοὺς κατοικοῦντας τὴν γῆν, &c. (10) Σκόλοπες ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ βολίδες ἐν ταῖς πλευραῖς ὑμῶν. (11) Grot. Vat. Fag. Delrio. (12) Menoch. Tirin. Bonfr. Jansen.

C A P U T XXXIV.

Limites terræ Promissionis. Nomina eorum qui distributioni præficiuntur.

℣. 1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Præcipe filiis Israel, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram Chanaan, & in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur: 3. Pars meridiana incipiet a solitudine Sin, quæ est juxta Edom: & habebit terminos contra orientem mare salsissimum. 4. Qui circuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna, & perveniant a meridie usque ad Cadesbarne: unde egredientur confinia ad villam nomine Adar, & tendent usque ad Asemona. 5. Ibitque per gyrum terminus ab Asemona usque ad torrentem Ægypti, & maris magni littore finietur.

6. Plaga

6. Plaga autem occidentalis a mari magno incipiet, & ab ipso fine claudetur. *7.*
Porro ad septentrionalem plagam a mari magno termini incipient, pervenientes us-
que ad montem altissimum, *8.* A quo venient in Emath usque ad terminos Seda-
da: *9.* Ibuntque confinia usque ad Zephrona, & villam Enan: hi erunt termini in
parte Aquilonis. *10.* Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan
usque Sephama, *11.* Et de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem
Daphnim: inde pervenient contra orientem ad mare Cenereth, *12.* Et tendent us-
que ad Jordanem; & ad ultimum salsissimo claudentur mari. Hanc habebitis terram
per fines suos in circuitu. *13.* Præcepitque Moyses filiis Israel dicens: Hæc erit ter-
ra, quam possidebitis sorte, & quam jussit Dominus dari novem tribubus, & dimi-
diæ tribui. *14.* Tribus enim filiorum Ruben per familias suas, & tribus filiorum
Gad juxta cognationum numerum, media quoque tribus Manasse, *15.* Idest, duæ se-
mis tribus, acceperunt partem suam trans Jordanem contra Jericho ad orientalem
plagam. *16.* Et ait Dominus ad Moysen; *17.* Hæc sunt nomina virorum, qui
terram vobis divident, Eleazar sacerdos, & Josue filius Nun, *18.* Et singuli prin-
cipes de tribubus singulis, *19.* Quorum ista sunt vocabula: De tribu Juda, Caleb
filius Jephone. *20.* De tribu Simeon, Samuel filius Ammiud. *21.* De tribu Benia-
min, Elidad filius Chaselon. *22.* De tribu filiorum Dan, Bocei filius Jogli. *23.*
Filiorum Joseph de tribu Manasse, Hanniel filius Ephod. *24.* De tribu Ephraim,
Camuel filius Sephthan, *25.* De tribu Zabulon, Eliasaphan filius Pharnach. *26.* De
tribu Issachar, dux Phaltiel filius Ozan. *27.* De tribu Aser, Ahiud filius Salomi.
28. De tribu Nephtali, Phedael filius Amiud. *29.* Hi sunt, quibus præcepit Do-
minus, ut dividerent filiis Israel terram Chanaan.

℣. 3. PARS MERIDIANA terræ Chanaan porrrigebatur in longum ex Oriente ad Occidentem a Mari Mortuo, vel Lacu Asphaltite, hic appellato *Mari Salsissimo*, ad usque amnem Ægypti & Mediterraneum. Ponitur autem linea ducta ab extrema ora meridionali Maris mortui, per Ascensum Scorpionis, Sennam, Desertum Sin, & Cades-barne, uti & secundum terram Edom, Adar & Asemonam, ac desinens ad Mediterraneum vel ad Nilum. Sed accuratius de singulis hisce locis agendum est.

INCIPIET A SOLITUDINE SIN. Non exprimit quidem Textus Hebræus, distributionis hujus exordium duci oportere a deserto Zin, sed tantum portionem hanc Meridionalem porrigendam esse ex uno latere *a deserto Zin, ad usque lacum Asphaltitem*. Porro Desertum hoc Zin occupabat ingens quoddam spatium meditullii portionis hujus meridionalis, & notissimum erat Israelitis, qui diuturnam ibi moram traxerant. Quare Moyses, cum lateris hujus limites describit, lectorum animos quodammodo in desertum illud transfert, docetque, lineam ab eo deserto porrigi usque ad Mare Mortuum, lineam, inquam, lateris Orientalis; Occidentalis vero duci usque ad Mare Mediterraneum. Scribendum hic censeo Desertum *Zin*, ut distinguatur a deserto Sin, de quo alibi.

℣. 4. PER ASCENSUM SCORPIONIS. Hebræus מעלה עקרבים *Ascensum Akrabim*. Locus erat ad occidentem Maris Mortui, & circa extremam ejus oram meridionalem: ac fortasse non longe a Petra Metropoli Arabiæ (1). *Acrabatene* regio in Libris Macchabæorum (2) nota, in sorte Tribus Juda, nomen suum ex urbe Acrabim repetebat. Altera erat etiam Acrabatene in Samaria, de qua Plinius (3), Josephus (4), & Eusebius in locis. Confer S. Hieronymum in Abdiam ℣. 9.

ITA UT TRANSEANT IN SENNA. Verti posset: *Itaut transeat ad Zin;* quæ facile Urbs erat, unde nomen deserto Zin conciliabatur. Sitam fuisse oportet ad Orientem Cades-barne.

VILLAM NOMINE ADAR. Hebræus: *Haser-Adar*, vel *Hasor-Adar*. Nomina hæc esse duarum Urbium credimus. Asor nota est; & Josue cap. xv. 3. hos eosdem limites describens, Asor vel Esron, & Adar ceu duo loca inter se diversa enumerat.

ASEMONA. Vide caput superius ℣. 29.

℣. 5. TORRENTEM ÆGYPTI; sive ut in Genesi xv. 18. appellatur, *fluvium Ægypti*, vel *Torrentem Deserti*, uti nuncupat Amos VI. vel tandem, uti apud Josue XIII. 3. *Fluvium turbidum, qui irrigat Ægyptum*. Porro hic amnis vel torrens nihil est aliud facile quam maxime Orientalis Nili ramus, quæ & Rabbinorum & Targum (5) sententia est. Largitur Deus Hebræis totum late tractum inter Euphratem & Nilum. Alibi vero Scriptura (6) latiores fines terræ Promissionis constituit, ab ingressu scilicet Emath usque ad torrentem Ægypti. Determinat hic Moyses latitudinem portionis meridionalis ejus regionis, ab extrema ora Maris Mortui usque ad torrentem Ægypti. Tandem Philisthæorum ditio eosdem habet limites in flumine Ægypti (7). Amnium vel torrentium Ægypti nullus vel nomine ipso innotescit, præter Nilum; nullus pariter inter Philisthæorum regionem & Ægyptum nomen hoc fluvii Ægypti sibi vindicare potest. Neque enim ita appellari posse credimus torrentem Rinocoruræ, qui nec in Ægypto fluit, nec ad Ægyptum magis quam ad Palæstinam pertinet. Tandem Strabo lib. XVI. limites Phœniciæ, qua parte Ægyptum respicit, constituit Pelusium, urbem sitam ad ramum illum Nili, cui nomen hic amnis Ægypti tribuimus. Et a Ptolemæo limites Palæstinæ Occidentales constituuntur in ea Ægypti portione, quæ ad mare usque porrigitur. Amnem plane nullum norunt Itinerantes inter Gazam & Ægyptum. Neque Strabo alium vidit, quam ignobile quoddam fluentum e monte Casio originem referens. Septuaginta (8), quos duces sequuntur Eusebius in locis, S. Hieronymus (9), & Scriptores Commentariorum plerique nomine torrentis Ægypti, de quo hic, designatum censuerunt torrentem, quo Rhinocorura urbs inter Palæstinam & Ægyptum

[1] Jud. c. 1. ult. [2] 1. Macch. x. 3. [3] Plin. l. v. c. 14. [4] Joseph. l. 2. de bello Jud. c. 11. [5] Rabb. in Josue dicto loco, & Targum in 1. Paral. XIII. 5. [6] 1. Reg. VIII. 55. [7] Josue XV. 47. & XIII. 3. [8] Septuag. in Isai. XXVII. 12. [9] In Amos VI.

ptum perluitur ; illud tamquam validissimum urgentes , Israelitas scilicet nunquam ditionem suam prorogasse ultra Rinocoruram . Hæc si valerent , eadem plane ratione inferretur , Deum nunquam fidem suam obligasse Hebræis , daturum se illis totam late regionem cis Euphratem , quam re ipsa nunquam possederunt . Ad hæc, nonne memoriæ proditum legimus, sub Davide & Salomone (1) Judæos per totam late regionem adusque amnem Ægypti sese diffudisse?

Tandem testimonio quarti Reg. XXIV. 7. constat, occupata per Nabuchodonosorem tota regione, quæ olim paruerat Regi Ægypti, inter amnem Ægypti & Euphratem, Regem illum Ægypti non ulterius ausum fuisse e sua regione pedem efferre . Quicumque Prophetarum (2) meminerunt Urbium ejus regionis, constituere solent Pelusium primam omnium ex latere Palæstinæ ; quin & ceu arcem Ægypti ex eodem latere, illam describunt profani Scriptores. Cum Pelusium inter & Rinocoruram adjacens solum totum fere squaleret incultum , quid miremur , si nullo perspicuo documento possedisse illud Israelitas probari possit ? Sed neque vicissim ullo Scripturæ testimonio evinci posse credo , Rinocoruram & loca ipsi adjacentia ad Ægyptum pertinuisse . Addemus etiam aliquid de hoc argumento in Josue .

Maris magni . Eo nomine designari Mediterraneum , una Interpretum omnium sententia tenet. *Magnum* appellatur oppositione quadam ad Mare Tiberiadis, & Mortuum , quæ nullam ferme majorem quam Latuum appellationem merentur . Communi Maris nomine ingentia omnia aquarum receptacula censentur apud Hebræos. Mediterraneum Occidentale habebat Palæstina , nec aliis limitibus ex eo quidem latere illa definiebatur.

℣. 7. Ad septemtrionalem plagam definiebatur terra Promissionis a monte Libano , appellato hic *Monte Altissimo* , & in Hebræo , *Monte montium* . Hic facile mons ipse est mons Casius ad meridiem Orontis. Proximus assurgebat urbi Hetalon , cujus meminit Ezechiel XLVII. 15. Vide nostram Dissertationem in Geographiam terræ Promissionis , Commentariis in Josue præfixam . Vel *Mons Hor* . Postrema hæc vox significat vel generice Libanum Montem , vel latus aliquod Libani, quod Phœniciam respexisse fertur . Sunt qui ipsissimum credant (3) Montem Hor , ubi Aaron decessit : sed mons ille non meridionalis , at septemtrionalis erat Chanaanitidi . Limites hujus lateris prorogarunt Rabbini (4) ad usque montem Taurum , vel montem Amanum , in finibus Ciliciæ . Nec de altero monte Moysem hic agere arbitrantur. Alii designari malunt montem Hermon , Chanaanitidi septemtrionalem , pluribus appellatum nominibus . Mihi tamen nihil commodius videtur , quam ut Textum exponam de monte Libano, excellentiæ gratia appellato *Monte Montium* ; & in Deuteronomio III. 25. *Monte egregio* . Hanc interpretationem , ceu necessariam, exigit ordo locorum, quæ Moyses recenset : *Ad septemtrionalem plagam a Mari magna* (Mediterraneo) *termini incipient , pervenientes usque ad montem altissimum* (ad Libanum) , *a quo ad ingressum in Emath* .

Intra limites hic constitutos comprehendunt Hebræi quidam Doctores (5) Insulas omnes Mediterranei , e regione Phœniciæ & Palæstinæ , sicut & totum illum maris tractum, qui intra lineam jacet, ductam e promontorio montis Amani (hunc enim significari censent nomine montis Hor), & a loco, ubi Cephaloria urbs jacet , adusque fretum Gaditanum. Sed Rabbini cæteri, meliori sane judicio , lineam hanc ducendam a monte Amano adusque Pelusium præscribunt , Contendunt autem, totum hunc maris tractum , cum Insulis intra eam lineam & Palæstinam comprehensis , juris fuisse Hebræorum . Fidem opinioni suæ adstruunt ex verbis Moysis , hic & in superiori versiculo ; uti ex illis Ezechielis XLVII. 20. *Plaga maris* (occidentalis) *Mare Magnum* (Mediterraneum) *a confinio* (seu a ramo Nili juxta Pelusium defluente) *per directum donec venias Emath*. Nihilominus argumentorum ejusmodi imbecillitas facile demonstratur ; & Grotius (6) pluribus congestis probat, mare immune esse a privata inter dominos divisione ; neque enim certos aliquos limites patitur, & immense adeo patet , ut satis superque sit hominibus æque omnibus , quin cuiquam desit , quemadmodum de aëre constat . Certat ille , usque ad Justiniani ætatem juris gentium portionem hanc fuisse , ut nemo sibi partem aliquam maris ad piscatum vindicaret, cæteris exclusis.

℣. 8. A quo venient ad Emath . Certum situm hujus Urbis, sæpe adeo occurrentis in Scriptura, de qua in varias conjecturas discessum est , definire , rem esse plane levem non censeo . Porro Emath , juxta Interpretes nonnullos (7) , ipsa est Antiochia, Syriæ Metropolis , ad Orontem , sed inclyta hæc Urbs plus nimio recentior est , quam ut Moysi innotuerit; conditores enim agnoscit Reges Syriæ , Alexandri Magni successores . Ejus author Seleucus Nicanor (8) de nomine Antiochi patris sui Antiochiam appellavit . Callinicus, & Antiochus Epiphanes, alter post alterum, additamentis auxerunt ornaveruntque.

Censent alii (9) Emath, de qua hic, esse Epiphaniam : cujus opinionis antesignanus Josephus (10) tradit, Emath vel Amath, filium Chanaan, frequentasse urbem Emath , cui deinde Græcia e Rege quodam suo nomen Epiphaniæ indiderit . Sita fertur ea urbs ad septemtrionem Terræ sanctæ, & ad radices Libani . Appellatur *Emath* sine addito, ut ab altera Emath distinguatur , cui *Magnæ* vel *Emath Rabba* , uti fert textus Amos VI. 2. cognomen ab amplitudine conciliatum est. Sed jam animadvertimus , Antiochiam Magnam multo recentiorem esse quam Amos: Epiphaniam vero, quamquam fieri potest, ut Emath olim appellaretur, nullis tamen argumentis id nomen gessisse nemo probet . Jacebat ad Orontem , Larissam inter & Arethusam.

Arbitramur igitur, multo probabilius quæri Emath , quæ limes est Terræ Sanctæ , in Emesa inclyta Syriæ urbe ad Orontem , & Libano proxima , uti ex Avieno (11) constat . Omnia quæ Scriptura de Emath , imo & nomen ipsum cum Emesa congruit: nam inter Emath & Emas nullum sentitur discrimen , præsertim in Linguis Orientalibus, in quibus literæ T & S altera pro altera non raro indiscriminatim usurpantur. Ipsam hanc Emath distinguit Amos elogio *Emath Rabba* ; eademque in secundo Paralipomenon VIII. 3. appellatur *Emath Soba* . Hanc redegit in potestatem Salomon, qui & in adjacenti ejus regione arces aliquas excitavit . Præerat jure Metropolitico regioni, cujus sæpe meminit Scriptura (12); docetque Zacharias , jacuisse *in terminis Adrach & Damasci* (13) . Congruunt hæc cum Emesa , urbe

(1) 1. Par. XIII. 5. 3. Reg. VIII. 65. 2. Par. VII. 8. (2) Ezech. axa. 15. 16. (3) Quidam in Fag. & Drus. Munst. Vat. Malvenda. (4) Vide Hieron. in cap. XLVII. Ezech. (5) Vide Selden. Mare clausum l. 1. c. 6. (6) Vide Grot. mare liberum, & l. 2. de jure belli & pacis c. 2. art. 3. & cap. 3. art. 9. (7) Ita Jonathan in Num. XIII. 22. & Jerosol. Targ. in Genes. x. 18. & Hieron. in Amns VI. & alii passim. (8) Strabo l. 16. (9) Vide Hieron. in Amos VI. & Boch. l. 4. c. 36. Canaan. (10) Joseph. Antiq. l. 1. c. 7. (11) Avien. v. 1085. & seq. Vide Cellar. l. 3. cap. 12. Syria. (12) Jerem. XXXIX. 5. & LII. 9. 27. & 1. Macc. XII. 25. (13) Zach. IX. 1. 2. Onus verbi Domini in terra Adrach & Damasci . . . Hemath quoque in terminis ejus.

urbe sita ultra Damascum, quæ olim facile Metropolis erat Syriæ Soba. Quare cum Scriptura sæpe adeo definit limites ditionis Israeliticæ *a via Emath usque ad torrentem Ægypti*, hoc ejus dictum accipiendum est de via ex Emath in Syriam ducente, ad Orientem Libani, & circa Damascum, usque ad Ægyptum. In regione Emath constituta erat pariter Reblata, qui non uno Scripturæ textu docemur: asseritque luculenter Theodoretus (1), Reblatam Emesæ paruisse; adeoque ne ambigens ille quidem Emath ab Emesa minime distinguebat.

Sadada. Hæc pariter Urbs recensetur in Ezechiele XLVIII. 15. inter cæteras Chanaanitidis septemtrionales: sed certum ejus situm ignoramus.

℣. 9. Zephrona. Nulla hujus nominis Urbs innotescit. Significari hoc nomine Urbem *Zephirium* in Cilicia, tradit S. Hieronymus (2). Maluerim ego potius confundere cum Zephora, de qua Judicum Liber XII. 1.

Villam Enan vel *Henan*, vel, juxta Hebræum, *Hazer-Henan*. Occurrit eodem nomine in Ezechiele (3); & in Vulgata appellatur *Atrium Henon* in agro Damasceno. Designari hoc nomine censeo Urbem Gaanam septemtrionalem Damasco (4); scitum est enim, *hain* pronunciari sæpe quemadmodum G. Quare pro *Henan*, efferre quis posset *Ganan* עינן. Seu potius est *Inna* Ptolemæi, ad meridiem Damasci; vel *Aenos* in Tabulis Peutingeri. Vide Commentarium in Ezechielem XLVII. 17.

℣. 10. Contra orientalem plagam. Ex eo latere definiebatur Terra promissionis linea ab Enan usque ad Mare mortuum porrecta. Ducebatur linea per Sephamam, Reblatam, Fontem Daphnin ad orientem maris Tiberiadis; descendens vero secundum Jordanem, desinebat in Mare mortuum. Sed de situ singulorum horum locorum nunc accuratius agendum est.

Sephama. Nullibi alias in Scriptura nomen hoc Urbis occurrit; & nihil aliud de illa afferri potest, præter quam quod orientalis fuerit Terræ Sanctæ, & meridionalis Enan. Targum nomine Sepham designari censet urbem Syriæ Apamæam, ad Orontem.

℣. 11. Rebla, urbs sita in tractu vel regione Emath, meridiem versus, cujus hodie situs ignoratur. S. Hieronymus (5) cum Antiochia miscet.

Fontem Daphnin. Fert tantum Hebræus *Hain*, idest, fontem. Exponunt Targumim de fonte Daphni, non procul ab Antiochia; nec alio utique spectasse constat S. Hieronymum: sed hæc opinio a nullis defenditur. Neque enim sive Antiochia, sive proxima illi Daphne orientales sunt Terræ Sanctæ. Quis sit hic fons, quisve locus a Moyse indicatus, accurate definiri non potest, nisi idem censeatur cum urbe Enan, de qua supra ℣. 9. Ita enim reddi posset Hebræus: *Metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan* (Hebr. Aze.-Enan) *usque Sepham: & de Sepham descendent termini in Reblam, quæ est ad Orientem Hain* (vel Enan, vel fontis, idem enim significant) *inde pervenient contra Orientem ad mare Cenereth*. In Josepho occurrit fons Daphnis lacui Semechon proximus, cujus aquæ in Jordanem influunt. En ejus verba: *huic quidem* [lacui] *latitudo est stadiorum triginta; paludesque suas extendit usque ad locum Daphnen dictum; cætera deliciis abundantem fontesque habentem, qui minorem, ut vocatur, Jordanem augentes sub Fano Bovis aureæ eum immittunt in majorem*; quæ postrema verba ansam præbent conjectandi loco Daphnis legendum esse fontem Dan; nam aureorum vitulorum Fanum in Danitica regione jacebat. Judicum XVIII. 29. 30. 31. & Reg. XII. 29. 30. & 4. Reg. X. 29.

Contra Orientem ad mare Cenereth. Hæc utique linea non descendebat usque ad Mare, sed longe superius, & ad Orientem ipsius excurrebat, cum intra illam continuandus esset non modicus regionis tractus trans mare illud sese porrigens. Constat autem, Mare Cenereth ipsum esse Lacum Tiberiadis, vel Genesareth in Galilæa celeberrimum.

(1) Jerem. XXXIX. 5. & Theodoret. in eumdem locum. (2) Hieronym. in Ezech. XLVII. 15. 16. (3) Ezech. XLVIII. 17. & cap. XLVII. 1. & in Amos VI. 2. (4) Ptolem. Geogr. (5) Hieronym. in Isai. XIII. 1.

CAPUT XXXV.

Levitis in sedes Urbes XLVIII. assignantur. Sex urbes asyli in tutelam eorum, qui imprudentes hominem interemissent. Quæ leges servandæ iis, qui ad asylum confugerent.

℣. 1. Hæc quoque locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho: 2. Præcipe filiis Israel, ut dent Levitis de possessionibus suis 3. Urbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum; ut ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus, ac jumentis; 4. Quæ a muris civitatum forinsecus, per circuitum, mille passuum spatio tendentur. 5. Contra orientem duo millia erunt cubiti, & contra meridiem similiter erunt duo millia; ad mare quoque, quod respicit ad occidentem, eadem mensura erit, & septentrionalis plaga æquali termino finietur, eruntque urbes in medio, & foris suburbana. 6. De ipsis autem oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea, qui fuderit sanguinem: & exceptis his, alia quadraginta duo oppida, 7. Idest, simul quadraginta octo cum suburbanis suis. 8. Ipsæque urbes, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israel, ab his, qui plus habent, plures auferentur: & qui minus, pauciores; singuli juxta mensuram hæreditatis suæ dabunt oppida Levitis. 9. Ait Dominus ad Moysen: 10. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Quan-


Quando transgressi fueritis Jordanem in terra Chanaan, 11. Decernite, quæ urbes
esse debeant in præsidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderint: 12. In qui-
bus cum fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in
conspectu multitudinis, & causa illius judicetur. 13. De ipsis autem urbibus, quæ
ad fugitivorum subsidia separantur, 14. Tres erunt trans Jordanem, & tres in ter-
ra Chanaan, 15. Tam filiis Israel, quam advenis, atque peregrinis, ut confugiat
ad eas, qui nolens sanguinem fuderit. 16. Si quis ferro percusserit, & mortuus fue-
rit, qui percussus est, reus erit homicidii, & ipse morietur. 17. Si lapidem jece-
rit, & ictus occubuerit, similiter punietur. 18. Si ligno percussus interierit, per-
cussoris sanguine vindicabitur. 19. Propinquus occisi homicidam interficiet: statim
ut apprehenderit eum, interficiet. 20. Si per odium quis hominem impulerit, vel
jecerit quippiam in eum per insidias: 21. Aut cum esset inimicus, manu percusse-
rit, & ille mortuus fuerit: percussor, homicidii reus erit. Cognatus occisi, statim
ut invenerit eum, jugulabit. 22. Quod si fortuito, & absque odio, 23. Et inimi-
citiis quidquam horum fecerit, 24. Et hoc audiente populo fuerit comprobatum,
atque inter percussorem, & propinquum sanguinis quæstio ventilata: 25. Liberabi-
tur innocens de ultoris manu, & reducetur per sententiam in urbem, ad quam con-
fugerat, manebitque ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moria-
tur. 26. Si interfector extra fines urbium, quæ exulibus deputatæ sunt, 27. Fue-
rit inventus, & percussus ab eo, qui ultor est sanguinis; absque noxa erit, qui eum
occiderit. 28. Debuerat enim profugus usque ad mortem Pontificis in urbe reside-
re. Postquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam. 29. Hæc
sempiterna erunt, & legitima in cunctis habitationibus vestris. 30. Homicida sub
testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur. 31. Non accipietis
pretium ab eo, qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur. 32. Exules, & pro-
fugi ante mortem Pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt: 33. Ne pol-
luatis terram habitationis vestræ, quæ insontium cruore maculatur. Nec aliter ex-
piari potest, nisi per ejus sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit. 34. Atque
ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum: ego sum Dominus, qui
habito inter filios Israel.


℣. 3. URBES AD HABITANDUM, ET SUBURBANA EARUM PER CIRCUITUM. Cum in distributionem devictæ ac subigendæ regionis Levitæ æquo cum cæteris jure non venirent; imperavit Moyses, ut illis XLVIII. Urbes in sedem, & totidem circa illas suburbia tribuerentur, idest cum ædibus, villis, & hortis ad agrum singularum spectantibus; urbes denique cum suis appendicibus dari jussit, mille tamen cubitis ex omni parte non majoribus, ut statim infra definitum est. Solum illud juris erat publici Civitatis, quæ de eo pro re publica vel privata ad arbitrium decernebat. Extra hunc tractum posita ferunt Levitarum cœmeteria (1). Commentariorum Scriptores plures (2) cum Judæis docent, idem terræ spatium ita rationis fuisse publicæ, ut nunquam ad privatam derivandum esset: proinde ad urbis ornamentum vel ad pascua fuisse; ad ædes vero ædificandas, & ad culturam impendi non potuisse. Sed refragatur huic opinioni Scriptura (3), exhibens in suburbiis illis & rurales ædes & latifundia.

℣. 4. A MURIS CIVITATUM FORINSECUS PER CIRCUITUM MILLE PASSUUM SPATIO TENDENTUR. (℣. 5.) CONTRA ORIENTEM DUO MILLIA ERUNT CUBITI. Mille passus & duo millia cubitorum, de quibus hic, una sunt eademque mensura. Hebræi & Commentariorum veteres recentioresque Scriptores duas hasce mensuras indiscriminatim alteram pro altera usurpant, agentes de itinere Sabbati religione permisso, cum illud definiant sive ad bis mille pedes, sive cubitos totidem, sive ad mille passus (4). Sed Hebræus Textus implexus est maxime; quin & repugnans aliquid inferre videtur. ℣. 4. *A muro urbis & forinsecus, mille cubiti circumquaque. Et metiemini ab extra urbem, duo millia cubitorum latus orientis, eademque mensura tria alia latera:* Quomodo ista cohæreant? Si in agro urbi circumjacente spatium designandum erat mille cubitorum, quomodo illud idem definitur ad bis mille cubitos? Reponitur (5) ℣. 4. agere Moysem de latitudine suburbiorum a mœnibus urbis, ulterius procedendo; sed ℣. 5. sermonem esse de patente eodem agro secundum longitudinem suam, parallelam mœnibus urbis consideratam. Porro longitudo illa duplum utique referebat suæ latitudinis, uti subjectum hoc schema ad sensum demonstrat.

Sunt

(1) Djus. ad ℣. 2. (2) Munst. Fag. Vatab. (3) Josue XXI. 18. 1. Par. VI. 59. 60. Vide Bonfres. (4) Vide Selden. lib. 3 cap. 9. de jure nat. & gent. & Hieron. ad Algas. qu. 9. Origen. Periarchon lib. 4. cap. 2. & Theophylact. in Act. 1. & Bed. & Lyr. &c. (5) Oleast. Serar. in Josue XXI. & Mas. in Josue XIV.





Sunt qui (1) nodum hunc soluturi reputent, geminos fuisse cubitos apud Hebraeos, alterum scilicet sacrum, alterum profanum: priorem illum duplo secundum superasse. Moyses, inquiunt illi, in priori versiculo cubitum priorem usurpavit; in altero alterum: quod illis temere prorsus & nulla veri specie excidit. Praeter quam enim quod discrimen hoc cubitorum nullo satis idoneo argumento huc usque probatum est; quis in animum inducat, in una eademque sermonis periodo, & in eodem argumento, unam eamdemque usurpatam fuisse a Moyse vocem sensu plane diverso, ne praemonitis quidem Lectoribus? Malunt alii (2), mendum irrepsisse in Ỷ.4. corrigendumque duo millia cubitorum pro mille, ut vitiate legitur. Exemplaria quaedam Septuaginta utcumque praeferunt duo millia cubitorum; nec aliter legisse feruntur Josephus (3), & Philo (4). Rabbinorum quidam (5) affirmant, praeter suburbia illa mille cubitorum, aliud assignatum fuisse ad culturam, pascua, & praesepia gregum Levitarum, soli spatium duum millium cubitorum. Sed haec sapiunt Rabbinismum. Prior allata solutio commode retinetur.

Ỷ. 6. SEX ERUNT IN FUGITIVORUM AUXILIA SEPARATA. Spem fecerat Moyses (6), destinaturum se urbes asyli in tutelam eorum, qui nolentes imprudentesque hominem interemissent. Obitet etiam egerat de jure asyli, quo olim privilegio futurum erat, ut Templum suum & Altare donarentur. Hic autem dictorum suorum fidem implet; mandat enim, ut subacta Chanaanitide asyli urbes statuantur. Damus hic hujus argumenti animadversiones aliquas, deductas ex Rabbinis (7), qui hujus quidem rei naturales sunt Judices, sed fidei non semper incorruptae.

Sicut casu & imprudenti accidisset homicidium, si in rei preceptae exercitio, illi utique salva erant omnia, quin Urbium asyli tutelam procuraret; eum enim leges homicidam ejusmodi urgeri ad ultionem non sinant, neque jubent pariter interfectorem ad asylum confugere. Idem pariter reputandum erit de homine, qui vulnus quidem inflixerit, non occiderit in aggressione; uti & de illo pariter, qui necem induxerit casu maxime fortuito & extraordinario, ut venire non posset in suspicionem paratae alteri necis, seu non adhibitae cautionis ut malum illud evitaret; quemadmodum si quis scalam ascendens casu corruens alterum elideret.

In aliis vero rerum eventibus homicidae ab asylo excludebantur. Ita si quis vibrato in alterum telo ad ejus perniciem, alium forte praetereuntem casu interemisset; vel temere in coetum aliquem hominum prudens sciensque jaculum vibret; vel si adversarium suum quis casu etiam interimat: homines ejusmodi omnes asyli privilegio propterea non juvantur, quod suspicione notentur, sive necem volentes prudentesque intulisse, sive invitis id accidisse. Inimicitiae autem inter duos illud est indicium, si triduo saltem a colloquio invicem se continuerint. Vide *Deut.* IV. 42.

Ex veterum traditione affirmat Maimonides, urbes Levitarum omnes, nempe octo & quadraginta, totidem asyli loca fuisse. Illud autem erat inter sex selectas, & caeteras discrimen, quod sex decretae urbes tenerentur excipere & habitatione gratuita donare illos, qui tutelae gratia eo confugissent. Sex hisce tres alias addendas fore a Messia urbes refugii, docent Talmudistae: quo sensu exponunt illud Deuteronomii XIX. 8. quo copia facta est populo, ut cum Deus prorogasset ditionis illorum limites, tres alias asyli urbes adjungerent.

Josephus & Philo sex tantum refugii urbes memorant; quas etiam eorum aetate jus illud retinuisse non audeam affirmare. Ad asylum Templi quod attinet, sanctum semper & inviolatum usque ad excidium gentis perseveravit (8). Eo ut fruerentur fontes, necessarium fuisse docent Hebraei, ut Altaris holocaustorum non cornua tantum apprehenderentur, sed & craticula tangeretur. Neque ibi diutius sublistendum erat; statim enim ac Judices pronunciassent, illum qui ad Templum confugerat, asyli jure frui, statim datis ad tutelam custodibus, deducebatur ad urbes Mosaicas: vicissim autem si indignum eo privilegio declarassent, statim avulsum ab Altari raptumque extra Templum interimebant. Asylum Altaris solis plerumque Sacerdotibus constitutum erat.

Privilegium illud urbium refugii favebat tantum Judaeis Regionis accolis, ut in ejus privilegii communionem exteri nulli admitterentur. Nullum erat privilegium Ethnico, qui alterum invitus interemisset. Proselytis domicilii, qui Ptolemaeum alterum domicilii necassent, jus erat asyli; nullum vero, si Hebraeum interfecissent. Contraria omnia sanxisse Moyses videtur Ỷ. 15. hujus capitis: declarat enim, urbes hasce refugii pro omnibus esse, qua exteris, qua Israelitis.

Urbium refugii accessus esse debebat facilis (9), & commodae ad illas viae: qua in re multa sunt Rabbinorum deliria. Sancte enim affirmant, ad bivia omnia, quae in viis illis occurrerent, constitutos fuisse lapides, ne errare contingeret miseros eo confugientes. Porro hi habebant comites duos vel tres viros Sapientes, qui si forte oc-

(1) Capell. ad an. Diluvii, & alii. (2) Bonfrer. (3) Joseph. Antiq. l. 4. c. 4. (4) Philo, de Sacerd. honor. (5) Vide Drusium. (6) Exod. XXI. 13. *Qui non est insidiatus . . . . . . Constituam tibi locum in quem fugere debeat.* Ỷ. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo evelles eum.* (7) Vide Selden. de jure nat. & gent. l. 4. c. 2. (8) Philo, de legat. ad Cajum. Vide dicta ad Exod. XXI. 14. (9) Deut. XIX. 3.

currerent necessariis huminus interfecti, furorem illorum authoritate sua compescerent. In urbe abunde omnia suppetere opus erat, aquas, annonam. Vetitum ibi fabricare arma, ne prætextu illa emendi mitterentur sicarii in necem illius, qui tutelam ibi quæsiverat. Porro ille artem aliquam exercere cogebatur, ne oneri esset civitati.

Juvat hic in examen revocare vetustatem asyli apud reliquas per orbem nationes, Privilegium illud ex jure ipso naturali repetendum est; ex jure, inquam, illo, quod eo tendit, ut ne vita periclitetur homo innocens, cui imprudenti accidit ut hominem interemerit. Asylum tutela est innocenti adversus præcipitem nimis ultionem, acerbumque animum necessariorum defuncti. Asylum erat pariter tutela mancipiorum & imbecillium: his enim commodum sese tuendi locum adversus impotentes dominos, & validioris adversarii iniquas oppressiones præbebat. Apud Judæos jus illud ad solos homicidas involuntarios definiebatur. Apud alias gentes porrigebatur latius; æque etenim sontes omnes & miseros protegebat.

Nihil est autem magis sanctum, magisque vetustum apud Græcos, quam jus asyli (1). Herculis nepotes excitarunt Athenis Aram Misericordiæ, apud Veteres celebrem, & asylum iis omnibus, qui eo confugerent, inviolabile. Ibi pariter Theseus Templum, refugium mancipiis ac reliquis e vulgo adversus potentium vim, erexit. Eodem privilegio fruebatur Templum aliud Neptuni in Insula Calauria. Sub Aphida Rege Athenarum Dodonæum oraculum prædixit futurum, ut Lacedæmones asylum sibi ac refugium in Areopago procurarent. Celebrantur apud Veteres Templa Apollinis Delphici, Junonis Samiæ, Æsculapii in Delo, & Bacchi Ephesinum, aliaque plura jure asyli inviolabilis, præstiti non innocentibus tantum adversus validiores, sed etiam viris insigniter scelestis adversus legum æquitatem.

Cum asylorum numerus apud Græcos in immensum crevisset sub Tiberio Imperatore (2), visum est abusum coercere, vel revocato vel suppresso locorum omnium privilegio. *Crebrescebat*, ait Tacitus (3), *Græcas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi: complebantur templa pessimis servitiorum: eodem subsidio obærati adversum creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum satis validum imperium erat coercendis seditionibus populi, flagitia hominum ut cæremonias Deum protegentis*. Sub Antonino Imperatore veteres illæ querelæ adversus asyla urbium Græcarum instauratæ sunt: sed vetus licentia prævaluit; hinc superbi illi tituli urbis asyli, urbis liberæ, urbis servitiis Templi consecratæ, sæpius oggeruntur in Nummis Metropoleon Provinciarum Asiæ, dum sui juris fuerunt.

Nec minor fuit Romanorum quam Græcorum in asyla religio. Romulus urbis Romæ conditor privilegio illo auxerat lucum sacrum Templo Vejovis continuatum (4). Imo tota Romana urbs asylum erat, exteris omnibus patens, ut observat S. Augustinus (5). Alicubi etiam per Italiam plura disseminabantur asyla. Luci Religioni & asylo sacri ad Ostia Tiberina meminit Ovidius (6): & Polybio (7) authore scimus, reis morte damnatis tuta fuisse asyli loca, Neapoli, Præneste, Tiburi.

Jus idem e Templo Jerosolymitano transiit ad Fana Gentilium, & Christianorum Ecclesias. Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Magnus (8) exilio, flagris, capillorum & barbæ tonsione damnarunt illos, qui propria authoritate hominem eduxissent ab Ecclesia. In juris illius violati reos ita agi volunt Honorius & Theodosius Junior (9), ut in lesæ majestatis crimine convictos. Sequentibus deinde temporibus modus aliquis privilegiis ejusmodi datus est (10), certaque crimina jure asyli privata. Justinianus Imperator sancivit, ut raperentur ex asylo homicidæ voluntarii, adulteri, prædones vel raptores virginum. Publicos prædones, & qui agros nocte devastant, excipiendos etiam censuit Innocentius III. Inter illos pariter recensentur proditores, sacrilegi, blasphemi, heretici, & apostatæ.

Ỹ. 12. COGNATUS OCCISI NON POTERIT EUM OCCIDERE, DONEC STET IN CONSPECTU MULTITUDINIS. Inter necessarios occisi is, qui maxime propinquus erat, jus habebat urgendi ultionem defuncti. *Ultorem* vel *redemptorem* גואל appellat Scriptura; cum enim in jura defuncti succederet, eidemque jus esset redimendi hæreditates ejus, siquæ in alienas manus transiissent; idcirco & necessarium suum redimere videbatur, atque ex adversariis ipsius ulcisci. Quamvis autem homicida recepisset sese in urbem asyli, non tamen propterea judicio eximebatur. Causa in illum agebatur coram Tribunali, dicebaturque illi dies, ut sistens se vel Judicibus vel populo, necem hanc imprudenti sibi & invito obrepsisse defenderet. Si innocens agnosceretur, tutus relinquebatur in urbe refugii: at si criminis convictus esset, statim omni legum severitate judicabatur. Septuaginta in Proverbia XXVIII. 17. innuunt, pro interfectore, qui ad asylum confugerat, alterum, personam illius gerentem, causam egisse. Nec sane nisi per procuratorem stitisse se Judicibus videtur. Si vero reus teneretur admissi sponte criminis, raptim se e loco subducere procurator ille cogebatur; discrimen etenim capitis subibat, nisi productum reum manibus necessariorum defuncti traderet, qui ipsi per se ultionem extorquebant, ex recepto Orientalium more.

Utrum causa illa cognosceretur coram populo & Judicibus urbium refugii, an in ea urbe, ubi perpetratum fuisset homicidium, non satis luculenter a Moyse distinctum est. In contraria studia abeunt Commentariorum Scriptores, rationibus satis probabilibus utrimque productis. Qui totum judicium tum actum fuisse certant (11) in urbe refugii, in patrocinium sententiæ suæ proferunt illud Deuteronomii XIX. 11. *Siquis odio habens proximum suum percusserit illum, fugeritque ad unam de supradictis urbibus: mittent Seniores civitatis illius* [ubi homicidium commissum est] *& arripient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, & morietur.* Innuunt ista quidem, inquiunt sententiæ hujus Patroni, de causa cognitum fuisse, latumque judicium in urbe refugii. Producunt etiam in rem præsentem illud Josue XX. 4. *Cum ad unam harum confugerit Civitatum* [homicida invitus, & imprudens] *stabit ante portam Civitatis, & loquetur senioribus* [vel Judicibus] *Urbis illius ea, quæ se comprobent innocentem, sicque suspicient eum, & dabunt*

---

(1) Vide Joan. Marsh. Chronic. can. sæcul. XII. pag. 157. (2) Sueton. in Tiber. *Abolevit & jus & morem asylorum quæ usquam erant.* (3) Annal. l. 3. c. 60. (4) Virgil. Æneid. 8. v. 342.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum
Rettulit.
Ovid. Fast. lib. 2.
Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,
Cuilibet, huc, dixit, confuge, tutus eris.

(5) Aug. lib. 1. de Civitate. (6) Ovid. Fast. lib. 1.

Tunc quoque vicinus lucus celebratur asyli,
Qua petit æquoreas advena Tibris aquas.

(7) Polyb. l. 9. (8) Cod. Justin. l. 9. tit. 29. (9) Cod. Justin. l. 1. tit. 12. (10) Vide Mas. ad Josue XX. 5. 6. & Serar. ibid. quæst. 8. 9. 10. (11) Serar. Mas. in Josue XX. 4. &c.

bunt ei locum ad habitandum . . . . donec stet ante judicium , causam reddens facti sui , & moriatur Sacerdos Magnus .

Quibus vero contraria opinio persuadetur (1), eadem urgent testimonia, quibus probent, coram Judicibus loci, ubi homicidium perpetratum esset, rem totam agi oportuisse. Deuteronomii locus spectat ad homicidium spontaneum manifestum. Naturales sontis illius Judices illum damnant, & mandant insuper Judicibus Urbium refugii, ut suis manibus restituant sontem, reum agnitum, & declaratum. In Textum illum Josue duo animadvertenda sunt. Primum, Judicium illud provisione quadam institutum coram Senioribus urbis refugii, qui antequam eo accedentem causa tutelæ exciperent, ejus innocentiam utcumque unico ipsius testimonio comprobabant; salvo tamen semper jure imperati ad normam Legis judicii, instituendi coram Tribunali urbis, unde elapsus est, a quo ad causam coram se dicendam vocatur, uti luculenter in Josue exprimitur. Addunt hisce omnibus testimonium ℣. 25. hujus Capitis: *Reducetur per sententiam in urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec Sacerdos Magnus moriatur.* Hisce omnibus non obscure demonstratur, miserum illum hominem ex urbe refugii deductum fuisse alio ad subeundum judicium Magistratuum, & populi: *Stet in conspectu multitudinis;* coram populi cœtu ad portam urbis cum Judicibus coacto. Ut autem securus veniret, ac tutus etiam rediret ad asylum, si Judicum sententia absolveretur, assignata custodia protegebatur.

℣. 15. Tam filiis Israel, quam advenis. Quas Doctores Hebræi afferunt, legis hujus exceptiones, & limitationes, ut valeat scilicet tantum pro Hebræis, & Proselytis, penitus rejicimus. Omnes æque, qui intra ditionem Judæorum versarentur, in partem hujus privilegii venisse ultro credimus, & admittimus. Idem pariter recurrit in Josue xx. 9.

℣. 19. Propinquus occisi homicidam interficiet. Si propinquus hic ante institutum causæ judicium, & antequam interfector aufugisset ad asylum, in interfectorem eumdem incidisset, necare illum impune poterat. Si vero interfector, reus convictus a Judicibus, necessarii illius manibus traderetur interficiendus, illi utique integrum non erat seu veniam criminis dare, vel accepto pretio a supplicio eximere (2). Cum enim tunc merus esset executor Judicialis sententiæ, nullum habebat jus criminis fonti remittendi. Ante latam in Judicio sententiam, impune tantum illi ultionem de nece fratris exigere a Lege datum erat: ultionem hanc habebat a Lege præceptam, cum Judicum lata sententia fuisset. Legibus Atheniensium (3) non integrum tantum erat propinquo ulcisci mortem necessarii sui, sed & necessarii omnes id expetere jubebantur, licet vel de mancipio interfecto ageretur. Romanorum Legibus edictum erat, ut qui casu, & imprudens hominem interfecisset, integro anno exularet a loco, donec compescerentur interfecti illius necessarii: tunc post lustrationes, & Sacrificia redire permittebatur (4). Apud Persas, & Arabes hodie pariter quicumque Judicum sententia convincitur homicidium de industria perpetrasse, continuo necessariorum interfecti illius manibus consignatur. Ad nostra usque tempora Orientales morem hunc servant, ut propinquis jus sit ulciscendi cædem propinquorum suorum. Iter Moschov. tom. 1. p. 507.

℣. 25. Liberabitur Innocens. Hebræus: *Et eruet multitudo vel cœtus*. Ut absolutus declararetur, necesse erat, ut ex uno & viginti Judicibus saltem undecim sententiam pro illo ferrent (5). E Moysis Textu in partes hujus Judicii venisse coactus populi cœtus videtur. Ad nutum, & suffragium populi Seniores, & Judices sententiam pronunciabant.

Manebitque ibi donec Sacerdos magnus . . . . moriatur. Homicidium etiam ab invito commissum expiabitur exilio quodam in urbe refugii; exilium autem illud ad obitum usque Summi Sacerdotis perseverabat. Cur vero? Sunt qui (6) reponunt, Legislatorem eo spectasse, ut temporis lenimen aliquid daret furori atque mœrori necessariorum hominis interfecti, quo scilicet dato spatio usque ad obitum Summi Sacerdotis tepesceret ardor ille ultionis, & moderatione regi se tandem animus permitteret: sicut etiam ut miser ille, cui grande hoc malum accidisset, ut hominem interficeret, effugium haberet, quo adversariorum suorum furorem evitaret, pedem non efferens ex urbe refugii, nisi quo tempore generalis luctus pro obitu Summi Sacerdotis gentem totam occupabat. Publicus iste luctus, atque dolor tollebat quodammodo privatarum calamitatum memoriam. Addit Masius, ea pariter sanctione exprimi posse partim quidem summum illud, quo teneri homines par erat, obsequium in Summum Sacerdotem; partim vero gravissimum odium homicidii, quod animis insidere par esset: reus enim jus criminis commissi prohibebatur, ne daret se publico, & veluti clausus lateret in urbe, pedem ex ea efferre non audens, nisi postquam Summus Sacerdos, qui Dei Majestatem in se referebat, e mortalibus recessisset. Sed facile potissima Legis hujus ferendæ ratio ea fuit, ut typo quodam exprimerentur ea, quæ in obitu Jesu Christi implenda servabantur. Tunc enim tandem factum est, ut lata peccatis venia, in libertatem Peccatores restituerentur: singulis illis datus est regressus in Patriam suam, nempe in Cœlum, omni sublato metu, ne quid grave ex ultoribus, nempe Dæmonibus ferendum esset (7). Apud Græcos olim exilio animadvertebatur in reos commissæ necis, uti ex Homero constat (8), & uti nos pariter supra indicavimus. Interdum soluta necessariis defuncti pecunia exilium illud redimebatur.

℣. 27. Absque noxa erit, qui eum occiderit. Si in Urbe refugii aliquis se continens pedem ex illa incautus extulerit, hominem hunc interficere, quicumque in illum incideret, illi jus erat, ait Grotius. Hanc Legis interpretationem inveterat mos, quamquam ejus litera uni tantum interfecti hominis propinquiori necessario id permittit. *Absque noxa erit*. An incautum hunc tum occidere absque criminis culpa datum erat? Eo videtur spectare hæc Lex, ut impunitatem quamdam, & tolerantiam terreni judicii permittat; sed coram Deo immunem non esse interfectorem a crimine, maxime si necem inferret homini, cujus innocentia publico & solemni judicio agnita erat. Sed in patrocinium contrariæ sententiæ reponi posset, asylum ei homini non alia conditione permissum fuisse, quam inito pacto, ne egrederetur ex Urbe; cui conditioni si deesset, integrum reliquisse Legislatorem necessariis defuncti, ut illum interficerent: quod ab illo sancitum est, sive in odium homicidii, & ut animos magis magisque ab illo alienaret; sive ut homicidæ contumaciam negligentiamque, legibus, quæ sibi præscribebantur, violatis, puniret. Tunc autem ho-

(1) Bonfr. Tirin. Grot. Rabb. Tostat. Lyr. Jun. &c. August. qu. 65. in Num. Bonfr. Est. Onkal. &c. (2) Deut. xix. 12. 13. & hic ℣. 21. & 31. Vide (3) Demosthen. orat. in Macartat. Κελεύει ὁ νόμος τοὺς προσήκοντας ἐπεξιέναι μέχρις ἀνεψιαδῶν, καὶ ἐν τῷ ὅρκῳ διορίζεται, ὅτι προσήκων ἐστί, κἂν οἰκέτης ᾖ. (4) *Qui alium casu fortuito necasset, in annum deportator, donec aliquem ex cognatis occisi placaret. Revertitur vero peractis sacris, & lustrationibus.* (5) Grot. ex Hebr. (6) Maimonid. More Nebuch lib. 3. c. 40. (7) Vide Theodoret. quæst. 50. & 51. in Num. (8) Homer. Iliad. xx.

mo ille, qui necem inferat, veluti administrum præbet se tacitæ Judicum sententiæ; atque si in eam rem vacuum odio & cupiditate ultionis animum attulerit, nullius se criminis reum coram Deo constituit. Animadvertunt Judæi, permittere quidem Deum, ut exigatur ultio necis in alterum illatæ, sed nunquam dari ab illo, ut de injuria sibi irrogata ultionem per se quis exequatur: ejus autem rei causam hanc assignant, quod multo difficilius moderatione contineatur animus in rebus, quæ ad se pertinent, quam quæ ad proximum, tum maxime cum eo redactus est, ut nihil supersit nobis ab illo sive metuendum sive sperandum.

℣. 30. Homicida sub testibus punietur. Generalis hæc Lex de omnibus æque interfectoribus lata est; quos vetat Deus neci tradi, nisi post latam a Judicibus sententiam, ex testimonio testium ferendam. Porro ad damnandum hominem duos saltem convenire testes opus erat: unus satis erat, ut diem alicui diceret (1); sed nunquam unico testimonio convictus reus damnabatur.

℣. 32. Exules, et profugi ante mortem Pontificis. Hebræus (2): *Et non accipietis expiationem* [*pecuniam*] *ad recipiendum se ad civitatem receptus sui ad revertendum habitatum in terra* [sua], *usque ad mortem Sacerdotis* Magni. Ut hic Textus pronus ad intelligendum reddatur, aliquid necessario supplendum est. Septuaginta in hunc sensum accepisse videntur (3): *Non accipietis redemptionem* pecuniæ, ut sinatis homicidam voluntarium ac morte dignum *fugere in civitatem refugiorum*. Item neque ex involuntario homicida accipietis, qui in asyli urbem confugerit, *ut rursus inhabitet in terra, quoadusque mortuus fuerit Sacerdos Magnus* (4). Concisior est Chaldæus, & sensui Vulgatæ uniformior: *Non accipietis pecuniam ab eo qui fugit in urbem refugii, ut revertatur & habitet in terra &c.*

℣. 33. Ne polluatis terram habitationis vestræ. Ne impunitum homicidium relinquatis: ne permittatis terram vestram pollui effuso sanguine, sed eluite illam alio sanguine reorum effuso. Eo occupabantur præjudicio vulgo homines, cadaver scilicet, ac sanguinem materialem humi fusum illam polluere. Eo autem tendebant hæc omnia, ut horror in homicidia & violentas injurias altior mentibus insinuaretur. Vestigium autem veteris hujus opinionis, quod ne eraderetur, vetuit debitum illud mortalium in Numen obsequium, in eo deprehenditur, quod hodie pariter sacra loca impura censeantur, uti & Templa expientur ritu solemni, si quid forte atrox & probrosum ibi præstari contingat.

[1] Deuteronom. xix. 15. [2] ולא תקחו כפר לנוס אל עיר מקלטו לשוב לשבת בארץ עד מות הכהן
[3] Οὐ λήψεσθε λύτρα τοῦ φυγεῖν εἰς πόλιν τῶν φυγαδευτηρίων τοῦ πάλιν κατοικεῖν ἐπὶ τῆς γῆς, ἕως ἂν ἀποθάνῃ ὁ ἱερεὺς, &c. [4] Ita Grot. Oleast. Bonfr.

CAPUT XXXVI.

Vetat Deus puellis, ad quas hæreditas paterna devolvitur, defectu marium, ne extra Tribus suas virum quærant.

℣. 1. Accesserunt autem & principes familiarum Galaad filii Machir, filii Manasse, de stirpe filiorum Joseph; locutique sunt Moysi coram principibus Israel, atque dixerunt: 2. Tibi Domino nostro præcepit Dominus, ut terram sorte divideres filiis Israel, & ut filiabus Salphaad fratris nostris dares possessionem debitam patri: 3. Quas si alterius tribus homines uxores acceperint, sequetur possessio sua, & translata ad aliam tribum, de nostra hæreditate minuetur. 4. Atque ita fiet, ut cum Jubilæus, idest quinquagesimus annus remissionis advenerit, confundantur sortium distributio, & aliorum possessio ad alios transeat, 5. Respondit Moyses filiis Israel, & Domino præcipiente, ait: Recte tribus filiorum Joseph locuta est; 6. Et hæc lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est: Nubant, quibus volunt, tantum ut suæ tribus hominibus: 7. Ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxores de tribu, & cognatione sua: 8. cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient: ut hæreditas permaneat in familiis, 9. Nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant. 10. Ut a Domino separatæ sunt. Fecerunque filiæ Salphaad, ut fuerat imperatum. 11. Et nupserunt, Maala, & Thersa, & Hegla, & Melcha, & Noa, filiis patrui sui, 12. De familia Manasse, qui fuit filius Joseph: & possessio, quæ illis fuerat attributa, mansit in tribu, & familia patris earum. 13. Hæc sunt mandata, atque judicia, quæ mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israel, in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho.

℣. 1. Principes familiarum Galaad. In mentem hic revocari oportet ea, quæ ad caput xxvii. sancita sunt de puellis orphanis & hæredibus bonorum familiæ suæ, occasione filiarum Salphaad. Statuerat ibi Deus, ut puellæ sortem acciperent hæreditatis in Tribu sua, quam & inferrent in virorum domos, quibus elocarentur. Cum tamen in decreti hujus exercitio ardua nonnulla occurrerent, cum Deus mentem in ea re suam non satis aperuisset, utrum scilicet fas esset virum ducere a familia alienum; Optimates Tribus Manasse Moysem convenientes exposuerunt, quæ offerri sibi in ea lege incommoda videbantur. Igitur Deus hic jubet filias hæredes virum sibi intra Tribum suam & familiam comparare.

Sed

Sed cur Principes Tribus Manasse vocantur hic *Principes familiarum Galaad*? Idcirco fortasse, quod hæc pars Tribus Manasse jam partes suas trans Jordanem in montibus Galaad & in adjacenti regione obtinuisset; hæc autem, & non alia, populi pars Moysem ea occasione consuluit. De re quidem agebatur omnibus Tribubus communi, sed familiæ Josephi vel Tribubus Ephraim & Manasse peculiare: cum autem filiæ Salphaad originem suam a Manasse per Machir referentes (1) hæreditatem suam obtinerent in Galaaditide, nihil est cur miremur, si e Tribu Manasse hi potius quam reliqui omnes Imperatorem adiverint. Vix autem Principes familiæ Machir alio tum nomine designari melius poterant, quam *Principum Galaad*.

℣. 4. Ita fiet, ut cum jubilæus . . . . . advenerit, confundatur sortium distributio. Jubilæi tandem anno ad veteres Dominos & ad familias, unde exierant, hæreditates omnes revertebantur. Igitur filii Manasse metuentes, ne si forte filiæ Salphaad virum sibi ex aliqua Tribu adsciscerent, bona illarum omnia in jus Tribus mariti perpetuo transirent, indicarunt Moysi, hanc bonorum translationem incommodam hæreditati suæ futuram, ac repugnaturam legi antea sancitæ, vetanti ne hæreditates juri alterius Tribus perpetuo addicerentur. Hebræus hujus Textus ita fert ad literam: *Et cum fuerit jubilæus, si juncta fuerit hæreditas earum hæreditati Tribus, cui erunt, de hæreditate patrum nostrorum diminuetur exclusio earum.*

℣. 6. Nubant quibus volunt tantum ut suæ Tribus hominibus. Hebræus: *Verumtamen Tribus patrum suorum erunt in uxores.* Hæredes puellæ maritum eligere sibi jubebantur non intra Tribum tantum, sed & in eadem familia patris sui, ut consuleretur pro viribus, ne in hæreditatum distributiones turbarum aliquid obreperet. Si vero bonis suis omnibus renunciare voluissent, tunc integrum erat illis e cæteris Tribubus Israelis maritum procurare. Sed cum viros sibi quærere alienum sit a puellis, hujus legis sanctione cogi videntur necessarii ad certum usque propinquitatis gradum, necessarii, inquam, hæredum illarum mulierum illas ducere in uxores. Erat id pariter apud Athenienses lege sancitum, ut filiæ orphanæ & hæredes non aliis elocarentur quam propinquis, quamquam e contra propinqui eas ducere nulla lege tenebantur. *Lex est ut orbæ, qui sunt genere proximi, iis nubant, & eos ducere eadem hæc lex jubet* (2).

℣. 7. Omnes viri ducent uxores de Tribu et cognatione sua. Hebræus (3): *Unusquisque hæreditati Tribus patrum suorum adhærebunt filii Israel*: quæ verba sensum Vulgatæ restringunt ad eos, qui filias hæredes ducunt; eas enim accipere in uxores nisi ex eadem Tribu & familia viri prohibebantur. Cæterum puellas non hæredes, quæ fratribus non carerent, ex aliena Tribu in thorum adsciscere nulla lege vetitum erat: quod etiam confirmat usus fere communis etiam virorum sanctissimorum in Israele. In hunc sensum Textum hunc optimi quique Commentariorum Scriptores exponunt (4).

Sed Rabbini (5) ad literam id interpretantur, uti præfert Vulgata: certant enim, hac lege interdici connubia extra Tribum. Reputant autem sanctionem hanc spectare solummodo id tempus, quo distributioni terræ Chananitidis dabatur opera, ut scilicet evitaretur confusio & turba familiarum, quæ maxima esset tum, cum hæreditatis distributioni incumberetur. Sed succedentibus sæculis hæ cautiones neglectæ sunt, nisi qua parte de puellis hæredibus providebant. Lucem huic Textui affundit maximam versiculus octavus, ita redditus, juxta Hebræum, ad literam: *Et omnis filia hæreditans hæreditatem de Tribubus filiorum Israel, uni de familia Tribus patris sui erit in uxorem.* Cernere hic licet, latam hanc legem non respicere nisi puellas hæreditate in Tribu sua potientes; neque enim solebant puellæ Israelitides hæreditate frui in Israele, nisi fratribus carerent. Factum inde ut Levitæ & filiæ Levitarum connubia, quæcumque vellent, ex aliis etiam Tribubus conciliare permitterentur: neque enim sive illæ sive fratres ipsarum hæreditatis aliquid obtinebant. Quare mirum non est, si Diva Elisabeth, e tribu Levi necessitudine aliqua cum Deipara Virgine e Tribu Juda conjungeretur: fieri enim potuit, ut mater seu avia Divæ Elisabethæ e Tribu Juda originem referret, seu vicissim mater vel avia SS. Virginis fata esset e Levi.

℣. 11. Nupserunt filiis Patrui sui. Textus hujus sensum scrutantes committuntur inter se Scriptores. Sunt qui literæ inhærentes, reputent, filias Salphaad nupsisse germanis suis consobrinis. Neque enim id generis connubia aperta legum sanctione vetantur; ac licet in cæteris rerum eventibus haberentur incesta; in hoc tamen facile permissa censeri potuissent, ut ordo familiarum & bonorum in eadem Tribu integer inviolatusque permaneret. Non dissimili indulgentia permittit lex vel etiam præcipit fratri viri defuncti sine liberis, ut superstitem ex eo viduam ducat, quo scilicet extincti fratris nomen perennet; quamquam cæteroqui nefas habebatur id generis connubia conciliare. Malunt tamen alii, nomine *filiorum patrui sui* hic tantum posteros aliquos designari; cavisset enim Moyses, nequid per eam occasionem adversus legem agi sineret. Scitum est, nomen filii latissimo plane sensu in Scriptura usurpari; & quæ vox hic redditur patruus (6), hanc accipi etiam de fratre avi vel etiam de consobrino. Cæterum nulla suppetit in hac re certior aliqua authoritas, cum voces Originalis literæ penitus non dirimant, quippe quæ ambiguum aliquid præferunt.

[1] Vide Josue xvii. 1. 2. 3. [2] Terent. in Phormione. [3] איש בנחלת מטה אבתיו ידבקו בני ישראל. [4] Oleast. Thin. Bonfr. Estius, Menoch. Malv. &c. Vide & Euseb. Hist. Eccles. l. 1. c. 4. & Hieronym. in Jerem. l. 4. c. 34. [5] Selden. de successione in bona c. 18. [6] דוד Septuag. Ἀνεψιός.

FINIS LIBRI NUMERORUM.

IN DEUTERONOMIUM PROLEGOMENON.

JUdæis inscribitur אלה הדברים *Elle Haddebarim*, nullo alio mysterio quam quod in contextu Hebraico Operis prima illa verba occurrant. Inscribitur etiam a Rabbinis quandoque משנה *Misna*, quod scilicet repetitionem contineat & innovationem Legis. Tandem ספר תוכחות *Liber Reprehensionum* ab aliis appellatus est, cum reprehensiones a Moyse factas in Israelitas referat. Apud Græcos & Latinos *Deuteronomium* dicitur, ex eo scilicet, quod Legis antea latæ summam complectens, veluti secundam Legem exhibeat. Porro Leges istæ pluribus accessionibus & interpretationibus in hoc Opere referuntur, in gratiam eorum potissimum, qui, cum primum Leges rogatæ fuerunt, sive nondum nati, sive nondum ea fuerant ætate, ut rationis compotes esse possent. Res a Deo & a se gestas in populum Moyses enarrat; & historiam quinque vel sex hebdomadum, complectitur nempe ab ineunte undecimo mense anni quadragesimi ex egressu ab Ægypto, usque ad diem septimam duodecimi mensis ejusdem anni.

An Moysi Opus tribuendum esset, dubitarunt nonnulli (1), quod scilicet Moysis obitum descriptum in eo legerint (2): tum & scriptum videatur ab Authore, qui in occidente Jordanis versaretur; ita enim res gestas in castris Israelitarum describit, quasi in aversa fluvii ripa contigerint (3): *Trans Jordanem*. Hinc aliqui Josue sive Esdram ejus Libri Authorem voluerunt.

Sed luculenti adeo occurrunt in Opere Mosaicæ lucubrationis characteres, ut æquum Lectorem vix de altero cogitare permittant. Ipse de se Moyses se testatur scriptis mandasse Canticum (4), quod Libri partem constituit; additque insuper scripto itidem redegisse omnes a se propositas Leges (5), quarum Legum contextus adeo cum reliquis totius Libri partibus conjungitur, ut divelli possit, distingui non possit. Quod autem *trans Jordanem* res in eo descriptæ contigisse scribantur; optimi quique Interpretes satis conveniunt, Hebræam vocem עבר in originali occurrentem æque reddi posse *trans & cis*; quare sensui determinando sermonis contextum spectandum esse. Quod tandem subditur de obitu Moysis, hæc ab alio Authore suppleta & ultro credimus, & in nostro Commentario (6) demonstrabimus.

Hæc autem Operis summa. Moyses in solemni populi concione, die prima undecimi mensis, anni ab incepto itinere quadragesimi, totam historiam ab egressu ex Ægypto, usque ad stativa in agro Moabitico, post relatas de Rege Basan, Amorrhæis, & Madianitis victorias, percurrit. Huic orationi priora Libri capita usque ad caput IV. 41. impenduntur; exinde totum, quod superest ejusdem capitis, historicum est. Narrat ibi Moyses domitæ regionis a se factam divisionem, tum & tres refugii Urbes constituit; quare supplementum videtur ex Libro Numerorum deductum, velut ad Mosaicæ orationis complementum. Hoc autem sive Moyses ipse per se, sive alius, ejus opus recensens, adjecit; nos tamen alteri deputandum arguimus, quod non ab Authore insertum videatur, qui explorata scribat, sive paucis antea mensibus gesta, quæ ipse antea fusius in eodem Opere exposuerit. Vide nostrum Commentarium. Eadem observes in capite X. versibus 4. 5. 6. 7. 8. 9. quos aliena manu adjectos suspicamur.

Ad caput V. Moyses, coacto iterum populo, res ad Sinai gestas fusius pro concione exponit, latisque ea occasione Legibus plura simul adjicit. Hanc vero concionem prosequitur usque ad Caput XXVII. ubi Seniores populi, una cum Moyse Hebræos hortantur, ut Divinis jussionibus legibusque per Moysem a Deo latis morigeros se præbentes, voluntatis in illum suæ perpetuum monumentum Altare in Chanaanitide trans Jordanem erigant, in quo victimis oblatis fœdus cum Deo innovent (7), fœderisque inoovati leges in ejusdem Altaris lapidibus insculpant. Monet insuper, ut bipertito exercitu sex Tribus utrimque in montibus Hebal & Garizim stantes, maledictiones illæ, hæ benedictiones Sacerdotum ore pronuncient, respondente ad singulas populo universo.

His ita constitutis, Moyses ad obedientiam Deo præstandam iterum atque iterum populum hortatur (8), præmiorum spe venales animos alliciens, pœnarumque timore contumaces terrens; quæ omnia stylo præter morem pathetico & gravi prosequitur.

Fine orationi imposito, Moyses cœtu populi coacto (9), vel saltem nondum priore cœtu soluto; fœdus quadraginta ante annis in Horeb inter Deum & Israelem sancitum, iterum innovavit. Post hæc ad priorem orationem regressus (10), eadem inculcat, nec minis parcens, nec promissiones præmiorum negligens: iisque omnibus beneficiorum a Deo acceptorum, grati animi excitamenta

menta

[1] Vide Jansen. Præf. & Comment. nost. in c. 1. v. 1. [2] Deuteronom. XXXIV. 5. [3] Vide Josue I. 1. [4] Deuteron. XXXI. 22. [5] Ibid. II. 24. [6] Ad Deuteron. XXXIV. 5. [7] Cap. XXVII. [8] Cap. XXVIII. [9] Cap. XXIX. [10] Cap. XXX.

menta adjicit. Demum orationem claudens, exposuit (1) se cxx. annorum ætate grandævum, ferendo Reipublicæ & exercitus ponderi jam imparem esse; addeos insuper, Divinæ Providentiæ consilio ingressu in Chanaanitidem se prohiberi; quare illud reputasse, ut Principatu sese abdicans, Josue, sibi a Deo datum successorem, statueret; quod actutum impletum est. Post hæc dimisso populo (2), Moyses omnia, quæ pro concione populo exposuerat, scripto redegit: quem deinde codicem in manu Levitarum & Seniorum populi depositum, jussit singulis septenniis in Festo Tabernaculorum in solemni populi concione legi.

Paucis ante obitum diebus, jussus a Domino una cum Josue ad Tabernaculum venit (3), eorum; quæ Deus ipsi Josue ediceret, testis futurus. Cum igitur in conspectum venissent, Deus discessurum populum a fide prædixit; jussit deinde Canticum scribere, quo alte in mente Israelitarum insidente, constans beneficiorum Dei, atque vicissim debiti in illum Hebræorum officii monumentum restaret. His peractis, tum & Cantico coram populo a Moyse recitato (4), eadem die Moyses ascendere montem Nebo, ubi diem clauderet supremum, a Domino jubetur. Ascensurus jam supremam benedictionem pius pater mœstissimis filiis impertitus est, benedictionem, inquam, singulis Tribubus peculiarem, in quibus de futuris eventibus singularum plurima (5). Pio illo officio persoluto, montis cacumen ascendit, ubi vita defunctus est (6). Hæc Deuteronomii summa.

Additiones in hoc Libro, quibus nonnullorum locorum sensa implexa efficiuntur, frequentiores quam in cæteris Libris Moysis, frequentioribus Exemplarium exscriptionibus accepto referendas credimus. Non enim Principes tantummodo (7), sed privatorum etiam singuli, illi Dei jussu, hi vero sponte sibi Exemplar describebant. Inter scribendum autem Amanuenses notas voces pro obsoletis substituebant interdum, uti & obscurum quandoque Textum nacti, opportunas voces & sententias perspicuitatis gratia addiderunt. Porro earum additionum aliæ Davidis, seu proximam illi ætatem referre creduntur, quo potissimum tempore, ut fere fit in Regno tranquillo, florenti, & pacato, studium Legis & Scripturæ viguisse inter Hebræos non immerito conjectamus.

Legis repetitio cœpta est a Moyse die prima undecimi mensis, anni ab inito itinere per Desertum quadragesimi. Obiit autem Legislator prima die mensis duodecimi ejusdem anni, ætatem agens cxx. annorum, A. M. 2553.

Opportunum factu visum est exhibere hic sub unum veluti conspectum totam legum Hebraicarum naturali ordine deductam summam. Cum enim frequenter interruptæ, nec rarius repetitæ in Libris Sacris describantur, Lectorem nimis distrahunt, quominus justam de illis ideam concipere, atque in unum veluti corpus redigere cogitando possit.

Deus Cœli, terræque Creator (8), ex universo hominum genere Abrahamo ejusque familia selectis in suum populum (9), fœdus cum illis in monte Sinai init, Legemque tradit, in qua se Deum unicum (10), solum proinde amandum atque colendum declarat (11). Neque amorem utcumque, sed cui nihil sit reliquum, exigit: gloriæ vero suæ atque justitiæ adeo studiosus assertor est, ut quantum in suos misericors, atque præstandis promissis fidelis, tantundem in animadversionibus severus, parentes perduelles usque ad tertiam & quartam generationem puniat; & vicissim pro patris fidelitate beneficia in mille generationes rependat (12). Juramenta per rei alterius cujuscumque nomen, nisi tantum suum ipsius, emitti vetat (13). Quare neque cultu ullo, neque ipso nomine (14) Deos alienos invocare, nedum imagines ipsorum, sive aliorum quorumcumque, etiam brutorum & syderum efformare fas est (15). Blasphamia in Deum morti obnoxia adjudicatur (16); neque mitior est sententia in juramenta inania, mendacia, calumniosa, utpote quibus crimen in veritatem, & sanctitatem nominis Dei infertur (17). Vota vel nulla fieri jubet, vel si fiant, statim impleri dilationem non inultam se passurum professus (18). Si quis temere sive de summa Dei authoritate periculum facere, sive illam in dubium revocare ausus fuerit (19); necnon qui Magos, Ariolos, Pseudoprophetas de rerum futurarum eventibus consulunt, sive se superstitionibus immiscent, illos reos criminis pronunciat (20). Jubet igitur purum, sibi ac sincerum cultum exhiberi, nullam somniis fidem (21): nullum cum ritibus eorum, qui comam tondent, commercium: procul esse jubet incisiones, & stigmata (22): Magi, Pythones, & Pseudo-Prophetæ e populo exterminentur (23); nihilque tandem feratur, quod ad idololatriam, sive pravo exemplo, sive sollicitatione inducat; ipsasque urbes ejus criminis reas vult devoveri (24). Cavendum insuper edicitur a luctibus, juxta morem Ethnicorum (25): ab oleo unctionis, & a thymiamate, cujus est usus in templo, mortis indicta pœna, abstinendum (26). Sese tandem insontes atque impollutos Deo servent Israelitæ, uti filios, famulos, & Dei populum decet (27): in Legis meditatione diu noctuque versentur, eamqua sive brachio, armillarum more, sive supra frontem alligent; in superliminaribus ædium inscribant (28).

In deserto Deus Tabernaculum sibi expandi, veluti Regi in castris cum populo suo versanti, voluit; in cujus papilionis opificium omnes donaria conferre (29): solos vero Sacerdotes ejus obse-

---

[1] Cap. xxxi. [2] Cap. xxxi. 5. 9. . . 14. &c. [3] Cap. xxxi. 14. &c. [4] Cap. xxxii. [5] Cap. xxxiii. [6] Cap. xxxiv. [7] Deuter. xvii. 18. [8] Gen. i. 1. [9] Levit. xx. 11. 12. Deut. xxvi. 18. 17. [10] Exod. xx. 2. [11] Deut. vi. 5. & x. 12. 20. [12] Exod. x. 5. 6. & xxxiv. 6. 7. Deuter. v. 9. 10. & v. 15. [13] Deuter. vi. 13. & x. 20. [14] Exod. xxiii. 13. [15] Exod. xx. 3. 4. & xxiii. 13. [16] Levit. xxiv. 11. [17] Exod. xx. 7. Deut. v. 11. [18] Deut. xxiii. 21. Levit. xxvii. Num. xxx. [19] Deut. v. 16. [20] Levit. xix. 31. & xx. 6. 27. & xvii. 18. Deut. xviii. 10. [21] Deut. xviii. 13. Levit. xix. 28. [22] Levit. xix. 27. &c. [23] Levit. xx. 27. Deut. xviii. 10. &c. [24] Exod. xxii. 20. & xxiii. 24. 25. & xxiv. 16. Levit. xix. 4. Deut. iv. 16. 17. & xiii. 2. 10. & xvii. 3. [25] Deut. xiv. 1. 3. [26] Exod. xxx. 33. [27] Exod. xxii. 31. [28] Deut. vi. 7. &c. xi. 20. [29] Exod. xxiii. 3. & xxv. 5.

obsequiis atque servitiis destinari; quibus unis ejus aditum permitti (1), nec nisi eo tantum in loco sacrificia offerri jussit (2). Quicquid autem hostiarum immolaretur, sive extra, sive intra atrium Tabernaculi, statim ante fores ejusdem Tabernaculi sisti voluit, ejusque sanctionis transgressores, tamquam homicidas damnari (3). Cum vero Israelitæ ad terram sibi promissam pervenerint, ait Deus, ter singulis annis urbem a Deo in sedem sui Templi selectam petant, debitum Domino obsequium (4) munerum oblatione (nefas est enim Deo vacuum se sistere), exhibituri. Deum autem cultu longe a Chananæis diverso colant; neque enim sive statuas erigere, sive aras passim excitare, sive lucum, ne circa altare quidam Templi, consecrare Israelitis fas est (5). In signum autem obtentæ a Deo regionis, quam colunt, primitias & decimas pro Sacris Ministris (6) ad Templum deferant, his additis ad Sacerdotem verbis (7): *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum terram, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis.* Acceptisque a Sacerdote oblationibus, statim Israelita prosequatur: *Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus est in paucissimo numero, crevitque in gentem magnam ac robustam & infinitæ multitudinis. Afflixeruntque nos Ægyptii, & persequuti sunt, imponentes onera gravissima, & clamavimus ad Deum patrum nostrorum, qui exaudivit nos, & respexit humilitatem nostram, & laborem atque angustiam; & eduxit nos de Ægypto in manu forti & brachio extento, in ingenti pavore, in signis atque portentis; & introduxit ad locum istum, & tradidit nobis terram lacte & melle manantem. Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi.*

Præter has oblationes, quotannis semel religiosa in Templo convivia instruere jubebantur Israelitæ, a quibus Levita, pauper, vidua, & orphanus non abessent (8). Suæ etiam preces his mensis erant in hæc verba (9): *Abstuli quod sanctificatum est de domo mea, & dedi illud Levitæ & advenæ & pupillo ac viduæ, sicut jussisti mihi; nec præterivi mandata tua, nec sum oblitus imperii tui. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei..... Respice de sanctuario tuo, & de excelso Cælorum habitaculo, & benedic populo tuo Israel, & terræ, quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris, terræ lacte & melle manauti.* Hæc tamen convivia semel singulis trienniis in sua cuique regione præstare fas erat.

Sacerdotes Domini amplissimis privilegiis atque muneribus decorabantur: illud in primis insigne, quod soli ministrarent Altari; adipem, Sanguinem, & quidquid insuper de victima adolendum esset, offerrent; unis insuper aditus in Sanctum, ad imponendum igni thymiama, accendendas lampades, ad innovandos singulis Sabbatis panes propositionis pateret. Suæ illis erant partes e victimis in sacrificiis pacificis, & pro peccato, ex oblationibus panis, necnon libamentis, quorum minima parte in ignem conjecta, reliqua Sacerdoti cedebat (10). In victimis pacificis armum dexterum, & pectusculum (11) Sacerdos sibi reservabat: adipem tradebat igni, sanguinem ad basim Altaris fundebat, quod reliquum erat, offerenti (12) permittebat. In sacrificiis pro peccato, renes, cauda, & adeps ilia comprehendens, reticulum jecoris, Domino; reliqua Sacerdotis erant (13). De holocaustis, igni omnia; vellus tantummodo Sacerdos habebat. Ex hostiis pacificis sive in Templo, sive in privatis ædibus cum tota familia degustare fas erat: post alteram vero diem a sacrificio, si ex iis reliquum fuisset, igne statim absumendum (14). De victimis pro peccato extra Templum sive degustare, sive efferre quid, Sacerdoti nefas (15): aliis vero a Sacerdotibus ne in Templo quidem aliquid ex iis delibare permissum: quoad decimas, primitias, primogenita, vota, & oblationes, familia Sacerdotia non excipiebatur (16). Sacerdos, qui ex sanctificatis aliquid ipse non purus in cibum caperet, ultimo supplicio damnabatur (17). Ex dapibus sanctificatis operarii mercede conducti, & advenæ non participabant; quamquam mancipia Sacerdotis non excludebantur; filiæ item e Sacerdotali familia viduæ sive repudiatæ, amissum antea ad eas dapes jus recuperabant. Porro dapes sanctificatæ censebantur, sive portiones, quæ ex victimis pacificis Sacerdotibus cedebant, sive quæ ex oblationibus Templo factis in usum eorumdem segregabantur: quoad decimas enim & primitias, quæ veluti Ministrorum proventus habebantur, nihil exceptum; qui enim Levitæ, & Sacerdotes inexpiati ali potuissent?

Primogenita tam hominum, quam pecudum, atque jumentorum universa Domino segreganda erant (18); nisi quod aliqua ex illis redimendi facultas esset. Hominum enim quinque siclis redimebantur (19); eademque erat de primis animalium immundorum fœtibus ratio, uti asini, & cameli. Siquidem pro asino ovis, sive quinque sicli offerri poterant (20), alioquin statim mactabatur. Animalia pura nullo pretio redimi, sed omnino cædi oportebat: quorum tantum adipe igni tradito, & sanguine ad basim Altaris effuso, reliquum Sacerdotibus cedebat (21). Quos recens planta fructus tribus prioribus annis emisisset, impuros haberi oportebat: quarti anni, omnes Deo consecrandi; a quinto vero anno eorum usus permittebatur (22).

Pro iis, quos sibi Deus universos primogenitos Israelis reservaverat, Tribum Levi substituit (23); e qui-

(1) Num. XVIII. 4. (2) Deut. XII. 14. (3) Levit. XVII. 3. (4) Exod. XXIII. 14. & XXIV. 20. Deut. XX. & XII. 11. 12. (5) Deut. XVI. 21. 22. (6) Exod. XXII. 29. 30. Deut. XXXI. 1. 2. (7) Deut. XXVI. 4. 5. (8) Deuter. XIV. 23. &c. (9) Deuter. XXVI. 13. 14. (10) Levit. II. 3. (11) Levit. VII. 31. &c. (12) Ibid. 30. 31. (13) Ibid. 1. 2. 3. (14) Levit. VII. 15. (15) Levit. VI. 26. & VII. 6. Num. XVIII. 9. (16) Levit. X. 14. Num. XVIII. 13. &c. (17) Levit. XXII. 2. &c. (18) Exod. XIII. 1. 2. & XXXIV. 19. &c. (19) Numer. XVIII. 16. (20) ℣. 17. 18. (21) Levit. XIX. 23. &c. (22) ℣. 24. 25. 26. (23) Numer. III. 41.

e quibus familiæ Aaronis Sacerdotio demandato, reliqui inferioribus Templi & Sacerdotum ministeriis deputati sunt. Sacerdotum igitur ministeria circa Altare, Sanctum, & Sanctuarium versabantur; ignemque, ne extingueretur, in eodem Altari curabant. Levitarum munus circa Templi fores, musicam, ac victimas, quas excoriabant, necnon circa ligna ad Altare afferenda. Levitis nullum jus erat corio nudandi victimas; quamquam id muneris semel & iterum exercuerunt ob Sacerdotum raritatem 2. Par. 29. 34. & 35. 11.

In Sanctuarium aditus nulli præter Summum Sacerdotem, ipsique die tantum Expiationis Solemnis, permissus (1). Ea dignitas tum crimina puniendi, tum Religionis res curandi summam in unum authoritatem conferebat (2). Ad illam vero assumi oportebat virum, cujus pater virginem fœminam, & ejusdem Tribus atque generis duxisset (3). Ipsum vero ab omni corporis vitio purum esse opus erat (4). Nec sane aliter decebat illum, per quem Deus oracula veritatis fundebat; siquidem Summus Sacerdos insignibus suæ dignitatis indutus, per Urim & Tummim, quæ in Rationali gestabat, Dei nomine consulentibus respondebat (5). Neque funera lugere, excepto tamen patris, funere; neque vel locum ingredi, ubi cadaver jaceret, ne quid impuritatis contraheret, permittebatur (6). Hæc tamen Lex cum Pontifice arctissima, aliis inferioribus mitior erat; siquidem vulgo Sacerdotes parentum, filiorum, & fratrum funeribus (7), non tamen extraneorum, neque etiam Principis, adsistebant. Levitas vero iis omnibus, quibus cæteros Israelitas, adesse fas erat. Quo temporis spatio Sacerdotes Templi servitiis occupabantur, ab uxoribus, & vino temperabant, studiose ab omnibus sese observantes, ne quid unquam impuritatis contraherent (8). Eorum vestis religiosa, qua in Templo simplices Sacerdotes utebantur, tunica erat linea, talaris (9), femoralibus, cingulo, & capitis operimento itidem lineis adjectis; in Levitarum veste nihil erat singulare. Ministrarunt illi in templo vulgaribus vestibus induti usque ad ætatem Agrippæ regis Judæorum, nempe ad annum circiter 72. æræ christianæ. Eo primum tempore ab Agrippa facultatem impetrarunt tunica linea, quam & Sacerdotes, utendi, quod malo omini acceptum est; cum veterum consuetudinum immutatio nusquam absque discrimine admissa sit. Comam minime nutriebant, uti neque barbam in labio superiori: pedibus erant nudis in Templo (10), ubi & cibum, & somnum capiebant.

Pontifex splendidiori sane veste utebatur. Femoralibus (11) lineis, tenuitate, & opere spectandis tunicæ alia superinducebatur, cærulei coloris, simplici opere, ac fortasse non manicata, cujus fimbriam tintinnabula aurea, & malogranata variato opere contexta, alterne disposita, ornabant. Hanc tunicam cingulus stringebat operis phrygii, & variati, cui nomen in Sac. Scriptura *Ephod*. Porro Ephod duabus fasciis splendidissimis constabat, quæ utrimque per humeros in anteriora descendentes, corpori deinde circumductæ, ante stomachum vinciebantur, simulque fluentem tunicam continebant. Qua vero fasciæ illæ ex humeris in anteriora descendebant, binæ gemmæ insertæ erant, sex utrimque nominibus Tribuum Israelis insculptæ: uti & quo loco ante pectus decussabantur, *Rationale* eminebat, nempe pannus ille quadratus XII. digitorum latitudine; duodecim gemmas singulis nominibus Tribuum Israelis insculptas præseferens.

Sacerdotibus cautum erat, ne cum fœmina moribus inhonestis, sive prostituta, sive tandem ab altero repudiata, connubia inirent (12). Si quæ vero filia Sacerdotis in crimine deprehenderetur, utpote quæ patris famam violasset, continuo igne damnabatur. Thuri offerendo alienum ignem adhibere Sacerdotibus nefas, quod Nadab, & Abiu morte expiarunt (13). In sacrificiis sale quidem semper (14), oleo, & fermento nunquam (15) utebantur. Suis impensis & opera panes propositionis conficiebant; quos singulis Sabbathis recentes mensæ aureæ in Sancto apponebant (16), veteribus remotis, de quibus comedere ipsis tantum fas erat (17). Insuper holocaustum perpetuum vespertinum, & matutinum, cum libationibus Sacerdotes sufficiebant (18). Vitia corporis, quæ a Sacerdotio, & vitia hostiarum, quæ a sacrificiis arcebant, in Commentariis recensentur (19).

Levitarum, & Sacerdotum proventus non agri quidem, & arva, quorum nulla assignata illis sunt; sed decimæ, primitiæ, oblationes, & victimarum partes uberem satis proventum dabant (20). Ne vero sedibus carerent, XLVIII. Urbes, earumque agri in circuitu, spatio mille cubitorum, pro domicilio assignata sunt (21). Domus illorum rusticæ eodem jure, ac cæterorum Israelitarum agri, vendi quidem, sed restituto ab ipsis pretio nunquam non redimi poterant; imo ne redemptæ quidem, anno Jubilæi ad pristinum dominum redibant (22). Ex eisdem urbibus, sex in asylum (23) iis, qui imprudentes hominem occidissent, destinatæ erant. E toto numero tredecim ad Sacerdotes spectabant; cæteræ ad Levitas (24). Semper ac farina aqua subigebatur ad panem conficiendum, e tota massa portio aliqua pro Levitis jussu Dei segreganda erat: quam portionem majorem quadragesima, minorem sexagesima parte Rabbini præscripserunt. Cum animal occidebatur, uterque humerus, ventriculus, & mandibulæ dono ad Levitas deferri solebant (25): neque sua portione, cum greges tondebantur, sive cum præda ex hostibus referretur, etiamsi bello non adfuissent, carebant (26). Adesse tamen bello semper Sacerdotes consueverunt, quorum

munus

(1) Levit. XVI. (2) Deut. XVII. 12. 13. (3) Levit. XXI. 13. (4) Levit. XXI. 17. 18. (5) 1. Reg. XXIII. 9. & XXX. 7. (6) Levit. XXI. 10. &c. (7) Levit. X. 6. & XXI. 2. &c. (8) Levit. X. 9. (9) Exod. XXVIII. 40. 41. (10) Vide dicta ad Exod. XL. 29. 30. (11) Exod. XXVIII. (12) Levit. XXI. 7. &c. (13) Levit. X. 1. 2. (14) Levit. II. 13. & Num. XV. (15) Levit. II. 11. (16) Levit. XXIV. 5. &c. (17) Math. XII. 4. (18) Exod. XXIX. 38. Num. XXVIII. 3. 4. (19) Levit. XXI. 17. 18. & XXII. 18. &c. (20) Num. XVIII. 20. 21. (21) Num. XXXV. 2. (22) Levit. XXV. 32. (23) Num. XXXV. 6. Josue XX. 7. 8. (24) Josue XXI. 19. &c. (25) Deut. XVIII. 3. 4. (26) Num. XXIX. 30.

munus erat tubis clangere (1), solemnesque illis formulas coram exercitu recitare (2): *Audi Israel: vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis: non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo*. Si quando Arca Fœderis in castra ducenda erat, illius deferendæ atque custodiendæ negotium Sacerdotibus committebatur (3). Nec raro etiam Summus Sacerdos cum sacris ornamentis, Dominum de agendis consulturus, aderat.

Convivia nulla ferme sive in Templo, sive in urbibus instituebantur, ad quæ Levitæ non accerserentur: quod quidem Hebræis Deus vicies in S. Scriptura commendat. *Cave*, ait, *ne derelinquas Levitam, qui in Urbibus vestris commoratur; neque enim habet aliam partem, & possessionem inter vos* (4). Decimæ illis non ex fructibus tantum, sed etiam ex pecoribus, quodcumque numeranti decimum forte occurrisset, solvebantur (5); liberum tamen erat suam decimam, oblato ejus pretio, quintaque insuper ejus pretii parte, redimere.

Ex collectis apud Levitas primitiis & decimis, pro Sacerdotibus decimæ segregabantur (6). Sacerdotes & Levitæ certa ætate, nempe anno xxv. sive xxx. ministerium inibant, atque annum agentes L. illud dimittebant (7). Sub Davide xx. annis nati admitti cœperunt (8). In ministrando vero mutuo sibi invicem Sacerdotes Sacerdotibus, & Levitæ Levitis succedebant. Si Levita, relicta sua sede, ad Templum venisset, ut ejus servitiis se toto tempore impenderet, illum recipi, & ex proventibus ejusdem Templi ali oportebat (9).

Levitarum, & Sacerdotum munus, præter sacrificia, erat populi institutio: quippe qui in cœtu solemni universæ gentis, die Expiationis, lectionem universæ Legis publice habere tenebantur (10). Cum novus Rex inaugurabatur, ejusdem Legis volumen ab illis recipiebat, ut deinde in suum usum transcribendum curabat (11). Si quid in judiciis arduum implexumque occurrisset, res ad Sacerdotes deferebatur; eaque occasione Summi Sacerdotis sententiæ non acquievisse capitale erat (12). De lepra judicium (13), de expiatione homicidii, cujus author lateret (14), de divortio, de aquis zelotypiæ (15), de votis Nazaræorum (16) ad illos spectabat. Tandem solemnis populi benedictio, atque Divini nominis super illum invocatio ex ipsis obtinebatur (17).

Sacrificia apud Hebræos non unius erant rationis. In holocausto, omnium perfectissimo, tota victima, detracta pelle atque extis, adolebatur. In sacrificiis pacificis, pro obtinendis referendisve gratiis, seu tantum pro asserenda Dei super omnia potestate institutis, sanguis tantum & adeps Deo, armi & pectusculum Sacerdoti, reliquum offerenti sacrificium cedebat. In sacrificiis pro peccato, nihil offerenti, sed adipe exta continente, reticulo jecoris, & renibus igni traditis, Sanguine ad basim Altaris fuso, reliquum Sacerdoti remanebat. Victimæ ut plurimum tauri erant, vaccæ, vituli, arietes, oves, verveces, hirci, capræ, & hœdi; aves nonnisi in expiatione hominis lepra mundati (18), ejusque, qui juratam rem imprudens non implesset (19), non adhibebantur: eaque occasione ex duabus avibus oblatis, altera immolari, altera libera in auras dimitti solebat. Verum peculiares de singulis Sacrificiis cæremonias recensere operosum esset nimis; quare prima Levitici capita consulantur.

Festa Israelitarum potissima, quibus ab anno XII. ætatis viri omnes adesse tenebantur, hæc sunt: Pascha, Pentecoste, & Festum Tabernaculorum. Nomen *Pascha*, quod transitus redditur, ejus Festi institutionem designat: Angeli enim exterminatoris memoria recolitur, qui per Ægyptum transiens, relictis Hebræis, omnes Ægyptiorum primogenitos occidit, ipsa nocte exitus Hebræorum ab Ægypto (20). In ea Solemnitate manipulus hordei solemni ritu in Templo offerebatur, veluti primitiæ hordeaceæ messis, statim a Festo colligendæ (21). Tota ea hebdomada panis nonnisi azymus adhibebatur (22); ipsoque ineuntis Festi vespere, in singulis familiis, sive X. aut XV. convivis coactis, agno, hœdove anniculo assato (23) cum herbis amaris epulum instituebatur. Illud quidem non tam convivium, quam specialis ritus sacrificium erat, ad agendas Deo gratias, & ad memoriam liberationis ab Ægypto excitandam, quamquam sanguis tantum ad basim Altaris effundendus erat. Cautum erat, ne hujus agni ossa ad extrahendam medullam comminuerentur. Alia erant hujus Festi sacrificia, quæ hoc loco recensere non vacat (24). Porro si quis Pascha die XIV. primi mensis cum suis cæremoniis celebrare neglexisset, e populo exterminari jubetur (25): pro iis tamen, qui sive impuritatem aliquam legalem contraxissent, sive in itinere essent, ad diem XIV. secundi mensis differri poterat (26); nec tamen quid de præscriptis cæremoniis quoad azyma, eorum gratia remittebatur.

Die L. a Paschate, Festum Pentecostes recurrebat (27), oblatione duorum panum ex novo frumento, in signum messis statim colligendæ (28), solemne. In eo memoria initi a Deo cum Israelitis fœderis, Lege in Sinai tradita, recolebatur. Sacrificia a Paschalibus Deo oblatis non discrepabant (29).

Festum Tabernaculorum, in memoriam itineris XL. annorum per desertum sub pellibus (30), tertium

---

[1] Num. x. 8. 9. [2] Deut. xx. 3. 4. [3] 1. Reg. IV. 4. & XIV. 18. & 2. Reg. XV. 24. 25. [4] Deut. XII. 18. 19. & alibi passim. [5] Levit. XXVIII. 30. 31. 32. [6] Num. XVIII. 26. [7] Num. VIII. 24. & IV. 3. [8] 1. Par. XXIII. 24. & 2. Par. XXXI. 17. & 1. Esdr. III. 8. [9] Deut. XVIII. 6. [10] Deut. XXXI. 10. 11. [11] Deut. XVII. 18. [12] Deut. XVII. 8. &c. [13] Levit. XIII. & XIV. [14] Num. XXI. 5. [15] Num. V. 14. 15. [16] Num. VI. 20. 21. [17] Num. VI. 23. &c. [18] Levit. XIV. 4. [19] Levit. V. 6. 7. [20] Exod. XII. 14. & XXIII. 15. Num. XXVIII. 16. Deut. XVI. [21] Levit. XXIII. 10. [22] Exod. XII. 19. 20. [23] Ibid. 8. &c. [24] Vide Num. XXVIII. 19. &c. [25] Num. IX. 13. Exod. XII. 19. [26] Num. IX. 6. [27] Exod. XXIII. 16. & XXIV. 22. [28] Levit. XXIII. 17. [29] Vide Num. XXVIII. 26. 27. collatam cum XXVIII. 19. 20. [30] Num. XXIX. 12. Lev. XXIII. 40. 43.

tertium succedebat; quo, in exitu anni civilis celebrato, simul gratiæ pro obtentis a Deo toto anno beneficiis, collectisque messibus, & uvis, referebantur (1). Tota ea hebdomada populus sub tentoriis ex arborum ramis contextis, degebat. Stata erant hujus Solemnitatis sacrificia (2).

Decima dies septimi mensis anni sancti, & primi anni civilis, Expiationi universæ gentis destinata, & jejunio sacra sub pœna mortis indicto, & pœnitentiæ operibus (3) addicta erat; ac tandem peculiaribus sacrificiis, & potissimum duorum hircorum (4); quorum alter liber dimittebatur, *Azazel* dictus, alter immolatus extra castra cremabatur, Eadem die Summus Sacerdos sanguinem vituli, atque hirci immolati in Sanctuarium inferebat; alterum ad lustrandum Sanctuarium, alterum ad populi expiationem (5). Eadem die immolari consuevisse credimus vaccam rufam, cujus cineres pollutionem in funeribus contractam expiabant.

Mensium calendæ festæ ducebantur, quamvis nulla esset his diebus indicta ab operibus requies. Statis sacrificiis (6), clangentibus in exordio buccinis, colebantur. Prima dies primi mensis anni civilis, & septimi anni sacri, quod anni introitus, præter alias cæremonias, tubis etiam denunciaretur, solemnitas tubarum dicta est (7).

Festum Sabbathi, ab ipso Deo post peractum opus creationis (8) dedicatum, omnium S. Scripturæ vetustissimum est; quippe quod ejus observantiam Moyses, mox ab egressu ex Ægypto, antequam ad Sinai veniret, indixit (9). Ab operibus sub pœna mortis (10) jussu Dei vacandum erat; adeo ut neque ignem excitandi parandis cibis facultas daretur (11): vacandum vero erat & ipsis mancipiis, brutisque: omnes enim ejus diei curas obsequiis & laudibus suis, Legisque meditationi Deus volebat impendi (12). Nec deerant, uti in reliquis Festis, peculiaria sacrificia (13).

Præter has solemnitates per anni cursum recurrentes, intra unius ad summum hebdomadæ fines conclusas, aliæ post certam annorum periodum, atque longiori temporis spatio continuatæ celebrabantur. Harum potissima annus erat Sabbathicus, quo Hebræi cultum agrorum negligere, & quidquid ii sponte produxissent, advenis, pauperibus, & orphanis (14), quin & brutis ipsis permittere jussi sunt. Ad hæc, servi Hebræi manumittebantur (15); æris alieni remissio (16), Legisque solemnis lectio fiebat (17).

Quibus quidem jussionibus Deus, licet politiam nonnihil negligere visus sit, studiose tamen æquandis bonis, & conditionibus apud Hebræos, ac infirmorum oppressionibus consulere; quin & labentem jam ex hominum mentibus creationis Mundi memoriam ea ratione refricare, simulque suæ in populum authoritatis specimen exhibere voluit. Eodem consilio, singulis L. sive potius XLIX. annis, Jubilæum (18) instituit, in quo non vacatio tantum ab agrorum cultu, manumissio servorum, ærisque alieni remissio, sed possessiones atque hæreditates ad veteres Dominos regrediebantur, Ejus anni ingressus circa mensem Septembris, (quo etiam tempore claudebatur) solemnibus cæremoniis, ac tubarum clangore indicebatur, Hoc sane monumentum Deus extare voluit suæ in universam gentem ac regionem potestatis; quamvis ne infirmos alioquin populi animos plus nimio tentaret, pro neglectis integri anni proventibus, sexto, & quadragesimo octavo quoque anno tantum messis se largiturum pollicetur, ut ad triennium sufficiat.

Quæ Moyses Regibus, forte per Israelitas eligendis, præscribit (19), longe alia sunt ab iis, quæ Samuel *jus Regis* appellat (20), Porro Rex, juxta Moysem, e medio populi, non ex alienigenis, ita Deo præcipiente, & populi suffragio eligendus erat. Vetitum illi, ne equitum numerum augeat, neve populum ad eos emendos in Ægyptum regredi cogat; fœminarum gregem, quippe per quas cor facile avertitur, ne nutriat; comparandis divitiis ne studeat, caveatque, ne tumido in fratres animo fit. Denique exemplar Legis apud se non in manibus tantum, sed & in corde retineat, eamque sibi agendi normam præscribat. Samuel vero jus Regis Israelitis explicans dixit, illum filios Israelis aurigas & præcursores suis curribus, quin & suos equites facturum. Ad hæc, alios Tribuni, & Centurionis dignitate donaturum, alios ad metendos ferendosque suos agros, nec non ad arma currusque suos fabricandos conjecturum. Fullonis vero, & culinæ ministeriis, conficiendisque unguentis filias Israelis addicturum. Servis suis ditandis, pinguiores Israelitarum possessiones in illos translaturum. Nihil fore tandem, sive ex mancipiis, sive ex laboribus, sive tandem ex jumentis in quos ipse manus non injiciat violentas: eodemque jure, sibi ex gregibus decimas, & populum universum in servitutem coacturum.

Bellum, quod potissimum erat Regis munus, non æquo jure cum singulis hostibus agendum erat; alia enim ratione cum Chananæis, alia cum cæteris curandum. Quibus bellum indicendum erat, æquis antea conditionibus pax offerebatur (21): renuentibus bellum denuntiabatur. Si oppugnanda urbs, atque longior immineret obsidio, contra quam propterea turres & aggeres, pro more illorum temporum, struenda essent, cautum erat (22), ne ullæ arbores frugiferæ, sive arva cæderentur. Si armorum vi tandem expugnaretur, contra viros quidem victorum iram exercere fas erat: fœminæ, pueri, bruta & utensilia in victorum potestatem, deinde toti exercitui distribuenda, venire debebant. In urbibus Chananæorum omnia, quæ vitam haberent, una clade involvebantur (23).

(1) Exod. XXIII. 16. (2) Levit. XXIII. 37. Num. XXIX. 13. 14. &c. (3) Num. XXIX. 7. (4) Levit. XVI. 6. 7. (5) Num. XXIX. 16. (6) Num. XXVIII. 11. (7) Num. XXIX. 1. &c. (8) Genes. II. 2. (9) Exod. XVI. 23. 29. (10) Exod. XXXI. 15. Num. XV. 32. (11) Exod. XXXV. 3. (12) Exod. XX. 2. (13) Num. XXVIII. 9. (14) Exod. XXIII. 10. 11. Levit. XXV. 1. &c. (15) Deut. XV. 2. (16) Exod. XXI. 2. (17) Deut. XXXI. 10. 11. (18) Levit. XXV. 2. &c. (19) Deut. XVII. 14... 20. (20) 1. Reg. VIII. 11. (21) Deut. XX. 11. &c. (22) Deut. XX. 19. 20. (23) Deut. XX. 16. 17.

Si collatis signis in acie certandum fuisset, ante prælium Sacerdos, Dei opem adfuturam pollicitus, milites ad certamen incitabat (1); deinde Duces, suæ singuli turmæ, elata voce regressum indicebant iis, qui sive novam domum ædificassent, seu vineam novam plantassent, vel tandem novam nuptam duxissent; durum enim nimis futurum videbatur, si fortasse in bello decedentes, partas suis laboribus possessiones, ne tantillo quidem obtentas, ad alienos transmittere cogerentur. Post hæc, coram universo exercitu (2) formidolosis omnibus, ut se a periculo subducerent, potestas concedebatur, ne suo exemplo in alios terrorem inducerent.

Relata ex hostibus spolia Imperator inter milites æque dividebat, nullo facto discrimine inter eos, qui decertassent, eosque qui remansissent ad sarcinas (3). Quin Moyses relata ex Madianitis præda, populum universum, qui in agro Madianitico tunc versabatur, unaque cum cæteris militibus ex tota ratione constituentem, carere noluit. Antequam spolia in castra ducerentur, prævia purificatione expiabantur hoc ritu: Metalla, & si quæ alia ignem paterentur, flamma; cætera vero aqua expiationis lustrabantur. Fœminæ alterius, quam Chananæorum, generis, in potestatem victorum captivæ cedebant (4); e quibus siquam herus uxorem ducere voluisset, post abrasos ejus crines, amputatos ungues, detractas vestes, cum quibus capta fuit, concessumque integri mensis luctum, ad amissionem parentum deflendam, statim sibi copulabat. Si vero succedente tempore, eam tandem uxorem fastidisset, illam manumittere cogebatur.

Sua etiam prædæ portio erat Dei, & Sacerdotum; ac in bello cum Madianitis ex singulis quingentis tam mancipiorum, quam pecudum, quæ militibus cessissent, singula sibi reservari; ex præda vero, quæ reliquo populo contigisset, quinquagesimam Levitis pendi Deus jussit. Sua etiam erat in spoliis, ac selecta portio Ducis, uti de Davide (5), & Gedeone (6) constat; ac in bello contra Madianitas, Duces Israelitarum armillas, & annulos aureos ex hostibus captos Deo exhibuerunt, fortasse tanquam Ducem, & Imperatorem universæ expeditionis ea oblatione illum agnoscentes (7).

Disciplinæ militaris in castris Israelitarum non segniter ratio habebatur; & quem in disponendis Tribubus circa Tabernaculum in castrametationibus per desertum, quem etiam in profectionibus ordinem servaverint, constat (8). Sordibus ablegandis, plura constituta erant: fœminæ ab expeditionibus excludebantur; imo siquis imprudens inter dormiendum pollutionis aliquid contraxisset, ille extra castra usque ad vesperam se continebat; nec nisi aqua toto corpore & vestibus lotus (9), regredi permittebatur, singuli milites paxillum cingulo appensum deferebant, ut scrobem excavarent, cum e castris egrediebantur, ut naturæ necessitatibus obtemperarent. Post prælium, tota hebdomada milites, utpote contactu cæsorum polluti, a castris abstinebant (10); ante regressum vero totum corpus, & vestes aqua eluebant: quod in bello contra Madianitas scimus, & in aliis observari consuevisse non dubitamus. Verum si ab universis prælium commissum fuisset, tunc contracta ab omnibus legali impuritate, alter alterius consortium vitare non tenebatur: quare omnes simul in castris versari poterant.

De Hebræorum politia pauca novimus. Ea quæ ad justitiam administrandam pertinent, ac de præcipuis illorum Tribunalibus, in Dissertatione de hoc argumento egimus. Judicandi potestas summa penes Reges, & Summum Sacerdotem erat: hinc illud populi ad Samuelem: *Constitue nobis Regem, qui judicet nos* (11). Summum Sacerdotem in arduis quibuscumque supremum Judicem Moyses constituit (12). Præterea sui erant singulis Judices urbibus, seu urbium portis, juxta phrasim S. Scripturæ (13); (is enim erat Judiciorum locus): eosque summa veneratione observari Moyses jussit, *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices* (14). Porro Principes, Judices, & Magistratus eodem ac Deus nomine *Elohim* nuncupabantur (15): illi siquidem veluti Dei administri, & assessores habiti sunt.

Cautum est ne Judicia venalia fiant, utque puras Judices habeant a muneribus manus, quippe justitia muneribus facile corrumpitur (16): turbam in deterius ne sequantur (17), nec Vulgi sententiæ æquitatis dispendio accedant; ne præpostera in pauperes misericordia, sive in divites obsequio, a Justitiæ tramite exorbitent; ne infantem, sive advenam fraudent; neve tandem cujuscumque personam respiciant (18): pater pro crimine filii, & vicissim filius pro scelere patris non puniatur (19). In pœnis exigendis summa severitas evitetur; quare neque post Solis occasum reorum cadavera in supplicio appensa relinquantur (20); neque fuste, sive ad virgas damnatis, ictus ultra XL. inferantur (21). Si qui in crimine falsi testis deprehenduntur, ejusdem criminis rei habentur, quod fratribus imputarunt (22); vitamque pro vita, oculum pro oculo, omni quoad illos clementiæ aditu præcluso, pendere cogantur. Verum reis supplicio damnandis non unius tantum, sed duorum triumve testimonio opus est (23).

Judicandi filios usque ad Legis promulgatæ ævum, penes solos parentes jus erat: quod quidem Moyses deinde in Judices ita transtulit, ut reos violati in parentes obsequii, sive verbo (24) sive percussione (25), sive contumacia & protervia (26), sola eorumdem parentum delatione accusatos, ultimo supplicio puniendos jusserit; quamquam nihil contra parricidas, quasi con-

---

(1) Deut. XX. 2. & XXIV. 5. (2) Deut. XX. 8. 9. (3) Vide Num. XXXI. 27. & 1. Reg. XXX. 24. (4) Deut. XXI. 10. &c. (5) 1. Reg. XXX. 9. (6) Judic. VIII. 24. (7) Num. XXXI. 49. 50. (8) Num. II. (9) Deut. XXIII. 10. &c. (10) Num. XXX. 19. &c. (11) 1. Reg. VIII. 5. (12) Deut. XVI. 10. &c. (13) Deut. XVI. 18. (14) Exod. XXII. 28. (15) Psal. LXXXI. 1. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos* [sive Deorum] *dijudicat*. (16) Exod. XXIII. 8. (17) Exod. XXIII. 2. &c. (18) Lev. XIX. 15. Vide & Deut. XVI. 18. 19. 20. (19) Deut. XXIV. 16. (20) Deut. XXI. 22. (21) Deut. XXV. 2. 3. (22) Deut. XIX. 18. 19. Vide & Levit. XIX. 16. (23) Deut. XIX. 16. 17. (24) Levit. XX. 9. (25) Exod. XXI. 15. (26) Deut. XXI. 18. 19.

contra rem, quæ evenire nequeat, in Lege præscriptum est. Cautum est parentibus, ne filios in cultum Moloch per ignem traducant (1); filiis vero, ut parentibus per omnia obsequantur (2). Necessitate ad extrema cogente, filios in servitutem vendere patri licet; qui tamen alterius filias emebant, non captivas, sed uxores sibi vel filiis suis comparare censebantur (3); secus, illas manumittere cogebantur. Parentes sane filias in matrimonium vendere consueverunt, unde fœminam emere, & cum illa matrimonio copulari, pro eodem usurpabatur.

Homicidii crimen capitale erat (4). Urbes asyli tres citra, totidem ultra Jordanem iis, qui imprudenter hominem peremissent, confugium præstabant. Qui ad asylum se recepisset, causam suam coram Judicibus ejus loci dicebat (5); deinde propinquis occisi postulantibus, ad locum cædis, datis custodibus, remittebatur: ubi causa discussa, si crimen Judices deprehendissent, in potestatem partis adversæ remittebatur; si vero cædes imprudenti contigisse probaretur, iterum ad urbem asyli reducebatur, ubi se usque ad obitum Summi Sacerdotis ita continere debebat, ut extra urbem deprehensus, impune a propinquis occisi interfici posset. Porro Leges illæ non de Israelitis tantum, sed de advenis etiam latæ sunt. Voluntarium homicidium nulla concessa pœnæ remissione, morte puniebatur; etiam a propinquis occisi inferenda, si forte in occisorem incidissent: nec pecunia vitam redimere, neque illam aræ religione defendere hujus criminis reus permittebatur (6).

Si duobus viris jurgantibus, alter ex illis vulnus alteri ita inflixisset, ut decumbere cogeretur, ac deinde ita a vulnere convaluisset, ut scipione fultus incedere posset; tunc qui injuriam intulerat, impensis in medicum, atque operis alteri persolutis, absolvebatur (7). Qui servum suum occidisset, homicidii reus habebatur; si vero ita vulnerasset, ut ad unum & alterum diem vitam produceret, impunis abibat herus; ipse enim mancipium possidet, ejusque dispendio illud perit. Si duobus rixantibus, mulier fœta casu transiens, forte percussa, abortum patiatur, tunc fœmina superstite, reus mulctam arbitrio viri, & selectorum ad eam rem virorum, persolvat; si mulier obierit, vita pro vita, oculo pro oculo, dente pro dente crimen expiabit. Herus oculum, sive dentem mancipio excutiens, illud manumittat (8). Si fœmina viro suo rixante accurrens, adversarii pudenda manu contigerit, manus abscissione mulctabitur (9).

Bos, qui hominem cornibus transfoderit, lapidibus opprimetur, ejusque carnibus abstinendum (10); Dominus vero, cui petulans bovis ingenium innotuerat, nec illum antea inclusit, vel morte damnabitur, vel requisitam mulctam persolvet. Mancipio illata a bove mors, bovis ejusdem lapidatione, & xxx. siclorum pretio hero persoluto expiabitur. Si bos bovem transfoderit, occisi carnes pretiumque superstitis (qui vendetur) inter utriusque dominos æque dividentur; domino tamen, cui sui bovis petulantia innotuerit, neque periculo eumdem claudens in bubili occurrit, defunctum animal, superstes alteri cedet. Si putei defossi os non occludatur, indeque bos, sive asinus in illum incidens pereat, domini ejusdem putei dispendio perit; ad eum vero defunctum animal pertineat.

Adulterii crimen tam in viris, quam in fœminis capitale (11); desponsæ vero siquis vitium intulisset extra urbem, procus tantummodo interibat; intra urbem uterque; fœmina enim vim causari non poterat, quippe quæ clamando sese subducere valuisset.

Incestus, sodomia, & a quibus natura abhorret, crimina, capitali pœna puniebantur (12). In prostituentes pudicitiam tam viros, quam fœminas gravissima pœna animadvertebatur (13); atque infame lucrum ad Templum inferre nefas (14). Si quis fœminæ vitium intulisset, illam ducere cogebatur; dissentiente tamen puellæ patre, dos vitiatæ tantum persolvenda. Imo & ad mulctam L. siclorum patri puellæ persolvendam, & ad nuptias procus adigebatur, si re ad Judicium delata, vis ab illo aliqua illata fuisse probaretur (15); sine vero conjugium per repudium solvere vetitum. Viris ad uxorem menstruatam accedere nefas; quod quidem crimen ad judicium delatum capitale erat (16).

Legis quidem præcepta homini in officio continendo, quoad ea, quæ extrinsecus parent, lata sunt; non ita tamen, ut cordis desideria negligat; alterius namque bona, & fœminas concupiscere inhibitum est. Post repudium (quod quidem toleratur) si fœmina alteri nupserit, iterum cum illa conjugium nectere prior vir prohibetur (17). Turpia illa, a quibus natura maxime abhorret, his fortasse verbis per ænigma prohibentur (18): *Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est; non seres vineam tuam altero semine: non arabis in bove simul & asino; non inductur mulier veste virili*, ac vicissim.

De furto nihil non vetitum (19), licet non iisdem omnia pœnis prohibita. Liberum hominem in mancipium furto vendere, capitale erat (20): bos sublatus quintuplo, ovis quadruplo restituenda (21); furto tamen extante, duplo tantum. Fur noctivagus, suffodiens parietes deprehensus, impune occiditur: diuturnum vero interficere capitale est. Fur si bona, quorum pretio furta sua restituat, non habet, vendatur (22). Qui damnum alterius agro seu vineæ intulerit; vel si cujus incuria seu culpa messes in agro, seu manipuli in area alterius, igne cor-

(1) Lev. xviii. 21. & xx. 1. 5. Deut. xviii. 10. (2) Exod. x. 12. (3) Vide Exod. xxi. 7. 8. 9. (4) Exod. xx. 13. & xi. 12. 13. (5) Num. xxxv. 25. 24. Deut. xix. 1. &c. (6) Exod. xxi. 14. (7) Exod. xxi. 19. 20. (8) Deut. xxxv. 11. (9) Exod. xxi. 28. 29. &c. (10) Exod. xx. 14. Levit. xx. 10. Deut. v. 18. & xxii. 21. &c. (11) Levit. xviii. 6. 22. & xx. 11. 17. (12) Exod. xxii. 19. Levit. xviii. 22. & xix. 29. & xx. 11. Deut. xxiii. 18. (13) Exod. xxii. 16. (14) Deut. xxii. 1. 18. (15) Deut. xxii. 28. cum Exod. xxii. 18. (16) Exod. xx. 17. Deut. v. 20. (17) Deut. xxiv. 1. (18) Deut. xxii. 5. 9. 10. 11. Levit. xix. 19. 20. (19) Exod. xx. 15. (20) Exod. xxi. 16. & Deut. xxiv. 8. (21) Exod. xxii. 1. &c. (22) Exod. xxii. 4. 5.

rumpantur; ille de suo agro & vinea damnum reparabit. Depositum custodis fraude sublatum, si fraus in Judicio probetur, duplo restituendum; si dolus absuerit, custos coram judice juratus absolvitur. Si cui pecus alterius creditum est, ejusque incuria, seu dolo perierit, sive furto sublatum sit, ipsius dispendio peribit: ab hostibus sublatum, seu si forte occubuerit, re in Judicio sacramento probata, custos absolvitur: si tandem a bestiis voratum sit, discerptæ pecudis reliquiis ad Dominum delatis, insons idem custos judicatur. Alia vero est ratio de commodato, & conducto; conductor enim & commodatarius absolvitur, si coram domino animal perierit; secus, ad restitutionem adigitur.

Fœnus a suis exigere Israelitis nefas; cum externis toleratur (1). Pignus si quis a debitore petit, creditor illius ante fores opperiatur quidquid ab altero producetur (2); a molis tamen, quibus triticum teritura vestibus viduæ accipiendis abstineat; vestem autem, sive culcitram acceptam, saltem ante vesperam restituat, ut frater nocte dormiens foveatur (3). Mercenariis diurnis ante noctem pretium persolvendum (4). Divites mutuum dare pauperibus recusantes, quod ex illis nihil sperent lucri, damnantur (5); mutuam enim opem sibi Israelitæ præstare debent, ut nemo indigere cogatur. Alieni agri termini ne transferantur (6). In colligendis messibus, & uvis non ita seduli sint messores, ut racemos & spicas pro indigentibus, qui pone se consequuntur, nullas relinquant; & si forte manipulus in agro per oblivionem relictus fuerit, deinde non requiratur. In conviviis religiosis pauperum, viduarum, orphanorum, advenarum, ac Levitarum ratio potissimum habenda (7). *Advenam non contristabis*, ait Moyses (8), *advenæ enim & ipsi fuistis in terra Ægypti . . . scitis enim advenarum animas*. Neque in fratres tantum & amicos, sed in adversarios quoque benevolo esse animo Deus jubet, omnem ultionis exigendæ curam sibi reservans (9). Hinc si adversarii jumentum sub sarcinis satiscat, manus illi relevando apponenda: si pecus illius errabundum offendator, ad caulas reducendum (10). Quæ tamen de Chananæis dicta non intelliguntur, per Israelitis ultionis divinæ ministros, igne & aqua interdicendis (11). Racemos sive spicas forte occurrentes colligere ad vescendum fas est; ad asportandum, nefas (12).

Penes Israelitas mancipiorum duplex erat genus; ex Hebræis nempe, & advenis. Hebræi anno Sabbathico manumittebantur: cæteris æterna servitus (13). Hebræi vero, qui servitutem libertati prætulissent, Legis privilegio coram Magistratibus renunciabant; domum deinde ab hero reducti, cum ad fores pervenissent, subula auribus perforabantur. Una cum conjuge & filiis manumittendus, si captivitatem una cum illis subivit; si vero in captivitate conjugem ab hero accepit, solus ipse manumittitur. Si vir Israelita, egestate cogente, libertatem suam externo vendiderit, a propinquis redimendus; si vero illi tenues substantiæ sint, quisque Israelita redimere possit; vel ipse tandem servus pretium pro se restituat. A quocumque tamen solvatur, integra pecunia hero restituenda, deductis tamen annis in servitute exactis, & supputato temporis spatio usque ad annum Jubilæi; Israelitis enim simul & extraneis vetitum, ultra Jubilæum captivos, necnon alienas hæreditates diutius retinere. Si mancipium ab hero dure habitum, inditionem Israeliticam confugerit, quamcumque tandem urbem elegerit, tuto ibidem agere permittatur (14). Filiam si quis a patre emerit, vel ipse, vel filius ipsius in conjugem inferioris ordinis illam habebit; secus, eamdem anno Sabbathico libertati restituens, xxx. siclis juxta Rabbinorum doctrinam donabit. Hanc vero filiam semel emptam aliis vendere nefas, neque eidem filiæ ultra annum Sabbathicum servitutem suam producere permissum est. Si emptor servam filio suo nuptum tradidisset, integrum illi erat eidem filio novam conjugem adjungere, rato semper, ac firmo prioris fœminæ jure; Uxori semel emptæ vir domum, vestitum, & si quæ alia conjugem decent, præstabit: in quibus si æquo parcior fuerit, fœminæ servitutem solvere, ne expectato quidem anno Sabbathico, licet.

Hominibus in homines bene afficiendis, humanitatis sensus ipsa vel in bruta per Legem insinuantur. Hinc die Sabbathi quies non hominibus tantum, sed & jumentis indicta (15). Pascua toto anno Sabbathico omnibus pervia (16), ipsis, ut videtur, etiam belluis agrestibus. Plura etiam in Lege præscripta sunt de non coquendo hœdo in lacte matris suæ (17), de non capiendis in nido pullis, sive ovis una cum matre (18), de non mutilandis brutis (19), de non alligando ore bovis triturantis (20), de non jungendis simul jumentis diversi generis (21). Eosdem humanitatis sensus inducunt Leges, quibus de surdo obloquutio interdicitur, sive ne coram cæco offendiculum ponatur (22).

Non omnibus indiscriminatim animantibus Israelitis vesci, quin & omnibus æque avibus, & piscibus concessum; erant quæ impura, erant etiam quæ pura apud illos habebantur. Ex quadrupedibus, quæ tantum saltem bifida ungue non essent, nec ruminarent, impura (23). Ex piscibus, qui pinnulis, & squammis carerent, abjiciendi; ex avibus quoque, & reptilibus plura hujus generis suppetunt. Porro animantia illa, dum vivebant, contingere nulla Lege interdictum erat;

(1) Exod. xxii. 25. Levit. xxv. 37. Deut. xxiv. 19. 20. (2) Deut. xxiv. 6. 10. (3) Exod. xxii. 26. (4) Deut. xxiv. 14. 15. Levit. xix. 13. (5) Deut. xv. 4. 8. (6) Deut. xix. 14. (7) Levit. xix. 9. 10. Deut. xxiv. 19. (8) Exod. xxii. 21. & xxiii. 9. Levit. xix. 33. 34. Deut. x. 18. (9) Lev. xix. 18. Deut. xxxii. 35. (10) Exod. xxiii. 4. 5. Levit. xix. 17. Deut. xxii. 1. &c. (11) Exod. xxiii. 32. 33. & xxxiv. 12. Deut. vii. 2. 16. (12) Deut. xxiii. 24. 25. (13) Vide Exod. xxi. 1. ... 6. Levit. xxv. 39. &c. (14) Deut. xxiii. 15. 16. (15) Exod. xxiii. 12. (16) Levit. xxv. 7. (17) Exod. xxiii. 20. & xxxiv. 26. Deut. xiv. 21. (18) Deut. xxii. 6. (19) Lev. xxii. 24. (20) Deut. xxv. 4. (21) Lev. xix. 19. Deut. xxii. 10. (22) Lev. xix. 14. (23) Levit. xi. 2. &c. & xx. 25. Deut. xiv. 4.

erat; mortua vero si quis attigisset, inquinabatur, nec nisi ad vesperam, lotis prius corpore, & vestibus, contracta macula eluebatur. Nervo femoris cujuscumque animantis etiam puri vesci minime permissum, quod Jacobi femur Angelus contigerit (1); uti & a morticinis, sive a bellua carnivora discerptis abstinendum (2). Sanguis, & adeps eodem jure vetiti censebantur (3).

Masculorum circumcisio die octava a nativitate, Abrahamo olim præcepta, ad omnes Israelitas capitali pœna prorogata est (4). Legales sordes, quæ ab usu rerum sacrarum arcebant, sive quæ ab hominum commercio homines interdicebant, non unius erant rationis. Cadaver contigisse, sive in eadem cum illo domo egisse, funeri interfuisse, virum per hebdomadam inquinabant, qui dein aqua expiationis sub capitali pœna lustrandus erat (5). Lepra, gonorrhæa, menstrua non morbum tantum, sed & legalem sordem inducebant, quamdiu ægrotus non convaluisset (6); post morbum vero sacrificium pro expiandis iis criminibus, quæ imprudenti eo temporis spatio contigisset, indictum erat. Si quis inquinatum, sive ab illo contactum attigisset, diurnam maculam contrahebat (7). Puerpera, quæ masculum edidisset, XL. diebus; quæ vero fœminam, quinquagenis impura habebatur (8): quo temporis spatio neque res sacras contingere, neque ante Templi atrium se sistere permittebatur. Eo vero elapso, agno & turture, sive pullo columbarum, seu duplici turture vel pullo duplici columbarum (quod paupercularum sacrificium erat) in sacrificium oblato expiabatur.

Exteri, quibus circumcisionis nulla erat ratio, ab Israelitis impuri habiti sunt, adeo ut rem inquinatam innuere volentes, *incircumcisam* dicerent. Chananæi, & Amalecitæ anathemati devoti (9); Eunuchi, nothi, atque prostitutæ filii ab Ecclesia Dei usque ad decimam generationem (10), nempe a consortio privilegiorum Israelis, exclusi sunt. Idem de Ammonitis, & Moabitis in Lege cautum est (11); cum quibus etiam populis fœdus, & amicitiam inire vetitum. Idumæi, & Ægyptii, illi quod Esau Jacobi germanum patrem habuissent, hi quod Israelitas tamdiu jure hospitii apud se habuissent, post tertiam generationem recipiebantur.

Dolo & fraudi in commerciis removendis, plura sancita sunt. Vendendo, emendoque, exigendo atque solvendo justa mensura adhibeatur (12). Senioribus obsequium præstandum, neque coram illis assidendum (13). Ansulæ ad quatuor angulos pallii ab Israelitis assuendæ, uti & ad oras vestium fimbriæ, quo earum aspectu Legis memoria refricetur (14). Deficientibus masculis, fœminæ in jus hæreditatis vocantur (15): quibus autem fœminis hæreditas obvenerit, virum ex aliena Tribu ducere prohibentur, ne Tribuum possessiones turbentur (16). Defuncto sine liberis fratri fratres succedunt, eorumque defectu, patrui; sin minus, sanguine propinquiores.

Decedente sine liberis fratre, frater superstes relictam ex illo viduam duceret, ut extincti memoriam in prole conservaret (17): qui si conjugium renuisset, ad portas urbis a fœmina adductus, calceo exuebatur, illique in os expuebatur, his verbis adjunctis: *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui*. Sinistra de fide conjugis opinione a viro concepta, aquæ ad eam rem destinatæ judicio illam subdebat (18); Deo Hebræorum proterviæ aliquid indulgente, quo majora mala vitarentur. Eadem etiam indulgentia permissum est, ut vir uxorem absque indiciis virginitatis deprehensam (19) judicio sistat: si tamen accusatio falsa probaretur, virgas, sive fustes accusator subibat, pretio insuper C. siclorum persoluto. Viro duplici conjugio copulato, jus primogenituræ filio natu majori acquisitum, in alterum ex prædilecta conjuge natum transferre, sive invisæ conjugis natum eodem primogeniti jure privare interdictum (20).

Tota Chanaanitidis regio pro numero Tribuum, singulorumque contribulium æquis portionibus dividenda erat (21). Ædium culmina muri lorica ambienda, quo in tectis in morem solarii complanatis, inambulantium periculum vitaretur (22).

Vota non unius erant generis apud Hebræos: sive enim se, sive alios devovebant (23). Quo voto adstricti, pecunia redimebantur, varia illa quidem, pro sexus ætatisve discrimine. Viris enim ab anno ætatis XX., usque ad LX., mulcta L. siclorum, fœminis XXX. indicta. A quinto usque ad XX. viri XX. siclos; fœminæ X. pendebant. Ab anno ætatis LX. & ulterius, XV. siclos vir, X. fœmina solvebat. Pauperiores pro facultatum modulo, ad Sacerdotis arbitrium. Animal sacrificio aptum, voto consecratum, immolandum omnino, neque a volente redimi poterat: impurum vero si offerens redimere velit, pecuniam quæ Sacerdoti videbitur, & quintam insuper partem adjiciat. Ædes prius æstimandæ, deinde Sacerdotis lucro vendendæ; quas si dominus sibi habere velit, supra pecuniam æstimatam, quintam adjiciet. Ager voto consecratus, a Sacerdote de more æstimandus, supputatis redditibus, & spatio temporis usque ad Jubilæum; liberum deinde est offerenti illud sibi emere, si pretio quintam addiderit: si vero alieno vendatur, neque in Jubilæo ad veterem possessorem regreditur; cum enim sanctus sit ager, & Sacerdotibus acquisitus, Sacerdoti in Jubilæo restituendus. Primogenita ad Dominum spectant, quorum proinde per votum consecratio supervacanea esset.

Ea, quæ anathemati devovebantur, nulla concessa redimendi potestate, animalia quidem neci tra-

(1) Gen. XXXII. 32. (2) Exod. XXII. 31. Levit. XVII. 15. (3) Gen. XVII. 11. &c. (4) Lev. XVII. 10. Gen. IX. 4. Deut. XII. 23. 24. Levit. VII. 25. (5) Num. V. 2. & XIX. 11. &c. (6) Lev. XIII. 45. 46. & XV. 2. 19. (7) Ibid. ℣. 4. (8) Levit. XII. 4. &c. (9) Exod. XVII. 14. Deut. XXV. 17. (10) Deut. XXIII. 1. 2. (11) Deut. XXIII. 1. 6. (12) Levit. XIX. 35. Deut. XXV. 13. 15. (13) Lev. XIX. 32. (14) Num. XV. 38. Deut. XXII. 12. (15) Num. XXVII. 5. 6. & XXVI. 3. &c. (16) Num. XXVII. 8. &c. (17) Deut. XXV. 5. &c. (18) Num. V. 14. (19) Deut. XXII. 14. 13. (20) Deut. XXI. 15. 16. (21) Num. XXXIII. 53. & XXXIV. 14. (22) Deut. XXII. 8. (23) Levit. XXVII. 2. &c.

tradenda fuerant, ædes vero & possessiones Sacerdotibus acquirebantur (1). Decimæ ex frugibus & pecoribus, soluto pretio, & quinta insuper parte, redimi poterant. Vota statim & plena fide implenda sunt (2). Filia sub patris disciplina si voto se obstrinxit, & pater sciens siluit, voti rea est: renuente patre, voti religione nequaquam tenetur. Conjugio copulatæ votum, viro intra diem dissentiente, solvitur; si altera die vir propositum suum significaverit, votum nihilo secius firmum ratumque est. Repudiata, & vidua, voti, si quo se obstrinxerit, rea est.

Nazaræi genus sunt virorum Deo devotum, abstinentiam a vino meraceisque liquoribus profitentes, quibus intonsa est coma, totoque Nazaræatus tempore ad funera non accedunt (3). Elapso voti tempore, ante fores Templi a Sacerdote sistebantur; statimque agnus in holocaustum, ovis pro peccato, aries in hostiam pacificam offerebantur. Victimis immolatis, Nazaræi coma abradebatur, igne altaris absumenda: dein traditum sibi a sacerdote armum arietis, atque panis & laganæ oblationem Nazaræus iterum Sacerdoti restituebat, coram Domino elevanda. His peractis, vini usus Nazaræo permittebatur. Si voti tempore forte coram eo vir aliquis occubuisset, iterum cæremoniæ Nazaræatus ab exordio repetendæ erant, atque insuper duo columbæ in expiationem offerendæ.

Cum tota ante Chananæis idololatriæ superstitione teneretur, quo tempore ab Hebræis occupata est, impia fictæ religionis monumenta, quæ unquam occurrerent, subverti, lucos, aras, petras, columnas, Deorum simulacra Deus jussit (4). Sibi vero primum aram ex glebis ad radices Sinai excitari (5) voluit; deinde alteram ex ligno, excavatam, æreisque laminis superinduram, & in Tabernaculo collocandam, quæ cratem æneam in medio cavitatis suspensam sustinendo igni continebat (6). Porro ad illam per gradus ascendere vetitum, ne forte inter ascendendum ea detegerentur in Sacerdotibus, quæ intuentium pudorem offenderent (7). Judæis Terræ promissionis limites ingressis, jussit Deus alias ex Tribubus montem Garizim conscendere, ibique Legem Dei servantibus benedictiones precari, alias vero montem Hebal tenentes, dira imprecari in Legis prævaricatores (8). Ara deinde ingens erigenda calce oblita, in qua Lex Dei inscriberetur. Porro hoc præceptum a Josue impletum est (9).

DISSERTATIO
DE DIVORTIIS.

QUæcumque gentes connubium jure tantum politico spectantes perinde habuerunt ac meram & simplicem pactionem, inter virum & mulierem initam, qua corporum & bonorum communione mutuo consociarentur; illæ sane omnes, quemadmodum mutuo consensu constare illud, ita divortium, quod connubii societatem abrumpit, mutuo partium recedentium consensu, sive prioris assensus revocatione ab utraque simul, vel ab una tantum ex partibus facta, induci posse autumarunt. Ex hoc autem apud eas gentes illud consequebatur, ut divortium, tanquam naturali jure singulis permissum, licitum sibi quacumque demum ex causa ducerent; quo semel facto, utrique parti nova inire connubia, novisque legibus alterum sibi conjugem adsciscere integrum esset. Eo tandem licentiæ venerunt, ut alteri ab altero recedere, illo etiam invito & renuente, fas esse dicerent; quod sane citra æquitatis dispendium nunquam fieri potuisse constat; nisi ea tacita lege pacta connubialia sancita, ut sive uni tantum ex contrahentibus, sive utrique pro arbitrio recedendi facultas esset.

Verum si religionis etiam partes in iis connubiis spectentur, quæ sane Religio juxta Dei mentem vinculo quodam indissolubili in unam divini humanique juris societatem conjuges jungit (1): tunc prorsus, quod matrimonium rite contractum dissolvat, nihil est; atque divortii libertatem, qualis apud Paganos obtinebat, tanquam sancitæ a Creatore legis violationem habendam esse constat.

Cum vero Legislatori tolerare divortium, ut imbecilliori populo indulgeret, visum sit, tum & Christus dimittendi conjugem, limitatam tamen ad certas causas atque rationes, facultatem permiserit; operæ pretium duximus in unam sermonis seriem ea omnia redigere, quæ de hoc argumento collegimus: veriti ne suis locis singula distribuentes, Lectorem haberemus nimis distractum, quominus totius rei seriem teneret.

Eo quidem temporis spatio, quod Mosaicam Legem præcedit, rara suppetunt exempla divortii. Abraham ancillam suam Agar conjugem inferioris ordinis, intolerabili mulieris fastu provocatus repudiavit, sola sibi reservata Sara, sterili quidem sed morigera conjuge (2). Onkelos, & Jerosolymitanus Paraphrastes, quos Rabbinorum turba secuta est, totam murmuris Aaronis & Mariæ in Moysem (3) causam tribuunt repudio, ab eodem Moyse dicto filiæ Regis Æthiopiæ [Tharbim appellant] de quo conjugio Josephus (4); alii rejectam ab eo Sephoram malunt. Nos tamen neutram credimus, neque in exemplum divortii venisse unquam Moysem in animum inducere possumus: quamvis enim Sephoram ad parentem Jethro remisit (5), id tamen ad tempus factum est; atque veniens in castra Jethro uxorem ad virum non reduxit tantum (6), sed recedens apud illum reli-

[1] Levit. xxvii. 28. [2] Num. xxx. 31. [3] Num. vi. 1. &c. [4] Lev. xvi. 1. Deuter. xiii. 2. 4. [5] Exod. xx. 24. 25. [6] Exod. xxvii. 8. [7] Exod. xx. 26. [8] Deut. xi. 29. & xxvii. [illegible] [9] Josue viii. 30. 31.

[1] *Matrimonium est maris & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens, divini humanique juris communicatio.* L. 1 de Rit. Nupt. & can. 1. caus. 27. qu. 2. [2] Gen. xxi. 14. [3] Vide Num. xii. 1. [4] Antiq. l. 2. c. 5. [5] Exod. iv. 25. [6] Exod. xviii. 6.

reliquit. Fateamur tamen oportet, ante Legem divortia tum apud alios, tum apud Hebræos obtinuisse; cum Jesus Christus permissa fuisse a Moyse divortia affirmavarit, quod Judæi obfirmato essent erga illa animo (1), eorumque inhibitione mala pejora timeret.

Serius plane Legislator Legem de divortiis tulit; non enim prius rogasse eam legimus, quam cum paulo ante obitum orationem in Deuteronomio relatam ad populum haberet (2). En illam: *Si acceperit homo uxorem, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque libellum repudii . . . . . vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta coram Domino.*

Quid sit illud, *Propter aliquam fœditatem*, inter Veteres, Recentioresque Interpretes ambigitur. Hebræus ad litteram ערות דבר Ἀσχήμον πρᾶγμα, *Propter verbum*; vel rem *nuditatis*, seu *verecundiæ*. Nuditatis nomine in Sacra Scriptura plerumque fœdus aliquid, & pudori contrarium designatur. *Turpitudinem matris tuæ non discooperies*, ait Moyses (3). *Probibe pedem tuum a nuditate*, ait Jeremias II. 25. & Nahum III. 5. *Ostendam gentibus nuditatem tuam*. Septuaginta dictum exponunt de turpi aliquo actu. Tertullianus (4) legit: *Impudicum negotium*: in quem etiam sensum inclinantes optimi quique Commentatores, ea tantum ratione divortia permitti Judæis putant, si adulterium, vel aliquid impudicum commissum fuisse, non levi quodam rumore, & conjectura, sed certis argumentis constet: pro sola enim suspicione fidei in conjugio violatæ aquas Zelotypiæ destinatas legimus.

Veterum Israelitarum mores huic interpretationi plane congruunt; nulla enim aperta & explorata divortii exempla sub lege suppetunt. Docent insuper Judæi (5), Davidem ipsum, cum permissum decem & octo uxorum numerum implesset, ac vellet Abisag decimamnonam ducere (6) ut id præstare, sive saltem una ex prioribus uxoribus repudiata puellam ejus loco substituere permitteretur, nunquam impetrare potuisse; quare inter concubinas vel uxores inferioris ordinis illam recipere coactus est. Sed ne Rabbinicis commentis immoremur, illud constat, Davidem, violatas publico incestu ab Absalomo uxores suas ne abjecisse quidem, intra aulam perpetuo clausas eas detinere contentum (7). Ut uxorem, cui olim ab ineunte adolescentia fidem addiximus, perpetuam thori sociam habeamus, Salomon etiam atque etiam hortatur (8); sed adulterio ream uxorem penes se detinere, stolidi esse atque impii viri crimen profitetur; quo scilicet dicto hanc unam causam dimittendi uxorem designare videtur. Malachias II. 15. eo nomine Abrahamum laudat, quod uxorem suam Saram, quamvis sterilem, retinuerit; Judæos vero in divortia pronos ita verbis castigat: *Non respiciam ultra ad sacrificium . . . . . & dixistis: Quam ob causam? Quia Dominus testificatus est inter te, & uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti; & hæc particeps tua, & uxor fœderis tui*. Et Michæas II. 9. *Mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum, a parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum*. Tandem Moyses mentem hac in re suam satis prodit, cum uxorem antea dimissam, & alteri deinde viro nuptam, ad priorem restitui thorum post obitum secundi conjugis vetat, eo quod, ait, *polluta est, & abominabilis facta coram Domino*; easdemque repudiatas fœminas eodem cum prostitutis & vitiatis censu haberi jubet a Sacerdotibus, imperans ut ab iis utrisque abstineant (9). Prophetæ, cum Israelitarum reprobationem frequentissime oggerunt, sub divortii emblemate, veras ejus causas narrant, perfidiam scilicet, idololatriam & crimina Israelitarum (10). Tertium hoc fœminæ a maritali thoro avulsæ spectrum ita sub oculis Salomon exhibet Prov. II. 17. 18. *Ut eruaris a muliere aliena & ab extranea, quæ mollit sermones suos, & relinquit ducem pubertatis suæ; & pacti Dei sui oblita est; inclinata est enim ad mortem domus ejus, & ad inferos* [seu ad sepulchrum] *semitæ ipsius: omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur*.

Rabbini, in divortium alioqui indulgentissimi, id tamen apud sapientissimos & religiosissimos gentis suæ viros nunquam usu receptum fuisse, omni Legis privilegio renunciantes, ultro fatentur, si quando autem, addunt, a quodam ex illis factum constat, id nonnisi summo consilio & cautione admissum est; maxime si de uxore prima omnium in thorum admissa, in Scriptura *Uxore pubertatis*, dimittenda ageretur. Quicumque priorem uxorem dimittit, ille ex ipso Altari lachrymas crimine suo exprimit, ait Rabbi Eliezer. Laudatur etiam in eam rem vetus paræmia Rabbi Ben-Sira: *Abrode os quod tibi projectum est*; nempe tene uxorem quæ tibi primo contigit. Varro de hoc argumento: *Uxoris vitium*, ait, *tollas opus est, aut feras. Qui tollit vitium, uxorem commodiusculam sibi præstat; qui fert, se meliorem facit*.

Quod tandem apertissime demonstrat, rariora fuisse apud veteres Hebræos divortia, illud est, nimirum Leges apud Moysem dari nonnullas, quibus diversa prorsus consuetudo indicatur. Ita lege injunctum est, ut si quis vir in uxorem suam sinistri aliquid intentans, virginem ad nuptias non venisse accusaverit, fœminæ illius necessarii ejus causam in judicio defendant; quibus agentibus si forte mulier absolvatur, vir ejus antea cæsus, injustæ accusationis insuper pœnam luat c. siclis, ejusdem fœminæ patri solvendis (11); tum & omni imposterum facultate uxorem illam repudiandi privetur. Porro si divortium ad manus fuisset, cur invisam fœminam vir continuo non dimitteret? Paria de iis conjicio, quibus fides uxoris suæ non leviter suspecta est; hanc enim amaricantium aquarum experimento probare tantum in Lege (12) datum est: ex quo illud mihi deducendum esse videtur, nullam fuisse viris uxores dimittendi ex solis suspicionibus potestatem. Jubet tandem Legislator, virum qui ex binis simul ductis uxoribus præ altera alteram diligat, jure tamen hæreditatis minus dilectæ uxoris filium non fraudare, ut alterum ex dilecta genitum, ac natu minorem præponat (13). Cur invisam illam fœminam cum natis vir non dimitteret, si divortium pronum erat? Jus etiam divortii perpetuo negatum ei, qui violatam a se fœminam ducere Judicis sententia damnatus fuerat (14), quasi scilicet post inustam eam fœminæ notam, illam dimittere nulla ratione permitteretur.

Ferunt, labentibus jam Reipublicæ Hebrææ annis, paulo scilicet ante Christi adventum (15), in immensum jam auctis criminibus, atque divortii malo per universam late Judæam protogato, acrem inter Hebræos Doctores agitatam fuisse controversiam de sensu verborum Moysis, quibus divortii causæ assignantur: *Propter aliquam fœditatem*. Qua in re Scholæ *Hillel*, & *Sammaiæ* [Doctores erant celebratissimi paulo ante Jesu Christi æta-

[1] Matth. XIX. 8. [2] Deuteronom. XXIV. 1. [3] Levit. XVIII. 16. [4] Contra Marcion. l. 4. [5] Rab. Schamau. Ben. Abba in Gemar. Babyl. ad III. Sanhedr. c. 2. [6] 3. Reg. I. 3. [7] 2. Reg. XX. 3. [8] Prov. V. 18. 19. 23. [9] Levit. XXI. 7. 14. Ezech. XLIV. 22. [10] Vide Isai. L. I. & LIV. 4. & Jerem. III. 8. [11] Deuter. XXII. 13. &c. [12] Num. V. 14. [13] Deuter. XXI. 15. 16. 17. [14] Deut. XXII. 29. [15] Selden. Uxor Hebr. l. 3. c. 18. & 20.

ætatem, scriptis Josephi (1), & S. Hieronymi (2) noti] partes inter se contrarias tuebantur. Sammaias enim in magno Sanhedrio secundus a Principe, in ea erat sententia, obscœnum aliquid & impudicum, cujus pars repudiata culparetur, intercedere debuisse, ut divortium induceretur.

Verum Hillel insignis alter Rabbinus, qui Sammeam habuerat præceptorem, Scholæ florentissimæ moderator, quæcumque prætenderetur, causam ad divortium satis haberi contendebat; e. g. si carnes plus nimio uxor coxisset, si altera muliere plus delectaretur vir, poterat prioribus relictis ad optatas nuptias transire. In quam sententiam ita distrahebat textum Legis, quasi particula aliqua disjunctiva intercederet, ut esset sensus: *Propter aliquid, seu propter fœditatem*. Ejus Doctoris sententia, male licet Textui cohærens, ut vis literæ illata ultro appareat, suos tamen patronos, nec raros, nacta est. Akiba, cujus sententia in Misna refertur, suo illam suffragio non fulsit tantum, sed mire provehens sufficere ad divortium autumavit, si viro uxor non usquequaque placeret; huic Doctori ita legitur Textus: *Si acceperit homo uxorem, & non invenerit* [*uxor*] *gratiam coram oculis ejus, seu invenerit* [vir] *in ea aliquam fœditatem &c.* Duabus igitur de causis divortium permittebat: si uxor marito minus placeret, & si turpe aliquid admisisset.

Tantorum Doctorum nomine & authoritate invalescens opinio, cui etiam illud commodi accedebat, ut concupiscentiæ fræna laxaret, brevi super aliam obtinuit, ut mores Judæorum olim, & nostra etiam ætate vulgaris Rabbinorum sententia ad eam conformentur.

Quamquam Salvatoris ætate res pependisse adhuc in lance, Sammaiæ opinione nondum penitus abjecta, videtur. Pharisæi enim ad Christum venientes interrogarunt: *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa* (3)? Sed non diu post, nempe Josephi & Philonis ætate, res adeo ad licentiam inclinata est; ut divortium quacumque demum ex causa induci posse ne ambigerent quidem. In hunc sensum Legis verba Philo interpretatus (4), ait: *Si mulier quacumque ex causa repudiata*. Et Josephus (5) paria sentiens, *Qui a conjuge*, ait, *quacumque de causa, ut sæpe hominibus usuvenit, disjungi postulat, scripto ei securitatem faciat*. Nec aliam se habuisse causam uxorem suam repudiandi, quam quod genio suo minus congrueret, in Vita sua profitetur (6).

Judæis nostræ ætatis idem probatur. Fœminam, morigeram licet & modestam, repudiare, ait Leo Modena (7), viris integrum est, si forte tædio aliquo illius teneantur. Sed jus illud tot clausulis & conditionibus obvolverunt Rabbini, ut divortii causa in longum protracta, partibus interim inter se compositis, vix unquam absolvatur.

Traditione receptum tenent Judæi, milites omnes in bellum profecturos repudii libellum uxoribus suis misisse, data illis facultate, ut elapso triennio, si forte ipsi in hostium potestatem captivi venissent, alias sibi nuptias procurarent. In hunc sensum interpretantur Rabbini illud primi Regum XVII. 18. *Fratres tuos visitabis, & cum quibus ordinati sunt disces*, Hebr. *& pignus eorum tolles*; idest, ut ipsi quidem exponunt, libellos divortii. Eas pariter literas datas comminiscuntur uxori ab Uria, quibus, si forte in hostium potestatem ipse venisset, eidem fœminæ alias sibi nuptias conciliare jus esset. Veteris hujus moris, dubii plane, & nequid gravius dicam, incerti, meminit Author Traditionum Hebraicarum in libros Regum & Paralipomenon.

Facile, quantum arbitror, ex ipso Legis textu, a nobis descripto, intelligere Lectores poterunt, divortii privilegium ad viros tantum spectasse, non ad fœminas. Cum sane apud Orientales fœminarum minor ratio habeatur, ac solum veluti necessarium vitæ commodum, virilisque dominii portio respiciantur, in societatis jura numquam illæ veniunt, Legesque mulieribus faventes nullæ ferme sanciuntur. Longe alius apud Græcos & Romanos mos erat, penes quos par fœminis, & viris jus in divortia; quare earum exemplo, Judææ fœminæ sese efferentes, eo licentiæ devenerunt, ut viros suos a thoro abjicere auderent. Lex plane nihil fœminis ea in re permittit, sed nihil vicissim prohibet: consuetudo quidem pro illis nulla erat, sed illustris alicujus fœminæ exemplo facile potuit induci.

Occurrebant rara quædam exempla fœminarum, quæ viros suos dimiserant; sed hæc divortii potius speciem, quam rem exhibere videbantur. Samsonis uxor contra fidem priorum sponsalium, ne expectato quidem libello repudii, ad alias nuptias transierat (8); sed Philistææ mulieris exempla nihil Judæis conferunt, Ultio quin etiam a Samsone, & a Philistæis ipsis ea de re exacta, satis demonstrat, contra patrias saltem leges visam fuisse eam mulierem commisisse, ut alteri nuberet. Levitæ uxor, cujus occasione acre illud bellum in Tribum Benjamin exarsit (9), dimisso viro ad patrem suum remeasse legitur; eamque repudium dixisse viro suo, Sanctus Ambrosius autumasse videtur: *Remisit claves* (10), Recepta tamen & probata sententia tenet, fœminam illam ob privatam forte domesticamque discordiam secessionem a viro ad tempus tantummodo fecisse; cujus rei exempla frequentissima inter conjuges suppetunt. A novis etiam nuptiis abstinuisse illam ex eo colligimus, quod regredienti viro socer uxorem prompte restituit, atque in reducem idem, quod prius, jus conjux retinuit. Michol Davidis uxor alteri viro, nempe Phaltieli, superstite adhuc invitoque Davide, in conjugem data legitur (11). Divortii id genus fuit; neque enim Saul aliam sibi authoritatem abstrahendi filiam a viri thoro usurpare poterat, quam quæ lege divortii concessa est. Davidem ille perinde ac extorrem, perduellem & impium habebat, eamque repudii causam prætendit. Divortium igitur admisit Michol? Silet ea de re Scriptura. Admisit David? Minime ille quidem; sato enim Rege sublato, uxorem suam jure postliminii repetiit. Hoc igitur divortii ab uxore inducti exemplum difficultate non caret; totius enim rei in causa fuisse creditur Regis authoritas, invitam mulierem ad secundas nuptias cogens.

Salome igitur Herodis magni soror, omnium prima præscriptas mulieribus metas transgressa, liberam sibi repudiandi viri facultatem vindicavit. Namque a thori societate Costabarum Idumeæ & Gazæ Præfectum divortio excludens, exemplum inauditum ad id usque, ait Josephus, apud Judæos posteritati reliquit (12): quod enim uxor conjugem suum dimittat, resolutisque prioribus nuptiis, nec libello repudii accepto, novas conciliet, moribus æque ac legibus Judæorum, addit idem Josephus, repugnat. Herodias, cujus est in Evangelio sermo (13), virum suum Philippum repu-

[1] Antiq. l. 14. c. 17. & l. 15. c. 1. & 15. [2] In Isai. cap. 8. *Sammai & Hillel non multo prius quam Dominus nasceretur, orti sunt in Judæa.* [3] Matth. XIX. 3. [4] De Special. legib. ad præc. 6. 7. [5] Joseph. Antiq. l. 4. c. 8. Γυναικὸς τῆς συνοικούσης βουλόμενος διαζευχθῆναι, καθ' ἃς δήποτε αἰτίας, πολλαὶ δ' ἂν τοῖς ἀνθρώποις τοιαῦται γίνοιντο, γράμμασι μὲν περὶ τοῦ μηδέποτε συνελθεῖν ἰσχυριζέσθω. [6] Μὴ ἀρεσκόμενος τοῖς ἤθεσι. [7] Riti Ebraici p. 4. c. 6. [8] Judic. XIV. 20. [9] Judic. XIX. 3. [10] Epist. 6. in Nov. Edit. [11] 1. Reg. XXV. 44. [12] Antiq. l. 15. c. 11. Γυναικὶ δὲ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ' αὑτὴν γαμηθῆναι μὴ τοῦ πρότερον ἀνδρὸς ἀφιέντος. [13] Matth. XIV. 3. Marc. VI. 17.

repudiaverat, quantum ex Josepho (1) colligimus. Ipse tandem de se Josephus in vita sua narrat, ductam post solutam captivitatem suam uxorem, divortio a se recedentem habuisse. Tres Agrippæ junioris, olim Chalcidis, deinde Trachonitidis & Batanææ Regis, sorores, tres sibi junctos viros singulæ singulos repudiarunt. Berenice natu major, priores nuptias cum Herode Rege Chalcidis patruo suo conciliatas abrumpens, in thori societatem Polæmonem Regem Ponti adscivit; cujus pariter viri tædio (2) deinde affecta est. Altera ejus soror Mariamne Archelaum priorem virum nuptiis Demetrii Alabarchæ, sive Principis Judæorum Alexandrinorum posthabuit (3). Drusilla tandem Aziam Emesæ Regem & ad circumcisionem & ad suas nuptias invitavit; sed paucis post annis adsciscere sibi alium virum, Felicem Judææ Præsidem, priori relicto, maluit (4).

Hujus inter fœminas gliscentis libertatis vestigia nonnulla deprehendere nobis in Evangelio videmur, cum scilicet Christus eam licentiam, velnti quæ facile obtinere posset, præcepto frænandam censuit (5). *Si uxor dimiserit virum suum, & alteri nupserit, mœchatur.* De Samaritana muliere, qui post ductos quinque viros, virum alium, non suum, adhuc retinuisse Jesus Christus exprobravit, ea fuit Grotii sententia, eum quem adhuc illa tenebat post repudiatos quinque priores viros, nec tamen conjugio cum priore viro soluto, utpote quod divortium mulieribus lege interdictum esset, tanquam alienum haberi jure meritoque debuisse (6). Ne fœminæ *virum dimittant, & si habeant virum infidelem, & hic consentit habitare cum illis* (7), Apostolus suadet, non suaderet autem, nisi res esset alioqui fœminis permissa. Memoriæ etiam traditum est de S. Thecla, ejusdem Apostoli disciplinam sequuta, quæ post datum Christianæ Religioni nomen (habebantur autem Christiani tunc temporis veluti reformati Judaismi professores) facto divortio a viro recessisse (8).

Mahometani, quos plura a Judæis derivasse constat, fœminis æque ac maribus divortium permittunt; quamquam fœminis minus in ea re quam viris indulgent (9). Viri enim nullo majori negotio uxores, quam nos famulas, mutant. Semel repudiatam ad thori societatem revocare bis singulis permissum, tertio etiam, dum post divortium ad alienas nuptias non transisset. Sed novas nuptias ante tres menses a divortio inire mulieribus nefas. Divortii causæ in judicio cognoscuntur: sunt autem plerumque sive corrupti conjugis mores, sive sterilitas mulieris.

Major adhue in divortia apud Græcos, Romanos, barbarasque gentes licentia. Cum enim nulla Dei Lege eorum libido refrænaretur, conjugii vinculum ad libitum mutuo dissolvere, atque ad alienas nuptias transire, nulla solemni formula observata, nec divortii causa adducta, permissum sibi ducebant. Frequenter misso libello repudii divortium indicebatur: quandoque aliter inter partes actum est; uti dum contrariis plane verbis, ac quibus conjugia junxerant, illis resolvendis utebantur, e. g. *Conditione tua non utar*: (10) sive: *Res tuas tibi habeto* (11). Interdum alteruter claves alteri remittebat; ac tandem tabulæ conjugii quandoque rescindebantur.

Quod ad causas & divortii rationes spectat, mutuo interdum consensu res agebatur; sæpe alterutrius voluntate tantum, nulla etiam prætenta causa. Scitum est ex Plutarcho Æmilii illud, qui repudiatam a se Papiriam uxorem mirantibus calceum suum ostendit, addens elegantem illud quidem & concinnum videri, ubi autem pedem læderet, scire neminem.

Quamquam autem Lege duodecim Tabularum divortia Romanis permittebantur, nulla tamen ejus rei exempla ante annum 521. (12), sive 520. (13) ab Urbe condita occurrunt. Spurius Carvilius Ruga omnium primus sterilem uxorem repudiavit. Successu temporis laxata licentiæ fræna, ut juxta Tertulliani phrasim *repudium jam votum esset, & quasi matrimonii fructus* (14). Eo res sub imperio Augusti devenerat (15), ut lege lata modum divortiis imponendum censens Imperator ediceret, ne divortia nisi *coram septem testibus puberibus atque civibus Romanisque* facta admitterentur (16). Verum immodicam licet divortiorum libertatem reprehenderent honestissimi quique, atque Senatorem uxoris, quam virginem duxerat, ne consultis quidem amicis, repudiatæ notatum a curia exclusissent Censores (17); nihil tamen ea severitate impetratum est: *Numquid jam ulla* [fœmina] *repudio erubescit, postquam illustres quædam ac nobiles fœminæ non Consulum numero, sed maritorum annos suos computant? Exeunt matrimonii causa, nubunt divortii*, ait Seneca *de Beneficiis l. 3. c. 16.* Nec Satyrici mitius agunt in divortia (18).

Is erat rerum status apud Hebræos, Græcos, & Romanos, quo potissimum tempore Jesus Christus in terram descendens, matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit; tum & primævæ sanctitati atque officio conjugia restituturus, supremi Creatoris id olim fuisse consilium aperuit, ut semel conciliatum matrimonium nunquam dissolveretur; nullusque pateret divortiis aditus, nisi una excepta adulterii causa, in qua tamen a thoro quidem secedere integrum esset, a conjugio non esset. Tunc autem par recedendi jus viro æque ac mulieri statuit: *Dictum est: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat* (19). Et alibi consultus a Pharisæis, liceret ne pro libito uxorem repudiare, respondit, Creatorem post formatos marem & fœminam (20) ita pariter statuisse: *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; ita ut non sint duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Addit deinde eas leges, quas antea de divortio edixerat, cujus unicam semper causam permittit, nec sine narratis supra conditionibus, nempe adulterium.

Cum tamen sermo ea occasione Judæis tantum a Christo fieret, ideo nulla facta est ab eo alterius causæ, qua divortium permittitur, mentio; cum scilicet ex conjugibus alteruter ad fidem transisset, altero in errore perseverante. Hujus disciplinæ regulas Apostolus Paulus præscribit (21): *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Hactenus Apostolus mentem supremi Legis-

[1] Joseph. Antiq. l. 18. c. 7. Συνθῆκαι γίνονται ... πρὸς αὐτὸν, ὥστε αὐτῷ Ῥώμαις παραγίνεσθαι. [2] Joseph. Antiq. l. 20. c. 5. pag. 693. [3] Ibid. [4] Ibid. [5] Marc. x. 11. 12. [6] Joan. IV. 18. & Grot. in eumd. [7] 1. Cor. VII. 10. 13. [8] Epiph. hæres. 78. [9] Vide Alcor. Azoar 2. 4. Anton. Geuss. l. 2. de Turcis. Bellon. Observ. l. 3. & alios. [10] L. 1. de Divort. [11] L. 2. §. 1. de Divort. [12] *Divortium primum Romæ fecit Spurius Carvilius Ruga anno quingentesimo undecimo post Urbem conditam.* Aul. Gel. l. 16. c. ult. [13] Valer. Max. l. 2. c. 1. *Repudium inter uxorem & virum a condita Urbe usque ad vigesimum & quingentesimum annum nullum intercessit.* [14] Adversus Gent. c. 6. [15] Suet. in Aug. *Divortiis modum imposuit.* [16] Paul. l. Nullum divortium, de divort. [17] Valer. Max. l. 2. c. 4. *L. Antonium Senatu moverunt, quod quam virginem in matrimonium duxerat, repudiasset, nullo amicorum in consilium adhibito.* [18] Vide Juv. Sat. 16. [19] Matth. v. 32. [20] Matth. XIX. 5. [21] 1. Cor. VII. 10. &c.

Legislatoris de divortio explicat ; omne scilicet interdici divortium, una excepta adulterii causa; tunc autem divortium quidem permittit, novas vero nuptias conciliari vetat. Addit demum: *Cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum . . . . . Quod si Infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.*

Hæc Apostoli & Jesu Christi verba apertissima licet videantur, in varias tamen sententias Interpretes doctissimos diviserunt. Cujus rei sive causa fuerit recepta Judæorum & Paganorum, qui fidei nomen dabant, consuetudo; sive ea invaluerit opinio, Jesu Christi dictum de Judæis tantummodo, non de universa Ecclesia accipi, quasi scilicet Ecclesiæ major in ea re permitteretur libertas; sive tandem vox *fornicationis* variis subesse sensibus censeretur: illud certum est, Ecclesiæ in ea re mores diutius in incerto erravisse.

Cum Scripturæ stylo nomina *fornicatio* & *adulterium* duplicem significationem admittant, modo enim ad literam crimen sonant obscœnum; modo allegorico sensu pro Idololatriæ crimine, atque creaturarum in Deum perfidia usurpatur: non defuerunt qui Jesu Christi verba, *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa &c.* (1) sive adulterii, vel de crimine castitati adverso, vel de Idololatria, aliisque criminibus, quæ adulterii nomine in Scriptura censentur, indiscriminatim explicarent. Alii literalem significationem prætulerunt; ex qua sententiarum discrepantia contrarii etiam mores & disciplina invecta est.

Origenes in ea fuisse sententia visus est, Moysem quidem illis verbis, *Propter aliquam fœditatem &c.* omnia mulierum crimina, & errores (2) significasse; sed, addit ille, Jesus Christus angustiores nobis limites præscribit, omni præcluso ad divortium aditu, excepta fornicationis causa. Demum idem Origenes in examen revocat, utrum scilicet fornicationis nomine immania quæcumque crimina censeri possint; ex. gr. si mulier veneficii crimine, si homicidii, si filii enecati, si furti in virum teneatur, quorsum enim tantis sceleribus inquinatam uxorem ferre maritus cogatur, qui dimittere adulteram permittitur? Me igitur authore, inquit Origenes, verba illa Jesu Christi, *excepta fornicationis causa*, non ita accipienda sunt, ut eam solam divortii causam permittat; sed ea tantum ut exemplum assignata est, veluti unum ex iis criminibus, quibus uxorem suam repudiare maritus potest, nihil inde reus, si quid uxori sinistrum contigerit.

Quod ad nuptias post divortium contractas pertinet, Origenes quidem ab Episcopis nonnullis permissas narrat; qua in re contra Scripturæ sensum egisse istos non diffitetur: verum, ait, peculiares aliquas præ oculis habere rationes poterant, quibus id eorum consilium excusaretur, veluti metum majoris mali, incontinentiæ &c. Leges ab Imperatoribus Christianis latæ plures divortii causas præter adulterium assignant; & ipso fatente Beda, viris quam multis legitima fuit uxores dimittendi ratio, etiam *Dei timor*, idest metus ne a fide & Religione seducerentur (3). S. Augustini ætate, ut ipse in Retractationibus insinuat (4), variæ erant variorum in ea Christi verba sententiæ; aliis ad literam sententiam interpretantibus, aliis vero fornicationis nomine ea omnia censentibus, quæ supra ex Origene deduximus.

Magis tamen recepta, & rata sententia ea semper habita est, quæ Evangelii verbis literalem meram putamque significationem attribuit. Ita Christi verba interpretantur vulgo Patres, & Commentatores, addentes insuper, sæculares leges, ipsasque adeo Moysis sanctiones potuisse quidem divortium aliis de causis, præter adulterium, inductum tolerare; immune vero a crimine efficere non potuisse. *Nullam aliam*, ait S. Hilarius (5), *causam desciscendi a conjugio præscribunt, quam quæ virum prostitutæ uxoris societate pollueret.*

Superest modo in examen revocemus, utrum inducto demum divortio adulterii causa, novas inire nuptias integrum conjugibus haberetur. Lex Mosaica, uti facile legentibus animadvertitur, nihil conjuges moratur: nihil etiam sæculares Catholicorum Imperatorum leges; quemadmodum non rara suppetunt ejus rei exempla, tum apud Christianos primorum sæculorum, cum maxime in Ecclesia Græca, cujus recepta est ea de re consuetudo (6). Porro Ecclesiarum illarum doctrina tenet, conjugii Christiani vinculum solvi nunquam posse, qua in re Christianum a Judaico conjugio maxime distinguitur; Christianum, inquam, primævam matrimonii institutionem perfectionemque repetens: habent tamen Christiani illi persuasum, adulterii ream uxorem ita a thoro posse repelli, ut alia ejus loco inducatur. Cophtis, Syris, cæterisque Orientalibus ea Græcorum doctrina probatur. Probatur etiam Latinis nonnullis, uti Lactantio (7) & Tertulliano de Monogamia, cujus hæc sunt verba: *Tam repudio matrimonium dirimitur, quam morte.* Et lib. IV. contra Marcionem: *Præter ex causa adulterii, nec Creator disjungit, quod ipse scilicet conjunxit.* Vide & librum II. ad Uxorem cap. I. Negat tamen Tertullianus facultatem alterius conjugii iis, qui primum illud divortio resciderunt (8). Sed nihil prohibet Lactantius.

Narrat Origenes permitti a quibusdam Episcopis novas nuptias post divortium. Concilium Eliberitanum cap. 8. & 9. morem illum jam receptum condemnat: *Fœminæ, quæ nulla præcedente causa reliquerunt viros suos, & alteris se copulaverunt, nec in fine accipiant communionem.* Et: *Fidelis fœmina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is quem reliquit, de sæculo exierit, nisi necessitate infirmitatis dare compulerit.* Concilium Arelatense primum can. 10. decernit, ut junioribus conjugibus & fidelibus, qui conjugem adulterio ream dimiserunt, *consilium detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.* S. Ambrosius maritos hortatur, ne permissa sibi a Legibus civilibus in divortia libertate uti velint; addit insuper quod ii, qui uxorem repudiarint, alia, quam quæ in Evangelio permittitur, causa (9), non solum *Cœleste præceptum, sed quoddam etiam opus Dei solvunt. Paterisne, oro, liberos tuos vivente te esse sub vitrico? aut incolumi matre degere sub noverca? Pone si repudiata non nubat. Et hæc viro tibi potuit displicere, cui adultero fidem servat? Pone si nubat: necessitatis illius tuum crimen est.* Plura laudantur Concilia, Gallicana potissimum, quæ morem illum, novas scilicet contrahendi post divortium nuptias, vel significant tantum, vel probant (10).

Ve-

(1) Matth. v. 32. Παρεκτὸς λόγου πορνείας. (2) Orig. hom. 7. in Matth. Vide Grot. in hunc locum. (3) Beda in Marc. v. citatus in locis collectis in Conc. Aquisgr. 3. *Una solummodo carnalis causa fornicatio, una Spiritualis timor Dei, ut uxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse leguntur.* (4) Retract. lib. 1. cap. 9. (5) In Matth. cap. IV. num. 22. Vide & Chrysost. tom. 5. ser. 10. de libell. repud. Theodoret. in 1. ad Cor. Clem. Alex. Strom. l. 2. ad finem. (6) Renaudot Perpetuité de la Foi chap. 5. lib. 6. chap. 7. pag. 447. &c. (7) Instit. lib. 6. cap. 23. (8) Vide de Monog. cap. 9. 10. (9) In Luc. lib. 8. art. 5. Vide etiam S. Aug. de bono conjug. n. 7. (10) Vide Conc. Aurelian. 2. c. 11. Vermer. cap. 5. 6. 11. 17. 20. Compend. cap. 16. Hybern. 8. Patric. an. 314. c. 16.

Verum consuetudo illa nunquam in morem abiit, cum omnibus retro sæculis adversas habuerit insignium fere omnium Ecclesiarum, atque sapientissimorum Antistitum sanctiones. Canones vulgo Apostolici secundas post divortium nuptias, adhuc priori conjuge superstite, damnant can. 48. Pontifices Siricius, Innocentius, Leo, Stephanus, Zacharias (1), in suis Decretalibus eas nuptias velut adulterinas damnant. Hisce SS. Pontificum Constitutionibus Ecclesia Romana firmiter inhærens, contractas post divortium nuptias ut reciperet nunquam commisit; quam etiam disciplinam tandem Ecclesia Gallicana post sæculum octavum amplexa est (2). Gregorius II. Pontifex, in Epistola ad Bonifacium Episcopum Ultrajectensem (3) scripsit licitum esse marito, cujus uxor ne conjugale debitum solveret, ægra valetudine impediretur, novas inire nuptias, modo uxori ægrotanti non deesset: sed hanc ejus sanctionem Sacris Canonibus, ipsique Evangelio, & Apostolorum doctrinæ plane adversari Gratianus animadvertit (4). Recepta tandem Ecclesiæ Latinæ sententia tenet, conjugii vinculum nunquam, ne divortio quidem, abrumpi. In Concilio Florentino postulati a Latinis Græci, cur novas inire nuptias conjugibus divortio sejunctis permitterent, quamvis nihil æquum pro se reponere viderentur, visum est tamen citra mutuæ pacis dispendium saniora illis suadere. In Concilio Tridentino canon propositus fuit, quo eodem simul anathemate obvolvebantur tum ii, qui conjugii vinculum per divortium solvi, cum iis qui novas post divortium iniri posse nuptias crederent.

Verum huic decreto restitisse Legatos Venetorum in Historia ejusdem Concilii legimus (5), receptam in Insulis Reipublicæ Venetiarum subjectis, Cypro, Creta, Corcyra, Zacyntho, Cephalenia, quæ Græcis frequentabantur, contrariam consuetudinem afferentes; iniquum autem esse dixisse, omnes eas gentes inauditas, & ne ad Concilium quidem appellatas damnare. Quare Patres etiam atque etiam rogasse, ut illius sanctionis eam inirent rationem, quæ nihil Græcos offenderet. Hisce Venetorum precibus atque rationibus acquiescendum esse Patres censuerunt, cum maxime non Græcorum erroribus, sed Protestantium damnandis Concilium illud coactum fuisse animadverterent; simulque non defuisse Patres huic Græcorum consuetudini faventes, ex Theologis nonnullis audirent. Ita ergo sancitum est: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum docuit & docet, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit* (6). Ex quibus plane intelligimus, Ecclesiam Romanam nec probasse unquam Græcorum consuetudinem, nec damnasse.

Quanquam satis inter omnes constat, adulterii crimen perinde esse sive a viro, sive a fœmina committatur, tum & concessum a Christo privilegium divortii æque utrumque sexum respicere: mos tamen in Ecclesiis varius ea de re invaluit. Fœminis aliquando in nonnullis Ecclesiis libertas in divortia, viro etiam adulterii crimine reo, interdicta fuit; & S. Basilius in Epistola Canonica ad Amphilochium tradit, legem divortii contra fœminas de adulterio damnatas inviolate servari; contrariam tamen quoad fœminas disciplinam invaluisse, quippe quæ viros quantumvis reos dimittere non permitterentur. Demum rem esse ancipitem addit, an fœmina illa, quacum maritus, ab uxore repudiatus, nuptias conciliat, adulterii criminis rea teneatur: tota enim hujus conjugii culpa in priorem uxorem transferenda videtur; quippe quæ inducto contra legam divortio virum ad crimen impulerit. Et si in virum mitius ea occasione animadvertendum est, quid non alteri fœminæ indulgendum? Verum, sequitur S. Basilius, si divortium a marito factum esse constat, tum & novas ipse nuptias inîverit, adulterii damnari nequit; quemadmodum & prior uxor tunc ad novas nuptias transiens. Græci in Canones Apostolorum scribentes, morem esse contendunt semper a Christianis servatum, ne uxor solius adulterii criminis reum virum dimittat (7).

Sed contrarium invaluisse in Ecclesia Latina morem nullo negocio ostendimus. S. Justinus M. in Apologia I. ad Senatum Romanum narrat, fœminam ante datum Jesu Christo nomen vitam una cum conjuge suo libidinose agere consuetam; vix ad fidem conversam maritum suum a crimine retrahere voluisse: cum autem, inquit, frustra se laborare intelligeret, voluit libellum repudii mittere. Resistentibus tamen fœminæ necessariis, invita in conjugio manere coacta est, nulla licet resipiscendi spe de viro concepta. Accidit interim, ut vir iter Alexandriam versus susciperet; in quo cum ille multo deterior factus esse diceretur, tandem ad literas repudii mittendas ventum est. Exemplum S. Theclæ supra laudavimus; cui alterum necti potest Fabiolæ, quæ post dimissum virum licentius in conjugio viventem, alteri nupsit (8). Hanc autem Historiam fusius narrans S. Hieronymus, divortium quidem fœminæ facile excusat; secundas vero nuptias tanquam legibus Ecclesiæ repugnantes damnare cogitur: quamquam, ait, & mulieris legum Ecclesiasticarum imperitia, & peracta rite ante fores Ecclesiæ Lateranensis exomologesis id præstitit, ut tantum probo exemplo Fidelibus prodesset, quantum pravo nocuerat. Æqua igitur fuit repudii libertas penes conjugem utrumque; nec contraria quoad fœminas consuetudo nisi forte in Oriente invaluit.

Apostoli Pauli monita, uxores fideles cum viro infideli habitare & vicissim conjugium servare suadentis, si tamen circa fidei & Religionis dispendium præstari id a Fideli conjuge possit; monita, inquam, illa ita accipienda sunt, ac si conjugium ante susceptam Fidem contractum respiciant: quæ enim a Fideli cum infideli contrahuntur matrimonia, æque semper Ecclesia damnavit, tum & irrita semper declaravit & nulla. Vult etiam Apostolus, divortia illa tum demum legitima haberi, cum conjugi fideli discrimen aliquod fidei immineret: *Occurrit aliquando necessitatis articulus*, ait S. Augustinus (9), *ubi aut uxor dimittatur, aut Christus*. Tandem divortium illud fidelem inter & infedelem conjuges, non conjuges tantum, sed & conjugium dissociat, ut novas inire nuptias utrique permittantur. Cum enim matrimonio inter infideles conciliando nulla Sacramenti authoritas accedere possit, mutua partium inter se paciscentium obligatio tanta profecto non est, ut vinculum præstet insolubile (10). Porro idem jus, quod nuptias infidelium conciliat, fidelem cum infideli constringit. Alia sane est de hæresi alterutrius ex conjugibus ratio, quamquam enim ea sufficiens causa divortio indu-

(1) Siric. ep. ad Himer. Tarracon. Innoc. 1. ep. ad Exuper. Tholos. Leo ad Prob. Stephan. II. art. 5. Zach. ep. 7. ad Pipin. cap. 20. (2) Conc. Compend. an. 744. can. 18. Suession. cap. 9. Forojul. an. 791. can. 10. Capitular. Ludov. Pii cap. 3. de his, quæ pro lege habeoda sunt. (3) Att. 2. tom. 6. Concil. (4) Grati. 32. qu. 7. c. 18. Quod proposuisti. (5) Fra Paolo hist. Conc. Trid. l. 8. (6) Sess. 24. can. 7. (7) Vide Grot. ad Matth. v. (8) S. Hieron. ad Ocean. Ep. 30. (9) Ep. 157. nov. edit. n. 31. (10) Ambros. in Luc. l. 8. *Ubi est impar conjugium, lex Dei non est.*

viro superstite sibi quæsiverit alium. Edicit autem, ut quandoquidem in rebus humanis nihil sit usque adeo firmum, quin resolvi tandem possit, ita & nuptiæ suas habeant causas quibus dissolvantur, nempe, vel mutuos partium consensus, vel *per occasionem rationabilem, quæ cum bona gratia vocatur*, vel *citra omnem causam, vel cum causa rationabili*. Coercet autem ad certas quasdam causas divortii licentiam (1); latasque omnes leges divortium permittentes vel citra omnem causam, vel mutuo partium consensu, ita abrogat, ut partium consensum tunc demum ad divortium valere statuat, cum alteruter ex conjugibus sive religiosæ vitæ professionem inire, sive castitatem vovere decreverit.

Justinus Imperator Justiniani nepos (2), divortia *ex bona gratia*, seu mutuo partium consensu restituit, isque rerum status mansit usque ad Imperatorem Leonem Philosophum, annum circiter DCCCC. Jesu Christi, nempe CCCXL. annorum intervallo. Ejus Imperatoris jussu legibus in unum corpus, quod *Basilicon* appellatum est, redactis, Justini constitutio de divortio ex mutuo partium assensu sublata est.

Recepta Ecclesiæ Grecæ nostra quidem ætate consuetudo civilibus hisce legibus consentit; quamvis non ita facile est definire, quonam potissimum tempore cœperit disciplina adeo ab Evangelio & veterum Orientalium Patrum doctrina discrepans. Licet enim nullum non moveat lapidem Arcudius (3), ut Ecclesiæ suæ mores defendat, atque in causæ patrocinium veteres Patres pertrahere conetur; evincit ille quidem eorum ætate divortia frequentia fuisse, non tamen probata unquam demonstrat, sed tolerata tantummodo in gratiam Imperialium sanctionum, a quibus permittebantur. Porro si quis forte post datum semel divortium ad novas nuptias transisse deprehenderetur, is plane neque culpa neque crimine immunis habitus est. Sensim tamen ejus disciplinæ vigor remitti cœpit, ut tandem nihil ea divortia curarentur.

Iisdem moribus reliqui Grecæ communionis populi, Rutheni vel Moschovitæ censentur, quorum tota admittendi divortii causa est repudii libellus ab Episcopo impetratus (4). Solebant etiam non multos ante annos conjuges, quibus facilis ad Episcopum aditus non fuisset, ambo simul in caput bivii sese conferre, ubi mantile quoddam ambo in diversa trahentes scindebant, qua cæremonia scindi conjugium rati dissociabantur. Extat tamen inter Canones Joannis cujusdam eorum Metropolitæ, quem Prophetam appellabant, sanctio, qua conjuges post divortium novis nuptiis implicitii a communione rejiciuntur. Æthiopes saltem laici, antequam a Missionariis instituerentur, divortia habebant arbitraria (5).

Leges civiles Occidentalium variant: aliæ etenim nimio rigore, aliæ nimia facilitate exorbitant, ac raræ sunt prorsus, quæ temporum & occasionum vicissitudini non servierint. Tandem Patribus Tridentinis certam quamdam omnibus Romanæ Ecclesiæ mores sequutis disciplinam constituere visum; cum interim alterius communionis homines huc usque per arbitrariam sibi viam oberrent.

Veteres Francorum populi mutuo etiam consensu inducta divortia legitima habebant: quid divortia ex justa causa facta? Hujus mutui divortii formulæ extant apud Marculfum lib. 2. form. 30. qui circa medium septimum sæculum scribebat; ex hisce autem intelligimus, integrum fuisse conjugibus post divortium novum inire matrimonium: *Placuit utriusque voluntate, ut se a consortio separare deberent; quod ita & fecerunt; ut unusquisque ex ipsis sive ad servitium Dei in ministerio, aut copulæ Matrimonii sociare se velint, licentiam habeant &c.*

Post receptas in regnum sub Regibus Carolo Magno, & Ludovico Pio Leges Romanas (6), vetus tamen mansit in divortiis disciplina ad normam Legum Ecclesiasticarum, Africanorum Conciliorum, & Decretalium Pontificum, quibus omnis, excepta adulterii causa, ad divortium aditus præcluditur. Ita vetus Francorum libertas in divortia ab Ecclesiasticis legibus repressa, nec a Romanis legibus promoveri quidquam potuit.

Mancipiorum Christianorum conjugia olim in Gallia, quemadmodum & ubique alibi, maxime non requisito dominorum consensu conciliata, eorumdem dominorum arbitrio abrogabantur. Mancipium cum manumitteretur, fœminam in captivitate ductam dimittens, alteri copulabatur; quemadmodum par erat jus fœminis, quæ imprudentes servo nupsissent (7). Quamvis autem temporis successu conjugia servorum dissolvi Ecclesiasticis legibus prohiberentur (8), usus tamen in contrarium etiam post nonum sæculum invalebat.

In magna Britannia ea potissimum loca, quæ Romanis legibus & ditioni parerent, pristinas leges sequuta fuisse in divortiis, etiam post receptam Jesu Christi fidem, Seldenus autumavit (9). Laudat in eam rem veteres Leges Regis *Hovvel-dha*, divortia maritis permittentes, si forte uxorem deprehendissent liberius aliquid cum altero viro audentem, post divortia autem jus ad novas nuptias asserunt. Verum ex literis S. Gregorii Magni ad S. Augustinum Apostolum Angliæ (10), tum & legibus Regum Anglo-Saxonum intelligimus, obtinuisse ex tunc apud Britannos leges, & disciplinam Romanorum, a quibus deinceps nunquam recessum est.

In Italia Theodoricus Rex veterem Saxonum Legem innovans (11), parem edicto Imperatoris Constantini supra laudato morem invexit. Leges Visigothorum in Hispania divortiis iniquissimæ erant (12): nec Rex Euricus mitior fuit, qui omnino divortia, excepta adulterii causa, vetuit. Apud Burgundos nullum in divortia jus quacumque demum ex causa fœminis permissum; viris autem tantum ex causis in Constitutione Constantini designatis (13).

Alemannis constitutum erat, ut in repudiandis uxoribus *coram quinque Nominatis, & septem Advocatis* solemniter edicerent, eam fœminam repudiari, non quod vitio aliquo aut defectu notaretur, sed quod altera magis amaretur (14). Porro hæ leges sexto sæculo scriptæ sunt, nempe ante receptam ab illis Gentibus Fidem.

Synodus secunda Hiberna, canone 26. in potestate mariti relinquit, si post repudiatam priorem fœminam adulterii causa, ad novas nuptias transire voluerit. *Si ducat alteram, velut post mortem prioris, non vetant.*

Porro illarum gentium prona in divortium licentia, ex literis Gregorii VII. ad Lanfranchum Archiepiscopum Cantuariensem, sicut etiam ex altera Lanfranchi ad Gotrcum & Terdeyraltum Regem Hiberniæ, ac tandem ex altera Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis ad Muriardachum Regem ejusdem Provinciæ, nota est. Vitio enim populis illis vertunt pronam, sicut ad socianda, ita & dissocianda conjugia consuetudinem; nec ætate nostra meliores sunt Hibernorum mores, juxta ac Cambdenus animadvertit (15).

(1) Novell. 117. & 134. (2) Anno 556. Novell. 140. (3) De concordia Oriental. Eccles. & Occidental. l. 7. cap. 7. 2. (4) Vide Guaguin. in descript. Sarmat. Europ. (5) Vide Relations des Missionaires d'Ethiopie. (6) Capitul. Caroli & Ludov. l. 1. cap. 43. & l. 2. cap. 23. & l. 7. cap. 55. (7) Concil. Vermer. c. 6. & 20. (8) Caus. 29. quæst. 2. (9) Uxor Hebr. l. 3. (10) Reges. l. 12. Ep. 32. Vide & Bed. Hist. Angl. l. 2. (11) Cap. 54. (12) Leg. Visig. l. 3. tit. 6. c. 3. (13) Leg. Burgund. c. 34. (14) Leg. Aleman. c. 53. (15) Cambd. Britan. pag. 725. & 791.

DISSERTATIO
DE SUPPLICIIS,
Quorum in Sacra Scriptura mentio.

QUÆ Lectorem faciat in hac nostra dissertatione atteotum, non una est argumeoti novitas; Religionem etenim defendimus contra detortas pravo coosilio Judæorum interpretationes: tum & lucem afferimus iis suppliciorum generibus, quibus Jesus Christus, & inclyti quidam Veteris Testameoti Viri sublati sunt.

Plura quidem fuerant suppliciorum genera tum apud Hebræos veteres, cum apud omnes omnino Paganos; quorum quidem usus sive rarior modo est, sive prorsus oon obtinet. Solebat enim in crimina animadverti carceribus, vinculis, cruce, lapidibus, gladio, flagris, igne, equuleo, fragminibus testarum, ollis succensis, rotis, alilsque hujus generis sexceotis. Noo raro etiam animalium pedibus fontes proculcabantur: sub spinis quandoque atque molis triticeis coostringebantur; ne quid inpræseotiarum memorem exilia, exterminia & excommunicationes, Hebræis peculiares.

Si Judæorum Doctoribus major esset fides & authoritas, ab eorum quidem de vetustis Judæorum suppliciis sententia recedendum non duceremus. Fuse illi de hoc argumenti genere disseruerunt, latius singula diducentes crimina, quæ singulis suppliciorum generibus, juxta Legis præscriptum, expiarentur, minime ioterim silentio prementes qua singula ratione & apparatu infligerentur. Verum quidquid ab illis asseritur, suspectum est adeo, ut mirari prorsus subeat, viros alioquin eruditos non defuisse, qui illorum commentis fucum sibi fieri permiserint (1).

Quamquam autem in hoc argumenti genere errores minimi esse momenti videntur, non deessent tamen Religionis Christianæ obtrectatores, qui invidiam ex illis in nostros crearent, nisi valida refutatione eorum cavillationes præoccuparentur. Neque Judæi pariter occasionem sibi oblatam omitterent, ut objectas a nobis de Jesu Christo in Crucem acto Prophetias eluderent; obtendentes Crucis supplicium neque patribus suis usu receptum unquam fuisse, nec notum. Opponereot insuper; nullam habere se in vernaculo sermone vocem, quæ sive Crucem, sive spirantem adhuc hominem Cruci affixum significet. Siquis autem, adderent, apud nostros Crucis fuerit usus, hujus tantum erat defunctis reorum corporibus suspendendis, non autem ut viventes cruciarentur. Quis, rogo, in animum sibi posset inducere, Prophetarum oraculo Messiam ad supplicium destinari a Judæis, ad supplicium, inquam, Judæis ignorum, & nunquam apud ipsos usu receptum? Quis, quæso, crediderit unquam, Dei Filium novum, & extraordinarium supplicii geous selegisse, aliud plane ab eo, quo fontes petimebantur; cum juxta Psalmum in passione sua ipsa *cum iniquis deputatus* esse voluerit (2)?

Vana hæc sunt, fateor, Judæorum commeota: quidni enim Messias sibi novum & extraordinarium supplicii genus a Judęis comparare potuerit? Ut Prophetarum fides constet, satis est profecto, si paratum Jesu Christo supplicium Crucis dixerimus a Romanis Judicibus, quamquam ejus executio Judęis imputatur, quippe qui mortis sententiam a Pilato etiam invito extorserint. Ita plane omnia constarent.

Nihil tamen nobis in hac re Judæis concedendum, quamquam possemus impune. Quare illud dicimus, Jesum Christum eo mortis genere obiisse, quod antea Scripturæ oraculis prædictum fuerat; obtinuisse autem contendimus apud Judæos, quemadmodum & apud alias gentes, ut sontes vivi agerentur in Crucem. Quamvis autem cetera in hanc rem oobis deessent, unum sufficeret Psalmi xxi. 17. oraculum: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea;* hoc, inquam, apud æquas, & omnibus præjudiciis vacuas meotes sufficeret. Psalmus enim apertissime de Messia loquitur, ipsis fatentibus Judęis: nec sane sententiam recenter adjectam fuisse, totius antiquitatis consensus, qui integram recitat, quemadmodum & legitur in nostris Bibliis Gręcis & Latinis, demonstrat. Paucorum sęculorum fraus est, qua Judæi recentiores, unu alterove exemplari corrupto, atque altera pro altera litera substituta, Textum corruperunt, (3) ut nullus sit seosus: *Velut leo pedes meos, & manus meas, dinumeraverunt omnia ossa mea*. Manet tamen prior legendi ratio io quibusdam vetustis Hebraicis, quorum saoe authoritas, veterum Judęorum consensu munita, tum sententiam nostram mire confirmat, tum fraudes adversariorum aperit.

Neque oraculo minus aperto Zacharias loquitur, cum spectaturos Judęos prędicit suprema judicii die virum illum, quem clavis confixerunt (4): *Aspicient ad me, quem confixerunt*. Eo spectans David rogat (5): *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim suis timui*. Tandem Jesus Christus in Evangelio, & S. Paulus in Epistolis absolutam vitæ Christianæ rationem exhibent sub imagine crucifixionis, quasi scilicet rei apud eas gentes exploratissimæ. Quis, peto, Christi verba percepisset, suadentis: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus* (6): tum: *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me* (7), si nullus erat crucis apud Judęos usus? An ænigmata loquebatur, Apostolis (8) pronuncians, ire se Jerosolymam, ubi flagella sibi & crux imminerent? Quid Apostolus ad Judęos, monens: *Qui sunt Jesu Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis* (9); tum & malos Christianos suggillans: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei* (10); ac tandem de se professus, *Mihi mundus*, ait (11), *crucifixus est, & ego mundo*? Hæc sane omnia per tropos usurpata verba rem apud Hebręos, quemadmodum & apud alias gentes notissimam plane demonstrant.

Usus

[1] Vide Casaub. Exerc. in Baron. Selden. de Syned. l. 2. cap. 13. Schikard. jus. Reg. &c. [2] Luc. xxii. 37. [3] כארי pro כארו [4] Zach. xii. 10. Vide & Jo. xix. 37. Apoc. i. 7. [5] Ps. cxviii. 120. Septuag. Καθήλωσον. [6] Matt. x. 38. [7] Matth. xvi. 24. Vide & Mar. viii. 3. 4. Luc. ix. 23. & xiv. 27. [8] Matth. xvi. 21. xx. 19. xxvi. 2. [9] Galat. v. 24. [10] Hebr. vi. 6. [11] Galat. vi. 14.

Usus crucifigendi apud Judæos.

SEd operæ pretium ducimus morem suspendendi in crucem homines, adhuc vivos, apud Judæos obtinuisse, deductis ex eorum historia argumentis ostendere. Cultores Phegor (1), Rex Hai (2), posteri Saulis Gabaonitis permissi (3), pueri, de quibus Jeremias, in crucem a Chaldæis sublati (4), omnes in cruce vitam absolverunt. Narrat Josephus, Alexandrum Regem Judæorum DCCC. viros optimates perduellionis reos, in crucem sustulisse; ante cruces vero uxores, & filios eorum jussisse trucidari (5), quo supplicium miseris e cruce spectantibus augeretur.

In Commentariis in Caput XL. 13. 19. Geneseos ex vulgata sententia, & Textu Septuaginta ac Vulgatæ ostendimus, Pistorem Pharaonis prius capite truncatum, deinde in crucem sublatum avibus escam præbuisse: *Auferet caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas*. Si tamen originalis Textus sedulo excutiatur, simulque cum aliis Textibus similia ferentibus comparetur, dubitatio suboritur in contrarium, nec pesitissimi desunt Interpretes (6) contendentes, Pistorem illum, spirantem adhuc, in crucem actum fuisse, in qua tamdiu defunctum corpus mansit, quamdiu ab avibus discerptum est. Hæc litera Textus (7): Joseph ad Pincernam Phataonis ait: *Tres adhuc dies sunt, post quos Pharao levabit caput tuum, & restituet te in gradum pristinum*. Ad Pistorem autem conversus somnium ita explicat (8): *Pharao levabit caput tuum super te, ac suspendet te in cruce, ubi lacerabunt volucres carnes tuas*. Utrique igitur prænunciat futurum, ut Rex *eorum caput levet*; sed huic pristinum honorem, alteri vero imminentem mortem denunciat: quare phrasis illa *levare caput* non est omnino capite minuere, cum & de Pincerna, nullo plane supplicio perimendo, usurpetur. Nec est cur satis esse discriminis suspicemur, quod alteri dictum sit: *Levabit caput tuum*, huic vero *Levabit caput super te*; si enim postrema hæc supplicium capitale designat; par erit alterius phrasis sensus, cum voces illæ adjectæ *super te* merum exhibeant pleonasmum; quemadmodum in sermone vernaculo si quis diceret, *Abscindet caput tuum super te*, tantumdem plane significaret, ac *abscindet caput tuum*. Alius igitur phrasi sensus quærendus est.

Sæpe in Hebræo *tollere caput*, seu *tollere summam*, valet *censum facere*: *Quando tuleris summam*, nempe censum facies, *filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino* (9). Expendendum modo, utrum Josephi verba ita explicanda sint, ut cum censum eorum, qui in carcere detinentur, vel saltem Præfectorum aulæ Pharao instituerit, tunc & Pincernam libertati, & Pistorem debito supplicio traditurus sit. Nihil hac interpretatione pronius; qua sane omnis utriusque vaticinii repugnantia tollitur. Porro Præfectus carceris summa erat dignitas apud Ægyptios, Hebræos (10), & Romanos. Putiphar herus Josephi hanc obtinebat sub Pharaone (11). Jonathas Scriba vel Sopher sub Sedecia Rege Juda (12). Apud Romanos carceris Præfectus, qui Commentariensis appellabatur, reorum sibi commissorum rationem reddebat, eorum numerum apud se habebat accuratum, eosque singulis mensibus, cum ætate & crimine, de quo accusabantur, Judici sistebat (13). Parem credimus obtinuisse apud Ægyptios consuetudinem: quare die natali suo celebri Pharao, postulato reorum catalogo, tum & criminum accusatione inspecta, tempore carceris supputato, eorum *caput tulit*, nempe censum instituit, qua simul occasione Pincernam libertati, Pistorem supplicio tradidit.

Nostræ huic interpretationi lux affulget exemplo phrasis non absimilis ex Libro Regum deductæ. Joachim Rex Juda, in captivitatem a Nabuchodonosore deductus, & Babylonem translatus, durum subire carcerem coactus est. Sed vita functo Nabuchodonosore, Evilmerodach rerum potitus nihil antiquius habuit, quam ut Regem sibi amicissimum e carcere eductum apud optimates suos honoratissimo loco haberet. Textus ad literam habet (14): *Levavit Evilmerodach caput Joachim Regis Juda, & de carcere eduxit*; idest, e censu captivorum, qui in custodia Præfecti carcerum detinebantur, educens libertati restituit. Pari usus est indulgentia Pharao erga Pincernam; Pistorem vero a consortio quidem cæterorum vinctorum revocavit, sed ut supplicio permitteret: quare *levavit caput super eum*, nempe e censu cæterorum subduxit, ut ad supplicium raperetur. Potest etiam originalis Textus ita reddi, quasi scilicet Pharao virum a consortio viventium removerit. Ita miserum hunc hominem inter eos habere possumus, qui crucis supplicium viventes subierunt.

Plura etiam alia suppetunt exempla tum in Scriptura, cum apud Profanos Authores. Aman, ejusque filii in easque cruces acti fuerunt, quas Mardochæo, & Judæis paraverant (15). Artaxerses jussit eos omnes Chanaanitidis Præfectos, qui operam suam in constructione Templi Jerosolymitani negassent, in crucem ex trabe ab eorum ædibus desumpta, agi (16). Judæi quamplures, referente Philone in Flacco, crucis supplicio Alexandriæ perempti leguntur. Alexander Magnus bis mille Tyrios eodem supplicii genere in maris litore absumpsit (17); eodemque passim in reos animadversum apud Persas (18), Romanos, Ægyptios, & Africanos. Africani autem morem a Phœnicibus, unde & genus, derivaverant; eumdemque in plectendis sontibus servabant præ cæteris gentibus frequentius. Scitum est enim solemne fuisse apud illos vel ipsos leones in crucem tollere, quo eorum aspectu earum belluarum furor coerceretur. Omnes autem per Orbem gentes, quibus crucis supplicium familiare erat, nonnisi viventes suspendere noverant: cur igitur Hebræi soli inter omnes defunctorum tantum corpora crucifixerint, cum maxime gens esset sævitia, ac effundendi sanguinis aviditate nulli secunda?

Nec tamen negare ausim, commissum fuisse aliquando, ut necati antea sontes deinde in crucem tollerentur. Ita Chananæi Reges a Josue debellati, ejus jussu interfecti, in patibulum deinde seu in palum sublati sunt (19). Sicarii Isbosethi manibus pedibusque truncati in crucem, jubente Davide, juxta piscinam Hesebonis acti

(1) Num. XXV. 4. (2) Josue VIII. 29. (3) 2. Reg. XXI. 9. (4) Jerem. Lament. V. 13. (5) Antiq. l. 13. cap. 22. Ἀνασταυρῶσαι προσέταξεν αὐτῶν εἰς ω΄. τοὺς δὲ παῖδας αὐτῶν, καὶ τὰς γυναῖκας ἔτι ζώντων, παρὰ τὰς ἐκείνων ὄψεις ἀπέσφαττεν. (6) Jun. Pis. Grot. in Genes. XL. 13. 19. & Gloss. (7) ישא פרעה את ראשך והשיבך על כנך (8) ℣. 19. ישא פרעה את ראשך מעליך וגו (9) Exod. XXX. 12. Vide & Num. I. 2. 49. & IV. 2. 22. (10) 3. Reg. XXII. 27. & 2. Par. XVIII. 26. (11) Gen. XXXIX. 21. & XL. 4. (12) Jerem. XXXVII. 14. (13) L. de his, ff. de custod. reor. *Nisi intra trigesimum diem semper Commentariensis ingesserit numerum personarum, varietatem delictorum, clausorum ordinem, ætatemque vinctorum, officium viginti auri librarum ærario nostro jubemus inferre.* (14) 4. Reg. XXV. 27. נשא אוילמרדך את ראש יהויכין מלך יהודה מבית כלא (15) Esther. VII. 9. 10. (16) 1. Esdr. VI. 11. (17) Diod. Sic. l. 18. & Q. Curt. (18) Vide Lips. de Cruce l. 1. c. 11. (19) Josu. X. 6. *Percussitque Josue & interfecit eos atque suspendit super quinque stipites, fueruntque suspensi usque ad vesperum.*

sunt (1). Caput & manum Nicanoris viri impii, qui eamdem manum adversus Templum Domini extulerat, erigi jusserunt Macchabæi (2) in palum e regione Jerosolymæ. Antiochi Epiphanis satellites collo & uberibus matrum filios, circumcisione ab ipsis mulieribus initiatos, suspendentes, præcipites deinde e mœnibus miseras egerunt (3). Julius Cæsar, (4) cum in piratarum manus incidisset, impavidus victoribus insultans, jactabat quasi per ludum, sese libertati, si sors daret, restitutum, classe illos persequuturum, captosque acturum in crucem. Nec promissis defuit; pretio etenim ab ea captivitate liberatus, comparata classe atque in Piratas invectus, prælio victos capitali supplicio damnavit: quamquam humanitatis ab ipsis præstitæ memor voluit, ut ignominiæ & cruciatui ejus supplicii parceretur; quare contra receptam apud Romanos consuetudinem, neci tradi prius quam in patibulo suspenderentur, imperavit. Tarquinius Priscus, contrario plane consilio, quos violentas manus sibimet intulisse compererat, eorum cadavera palo suspensa in escam bestiarum relinqui voluit (5); ratus ejus rei ignominiam ab infando scelere populum revocaturam. A Ptolemeo Rege Ægypti paria Cleomenes passus est (6).

Rabbinorum narratione traditum est (7), post confectos lapidatione reos, frigida eorum cadavera manibus alligata in erecto patibulo suspendi ad vesperam usque consuevisse; demum deposita, inquiunt, ante Solis occasum sepulturæ tradi ex hujus Legis sanctione (8): *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur. Quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno.* Ita plane servatum est in Rege Hai, quinque Regibus Chananæis (9), ac tandem in Jesu Christo, geminisque latronibus, ante noctem ineuntem sepulturæ traditis (10).

Accidit interdum, cum maxime specialis quædam criminis ratio postularet, ut horrori ingerendo plurium dierum, quin & mensium spatio, suspensa in patibulo cadavera relinquerentur; quod factum legimus a Gabaonitis cum filiis Saulis in supplicium sublatis (11); eodemque spectasse credimus Sapientem (12) in illo: *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Veteres etiam siquando aliquem ad supplicium deposcebant, clamitare soliti erant: *Ad corvos.* Et Horatius *l. 1. Epist. ad Curt.*

Non hominem occidi. Non pasces in cruce corvos.

In hunc sensum Joseph ad Pistorem Pharaonis loquutum supra adduximus: *Suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Interdum appositis militibus a furtiva corporum rapina miseri illius hominis in patibulo suspensi, necessarii arcebantur (13). Nota est historia Matronæ Ephesinæ (14). Regi Lysimacho crucem minitanti Theodorus Cyrenius respondit, eo certe minarum genere terreri Aulicos potuisse; sibi vero perinde esse, humi ne aeri expositus computresceret (15).

Nomen crucis sive vernaculo, sive Latino sermone nonnisi peculiare supplicii genus designat; quod variam licet diversamque figuram obtinet, semper tamen in superiore sui parte, vel in media, vel saltem parum infra verticem, ab altero transverso ligno decussatur: qua re supplicium illud a cæteris aliis satis distinguitur. Sed Græcum *stauros* non semper pro eodem usurpatur; non raro enim stipitem, palum, terminum designat, sicut etiam Hebræa vox עץ, quæ cruci respondet, adhuc magis in incerto vagatur, cum *lignum*, sive *arborem* tantum exprimat. Quale crucem obtinuisse apud Hebræos, qualem nos solemus, nullo satis certo argumento demonstratur; quamquam nostræ crucis figuram, quemadmodum & supplicium, novisse illos minime dubitem. Si enim vetera quælibet monumenta in marmoribus & nummis sculpta consulantur, quid porro illa nisi vulgarem crucem exhibent? Lucianus diem dicit literæ T eo nomine, quod figura sua crucis ideam Tyrannis suffecerit (16): Veteresque Patres passi Jesu Christi Crucem literæ T comparant. Nulla est igitur ea de re ambigendi ratio.

Narrant Rabbini, nunquam apud illos commissum fuisse, ut sontes apud arborem virentem, radicibus adhuc & ramis instructam suspenderentur: quippe quod solemne esset, ajunt, patibulum una cum corpore defuncti sepulturæ tradere (17); quamquam, inquiunt, id servabatur, ut patibulum non quidem cum corpore, sed in carcere, ubi olim reus detentus fuerat, sepeliretur. Sed hæc Rabbinorum esse commenta, exemplo Jesu Christi, & duorum latronum discimus, quorum in eodem supplicii loco cruces sepultæ sunt. Si quæ autem ratio suppetebat, cur homines apud arbores viventes non suspenderentur, ea potissimum fuisse creditur, quod arbores illas, & fructus inde provenientes pollutos reputarent.

Interdum funibus cruci alligabantur, interdum clavis; Jesus Christus, ac duo Latrones clavis affixi sunt; funibus vero alligatum ferunt S. Andream, ut scilicet supplicii cruciatus prorogaretur (18). De numero clavorum Jesu Christi quæstio est anceps; recepta magis, & probata opinio quatuor numerat. Solebat Crux erigi, antequam patientes in eam elevarentur, quod maxime probant phrases ab Authoribus Græcis, & Latinis usurpatæ huic supplicio designando (19). Dicebant enim *elevare hominem in crucem, currere ad crucem, suspendere in cruce, ascendere in crucem.* Galba candidam crucem cæteris eminentiorem erigi jussit suspendendo homini, quem Civitatis Romanæ privilegio munitum esse se clamitabat (20). Bassus Judeum Eleazarum in obsidione Machæruntis captum, veluti si illum crucem statim damnasset, erectam ante se crucem aspicere coegit (21). Ita plane & cum Jesu Christo servatum, ut scilicet erectæ jam cruci suspenderetur, Nonnus (22), & S. Gregorius Nazianzenus (23), probataque magis simul sententia tenent. Si quæ sunt exempla reorum palo sive cruci jacenti vinctorum, uti de SS. Pionio, & Metrodoro Smyrnæ (24) memoriæ proditum est, hoc cum iis quidem servari potuit, qui ad ignem parabantur, atque palis alligandi erant humilioribus cruce, quæ sci-

(1) 2. Reg. IV. 12. (2) 1. Macc. VII. 47. (3) 2. Macch. 5. 64. & VI. 10. (4) Suet. in Jul. c. 74. (5) Plin. l. 36. c. 15. (6) Plutarch. in Cleom. (7) Halac Sanhedr. c. 15. (8) Deut. XXI. 22. 23. (9) Josue VIII. 29. & X. 26. 27. (10) Jo. XIX. 31. (11) 1. Reg. XXI. 8. 9. (12) Prov. XXX. 17. (13) Herod. l. 2. cap. 121. (14) Vide Petron. Satyr. (15) Valer. Max. lib. 6. c. 2. extern. 3. (16) Lucian. in judicio vocal. Τῷ γὰρ τούτου σώματι τοὺς τυράννους ἀκολουθήσαντας, καὶ μιμησαμένους αὐτοῦ τὸ πλάσμα, ἔπειτα σχήματι τοιούτῳ ξύλα τεκτήναντας, ἀνθρώπους ἀνασκολοπίζειν ἐπ' αὐτά. (17) Vide Halac Sanhedr. cap. 15. (18) Abdias lib. 3. Hist. Apost. *Proconsul mandat quæstionariis, ut ligatis manibus, & pedibus, non clavis affixus, suspenderetur, quo diutino cruciatu deficeret.* (19) Vide Lips. lib. de Cruce cap. 7. (20) Sueton. in Galba. (21) Joseph. lib. 7. de bel. c. 23. (22) Nonn. de Christo. Εἰς δόρυ τετράπλευρον, ἀπείριτον, ὑψόθι γαίης Ὄρθιον ἐξετάνυσσαν. (23) Nazianz. de Christo pat. Αὐτίχ᾽ ὅμιλος κραιπνοδρόμος ξύλον Ἀνῆγον ἐγγὺς ἐπ᾽ ἄκρον πλάτος. Ὀρθὸν δ᾽ ἐπ᾽ ὀρθοῖς αἰθέρ᾽ ἐστήριζον Ἔπλασαν δ᾽ ἐγκάρσιον, ἄνδρες ἔνθεν Ἔτειναν, ἐξέτειναν, ἧλωσαν χέρας Πόδας δὲ συνήλωσαν ἐν τῷ ξύλῳ. (24) Acta S. Pionii.

scilicet una cum patientis corpore alligato erigi non potuisset, nisi summo discrimine, ne corporis concussione & pondere satiscere vincula, ipsumque adeo corpus a patibulo revulsum præceps ruere cogeretur.

Supplicium Laquei.

LAquei supplicium priscis Hebræis plane cognitum, aliter sane apud Rabbinos descriptum est (1), quam nos eo nomine designamus. Sunt qui de illo dictum interpretentur, quoties in lege supplicium in reos decernitur, nullo tamen certo ejus genere indicato. Infligendi autem supplicii hanc tradunt rationem: rei corpus usque ad genua in fimo demergebatur; ac deinde obvolutum collo lineum tamdiu in diversa trahebatur, donec fauces miseri præcluderet. Sed traditionis neque ex Scriptura, neque ex Josepho notæ, suspecta nobis est fides. Legimus etiam, post devictum ab Achabo Rege Israel Benadad Regem Syriæ, miserum illum Regem in extremas angustias redactum ita quosdam esse allocutos: *Ecce audivimus, quod Reges domus Israel clementes sint: ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad Regem Israel: forsitan salvabit animas nostras* (2). Quid, rogo, funes illi in capitibus, sive in collo, nisi indicia sive promeriti ab ipsis supplicii, sive præstitæ victori servitutis, & captivitatis? Achitophel indignus proditor, ejusque exempla sequutus Judas Iscarioth, se ipsos suspendentes laqueo sibi vitam præciderunt (3). Principes Israel *manu suspensos* fuisse, apud Jeremiam legimus (4), sive quod antea capite fuissent truncati, sive quod illud supplicii genus excogitatum fuisset, quo diutius cruciarentur; quemadmodum & cum Martyribus Christianis servatum interdum novimus, ut scilicet manu suspensi, immanique pondere pedibus alligato in aere penduli torquerentur. Hæc nobis dicenda suppetunt de varia ratione crucifigendi, vel suspendendi.

Cum de homine damnando ageretur, summa id cautione factum est, juxta Rabbinorum doctrinam; nam post auditos testes & expensam caussam, judicium in alterum mane differebatur. Interim Judices in ædes quisque suas sese recipientes, parco victu potuque, nulloque prorsus vino reficiebantur. Tum bini, & bini seorsum coeuntes, secundis curis rem totam in examen revocabant. Mane autem alterius diei judicium adhuc revocari poterat; ita tamen ut qui reum in pervigilio crimine damnaverat, absolvere quidem posset; qui vero de illo absolvendo egerat, mutare sententiam non posset. Si autem prior damnationis sententia confirmaretur, tunc judicio pronunciato, circa solis occasum reus ad supplicium trahebatur. Feralem pompam præcedebat adequitans præco, elata voce edicens: Vir talis tali, vel tali crimine reus damnatur: si quis aliquid pro illo habet, accedat. Si forte aliquis compareret, statim dato signo a præcone reus reducebatur. Gemini e Prætorio Judices miserum ad supplicium deductum semper comitabantur, ut si quid haberet ipse reus pro se, sedulo audirent judicarentque. Reducere autem reum quinquies permissum erat.

Hæc Judaicæ pietatis descriptio in Misna fa-

cta, belle quidem rem explicat; sed veritate, & sinceritate caret. Ad libitum enim & de industria excogitatum commentum videtur, cujus ne vestigium quidem apparet sive in Sacra Scriptura, sive apud priscos Judæos. Contraria quin etiam omnia in Talmud leguntur. Ductus ad supplicium miser sacramento se a crimine purgat, testes accusationem retractant; Judices nihilominus in sententia permanentes clamitant: Pereant falsi testes; Judex autem nunquam semel latam sententiam retractat (5).

Æquissimi isti, si libet, Judices, adeo a sanguine abhorrentes, ad furorem usque accusationes amant, ut quæstio sit anceps apud illos, utrum liceat litigantes inter se partes conciliare: qua in re Rabbi Eliezer censet, id quidem sine crimine fieri non posse; qui vero, inquit, huic litigantium conciliatori bona imprecatur, hic blasphemiæ execrabilis reus est; judicium enim vel montes ipsos penetrare par est. Hæc mitissimorum Judicum sunt placita.

Carcer.

CArcer apud Hebræos, quemadmodum & apud cæteras gentes omnes, non semper in pœnam criminis, sed in custodiam eorum, quibus criminis invidia creata esset, adhibebatur. Joseph indagandi veritatem eorum, quæ de Jacob patre suo ac Beniamin fratre dicebantur, cupidus, cæteris quidem remissis fratribus, Simeonem in custodia retinuit (6). Vir blasphemus ad Moysem deductus, & alius violatæ Sabbathi religionis reus (7), in carcere tamdiu detenti sunt, quamdiu de genere supplicii illis inferendi Dominus consuleretur. Ne Jeremias, & S. Joannes Baptista liberius ad populum loqui perseverarent, carceris cautione provisum est (8). Michæas Propheta infaustum expeditionis in Rabbat exitum Regi Achab prædicens, in carcere detentus vaticinii sui eventum opperiri jussus est (9).

Non minus etiam frequenter carcer loco pœnæ dabatur, nec mitis sane, nec honestæ, cum persæpe tristissimum carceri gravius aliud jungeretur. Josephus per summam injuriam ab hera accusatus, & carcerem & catenas sustinuit (10). Eadem passi sunt ambo illi Præfecti in aula Regis Ægypti (11). Samson sævius aliquid ab hostibus toleravit, cum & luminibus orbatus, & carcere inclusus, molam torquere coactus est (12). Reges in bello capti plerumque vinculis onerati in carcerem projiciebantur; paria Osee Rex Israel a Salmanassare expertus est; Joachaz Rex Juda a Necao Rege Ægypti (13); Manasses Rex Juda a Rege Babylonis (14). Quid Sedecias a Nabuchodonosore? oculis orbatus durum subire in vinculis carcerem per totam vitam coactus est; quo tamen vita functo, Joachin & libertatem & Regnum ab Evilmerodacho recepit (15). David virtutem Abneri a Joabo proditione interfecti celebraturus, in ejus funere canebat (16): *Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggravati.* Tandem Artaxerses in edicto pro restitutione Templi Jerosolymitani lato capitale supplicium sive carcerem minitatur iis, qui Regiis sanctionibus temerario ausu contradixerint (17).

Solebant plerumque crimine aliquo damnati vel

[1] Vide, si lubet, Selden. de Synedr. l. 2. c. 13. [2] 3. Reg. xx. 30. 31. [3] 2. Reg. xvii. 23. Matth. xxvii. 5. Act. 1. 18. [4] Lament. v. 12. [5] Vide Basnag. Hist. des Juifs t. 5. l. 5. c. 9. art. 17. [6] Genes. xlii. 19. [7] Levit. xxiv. 12. Num. xv. 34. [8] Jerem. xxxii. 3. Matth. xiv. 3. [9] 3. Reg. xxii. 27. & 2. Paralip. xviii. 26. [10] Genes. xxxix. 20. Psalm. civ. 18. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus.* [11] Genes. xl. 3. [12] Judic. xvi. 21. [13] 4. Reg. xvii. 4. 8. & 4. Reg. xxiii. 33. [14] 2. Paralip. xxxiii. 9. 11. 12. [15] 4. Reg. xxv. 27. 29. & Jerem. lii. 31. 33. & lii. 11. & xxix. 7. [16] 2. Reg. iii. 33. 34. [17] 1. Esdr. vii. 26.

captivi catenarum pondere premi, & compedibus stringi (1); interdum & manicæ, & ferrea collaria addebantur. Accedebat arctus panis, & brevior aqua: *Sustentate eum*, ait Achab de Michæa, *pane tribulationis; & aqua angustiæ, donec revertar in pace* (2). Variæ autem distingui possunt carcerum genera; aliæ custodiendis captivis destinata, alia plectendis reis; arcta, & obscura (3). Jeremias tria carcerum loca, quæ ille ex alio in alium translatus obivit, non obscure significat. Primo enim *in atrio carceris* detentus est, in loco nempe publico, & amicorum visitationibus pervio (4), cujusmodi apud Romanos carcer, *libera custodia*, appellatus est. Eo in loco detentus Propheta tabulas empti agri a patruo Hananeele coram multis testibus firmavit. Deinde in *custodiam carceris*, nempe in locum arctiorem, translatus (5), brevi tamen jubente Sedecia eductus, in atrium carceris restitutus est. Sed cum etiam atque etiam excidium Jerosolymæ minitari non desisteret; gravius id ferentes Principes in cisternam ante atrium carceris positam demiserunt. Arens quidem erat locus aqua; sed luto, & graveolentia minime (6) tolerandus.

Vincula detentorum in carcere.

VAria obtinuisse genera vinculorum, compedum, & catenarum pro captivis, fontibus, cæterisque in carcere datentis, res est exploratissima. Sæpe jugo quodam collo imposito premebantur; constabat autem jugum geminis asseribus longis latisque, quibus per disposita foramina collum insertum constringebatur. Numellam id genus machinæ appellabant Romani (7). Jussus est a Domino Jeremias vincula sibi & juga (8) inducere, sicut & alia id generis mittere per legatos, ab ipsis Principibus Jerosolymam missos, ad Reges Edom, Moab, Ammon, Tyri, & Sidonis. Voluit autem Deus eorum futuram captivitatem sub Rege Nabuchodonosore facto ipso designare. Cum vero Hananias Pseudopropheta jugum illud ligneum collo Jeremiæ circumpositum confregisset, statim Propheta Dei verbis prænunciavit, pro jugo ligneo ferreum se impositurum cervicibus omnium gentium, quas Deus ipse Nabuchodonosori esset (9) subjecturus.

Ad hæc forte vincula seu juga, cervicibus noxiorum imposita, spectasse creditur Propheta (10); *Dominus dedit te ut sis dux super omnem virum arreptitium, & prophetantem, ut mittas eum in nervum, & in carcerem*. Vox Textus originalis aliquid habet similitudinis cum ea, quæ Achitophelis suspendio sibi vitam præcidentis factum exprimit (11). Sunt qui designari credant aliud supplicii genus, Orientalibus quondam familiare, quo scilicet noxius *scaphis* quibusdam, vel arculis simul junctis ita totus constringebatur, ut simul per disposita foramina caput, manus, pedesque prodirent (12). Ita vero miser arctatus, mellis & lactis copiam sorbere cogebatur, tum & ejus facies ad solem conversa melle liniebatur, quo scilicet & muscarum examina in sui injuriam alliciens, impeditis manibus immotus tædium sustineret, & lacte ac melle pastus venter laxaretur, excrementisque corrupta caro vermibus ebulliret, quibus ad ilia usque penetrantibus universum tandem corpus depasceretur. Verum minime omnium dubito, quin Jeremias, sive Propheta ille, cujus ipse verba refert, vincula potius quædam, quibus noxii in carcere premerentur, designaverit.

Præter juga, collum eorum, qui detinebantur in carcere, torquentia, familiares erant etiam discruciandis pedibus compedes (13). Compedes autem machinas fuisse credo, sæpe in historiis Martyrum recurrentes (14), quibus divaricata crura, foraminibus majori, vel minori proportione distantibus inserta, detinebantur (15).

Lignoque plantas inserit
Divaricatis cruribus.

Utitur sæpe Scriptura hac phrasi, *mittere in nervum* (16), pro, in carcerem detrudere, sive compedibus stringere; & apud Prophetam sermo est de manicis ferreis, quibus constringandos Reges & Principes gentium Dominus edicit (17). Huc etiam spectare poterant annuli illi, sive circuli, pedes Manassis Regis Juda stringentes, cum Babylonem captivus transferretur (18).

Tandem mentio occurrit manicarum, seu vinculorum, quibus manus stringebantur. Hisce manicis, sive catenis manus alligantibus, Jeremias oppressus, levatus est agente Nabuzardano (19). Deus daturum se pollicetur in potestatem Cyri Ægyptios, & Æthiopes, qui vinctis catena manibus, ejus Regis triumphum sequerentur. Ex ære plerumque conflatos annulos illos & catenas, quibus colla manusque vinctorum constringebantur, docet solemnis illa Scripturæ phrasis: *Onerari ære* (20); quæ tantumdem valet ac apud nostrates, tum & apud Latinos, illud, ferro onerari, manibus nempe pedibusque catenis vinciri.

Supplicium Tympani.

INter supplicia Veteris Testamenti Martyribus excruciandis inventa, Author Epistolæ ad Hebræos xi. 35. tympanum recenset. Quid autem eo nomine significetur, variant Interpretes. Author Vulgatæ Græcum illud ἐτυμπανίσθησαν reddit *distenti sunt*; unde conjecturam derivarunt Viri quidam non imperiti, de equuleo locum interpretandi (21). Porro equuleus supplicii genus est tam apud Latinos olim notum, quam hodie Eruditis incognitum. Græci, quibus in explicatione vocum suarum plus aliquid quam Latinis deferendum videtur, alio plane sensu vocem interpretati sunt. Alii enim capite plexos reddunt, alii tandem de quocumque necis genere dictum explicant (22). Nec sane negari potest, eo quandoque sensu vocem Græcam usurpari; sed Apostolum singula suppliciorum genera recensentem, vocem, quæ supplicium in genere sonet, usurpare voluisse quis credat?

S. Joan-

[1] Eccli. vi. 25. & xxi. 22. Levit. xxiv. 13. Jerem. xxvii. 2. *Fac tibi vincula & catenas, & pones eas in collo tuo.* Et xl. 4. *Solvi te hodie de catenis, quæ sunt in manibus tuis.* Act. xii. 7. *Ceciderunt catenæ de manibus ejus.* [2] 3. Reg. xxii. 27. [3] Isai. xxiv. 22. & xlii. 7. [4] Jerem. xxxii. 2. 12. [5] Jerem. xxxviii. 4. 10. 20. [6] Jerem. xxxviii. 6. Vide etiam Zach. ix. 11. שלחתי אסיריך מבור [7] Noxius. *Numella est machinæ ligneæ genus, ad noxios discruciandos olim parari solitum, quo & collum, & pedes ipsorum immittebant antiqui.* [8] Jerem. xxvii. 2. מוסרות ומטות [9] Jerem. xxviii. 10. Vide etiam Levit. xxvi. 13. Ezech. xxxiv. 27. Psal. ii. 3. ubi sermo est de jugis, & vinculis captivorum. [10] Jerem. xxix. 26. אל המהפכת ואל הצינק *in nervum & in carcerem.* [11] 2. Reg. xvii. 23. ויחנק [12] Plutarch. in Artaxerxe, Zonar. tom. 1. Annal. Gallon. de Cruciat. Martyr. c. 1. [13] Job xiii. 27. & xxxiii. 11. Proverb. vii. 22. סד & עכס [14] Euseb. l. 6. c. 32. Histor. & l. 8. c. 10. 12. 14. Niceph. l. 7. c. 9. [15] Prudent. Hymn. 4. [16] 2. Paralipom. xvi. 10. Isai. xx. 2. & xxix. 27. המהפכת [17] Psalm. cxlix. 8. *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis* בכבלי ברזל [18] 2. Paralip. xxxiii. 11. בחחים [19] Jerem. xl. 1. 4. אזקים In his textibus זקים solummodo legitur. Job xxxvi. 8. Psalm. cxlix. 8. Isai. xlv. 14. Nahum iii. 10. [20] נחשתים Vide 2. Reg. iii. 34. Judic. vi. 21. & 4. Reg. xxv. 7. & 2. Paralip. xxxiii. & xxxvi. 6. 11. & 14. 21. &c. [21] D. Th. Cajet. Hammond. in Ep. ad Hebr. Hier. Mag. lib. de Equul. c. 10. &c. [22] Camer. Castal. Grot. Gataker. &c.

S. Joannes Chrysostomus (1), & post illum Theophylactus, Oecumenius, Recentioresque nonnulli spectatum malunt ab Apostolo S. Joannis Baptistæ, ac S. Jacobi Apostoli supplicium, quos ambos capite plexos scimus. Addi potest Eusebii authoritas reddentis, uti quidem credimus, verbum illud τυμπανίζεσθαι capite plecti; quemadmodum in ejus historia Martyrum Lugdunensium legere est (2). In mandatis dederat Imperator, eos quidem qui fidei nuncium remitterent, libertatem obtinere; quemadmodum & jussionibus Cæsareis pervicaces τυμπανίζεσθαι. Quare Judex si quos Cives Romanos fidei Jesu Christi inhærentes deprehenderet, illos damnabat capitali supplicio, cæteros vero bestiis tradebat. Sed ibi potius vocem illam usurpasse Eusebium credimus pro ultimo supplicio utcumque, non certo aliquo supplicii genere designando: eorum enim, quos τυμπανίζεσθαι Imperatorem jusserat, alii quidem capitali supplicio, alii bestiis expositi perimebantur.

Manifestius aliquid in eam rem reperisse nobis videmur apud Casaubonum in notis ad Athenæum (3). Ephorion Chalcidensis narrat, consuevisse interdum Romanos quinque minarum præmium destinare iis, qui τυμπανίζεσθαι se toleraturos offerrent; ea scilicet conditione, ut illis eo supplicio sublatis, hæredibus cederet merces. Accidit non raro, inquit idem Author, ut inter se plures ea de re lites agerent, quisque pro se certantes, ut capitis sui dispendio præmium reportarent. Erat igitur tympanismi supplicium ipsissimum, quod apud nos capitale dicitur; quemadmodum Eustathius post laudatum eumdem Athenæi locum animadvertit (4). An tamen illud ἀποτυμπανισθῆναι explicari potius debuerit de ultimo supplicio utcumque, quæ deinde generalis vox ex subsequentibus verbis de capitali supplicio determinetur, æquis Lectoribus dijudicandum relinquimus.

Quod vero Apostolus præ oculis habuerit supplicium S. Joannis Baptistæ, & S. Jacobi, quemadmodum S. Joanni Chrysostomo aliisque Interpretibus est visum, nobis quidem minus probatur quam sententia Theodoreti, & Interpretum fere omnium, Macchabæos Martyres (5) spectatos ab Apostolo autumantium. Persuasum enim ex contextu sermonis habemus, nonnisi ad SS. Veteris Testamenti Apostolum allusisse.

Hesychius, Suidas, Oecumenius vocem, de qua agimus, reddere malunt, detracta pelle occidere; qua in re nullam habent interpretationis suæ conjecturam, nisi hanc tantummodo, quia scilicet de omnibus æque suppliciis vox illa usurpata, potuit aliquando etiam peculiare hoc significare. Fatemur quidem, historiam illam Macchabæorum, quam præ oculis habuisse Apostolus creditur, cum hæc scriberet, cutem capitis uni ex adolescentibus detractam jussu Antiochi narrare: quod sane Scriptoribus illis hanc mentem indidit; sed quænam conjecturæ istæ? quam futiles?

Firmior videtur sententia vocem illam referens ad virgarum seu bacillorum supplicium; tympanum enim, unde verbum *tympanizein*, musicum est instrumentum, exteosu corio tectum, quod bacillis pulsatur. Aristophanis Scholiastes supplicium Tympani appellari tradit bacillos, quibus noxii sententia Judicis cæduntur (6).

S. Martyr Eleazarus, cujus potissimum spectasse supplicium Apostolus creditur, bacillis confectus est. Ita enim Textus (7): *Confestim ad supplicium* [ad literam *ad tympanum*] *trahebatur. Sed cum plagis perimeretur, ingemuit & dixit: Domine qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo labores*; nempe ictus virgarum, seu bacillorum. Ex collatione textus Apostolici cum superiori, statim intelligimus, hanc historiam ab Apostolo (8) spectatam fuisse. *Alii distenti sunt* [ad literam *etympanisthesan*] *non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem*. Josephus, qui Macchabæorum historiam exornavit, virgis cæsum Eleazarum describit (9); quamquam illud etiam addit, Eleazarum candentibus ferreis laminis adustum, atque ignitis fœtidisque liquoribus per nares transmissis fuisse confectum. Sed de eo mortis genere nihil legimus in libris Canonicis Macchabæorum; neque ad Josephi scripta, recentiora illa sane, spectare unquam Author Epistolæ ad Hebræos potuit.

Neque unus Eleazarus virgas ac flagella sustinuit, cum parem etiam supplicii pœnam subiisse septem fratres Macchabæos legamus (10); nam *flagris, & taureis cruciati* Martyrium obierunt. Quare nullus est ambigendi locus, Apostolum virgarum seu bacillorum supplicium tympani nomine designasse. In hanc sententiam conveniunt peritissimi Interpretes, Erasmus, Drusius, Jacobus Capellus, Piscator, Beza, Estius, aliique nonnulli.

Hoc supplicii genus nostra etiam ætate obtinet apud Turcas (11), qui noxium prono in terram corpore sternentes, pedibus bacillo, quem *Falkala* appellant, alligatis, milites detinentes in altum sustinent. Tunc baculo pedum plantæ cæduntur, sicut & humeri, ac dorsum quandoque usque ad quingentos ictus. Quibus mille infliguntur, ii sane raro vitam prorogant. Judex interim corollæ cujusdam Turcicæ calculis ictus numerat, pro quibus singulis sibi a noxio solvi jubet monetam, quam nos *piastra* vocamus. Romanorum moribus in eo supplicio inferendo ita receptum erat, teste Svetonio in Tiberio capite LX. *Exploratorem viæ stratum humi pene ad necem verberavit*. Non satis a vero abludentes suspicamur, Tribunum illum Romanum hoc supplicii genere animadvertere statuisse in Apostolum Paulum, Jerosolymis captum. Narrat enim S. Lucas (12) jussisse Tribunum Apostolum ad quæstionem vinculis alligatum extendi. Qui etiam mos, virgis scilicet vel bacillis in noxios animadvertendi, hodie Persis est familiaris.

Fla-

(1) Chrysost. in eum locum. Ἐπειδὴ μοι δοκεῖ καὶ τὸν Ἰωάννην αἰνίττεσθαι, καὶ τὸν Ἰάκωβον. ἀποτυμπανισμὸς γὰρ λέγεται ἀποκεφαλισμός. [2] Histor. Eccles. l. 5. c. 1. Ἐπιστείλαντος γὰρ τοῦ Καίσαρος τοὺς μὲν ἀποτυμπανισθῆναι .... καὶ ὅσοι μὲν ἐδόκουν πολιτείαν Ῥωμαίων κεκτῆσθαι, τούτων ἀπέτεμνε τὰς κεφαλάς, τοὺς δὲ λοιποὺς ἔπεμπεν εἰς θηρία. [3] Athen. l. 4. Dipnosophist. ex Ephorione Chalcidensi. Παρὰ δὲ τοῖς Ῥωμαίοις προτίθεσθαι πέντε μνᾶς τῷ ὑπομεῖναι βουλομένῳ τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι πελέκει, ὥστε τοὺς κληρονόμους κομίσασθαι τὸ ἆθλον. καὶ πολλάκις ἀπογραφομένους πλείους διαδικάζεσθαι καθ᾽ ὃ δικαιότατόν ἐστιν ἕκαστον αὐτῶν ἀποτυμπανισθῆναι. [4] Καὶ ὅρα τὸ ἀποτυμπανισθῆναι, ταυτὸν ὂν τῷ τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι. Vide & Phavorini Lexic. & notas Gothofredi Jungermani in libel. Magii de Equul. [5] 2. Macch. vii. 4. 9. [6] Scholiast. in Plut. Aristoph. Τύμπανα ξύλα, ἐφ᾽ οἷς ἐτυμπάνιζον, ἐχρῶντο δὲ ταύτῃ τῇ τιμωρίᾳ, ἢ βακτηρία, ... τὸ τύμπανον. [7] Macch. vi. 19 Ἐλεάζαρος αὐθαιρέτως ἐπὶ τὸ τύμπανον προσῆγε. Et v. 28. Τοσαῦτα δὲ εἰπὼν, ἐπὶ τὸ τύμπανον εὐθέως ἦλθε. Et v. 30 Μέλλων δὲ ταῖς πληγαῖς τελευτᾷν, ἀναστενάξας εἶπε· τῷ κυρίῳ τῷ τὴν ἁγίαν γνῶσιν ἔχοντι φανερόν ἐστιν, ὅτι δυνάμενος ἀπολυθῆναι τοῦ θανάτου, σκληρὰς ὑποφέρω κατὰ τὸ σῶμα ἀλγηδόνας μαστιγούμενος. [8] Hebr. xi. 35. Ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν, οὐ προσδεξάμενοι τὴν ἀπολύτρωσιν, ἵνα κρείττονος ἀναστάσεως τύχωσιν. [9] Joseph. de Macch. vi. Πρῶτον μὲν περιέδυσαν αὐτὸν, ἔπειτα περιαγκωνίσαντες ἑκατέρωθεν μάστιξι κατῄκιζον [illegible]. [10] 2. Macchab. vii. 1. Μάστιξι καὶ νευραῖς αἰκιζομένους. [11] Vide Joan. Montalban. Renat. Turcic. & Eugen. Roger. Terræ Sanctæ l. 2. c. 17. p. 326. [12] Act. xxii. 25. Ὡς δὲ προέτεινεν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσιν.

Flagrorum Supplicium.

Flagrorum pœna non multum sane ab ea, de qua verba fecimus, abludit. Moyses jubet in Deuteronomio xxv. 2. si quis dignum aliquid eo supplicio committat, *Judices prosternere, & coram se facere verberari. Pro mensura peccati*, addit, *erit & plagarum modus; ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus*. Quamquam autem locus æque referri potest ad virgarum & bacillorum supplicium, vulgo tamen de flagris interpretantur: quod sane supplicium familiarius obtinuisse tum & fuisse minime omnium illiberale, Doctores Judæi testantur. Peccata CLXX. numerant eo piamine purgandas (1); quin ea omnia crimina, quibus nulla capitalis pœna in Lege decernitur, si alioqui pœna aliqua punienda sint, nonnisi flagellis deleri, nec iis novem ac triginta criminibus exceptis, in quæ Deus segregatione sive excommunicatione animadvertendum decernit. Ea etenim sententia Doctoribus istis arrisit, ut cum nullum certum supplicii genus pro hisce criminibus in Lege statutum legatur, non sit sane, cur gravius aliquid quam flagella exposcant, juxta illud: Odiosa, dum fieri possit, miseratione lenienda sunt.

Cum autem noxius judiciali sententia flagris damnaretur, statim a tortoribus exutus vestibus, immo etiam iis discissis, si forte opus fuisset, usque ad ilia nudus patens dorsum taureis quadrifidis, quem etiam morem Romani in eo supplicii genere inferendo sequuti sunt (2), præbebat (3). Porro flagra illa adeo erant producta, ut vel ad pectus pertingerent: quamquam nec desunt qui affirment, sexies dorsum, ter inde pectus cædi alternatim consuevisse. Alligabatur vero reus strictis vinculo brachiis ad columnam adeo humilem, ut prono dorso flagra excipere a tortore in supposito lapide ad terga stante cogeretur. Aderant tres Judices: quorum unus clamabat (4): *Nisi custodieris & feceris verba legis hujus, augebit Dominus plagas tuas & plagas seminis tui*. Secundus Judex ictus numerabat; postremum ad officium tortores provocabat. Eo piamine placari Deus credebatur, si tamen noxius crimen suum fateri, atque pœnitudine tangi voluisset. Qui enim in crimine pervicaces mansissent, & post flagella ter repetita in maximis criminibus, quater vero in levioribus, iterum rediissent ad crimen, in carcerem adeo arctum detrudebantur, ut humanam altitudinem non excederet, ubi nec cubandi locus esset. Addebantur jejunia breviori pane, & aqua tolerata: cum vero noxius confici jam videretur, hordei mensura vitam deinceps tolerare usque ad mortem cogebatur.

Sunt qui contendant (5) nunquam fuisse commissum, ut plus minusve, quam triginta novem ictus infligerentur, qui, ut Legis præscripto serviretur, ad criminis & arbitrii Judicum normam temperabantur. Schikardus tamen demonstrasse sibi videtur (6), in vulgaribus quidem criminibus numerum XXXIX. ictuum aliquando expletum non fuisse, superatum vero nunquam, spectato semper sontis robore, tum criminis gravitate; cum vero multiplicari crimina contigisset, sive in reum sæpius fuisset animadversum [eodem, vel alio eadem pœna digno commisso crimine], tunc vulgarem numerum excedere, vel saltem sæpius iterare liberum fuisse concedit.

S. Paulus de se tradit, quinquies variis occasionibus vulgarem illum ictuum numerum a Judæis subiisse (7). Diserte etiam ibidem distinguit duo illa supplicia, virgarum, & flagrorum; bis enim subjectum se flagris, ter vero virgis prodit (8). Virgis Synagogæ omnes per Romanum Imperium (utpote Romanis familiaribus) utebantur; cum interim flagra pro veteri more Synagogæ per Judæam retinerent (9).

Virgarum plura sunt in Scriptura genera; virga est ferrea apud Prophetam (10): *Reges eos in virga ferrea*. Israelitis rogantibus, ut imposito a Patre tributorum jugo levarentur, respondit Roboamus (11): *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus*. Hebræum עקרבים *akrabim* sonat quidem scorpiones, positumque est pro flagris, cuspidibus & spinis armatis, instar scorpionis ferientibus. Vulgo Rabbini (12) locum explicant de rubia, vel virgis spinosis, nodisque asperatis. Paraphrastes Chaldæus vertit *maraguin*, quod ipsissimum esse Græcum *maragna* creditur; sonat autem taurea (13). Genus istud supplicii plures Martyres tolerasse legimus, describitur autem a S. Isidoro (14): *Si nodosa vel aculeata virga sit, scorpio rectissimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur*.

Solebant rei flagris seu virgis damnati in dorso cædi: *Virga in dorso ejus, qui indiget corde* (15), ait Salomon; & Propheta de flagellis Messiæ locutus, ait (16): *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*. Josephus (17) supplicium narrans sancti Senis Eleazari refert, nudatum vestibus, atque in flagra paratum, ex utroque latere virgarum ictibus cæsum fuisse, clamantibus interim tortoribus, ut Regis jussionibus morigerum se præberet. Hiscebat caro, patebant viscera. Non raro utroque latere rei cædebantur: *De servo pessimo latus sanguinare necesse est*, ait Author Ecclesiastici XLII. 6. Interdum virgis cædebantur: *In virga percutient maxillam Judicis Israel*, ait Michæas IV. 14. Hunc morem facile spectavit Jeremias XI. 19. quo enim in loco Vulgata legit, *Mittamus lignum in maxillam ejus*. Porro illa Prophetarum oracula tunc impleta scimus, cum Jesu Christi caput militari licentia arundine, quam ipse in manibus tenebat, cædebatur: *Percutiebant caput ejus arundine* (18).

Cæterum flagrorum apud Hebræos supplicium haud illiberale habitum fuisse docent Rabbini, ut ne probro quidem cuiquam verti tanquam ignominiosum posset. Nemo cujuscumque generis Israelita si quid animadversione dignum commisisset, a flagris eximebatur, non Summus Sacerdos, non Rex, quos flagris damnare magno Sanhedrio, tanquam supremo omnium Tribunali, fas erat. Ita quidem Rabbini, quibus docti quidam Interpretes adstipulantur; hæc tamen Rabbinorum dicta de supplicio flagrorum accipienda sunt de pœna, quæ sumebatur pro legalibus delictis expiandis, nec alibi quam in Synagogis inflicta erat. Quæ enim flagra in judiciis pro publicis delictis puniendis dabantur, alterius erant ordinis. Illud etiam animadvertunt, flagri supplicium apud Orientales ingenuum præ cæteris haberi. Nec sane apud Mahometanos nostra etiam ætate mos desiit, ut flagris non mancipia tantum, sed liberi etiam homines subdantur. Tradunt insuper, in moribus positum fuisse olim apud Reges

Par-

(1) Vide Selden. de Syned. lib. 2. cap. 13. Schikard. de jure Reg. cap. 2. theor. 7. Grot. ad Deuter. XXV. (2) Act. XVI. 22. (3) Vide Maimon. Halac Sanhed. cap. 17. (4) Deut. XXVIII. 58. (5) Vide Abnezra, Drus. Selden. loc. cit. (6) De Jure Reg. cap. 2. Theor. 7. ex Maimon. (7) 2. Cor. XI. 24. *Quinquies quadragenas una minus accepi.* (8) Vide Gallon. de cruciat. martyr. cap. (9) Basnag. Hist. des Juifs, livr. 3. chap. 17. (10) Psalm. II. 9. (11) 3. Reg. XII. 11. (12) Jarchi, Kimchi, Levi Ben-Gerson, Carpzov. (13) Vide Hesych. & Pollux. & Boch. de anim. sacr. tom. 2. l. 4. cap. 2. & 29. (14) Etymol. lib. 5. cap. XXVII. (15) Prover. X. 13. & XXVI. 3. (16) Psalm. CXXVIII. 3. (17) Joseph. de Macchab. cap. 2. (18) Marc. XV. 19.

Parthorum, ut leviora quæque errata ab Optimatibus Regiæ mensæ assidentibus commissa flagris expiarentur; quod ab illis tanquam peculiare aliquod a Rege acceptum beneficium magna gratiarum significatione excipiebatur (1). Summi quidam Viri apud Græcos memorantur, qui post subjecta flagellis terga, amplissima quæque Patriæ suæ munera honoris gratia sibi demandata gesserunt. Lichas, filius Arcesilai, flagra lictoris manu excepit in pœnam veteris disciplinæ in bello aliquanto immutatæ, quamquam strenui ea occasione Ducis partes omnes explevit. Deinde hæc legationem egit apud Argos (2). Addunt, Reges, si forte flagrorum disciplinæ sese submisissent, id quidem pœnitudinis spiritu voluisse, ipsos sibi virum selegisse, cui terga in flagra submitterent. Ita plane de Henrico II. Rege Angliæ memoriæ proditum legimus, flagra scilicet sponte subiisse, ob necem S. Thomæ Cantuariensis expiandam.

Verum neque Rabbinorum authoritas, neque recitata hucusque exempla tanta sunt, ut supplicium illud liberale apud Judæos fuisse nobis persuadeant; nec facile credimus, committi unquam potuisse, ut Rex & Summus Sacerdos Sanhedrii sententia flagellarentur. Scitum est enim, Reges Juda & Israelis uni Deo subjectos se novisse, cui uni gestorum suorum rationem reddendam fatebantur: quare David post cædem Uriæ, & commissum cum Bersabee crimen, conversus ad Deum dicebat: *Tibi soli peccavi*. Neque exempla suppetunt ulla exerciti a Judicibus populi juris in Reges, sive in Summum Sacerdotem; cum alioquin sexcenta occurrant supremæ horum Principum authoritatis, tum & in summis criminibus impunitatis. Si Reges Persarum olim summos Aulæ Præfectos flagrorum supplicio obnoxios habuerunt, quid hoc ad Reges Israelis, & Summum Domini Sacerdotem sententia Sanhedrii damnandos? Porro Reges Persarum subjectis sibi populis æque omnibus mancipii jure utebantur. Par usurpabant jus in subditos Reges Judæorum, quemadmodum ex historia gentis intelligimus; quare vix est ut nobis persuadeamus, tantam fuisse Judicibus inferioribus authoritatem, ut Reges illos tanquam vulgares e populo cæderent. Credant hæc qui Rabbinorum sententiis & studio delectantur. Sed hæc omnia ad flagra tantum illa referenda sunt, quæ legalibus quibusdam criminibus expiandis in Synagoga imponebantur, non ad publicum a Judicibus inflictum pro delictis supplicium.

Plane Jesus Christus imminentia sibi & Discipulis suis mala prænuncians, aliam nobis flagrorum ideam ingerit; illud enim ignominia, & dolore plenum supplicium nunquam non exaggerat; ac de passione sua loquutus, potissimo semper loco flagella commemorat (3). Nec S. Paulus supplicium illud omittit, cum mala recenset pro Christo tolerata (4); & Philo satis ejus ignominiam insinuat, cum fœdissime habitos a Flacco Judæos Alexandrinos describit (5): Flagris, inquit, cæsi sunt, quod supplicii genus ingenuo homini par morti reputatur. Cum Antonius cæsum Antigonum Regem Judæorum, palo alligatum, capite minuisset, rem egisse impotenti homine dignam habitus est; quippe quod supplicio hominem subdidisset, nunquam in Reges Romanis moribus usurpato (6).

In superioribus jam observavimus, Doctores Judæos flagellis omnia ea crimina subiecisse, quæ exterminii pœna in Lege damnantur; qua in re quædam nobis animadvertenda sunt. Tria exterminii genera distinguenda: primum ex Rabbinorum doctrina ipsissimum est flagrorum supplicium, Judicum sententia latum in eos, qui crimina inferius recensenda commisissent; alterum pœna est occulta a Deo immissa in eos, quos criminum alioquin exterminio dignorum reos, Judices tamen damnare non possent; tertium tandem ipsa est excommunicatio.

Pœna Exterminii.

QUæ exterminio plectenda subjiciebantur crimina, sex ac triginta recensita sunt; quorum quindecim priora in Levitico XVIII. (7), ubi & de coitu incesto sermo, enumerantur; cætera vero hic damus. Sunt igitur, 1. Magos consulere (8): 2. extra castra vel Tabernaculum sacris operari (9): 3. Victimas in limine Tabernaculi non sistere (10): 4. Oleum Sanctum (11), vel saltem thymiama (12) profanis usibus parare: 5. Oleum chrismatis effundere: 7. Diem Sabbati feriatam ab operibus non agere (13): 8. Pollutum a sacris comedendis non abstinere (14): 9. In Templum ingredi pollutos (15): 10. Adipem degustare (16): 11. sicut & sanguinem (17): 12. Triduo ab oblato sacrificio ejus reliquias in cibum assumere (18): 13. Victimarum carnem extra locum sacrificii degustare (19): 14. Fermentato pane Festo Paschatis perseverante uti (20): 15. Jejunium Expiationis solemnis negligere (21): 16. eamdemque diem feriatam non agere (22): 17. Festum Paschatis non observare (23): 18. Circumcisione non initiari (24): 19. Blasphemia (25): 20. Idololatria (26): 21. Filios offerre Moloc (27). In hæc omnia exterminii supplicium decretum est.

Quæ jam sedit nonnullis Interpretibus, sententiam de occulta & districta animadversione Dei in sontes exterminio damnatos, alibi in examen revocavimus, videlicet in Exodo XII. 15. Agendum est modo de supplicio Judicum sententia decreto in eos, qui eorumdem criminum rei accusabantur. Nequid autem Rabbinorum sententias moremur, illud sane constituendum arbitramur, gravitate criminum eo supplicio plectendorum, & prona ac literali Textus interpretatione inspecta, nihilo cum illis mitius actum fuisse, quam ut capitali aliquo supplicio exterminarentur.

Sabbati violationem, blasphemiam, oblationem filiorum in sacrificium Moloc &c. crimina fuisse capitalia lato in Lege edicto, dubitaverit nemo. Hæc autem exterminio simul in Lege damnari compertum est; quod argumento est apertissimo, exterminii pœnam cum supplicio capitali omnino confundi. Anne facile nobis persuaserimus, adulterii commissi, coitus cum fœmina menstruata, consultorum Magorum reos, quemadmodum & filium in patrem immorigerum capite damnari; eos

(1) Possidon. apud Athen. lib. 4. cap. 13. Dipnosop. Πολλάκις δὲ καὶ τὰς τυχούσας αἰτίας ἀνασπασθεὶς τοῦ χρηματιστοῦ δεῖπνον, ῥαβδίζεται καὶ ἱμᾶσιν ἀστραγαλωτοῖς μαστιγοῦται, καὶ γενόμενος αἱμόφυρτος, τὸν προγεγραμμένον ὡς εὐεργέτην ἐπὶ τὸ ἔδαφος πρηνὴς πεσὼν προσκυνεῖ. Vide & Stobæum serm. 12. ex Nicol. (2) Thucydid. lib. 5. (3) Matth. XX. 19. Marc. X. 34. Luc. XVIII. 32. (4) 2. Cor. XI. 24. (5) Philo in Flaccum & de special. legib. Ἔστι δὲ καὶ πληγαὶ τοῖς μὴ δουλοπρεπέσιν οὐκ ἔλαττον δεινοῦ θανάτου. (6) Dio l. 49. . . . . Τὸν δὲ Ἀντίγονον ἐμαστίγωσε σταυρῷ προσδήσας, ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει, καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἀπέσφαξε. Vide Joseph. de bell. Jud. lib. 1. cap. 13. (7) Vide Seld. lib. 2. c. 7. de Synedr. Vet. Hebr. (8) Lev. XX. 6. (9) Lev. XVII. 4. (10) Lev. XVII. 9. (11) Exod. XXX. 33. (12) Exod. XXX. 38. (13) Exod. XXXI. 14. (14) Levit. VII. 20. (15) Num. XIX. 13. (16) Levit. VII. 25. (17) Ibid. 27. & XVII. 10. (18) Levit. XIX. 6. (19) Levit. VII. 18. (20) Exod. XII. 15. (21) Levit. XXIII. 29. (22) Levit. XXIII. 30. (23) Num. IX. 13. (24) Gen. XVII. 14. (25) Num. XV. 30. 31. (26) Ibid. (27) Levit. XVIII. 21.

eos vero flagris tantum, *qui per superbiam aliquid commiserint; quoniam adversus Dominum rebelles fuerint, verbum Domini contempserint, & præceptum Domini irritum fecerint* (1)? Constat enim, nullam in eo aliam quam exterminii pœnam in Lege præscribi: *Idcirco delebitur, & portabit iniquitatem suam*. Tantusne verborum strepitus, tantus minarum terror damnando flagris homini, nempe supplicio mitissimo, atque omnium honestissimo, totus impenditur? Cum sane Scriptura sive excidium Chananæorum describit (2), sive familiæ Jeroboami, in pœnam inducti in Israelem criminis (3), dispersionem; sive deletam memoriam impiorum, ut nuspiam, qua late patet Terrarum orbis, vestigium supersit (4); sive Divinam in gentes impias ultionem, quam Altissimus juratu decrevit (5); sive tandem divortium, quo Deus populum pervicacem, beneficiorum parum memorem & infidelem, a suo demum consortio præcidit (6): dum, inquam, hæc omnia Scriptura prosequitur, iisdem semper phrasibus, quibus in damnando excidii homine, utitur. Divortium igitur, exitium, abolitio, eversio, mors, hisce Scripturæ phrasibus exprimuntur: *Exterminabitur de medio Israel.*

De Excommunicatione & Censuris.

FAcilis ego quidem concesserim, non omnia æque exterminii pœna interdicta crimina capitali supplicio damnata fuisse. Quidquid autem reclament Rabbini, obtinuisse tamen apud veteres Hebræos excommunicationis pœnam, ne ambigimus quidem. Esdras e cœtu populi prohibuit eos, qui ductas alienigenas fœminas remittere pervicaciter recusarunt (7). Scriptor quidam Caraita apud Seldenum (8) tradit, ejus pœnæ infligendæ morem exinde obtinuisse, cum jure animadvertendi in reos Hebræi sub Infidelium Regno multati sunt. Basnagius (9) in ea est sententia, Sanhedrium a Macchabæis constitutum, jus sibi in cognoscendis caussis Ecclesiasticis, reisque puniendis vindicasse. Tunc enim mixtos cum Paganis Judæos ne prava contagione vitiari unquam contingeret, ea, qua valebant, authoritate frequentius sibi utendum Sanhedrini Patres censuerunt. Erat igitur aliquis excommunicationis usus etiam ante Macchabæorum ætatem. Quæ si vera sint, non inaniter suspicamur aliquam plane obtinuisse infligendi anathematis disciplinam apud veteres Hebræos. Cur enim, si iisdem ac Esdras Legibus utebantur, non eodem etiam Legis remedio frequentibus Legum transgressionibus mederentur? Eadem obtinere semper lex creditur, si nulla obtendi possit contra illam prævalens consuetudo.

Obtinuisse etiam excommunicationem Jesu Christi ætate ex eo potissimum deducimus, quod ipse Jesus pellendos a Synagoga Apostolos, flagrisque damnandos prædicit (10). Essenii, ait Josephus, si quem in crimine deprehenderint, statim a cœtu segregant; expulsus autem infelici letho frequenter consumitur (11). Cum enim votorum, & sacramentorum religione a capiendo ab exteris cibo deterreantur, nec quidquam cum suis retinere commercii possint, herbis victitare belluarum more coguntur, quoadusque corrupto corpore, fluentibusque membris dissolvantur. Accidit vero quandoque, ut Essenii rei miseratione commoti, in cœtum iterum ejectos recipiant; rati satis esse supplicii, si ad id malorum redactos se noxii reminiscantur.

Sed Rabbinorum de excommunicatione sententia altera plane est ab ea, quæ de Esseniis fertur. Si enim Doctores illos audiamus, excommunicati obtento prius jure omni multantur, eo scilicet quo tanquam ejusdem cœtus, & communionis membra fruebantur (12). Pœna est autem sive in sacris, sive in profanis, sive in utrisque versans, jure humano imposita, sive puniendo vero, sive tantum verisimili crimine; spe semper relicta, fore ut in pristinum Excommunicatus restituatur.

Duplex erat hujus pœnæ genus apud Hebræos: alteram majorem, alteram minorem excommunicationem appellabant. Prima a cœtu hominum Ecclesiam constituentium segregabat: altera a parte tantum ejusdem cœtus, ab ea scilicet, quæ Synagogam constituebat, ut propius illi assidere, quam per quatuor cubitos, cæteris omnibus, exceptis Uxore & filiis, nefas haberetur. Nefas etiam excommunicatum in decemviros rebus quibusdam definiendis destinatos seligere; membrum enim habebatur inutile, quocum nihil poterat haberi commune, non cibus, non potus.

Excommunicationis causæ xxiv. assignantur. 1. De viro docto, vel Magistro etiam post ejus obitum minus honorifice loqui; 2. Justitiæ publicum administrum indignius verbis excipere; 3. Ingenuum hominem mancipium appellare; 4. In jure dicundo erratum aliquod committere; 5. Temnere præceptum doctrinæ Scribarum, sive Legis; 6. Judicum sententiæ non acquiescere; 7. Tenere apud se noxium aliquid, veluti rabidum aliquem canem; 8. Agrum Pagano vendere, non repenso damno, quod alteri ex ea re provenisset; 9. In Israelitam coram Gentili testimonium dicere, quo scilicet Israelita cogatur ad multam, præter Israelis consuetudinem, solvendam; 10. Sacerdos immolans, non segregata prius debita cæteris Sacerdotibus portione; 11. Festam diem inferioris ordinis in captivitate violare, obtinente etiam violandi consuetudine; 12. Si quis Paschalem quietem post meridiem præcedentis diei non inierit; 13. Dei nomen elata voce, sive hyperbolice, sive incaute, sive jurejurando pronunciare; 14. Occasionem profanandi Divini nominis populo præbere; 15. Sanctas dapes extra locum sanctum ut comedat, populo authorem esse; 16. Servare & supputare menses annosque extra Terram Sanctam, aliter ac in illa olim soleret; 17. Lapidem offendiculi cæco opponere; 18. Populum ab observatione alicujus præcepti deterrere; 19. Sacrificia offerre post permissam oblationem animalis a bestia capti, vel dilaniati; 20. Sacrificia mactare ante captum experimentum gladii sui coram viro perito; 21. Rebus necessariis addiscendis non omnem mentis intentionem contulisse; 22. Cum fœmina repudiata coire, & ansam præbere scissi antea conjugii judiciali sententia redintegrandi; 23. Sapiens, in quem mali nominis invidia fuerit creata; 24. Excommunicationis sententia aliquem immerito inussisse.

Excommunicationem præcedit censura (13), qua secreto primum noxius corripitur; si pervicacius in crimine hæserit, continuo *Domus judicii*, nempe cœtus Judicum alte intonat, ut tandem resipiscat. Tum per quatuor Sabbata censura in publicum edicitur, nomine & crimine rei proclamato, quo scilicet ad saniora consilia publicæ ignominiæ horrore revocetur. Tandem immorigeri, & refractarii excommunicatione plectuntur. Morem hunc spectasse volunt Jesum Christum, (14) cum post monitum privatim & seorsum fratrem, corripi jubet coram testibus, ac

(1) Num. xv. 31. (2) Deut. xii. 29. (3) 3. Reg. xiv. 10. (4) Psalm. xxxiii. 17. & xxxvi. 9. 28. &c. (5) Ezech. xxv. 7. Jer. xlviii. 2. (6) Isai. 1. 1. Jer. iii. 8. (7) 1. Esdr. x. 8. (8) De Synedr. (9) Hist. des Juifs, livr. 5. c. 18. art. 2. (10) Matth. x. 17. Joan. ix. 22. & xvi. 11. Luc. vi. 22. (11) De bell. lib. 2. cap. 12. (12) Vide Selden. lib. 1. cap. 7. de Synedr. (13) Basnag. Hist. des Juifs, l. 5. chap. 18. (14) Matth. xviii. 16. 18.

ac deinde ad Ecclesiam rem totam referri: si tandem frustra hæc omnia fieri contingat, tunc, ait Jesus, habeatur *tanquam Ethnicus, & Publicanus*.

Excommunicationis sententia hac vel simili formula pronunciabatur: *Iste sit in separatione*, sive in *excommunicatione*, vel sit separatus. Ferebatur autem sive in vigilia sive in somno, nec a Judicibus tantum, sive a cœtu, quin etiam a singulis, privatisque personis, dummodo quædam suppeteret ex caussis supra deductis, reusque prævia admonitione ad mentem non fuerit revocatus. Cæterum domui Judicii, sive consessui Justitiæ solemnis excommunicationis sententia reservari solebat.

Privatus privatum aliquem excommunicabat, quin etiam, quod mirari subit, ipse in se eamdem proferre poterat sententiam. Ita in Actis (1), & apud Esdram (2) legimus, viros quosdam excommunicationis se religione obligasse, alii ut Legem Dei servarent, alii vero ut Paulum quacumque demum ratione sive vivum sive mortuum apprehenderent. Nec bruta ipsa ab excommunicatione exempta; cum vel in ipsos canes valere illam præclari Hebræorum Doctores singulari doctrina docerent.

Excommunicatio somno correptum hominem afficiens, tunc potissimum contrahebatur, cum homo per quietem sive Judicem, sive privatum aliquem juridicam in se excommunicationis sententiam proferre videre sibi videbatur. Tunc enim somnium ita habebant, quasi si veri rem habuisset: potuit, dicebant, Deus; sive aliquis ex Dei administris, eo jubente, veram excommunicationis pronunciasse sententiam, quare iisdem se pœnis subjectos credebant, quas excommunicatione in vigilantes lata subiissent. Ita si minor lata fuisset excommunicatio, nec intra mensem solveretur, ad alterius mensis spatium continuo prorogabatur; quo exacto, si solvi se a vinculo negligerent, altera continuo succedebat major excommunicatio, interdicto penitus cum cæteris omnibus commercio. Tunc addiscendæ scientiæ, sive docendæ incumbere, conductori aliquid locare, vel conductum jam in conductione relinquere nefas; tandem ad eas angustias reus adducebatur, in quas olim apud veteres Romanos illi, quibus ignis, & aqua interdicta erant. Cibum a certis tantum hominibus, paucis illis & raris, capere concessum, quia & ii, quibus commercium aliquod cum excommunicato esset, iisdem & illis pœnis, vel eadem excommunicatione, juxta sententiam Judicum, obvolvebantur. Interdum in eo excommunicationis genere, quod *Cherem* appellabant, de quo infra, bona omnia noxii fisco addicta, in usus sacros convertebantur. Si fato occumbere interim excommunicatum contigisset, funera illius lugere nefas, locusque sepulturæ sive insigni aliquo lapide, sive lapidum acervo, pro Judicum arbitrio, notabatur (3).

Sunt qui tria excommunicationis genera tribus istis nominibus designata distinguant: נדוי *Nidui*, חרם *Cherem*, שמתא *Schammata*. Primum minoris excommunicationis nomen erat, alterum majoris, tertium maximæ, quam & mortis pœna, & absolutionis omnis aditus præclusus, uti quidem ferunt, consequebatur. Excommunicatio *Nidui* xxx. dierum spatio finitur; *Cherem* aggravat priorem, homine a Synagoga, & omni civili consortio interdicto. Tandem *Schammata* cu. buccinarum clangore promulgatur, spemque omnem regressus in Synagogam præcludit.

Seldeni tamen sententia, tria ista nomina unam eamdemque pœnam non raro significant; neque, si vera fateri voluerimus, ultra duo excommunicationum genera apud Hebræos obtinuisse compertum est: quamquam enim voces segregationis, excommunicationis, & anathematis in Libris Legis occurrunt, non ita tamen de singulis constituendum est, quasi scilicet peculiarem judicii rationem singula inferant, sive ante Legem, sive post Legem, juxta Moysis præscriptum servatam.

Totum excommunicationis ritum, & jus deducunt Rabbini ex maledicto, quod Debora, & Barak in Meroz [virum fuisse credunt, Israelitis opem ferre recusantem] (4) pronunciarunt. *Maledicite Meroz, dixit Angelus Domini, maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini in adjutorium fortissimorum ejus*. Omnes hic excommunicationis ritus vident Hebræi (5): 1. *Maledicta* in excommunicatos: 2. Assidentes excommunicatis proprius quam per quatuor cubitos, maledictis devoventur: 3. Excommunicati crimen palam promulgatur; uti eo in loco dicitur, Meroz ad Bellum Domini non venisse: 4. Excommunicatio tubarum sono edicitur, uti Barak, ajunt illi, ipsum Meroz cu. buccinarum clangore excommunicavit.

Fateri tamen oportet, excommunicationem, qualem descripsimus, multo posteriorem esse Barak ætate, ut ejus epocha vix longius repetenda quam a tempore captivitatis videatur. Altum est enim de illa silentium sub priori Templo, & ante Samaritanos, nonnisi post translatas decem Tribus, in Judæam traductos. Prima ejus vestigia sub Esdra tantum & Nehemia (6) apparent.

Quod ad excommunicationis absolutionem spectat, quicumque sententiam in alium pronunciaverant, illis integrum erat resipiscentem & non obscura pœnitudinis suæ argumenta exhibentem absolvere. Eodem sæpe tempore anathema infligebatur, inflictumque simul remittebatur. Si forte præsentem quis damnasset, præsentem etiam restituere tenebatur. Quicumque privati sententiam subierat, dummodo non propter injuriam Discipulo viri Sapientis illatam, ipse ad arbitrium, tribus viris selectis, sive uno ex Judicibus publicis adhibito, absolutionem sibi poterat postulare. Sua ipse sententia damnatus expedire se non poterat, nisi forte Sapientem aliquem haberet Præceptorem, vel scientia aliqua ipse emineret; sed decem selectos e medio populi viros adire tenebatur. Excommunicatus per quietem, ea, quam supra attigimus, ratione, non plana quidem absolutionis formula expediebatur. Decem enim quærendi illi erant viri in Legis, & Talmudis scientia doctissimi; qui, si forte in loco deessent, intra ambitum quatuor milliarium indagandi erant: eorumque defectum, si nuspiam extarent, supplebant totidem viri Pentateuchum saltem legere docti; sin minus decem viri ejus doctrinæ occurrerent, quicumque tandem essent, decem alii, vel ad minus in summa penuria tres adsciscendi.

Qui injuriæ alteri illatæ pœna excommunicationem subiisset, ille neque absolutionis beneficium a læso impetrandi, neque ab ullo quocumque cœtu, ipso læso non assentiente, quamdiu idem in vivis erat, potestatem habebat. Eo defuncto, integrum erat excommunicato sive a tribus selectis viris, sive a Principe Sanhedrii absolutionem postulare; quemadmodum & eidem Principi Sanhedrii jus datum in Virum ab ignoto aliquo excommunicatione inustum.

Plura sunt in absolutione servanda, levia prorsus & futilia, quæ moleste satis referrentur; sed & majora nos retulisse pœnitet, quam quæ æquus Lector patiatur: commenta sunt enim, non disciplinæ usu olim receptæ historia.

Festa celebrare excommunicato integrum erat, quemadmodum jus illi sive ingrediendi in Templum,

plum,

(1) Act. xxiii. 13. (2) 2. Esdr. x. 29. (3) Vide Bartolocc. Bibl. Rabb. t. 3. pag. 414. (4) Vide Judic. v. 23. (5) Gemar. Babyl. ad tit. Moed. Katon. c. 3. (6) Vide 1. Esdr. x. 8. & 3. Esdr. viii. 9. Joseph. Antiq. l. xi. cap. 5. & 2 Esdr. x. 29. & xiii. 25. 28.

plum, sive in cæteras Religionis cæremonias, ut neque a conviviis in Templo, occasione solemnis alicujus Festi, celebratis, excluderentur. Additur tamen in Talmud, excommunicatos a sinistro latere in Templum ingredi, a dextro egredi consuevisse, cum cæteri contraria omnia servarent.

Tota Rabbinorum jurisprudentia, quanta quanta est, nihilo apud nos majorem fidem obtinet, quam illa merentur, quæ retulimus. Nihil non in ea incertum, nihil vetustati & pristinis Hebræorum moribus satis consonum. Cavillosa plura & levia, raris quibusdam veris historiis admixta, quibus accedunt nova aliqua, post Sanhedrium constitutum, invecta.

Supplicium Gladii.

DE hoc supplicii genere, utpote frequentissimo, nihil est cur in præsentiarum dicamus. Caput ense, sive securi præcidebatur; securis quam gladius apud Romanos (1) nobilior. Apud Hebræos tamen nullum servatum discrimen novimus. Insigne hujus supplicii exemplum præbent LXX. filii Gedeonis jussu Abimelechi super eumdem lapidem obtruncati (2), & totidem filii Achabi, quorum præcisa Samariæ capita canistris imposita ad Jehu transmissa sunt (3).

Supplicium Ignis.

ANte latam Hebreis Legem, ignis supplicium apud eas gentes obtinuisse ex eo deducimus, quod Judas nurum suam pregnantem intelligens, voluit tanquam in adulterio deprehensam igne damnare (4). Quid autem in eo inferendo supplicio potissimum servaretur, ignotum. Rabbini ita rem tradunt. In fimo ad genua usque sepulto reo, circumvoluta linea aliqua longiori fascia adeo jugulum stringebatur, ut per diducti oris canalem liquatum plumbum ad viscera transmissum ignem lethumque inferret. Sed in ipsis Libris suis historiam Rabbini narrant, qua ipsi per se mendacii convincuntur. Eleazarus refert de filia quadam Sacerdotis, quæ in pœnam commissi incestus igne damnata, congestis circum arborum ramis misere combusta est, juxta Legis sanctionem (5). Verum quid opus est Rabbinos consulere, cum aperta suppetant Scripturæ exempla, tum & certæ ex ea deductæ conjecturæ, quibus ignis supplicium idem fuisse apud Hebræos, quod apud Gentes alias, demonstretur?

Judei idololatræ filios suos in sacrificium Moloch offerentes, intra brachia Numinis torrendos tradebant, vel saltem in ulnis Numinis miseras illas victimas reponentes, inde in subjectum ignem decidere permittebant. Daniel ejusque socii in succensam fornacem jussu Nabuchodonosoris injecti sunt (6); & Abrahamum ex eodem supplicio prodigiose liberatum narrant (7). Quicumque cum matre, vel filia incestas nuptias contraxerit, ille una cum conjuge ignis supplicio Mosaica Lege damnatur (8): quod sane ideam ingerit ignis, non quidem interiora depascentis, sed extrinsecus flammis criminosos adurentis. Septem fratres Macchabæi post flagra, post linguæ abscissionem, post capitis pellem detractam, tum & abscissas manuum pedumque extremitates; tandem in ollis, & sartaginibus succensis martyrium consummarunt (9). Fusius singula illorum tormenta Josephus describens (10) narrat, priori quidem ex fratribus post flagella rotam quamdam paratam, illique a carnificibus impositum, misere toto corpore confractum fuisse. Sextum non absimile supplicium (11) exercuit; a quo deinde depositus, ignis tormentum toleravit, candentibus laminis dorso applicatis, quibus viam sibi ad intestina adurenda aperientibus, vitæ tandem compages resolutæ sunt. Nec tamen Tyranni furor deferbuit, cum & post obitum in ollam succensam injiceretur. Septimus ultro se in ardentem sartaginem conjiciens interiit.

Hæc Scriptura, & Josephus de suppliciis strenuissimorum Martyrum; ex quo discruciandi miseros ignis supplicio plures artes intelligimus. Quamquam cum omnis illius tragœdiæ unicus esset author Antiochus Epiphanes, ejusque satellites, non est sane cur invictum ex ea argumentum pro Hebræorum moribus deducatur. Non ita tamen facile nobis persuaderemus, Judæos in rebus in medio positis, a cæteris aliarum gentium usibus recessisse, ut sub iisdem vocibus, puniendi nempe noxios ignis supplicio, aliud apud illos intelligeretur, quam ceteræ per orbem Nationes designarent. Consuevisse Chaldæos criminosos quosdam in succensa sartagine torrere, Jeremias insinuat (12): *Ponat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab, quos frixit Rex Babylonis in igne, eo quod mœchati sunt in uxores amicorum suorum.*

Neque viva tantum hominum corpora cremabantur, sed cadavera etiam interdum, quod factum cum sexto fratre Macchabæorum, in ollam succensam post obitum injecto, supra legimus. Sunt qui in pyra crematum Achan post lapidationem (13) tradiderint. Ossa Pseudo-Prophetarum a Josia super aram sacrilegam combusta sunt (14). Author Ecclesiastici hæc habet capite VII. 19. *Vindicta carnis impii, ignis, & vermis*; quibus verbis præ oculis habere potuit noxiorum e supplicio deposita cadavera, quæ sub dio relicta vermium erant vel ignis pabulum. Tradunt enim perpetuum servari ignem consuevisse in valle *Hinnon* ad Jerusalem, quo cadavera, ne forte contagione aerem corrumperent, absumerentur. Ad hunc Ecclesiastici locum spectans Jesus Christus, Infernum sub *gehennæ* nomine signans, testatur, nec vermem impiorum interiturum unquam, nec ignem extinguendum (15). Nulla erat miserabilior atque fœdior pœna apud Judæos, quam ut corpora inhumata omnibus Cœli Terræque injuriis exposita relinquerentur. Quemadmodum enim nihil erat domesticorum fidei magis commendatum, quam ut mortuorum corpora funere, & sepultura curarent; ita fœdius nihil habebatur, quam ut projecta sub dium cadavera avibus, & bestiis in ludibrium traderentur. Quare inter cætera, quibus Deus animadversurum se in populum pervicacem minitatur, miserrimum hoc addit, relicturum scilicet eorum cadavera omnibus Cœli vicissitudinibus exposita (16). Josephus perhibet, honore sepulturæ eos tantum privari, qui sibi manus violentas intulerint (17). Quin & illa tota die bestiarum injuriis exposita, noctu sepulturæ mandabantur. Jeremias eo malorum deventurum Regem Joakimum filium Josiæ prædicit (18), ut defunctum ejus corpus

(1) Vide Gallon. de cruc. Martyr. cap. ult. (2) Jud. IX. 11. (3) 4. Reg. X. 7. (4) Genes. XXXVIII. 24. (5) Levit. XXI. 9. (6) Daniel. III. 6. (7) Gen. XI. 31. & 2. Esdr. IX. 7. (8) Levit. XX. 4. (9) 2. Macch. VII. 3. Προσέταξε τήγανα καὶ λέβητας ἐκπυροῦν. V. 4. Προσέταξε γλωσσοτομεῖν καὶ περισκυθίσαντας ἀκρωτηριάζειν. V. 5. Ἐκέλευσε τῇ πυρᾷ προσάγειν ἔμπνουν, καὶ τηγανίζειν. (10) Joseph. de Macch. c. 9. Ἀνέβαλον αὐτὸν ἐπὶ τὸν τροχόν. περὶ ὃν κατατεινόμενος ἐξεθρώος ἐγένετο. (11) Περίγον αὐτὸν ἐπὶ τὸν τροχὸν ἐφ' ᾧ κατατεινόμενος ἐκμελῶς, καὶ ἐκσφονδυλιζόμενος ὑπεκαίετο, καὶ ὀβελίσκους δὲ ὀξεῖς πυρώσαντες, τοῖς νώτοις προσέφερον, καὶ τὰ πλευρὰ διαπείροντες αὐτοῦ καὶ τὰ σπλάγχνα διέκαιον. (12) Jerem. XXIX. 22. אשר קלם מלך בבל באש Septuag. Οὓς ἀπετηγάνισεν Βασιλεὺς Βαβυλῶνος ἐν πυρί. (13) Josue VII. 25. (14) 4. Reg. XXIII. 2. & 2. Par. XXXIV. 8. (15) Marc. IX. 43. 45. 47. (16) Deut. XXVIII. 26. (17) De bell. l. III. cap. 14. (18) Jerem. XXII. 19.

pus *sepultura asini* sepeliatur, idest projiciatur in agrum tanquam morticinum aliquod. Animadversione tamen dignum est, Moysis Lege pœnam illam nunquam decerni, ut sepulturæ honore ne privari quidem illos jubeat, qui crucis supplicio sublati sunt; eos enim ultra diem in supplicio vetat relinqui, nisi peculiaris alioqui ratio aliter cum aliquo agendum suadeat. Quin nec ulla in Lege excipitur causa, quare hujus Legis exceptio ab aliis potius adjecta, quam a Moyse assignata censenda est.

Lapidatio.

HEbræorum Doctores, ingenio semper suo indulgentes, fabellis venditandis in hoc argumenti genere, sicut in alio quocumque, incumbunt (1). Lapidibus enim hominem perimere, tantumdem apud illos, ac apud cæteras gentes omnes, non sonat. Damnatus igitur ad lapides [ita rem tradunt Judæi] in saxi cujusdam, altitudine duorum hominum eminentis, crepidine statuebatur, unde a duobus testibus præceps agebatur in saxa. Si post lapsum adhuc superstes spiraret, lapidibus a reliquo populo conficiebatur. Porro hoc supplicii genere XVIII. crimina plectebantur, quæ scilicet in Lege capitali supplicio subjecta sunt, minime tamen genere mortis significato. Infame erat, si quod aliud unquam apud eas gentes, supplicium, quo vel bovem plecti homicidii reum Moyses in Lege præcepit (2). Eodem etiam Moyse referente, lapidatione confectus est vir blasphemus (3), sicut & alter, qui ligna die Sabbati colligebat (4), Naboe vir justus parem supplicii pœnam Jezabele mandante toleravit (5), parem Adaram tributorum Præpositus sub Salomone (6).

Ex hisce omnibus exemplis frustra argumenta quæreremus Rabbinorum fidei adstruendæ, cum maxime contraria omnia demonstrentur. Moyses, jussus a Deo, cavet, ne quis unquam ad montem Sinai accedere audeat, animadverti in contumaces jubens vel lapidibus ab universo populo jactis, vel sagittis, cavet autem *ne manus tangat eos* (7), nec quispiam removere illos ab eo loco præsumat. Nihil autem eorum, quæ a Rabbinis produntur, apparet sive apud Josephum, sive apud Philonem. Lapidibus Jesum Christum conficere vel in ipso Templo Judæi tentarunt (8); confectus est & Stephanus in loco extra urbem Jerusalem (9); pene tandem confectus S. Paulus in urbe Lystra (10). Fœminam adulterii ream, sibi a Judæis adductam, lapidatione ab eo primum plecti Jesus præcepit, qui nulla criminis conscientia tangeretur (11). Quænam, rogo hic, de noxiis e saxo in præceps actis, ex Judæorum sententia, mentio?

Exemplis viri blasphemi, tum & violati Sabbati rei, sicuti & Achan & S. Stephani instruimur, huic inferendo supplicio locum extra urbem designari. Moyses (12) ita cum illo agendum præcipit, qui populum ad idololatriam induxerit; id autem vulgo extendendum creditur ad noxios universos, ut scilicet extra urbem rapti ultimo supplicio perimerentur.

Ita etiam cum Jesu Christo servatum novimus, qui extra urbem Jerusalem crucem toleravit. Non tamen hanc generalem regulam usque adeo obtinuisse crediderim, in lapidatione maxime, Judicio, quod Hebræi appellant *zeli*, nec expectata quidem Judicum sententia, decreta.

Præcipites e Saxo acti.

E Saxo, sive e turri præcipites acti quidam in Scriptura memorantur, quamquam illud non fuisse vulgare, & consuetum Hebræorum supplicium, Tribunalibus familiare, persuasum habemus. Amasias Rex Juda eo genere mortis X. M. Idumæos in bello captos peremit (13), quod idem fatum, ut scilicet e saxo Horeb præceps ageretur, subiisse creditur Rex ejusdem nominis, in prælio cum Madianitis a Gedeone commisso captus (14). Jesabel e mœnibus Jezraelis præceps acta est, mandante Jehu (15). E crepidine montis sui eamdem inferre necem Jesu Christo Judæi Nazareni tentarunt (16). S. Jacobus Justus ex editissimo Templi loco in vallem subjectam dejectus est. Zacharias filius Baruch, in ipso Templi centro a Zelotis occisus, deinde in voraginem ad radices Templi patentem proturbatus est (17). Sed hæc extraordinaria sunt pœnarum exempla, neque Legis, neque certi alicujus Tribunalis authoritate fulta.

Novum aliquod supplicii genus nuspiam in V. T. occurrens, legitur in Matthæo, XVIII. 6. quo nempe sontes ampliori aliquo ad collum saxo alligato in mare projicerentur, in quem Evangelii locum scribentes Grotius & D. Clericus autumant, nunquam obtinuisse apud Hebræos, ut eo supplicio, quod familiare apud Syros censent, sontes perimerent. Profecto vel inusitatum fuit Hebræis, vel nonnisi post Regnum Syrorum in Judæa notum.

Supplicium Serræ.

INsueti supplicii, Serræ nempe, exemplum simul & argumentum ipse in se Propheta Isaias exhibet. Apostolus de SS. Veteris Testamenti agens, qui virtute sua, & infracto animi robore mortem ipsam & tormenta vicerunt, inter cætera serram tolerasse illos memorat: Ἐπρίσθησαν, *Secti sunt* (18), quod ab illo de Isaia eo supplicii genere perempto a Manasse dictum, traditione apud Judæos æque ac Christianos recepta, certum est. Id autem subiisse Prophetam narrant, quod vidisse se dominum Throno assidentem professus est (19). Tostatus in dubium revocare eam traditionem nititur, quod scilicet Propheta in exordio Libri sui cæteris memoratis Regibus, sub quibus oracula fudit, nihil habeat de Manasse. Sed hæc contra receptam traditionem infirmiora sunt: potuit enim Propheta morte occubuisse vix inito a Manasse Regno, cum scilicet nulla sub eo adhuc fudisset oracula.

Nec Judæi veteresque Patres in eo tantum conveniunt, ut serra dissectum Prophetam illum tradant, sed & instrumentum illud ligneum fuisse, non ferreum, unanimi consensu perhibeant. Ita plane memoriæ proditum reliquerunt S. Justinus Martyr (20), Sanctus Hieronymus, Author Carminis in Marcionem (21), ac tandem totius Ecclesiæ nostræ ætatis consensus, cui temere prorsus refragaremur. Hunc porro Martyrem si in duas partes dissectum serra aliqua ferrea crederemus, quemadmodum & cum aliis Martyribus Ty-

(1) Vide Selden. de Synedr. & nos etiam in Levit. XXI. pag. 261. (2) Exod. XXI. 29. 32. (3) Levit. XXIV. 14. (4) Num. XV. 32. (5) 3. Reg. XXI. 14. (6) 2. Paralip. X. 18. (7) Exod. XIX. 13. (8) Joan. VIII. 59. (9) Act. VII. 57. (10) 2. Cor. XI. 25. Act. XIV. 18. (11) Joan. VIII. 7. (12) Deut. XVIII. 6. (13) 2. Paralip. XXV. 2. (14) Judic. VII. XXV. (15) 4. Reg. IX. 33. (16) Luc. IV. 29. (17) De bell. V. cap. 1. (18) Hebr. XI. 37. (19) Isai. VI. 1. (20) In Dial. cum Tryph. pag. 339. Edit. Par. a. 1636. Περὶ τὸν θάνατον Ἡσαΐου, ὃν πρίονι ξυλίνῳ ἐπρίσατε. Hieron. in Isai. lib. 15. ad fin. (21) Lib. 3. contra Marcionem. *Quem populus sectum ligno sine labe repertum, Immeritum demens crudeli morte peremit.*

rannorum jussu factum constat (1), ut scilicet transverso corpore secarentur, res esset prona & creditu facilis: cum autem senis corpus ferra lignea a summo capite ad imum usque ventrem, vel ab imo ventre usque ad caput (2) discissum narrent, rem tradunt rationi prorsus repugnantem. Qui enim fieri potuerit, ut ossa ferreæ prorsus duritiei, quæ vix ferro cedant, serræ ligneæ pervia fuerint? Ecquis, rogo, serram ligneam fabricavit unquam? Cui usui? scindendo ne lapidi, marmori, ossibus? Quare ita asserenda est huic traditioni fides, qua dissectus Propheta serra lignea renetur, ut simul cum ratione concilietur.

Septuaginta, & S. Hieronymus serrarum nomine machinas quasdam non raro designant, ad usum excutiendi tritici olim fabricatas. Constabant autem immanibus quibusdam trabibus, ferreis cuspidibus sive lapidibus instructis, quæ super manipulos trahebantur, vel saltem vehicula erant, ferro armata, in eumdem usum. Ita enim Virgilius (3).

Tardaque Eleusinæ Matris volventia plaustra.
Tribulaque trahæque,

Ita etiam Isaias XLI. 15. *Posui te quasi plaustrum novum, habens rostra serrantia.* Septuaginta τροχοὺς πριστηροειδεῖς. Et XXVIII. 7. *Non in serris triturabitur gith.* Porro gith triticum est imbecillius, minus ferens harum machinarum pondera. Paria legimus in secundo Regum XII. 31. quod maxime nostrum intentum convincit. Post relatam a Davide insignem de Ammonitis victoriam, occupatamque Rabbat ejusdem regionis Metropolim, victoria sua Rex impotenter usus, *populum adducens serravit, & circumegit super eos ferrata carpenta.* Ita fere legunt etiam Septuaginta (4): *Et populum, qui erat in ea, eduxit, & posuit in serra, & in tribulis ferreis, & in securibus ferreis.* Originalis Textus sine controversia eadem instrumenta exprimit (5). S. Hieronymus similem textum primi Paralipomenon XX. 3. reddit: *Tribulos, & trahas, & ferrata carpenta.*

Non abs re igitur credimus, serras illas, quibus confectos Veteris Testamenti quosdam justos viros Apostolus testatur, ipsissimas esse machinas hucusque descriptas. Neque alias designasse serras credimus Judæos, & Patres, cum enim de Isaia lignea serra perempto testatum relinquerunt, aliam plane quam vulgarem serram intelligere nos jubent.

At enim vox Græca ἐπρίσθησαν *epristhesan*, ad literam sonat vulgari serra discindi: quare non nisi metaphorico sensu expressum in Textu Apostoli alterius supplicii genus videtur; neque enim nisi per metaphoram secti dicuntur ii, qui sub tribulis & trahis conteruntur. Sed hisce respondemus, potuisse Apostolum Græco verbo uti, eodem plane sensu ac Septuaginta, quare sicut Interpretes illi ea voce contritos viros sub trahis expresserunt; ita plane & S. Paulus in eumdem sensum vocem usurpavit. Porro *sectum esse* idem sonat Apostolo, ac ipsissimum verbum apud Vulgatam & Septuaginta, apud quos si metaphorico & minus prono sensu acceptum dicatur, idem & de Apostolo non injuria sentire possumus. Scindat igitur vulgaris serra, diffindat lapides & ligna; altera vero, de qua agimus, serra conterat, conculcet, comminuat; quid inde? De utraque usurpatum est verbum *secare*. Ad hæc, ostendimus in superioribus, istud supplicii genus non ignotum Hebræis fuisse, quare nihil est, quod nostræ interpretationi adversetur. Dicere etiam ausim, nunquam fieri potuisse, ut res aliter se habuerit; alioquin universam traditionem abjiciamus oportet.

Si de serra ferrea ageretur, aliter quidem a nobis differendum fuisset, illud enim supplicii genus notum Antiquis satis constat. De Thracibus ita Valerius Maximus (6): *Neque vivos homines medios secare, neque parentes liberorum vesci corporibus nefas fuit.* Idem etiam assignatum supplicium certis quibusdam criminibus puniendis lege duodecim Tabularum insinuatur; quamquam raro adeo, ait Aulus Gellius, usurpabatur, ut neque nostra neque priscorum sæculorum memoria tactum unquam noverimus (7). Scitum est tamen, authore Svetonio in Cajo, Imperatorem Cajum Caligulam viros quandoque non vulgares in caveis quibusdam ferreis detinuisse, veluti animalia quadrupedia; interdum etiam ejusdem generis homines *medios serra dissecuisse.* Huc pariter spectatum a Daniele crediderim XIII. 55. cum impiorum illorum Senum alterum alloquutus, ait: *Angelus Dei, accepta sententia ab eo, scindet te medium.* Malus ille servus, de quo Matthæus XXIV. 51. medius abscissus est & inter hypocritas ejectus. Sabacus Ægypti Rex per quietem admonitus est, ut Sacerdotes omnes Ægypti medios scinderet (8). Mulier quædam apud Aristophanem præsto se esse dicit, ut media scindatur. Nec alio facile spectant phrases illæ Scripturæ *concidere in frusta* (9), quæ pro *occidere* usurpantur.

Jesus Christus in Evangelio Matth. 24. 51. & Lucæ 12. 46. supplicium serræ spectat illis verbis: *dividet eum.* Apud Ctesiam Parisatis serrari jussa est viva & superstes. Mahometes II. post captam Eubœam serræ supplicium sumpsit de Erizo urbis Præfecto, obtendens se quidem pollicitum capiti ejus parcere, non vero famulis. Hodie pariter Siamitæ genus illud supplicii norunt, ut refert Choesi Memoir sur l' histoire de Lovis XIV. pag. 288.

Sub Spinis, sive Animalium pedibus conterere.

QUam Gedeon de civibus Socot exegit, ultio ejusdem esse videtur rationis, ac illata a Davide in Ammonitas pœna, & in Isaiam a Manasse. Cum enim Gedeon victor a Madianitis regrederetur, ejusdem Urbis Optimates captos, sub tribulis & spinis deserti contrivit; nempe super tribulos & spinas, quas super miseros illos homines instravit, trabes sive lapideas trahas induxit (10). Ita plane Romanis moribus receptum, cum noxios *sub crate necabant*; noxium enim crate operientes, immanes dein lapides superinducebant. Familiare erat supplicium apud Romanos (11), nec ignotum Carthaginiensibus (12), sicut & priscis Germanis. Solemne enim erat postremis hisce gentibus, ut *ignavos, & imbelles, & corpore infames, cœno ac palude, injecta insuper crate, mergerent.*

Porro ad unum aliquod ex suppliciis hucusque descriptis referenda sunt ea, quæ Moabitæ prælio victi, a Davide toleratunt (13): *Percussit Moab, & mensus est eos funiculo, coæquans terræ; mensus est*

[1] Vide Baron. in not. ad Martyrol. Rom. Jul. 6. Gallon. de Cruciat. MM. c. ult. [2] Vide Zenon. Veron. serm. 28. de Isai. [3] Georgic. 1. Servius in hunc loc. *Tribula genus vehiculi, omni ex parte dentatum, unde teruntur frumenta, quo maxime in Africa utebantur. Trahea, vehicula sine rotis.* [4] Καὶ τὸν λαὸν τὸν ἐν αὐτῇ ἐξήγαγε, καὶ ἔθηκεν ἐν τῷ πρίονι, καὶ ἐν τοῖς τριβόλοις τοῖς σιδηροῖς, καὶ διασχιστῆρσι σιδηροῖς. [5] ואת העם אשר בה הוציא וישם במגרה ובחרצי הברזל ובמגזרות הברזל [6] L. 9. c. 2. exemplo 4. Extern. [7] Aul. Gell. l. 12. Noct. Attic. cap. 2. [8] Herodot. l. 6. [9] Vide 1. Reg. XV. 33. Exod. XIX. 24. & 2. Reg. VI. 8. [10] Judic. VIII. 16. [11] Tit. Liv. l. 4. *Ad vociferationem eorum, quos sub crate necari jusserat, concursu facto.* [12] Plaut. in Pœnulo Scen. Att. III &c. Ag. *Quid agis, aut oras? Expedi mi. Sub cratim ut jubeas sese supponi, atque eo lapides imponi multos, ut sese necet.* [13] 2. Reg. VIII. 2.

est autem duos funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum. Sed quale istud genus mortis in Moabitas decretum? Conjecturis agendum est, silente Scriptura; sed cum humi stratos legamus, facilem ducimus conjecturam, simili in illos supplicio animadversum fuisse, ac olim in Ammonitas, vel saltem pedibus bestiarum fuisse proculcatos; quod satis priscis moribus erat familiare. Ita conculcari jussit pedibus elephantum Alexandrinos Judæos Ptolemæus Physcon Rex Ægypti (1), sicut & paria in desertores, & rebelles Reipublicæ tam cives, quam externos, intulit Amilcar, insignis copiarum Carthaginiensium Imperator (2). Eo spectans Michæas Propheta IV. 13. *Dominus*, ait, *congregavit eos quasi fœnum areæ. Surge, & tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos &c.* Cum exercitus Alexandri Regis Judæorum in loco iniquo & petroso in insidias Arabum incidisset, jussu Obedæ Regis ejusdem gentis, totus pedibus Camelorum proculcatus est (3).

In Cinerem Dejicere.

IN Macchabæis, aliud supplicii genus legimus, quo scilicet noxii in cinerem deturbarentur. Turres erant editæ, ad hoc instructæ, ut aggestum cinerem vel pulverem continerent, in quem noxii præcipites acti suffocabantur. Porro hoc supplicii genus Hebræis inauditum, cæteris finitimis gentibus familiare erat. Antiochus Eupator (4) ex edita L. cubitorum turri in subjectum cinerem dejici jussit proditorem Menelaum. Alia ejus generis exempla e profanis Scriptoribus deducta congessimus in nostro Commentario in Macchabæos. Primus ejus supplicii author Darius *Ochus* asseritur (5). Sunt qui mendose *Ochum* pro Dario Hystaspis positum asseverent. Neque ego quidem alium quam Darium Histaspis intelligo, quem & Valerius Maximus *Ochum* appellat, & eo etiam nomine designatur in Esthere I. I. quo in loco Darius Hystaspis Assuerus, vel אחשורוש *Achasveros*, [idem est ac Ochos] nuncupatur. Darius igitur ille, post adeptum conjuratione Regnum, cum sacramenti arctissimi religione sese obstrinxisset, ne conjurationis socios ullo unquam violentæ mortis genere, non veneno, non ferro, non fame perimeret, vereretur autem, ne quid simile in sese tentari pravo illo exemplo contingeret, datæ fidei eludendæ consilio, novum istud supplicii genus invexit. Parari enim jussit voraginem quamdam cinere aggesto oppletam; tum miseros constituit super trabem ad utrumque voraginis latus pertingentem, quo scilicet in somnum largiori cibo potuque ingesto resoluti, in subjectum cinerem decidentes suffocarentur.

Noxios Decalvare.

JUdæi, gens comata, solemne habent, nunquam, nisi in summis ærumnis, vel in publico privatoque luctu eamdem comam deponere. Vetitum etiam illis ducunt nonnulli, ne in funeribus lugendis calvitium inducant, quod ex prava Legis interpretatione illi deducunt. Ita enim in Deuteronomio XIV. I. *Nec facies calvitium super mortuo*; quod de Adonide, sive Osiride ita per contemptum appellato intelligendum esse alibi demonstravimus. Sed in lugendis funeribus comam deposuisse Judæos, nullus dubito. Deponere etiam cogebantur noxii, cum scilicet probrosa hac & servili nota afficiendi censerentur. Ita a Nehemia factum cum Judæis, qui Philisthæas Azotitas mulieres duxerant (6): *Objuravi eos, & maledixi, & cecidi ex eis viros, & decalvavi eos.* Quanto autem probro nota illa duceretur, id, si alibi uspiam, in ultione intelligimus a Davide illata in Ammonitas reos dimidiatæ barbæ atque detonsæ comæ Legatorum ejusdem Regis. Ille enim bellum statim huic genti indixit, devictosque habuit iniquissime. Deus calvitium se inducturum minitatur in filias Sion (7), quo scilicet nimium illarum fastum, & vestium affectatam pompam ulciscatur. Judæi in Libro, quem *de Generatione*, seu *Vita Jesu Christi*, impudentissimis calumniis infertum obtruserunt, venditantes, ea ignominiæ nota a patribus suis olim Servatorem nostrum illusum fuisse, oblito insuper nescio quo liquore vertice, ne scilicet coma unquam reparari posset. Tandem illud nobis silentio premendum non est, eamdem ignominiæ notam apud cæteras etiam gentes obtinuisse. Ita cum SS. Martyribus aliquando servatum; qui pariter interdum dimidio tantum rasi per contemptum producebantur. Gloriosos illos fidei assertores affatus S. Cyprianus, *Semitonsi capitis*, ait, *conspectus horrescit; sed cum sit viri caput Christus, qualecumque illud caput deceat necesse est, quod ob Domini nomen insigne est* (8). Piis S. Præsulis officiis viri illi sanctissimi gratificati, responderunt, ipsum plenis Christiana charitate epistolis suis id effecisse, ut *semitonsi capitis capillaturam adæquaret*. Corticem capitis detrahendi, cutemque in aures reducendi supplicium familiare in Perside, Itin. e Mosch. in Persidem tom. I. pag. 613.

Qui ne erant Hebræis Carnifices?

UT Dissertationem hanc nostram omnibus absolvamus numeris, brevi agendum est de Justitiæ administris apud Hebræos. Carnificum munus tanquam illiberale, & ignominiosum, nunquam, quantum scio, in Veteri Testamento notatur. Viri, quos *Soterim* appellabant (9), quique judicibus dabantur administri, carnificum loco apud Interpretes bene multos habentur. Assistunt enim Tribunalibus, flagris, & bacillis armati, quemadmodum & de Lictoribus Romanos Magistratus comitantibus, quo puniendis noxiis ubique præsto essent, memoriæ proditum legimus.

Sed munus illud *Soterim* adeo non vile nec illiberale apud Hebræos habebatur, ut potius in eorum ordine recenseri honorificum ducerent. Sæpe qui illud explerent, ex Levitarum familia periti sunt; edicenda illis dabantur edicta Principum, & Magistratuum, eorumque urgebant exequutionem; nomine & authoritate Principis dabant mandata, atque iis partire pœnæ terrore cogebant.

Aliquando apud Hebræos potissimum implendæ Judicum sententiæ munus testibus ipsis committebatur. Cautum est in Lege, ut vir sive fœmina, qui Israelem ad idololatriam incitant, extra Urbis portas raptentur, quos deinde *manus testium prima interficiet, & manus reliqui populi extrema mittetur* (10). Ita servatum novimus cum S. Stephano, cujus accusatores, positis apud Saulum, qui deinde Paulus, vestibus, paratos se injiciendis in virum Sanctum lapidibus præbuerunt (11). Jesus Christus accusatores fœminæ adulteræ affatus, primum inter eos lapidem injicere in fœminam jubet, qui nullius commissi criminis habeat con-

[1] Vide Joseph. l. 2. cont. Appion. in Latino. [2] Vide Porph. de Abst. l. 2. p. 227. [3] Antiq. l. 15. cap. 21. [4] 2. Macch. XIII. 5. *Erat in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris: hæc prospectum habebat in præceps, inde in cinerem dejici jussit sacrilegum.* [5] Valer. Max. l. 9. c. 2. de crudelit. extern. art. 6. [6] 2. Esdr. XIII. 25. [7] Isai. III. 17. [8] Ep. 77. ad Nemesian. [9] Vide Comment. in Deut. I. 15. [10] Deut. XVII. 5. [11] Act. VII. 57.

ſcientiam (1), Idem factum ſcimus in ſumendo de blaſphemo, atque de Sabbati violatore ſupplicio (2); idem & in Achan, & Nabot, quos populus univerſus lapidibus confecit (3). Si quis data opera homicidium perpatraſſet, hunc neceſſariis viri dafuncti permiſtum, eorum arbitrio occidendum Moyſes tradit (4). Si vir uxorem tanquam ante nuptias corruptam per injuriam accuſaſſet, in hunc ipſit Seniorum Urbis manibus animadvertendum idam Legislator adicit (5). In hit ſana veſtigium nullum probri apparet, nihil atiam quod ingenuum & liberalem hominem non deceat. Carnificas apud Georgianos, taſte Tournaſortio, ordo ſunt hominum locupletiſſimus, eamque vitæ profeſſionem viri etiam ampliſſimi exercent, adeout inter glorioſa ſamiliarum inſigna habeatur plures ex majoribus habuiſſe carnifices, Cujut opinionis ſuæ hanc rationem præferunt: nihil eſſe adeo honeſtum & glorioſum, quam jus illud exercera, ſine quo nullum aſſet tutum vitæ præſidium.

Olim etiam apud Moſchovitas Inter honeſtiſſima munera Reipublicæ hoc ipſum carnificis habebatur, cui exercendo non raro marcatores profeſſionem ſuam deſarebant; caro emebant, quod aliquot annit tenerent, ac dain caro venderant. Modo taman mercimonium iſtud amendi vendendique in tribunali non admittitur; ae ſi forte Carnificis ſtirps deſiarit, tuna e ſuo cœtu quemdam laniones eligunt.

In ſupplicio ignis inferendo, juxta Rabbinos, ipſi ſuis manibus teſtes lineam faſciam collo noxii eircumvolutam trahebant, quo ſcilicet per diductum os liquatum plumbum in ventrem tranſmitteratur. Noxio etiam jugulando ſunem nemo ſtringebat alius, niſi teſtis. Sub Joſue militibus commiſſum fuiſſe ereditur, ut quinqua Reges Chananæos detruncarent, tum & in patibulo ſuſpendarant (6). Samuel alienum non duxit a ſa manus ipſe violentas injicere in Agag Regem Amalecitarum, eui Saul antea pepercerat (7). Ipſe Saul deterreri ſuos virorum dignitate intelligens, na gravius aliquid in Sacerdotat Domini auderent, Doeg Idumæum in illos incitavit (8). Infames illos Isboſethi parricidas occidi a ſuit, atqua in patibulo ſuſpendi David juſſit (9); quam etiam mortis pœnam inferri ab illis voluit in eum, qui de nece Saulis nuncium attulerat (10). Gabaonitæ non alio quidem adminiſtro uſi ſunt, dum poſteros Saulis coram Domino in crucem egerunt, acceptam ab eo Principe injuriam inſigni injuria rependentes (11). Banajas filius Jojadæ a Rege Salomone juſſus, remoturus Joabum ab aſylo Altaris, abſtractumque ex Regis præcepto gladio confoſſurus venit (12). Sub Regibus Juda & Iſraelis militibus plerumqua commiſſum, ut capitales ſententias executioni mandarent. Matthathias vir illa fortiſſimus Macchabæorum pater, apprehenſum ſua manu virum Judæum in ſacra Idolorum irruentem transfodit (13). S. Joannes Baptiſta carnificem expertus eſt Regia Herodis ſpiculatorem (14). Tandam Jeſu Chriſto in crucem agendo Romani milites manum admoverunt (15). Zelotæ, referente Joſepho, in poſtrama Urbis Jeroſolymitanæ obſidione detantos in carcere Antipam & Sophnam, viros regali ſanguine natos, capitali ſupplicio damnarunt, munaris exequutionem Joanni, viro inter ſuos primario (16), una cum aliis decem committantet.

Neque Lictorum munus infame apud Romanos unquam habitum eſt; quamquam & alligare reum, & cædera noxios, detruncare, atque in patibulo ſuſpendare capitali ſupplicio damnatos, ad illos pertineret. Hinc ſolamnit illa formula: *I. Lictor, colliga manus, caput obnubita, arbori infelici ſuſpendito* (17). Apud Mahometanos noſtra etiam ætate nulli ſunt lictores, ſed eorum vicibus funguntur milites, ſive Judicum famuli, qui præ aulæ foribus adſiſtentes vix pronunciatam a Judice ſantentiam mandant exequutioni (18). Non rara ſuppetunt etiam exequendæ juſtitiæ militibus commiſſæ in Hiſtoria Romana exempla (19); quamquam apud illos naa lictores deerant, neque carnifices. De Claudio Imperatora narrat Svetonius in Claud. c. 34. *Cum & ſpectare antiqui moris ſupplicium Tiburi concupiſſet, & deligatis ad palum noxiis Carnifex deeſſet, accitum ab Urbe veſperam uſque aperiri perſeveravit.*

[1] Joan. VIII. 9. [2] Levit. XXIV. 14. Num. XV. 35. 36. [3] Joſue VII. 25. & 4. Reg. XXI. 13. [4] Numer. XXV. 19. Deut. XIX. 12. [5] Deut. XXII. 18. [6] Joſue X. 26. [7] 1. Reg. XV. 33. [8] 1. Reg. XXII. 18. [9] 2. Reg. IV. 12. [10] 2. Reg. I. 15. [11] 2. Reg. XXI. 9. [12] 3. Reg. II. 28. [13] 1. Macch. II. 24. 25. [14] Marc. VI. 27. [15] Matth. XXVII. 35. [16] Joſeph. l. 4. de bell. c. 5. Latin. & 11. Græc. [17] Vide Gell. l. 12. cap. 3. [18] Vide P. Roger. Terra Sainte l. 2. c. 17. pag. 325. [19] Svet. in Calig. c. 26. *Flagellavit veſte detracta, ſubjectaque militum pedibus, quo firme verberaturis inſiſterent.* Idem c. 32. *Miles decollandi artifex, quibuſcumque e cuſtodia capita amputabat.*

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN DEUTERONOMIUM.

CAPUT I.

Eorum, quæ Israelitis acciderunt, post mota castra ex Horeb, usque ad adventum in Cadesbarne, breve Compendium. Destinantur viri duodecim Chananitidem exploraturi; quibus restitutis in castra, excitatur murmur populi. Hujus murmuris reos omnes damnat Deus, ut mortem subeant in deserto, ab aditu terræ promissionis exclusi.

℣. 1. HÆc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem
in solitudine campestri, contra mare rubrum, inter Pharan, & Thophel,
& Laban, & Haseroth, ubi auri est plurimum: 2. Undecim diebus de Horeb per
viam montis Seïr usque ad Cadesbarne. 3. Quadragesimo anno, undecimo mense, pri-
mo die mensis, locutus est Moyses ad filios Israel omnia, quæ præceperat illi Domi-
nus, ut diceret eis: 4. Postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui habitavit
in Hesebon: & Og regem Basan, qui mansit in Astaroth, & in Edrai, 5. Trans Jor-
danem in terra Moab. Cœpitque Moyses explanare legem, & dicere: 6. Dominus
Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis, quod in hoc monte
mansistis: 7. Revertimini, & venite ad montem Amorrhæorum, & ad cætera, quæ
ei proxima sunt campestria, atque montana, & humiliora loca contra meridiem, &
juxta littus maris, terram Chananæorum, & Libani, usque ad flumen magnum Eu-
phratem. 8. En, inquit, tradidi vobis: ingredimini, & possidete eam, super qua
juravit Dominus patribus vestris, Abraham, Isaac, & Jacob, ut daret illam eis, &
semini eorum post eos. 9. Dixique vobis in illo tempore: 10. Non possum solus
sustinere vos; quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie, sicut stellæ
cœli, plurimi. 11. Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa
millia, & benedicat vobis, sicut locutus est. 12. Non valeo solus negotia vestra su-
stinere, & pondus, ac jurgia. 13. Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quo-
rum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes. 14.
Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere. 15. Tulique de tribubus ve-
stris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, & centuriones,
& quinquagenarios, ac decanos, qui docerent vos singula. 16. Præcepique eis, di-
cens: Audite illos, & quod justum est, judicate: sive civis sit ille, sive peregrinus.
17. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis
cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fue-
rit, referte ad me, & ego audiam. 18. Præcepique omnia, quæ facere deberetis.
19. Profecti autem de Horeb, transivimus per eremum terribilem, & maximam, quam
vidistis per viam montis Amorrhæi, sicut præceperat Dominus Deus noster nobis. Cum-
que venissemus in Cadesbarne, 20. Dixi vobis: Venistis ad montem Amorrhæi, quem
Dominus Deus noster daturus est nobis. 21. Vide terram, quam Dominus Deus tuus
dabit tibi: ascende, & posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus
tuis: noli timere, nec quidquam paveas. 22. Et accessistis ad me omnes, atque dixi-
stis: Mittamus viros, qui considerent terram: & renuntient, per quod iter debeamus
ascendere, & ad quas pergere civitates. 23. Cumque mihi sermo placuisset, misi ex
vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis. 24. Qui cum perrexissent, & ascen-

dissent in montana, venerunt usque ad vallem botri: & considerata terra, 25. Sumentes de fructibus ejus, ut ostenderent ubertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. 26. Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri. 27. Murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit nos Dominus, & idcirco eduxit nos de terra Ægypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. 28. Quo ascendemus? nuncii terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est, & nobis statura procerior: urbes magnæ, & ad cœlum usque munitæ, filios Enacim vidimus ibi. 29. Et dixi vobis: Nolite metuere, ne timeatis eos; 30. Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus. 31. Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via, per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. 32. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro, 33. Qui præcessit vos in via, & metatus est locum, in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, & die per columnam nubis. 34. Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus juravit, & ait: 35. Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimæ Terram bonam, quam sub juramento pollicitus sum patribus vestris: 36. Præter Caleb filium Jephone. Ipse enim videbit eam, & ipsi dabo terram, quam calcavit, & filiis ejus, quia secutus est Dominum. 37. Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc; 38. Sed Josue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te. Hunc exhortare, & robora, & ipse sorte terram dividet Israeli. 39. Parvuli vestri, de quibus dixistis, quod captivi ducerentur, & filii, qui hodie boni, ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur: & ipsis dabo terram, & possidebunt eam. 40. Vos autem revertimini, & abite in solitudinem per viam maris rubri. 41. Et respondistis mihi: Peccavimus Domino: ascendemus, & pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. Cumque instructi armis pergeretis in montem, 42. Ait mihi Dominus: Dic ad eos: Nolite ascendere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum: ne cadatis coram inimicis vestris. 43. Locutus sum, & non audistis: sed adversantes imperio Domini, & tumentes superbia, ascendistis in montem. 44. Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obviam veniens, persecutus est vos, sicut solent apes persequi: & cecidit de Seir usque Horma. 45. Cumque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere. 46. Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore.

℣. 1. TRANS JORDANEM IN SOLITUDINE CAMPESTRI CONTRA MARE RUBRUM, INTER PHARAN, ET THOPHEL, ET LABAN, ET HASEROTH, UBI AURI EST PLURIMUM. Extra controversiam est, Moysem, quæ hic legimus, verba fecisse in agro Moab, non procul a Jordane, e regione Jerichuntis, in suprema statione Israelitarum trans Jordanem. Hanc sententiam series hujus orationis universa insinuat, atque confirmat. Meminit in ea Legislator expeditionum in Reges Sehon, & Og, ac distributionis devictæ regionis inter Tribus Ruben & Gad; ut in ea re explorata sint omnia. Sed ægre conciliatur situs hujus loci cum iis, quæ primo versiculo legimus: neque enim Moyses unquam scripsisset, fecisse se verba hæc trans Jordanem, cum ille nunquam eum amnem transierit; neque fecisse contra mare Rubrum, a quo tunc maxime distabat. Quærendum est igitur aliquid, quo repugnantia hæc omnis, & salebræ auferantur.

Illud vero maxime commodum mihi videtur, ut duo priores versiculi hujus Libri additi reputentur ab Esdra, vel ab iis, qui opus Mosaicum in quinque Libros distribuerunt. Optimum factu censuere, ut lectoris animum & mentem facerent attentiores; hanc addere præviam orationem, certumque loci situm indicare, ubi tunc Moyses cum Israelitis versabatur; Librorum Mosaicorum distributionem penitus ex arbitrio esse, jam alibi ostendimus. Nec optimi quique Critici nostrates renuerunt agnoscere in Libris hisce Mosaicis substituta quædam additamenta, ad obscuras voces exponendas, vel ad ea supplenda, quæ deesse videbantur ad lectorum instructionem. Huic autem conjecturæ confirmandæ illud conferre potest, duos hosce versiculos nulla naturali serie seu cum fine Libri Numerorum, seu cum exordio Mosaicæ orationis connecti. Commode enim ambo, salvo penitus & integro narrationis sensu, subducuntur. Ita Liber Numerorum desinit. *Hæc sunt mandata atque judicia, quæ mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israel in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho.* Ita vero exorditur Deuteronomium: *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem in solitudine campestri contra mare Rubrum, inter Pharan & Thophel... undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cades-barne.* Sentimus utique, hæc verba minime esse necessaria, post ea quæ Moyses in exitu Numerorum scripserat: quare ideo tantum substituta censentur, ut prævio aliquo sermone institueretur narratio Deuteronomii: iisdem vero demptis, naturali nexu cohærent sibi mutuo versiculus 3. hujus Libri cum exitu Libri Numerorum. Clausa enim Moyses narratione sua, a capite XXII. Numerorum instituta; ac loco indicato, ubi hæc omnia gesta fuerant & decreta, novam orationem exorditur, graviora omnia, quæ in itinere populo contigerant, in ipsius populi memoriam revocaturus; atque ita præfatur: *Quadragesimo anno, undecimo mense, prima die mensis, locutus est Moyses ad filios Israel.* Modo verba Textus expendamus.

TRANS

Trans Jordanem. Hebræus ad literam בעבר הירדן *In transitu Jordanis*, ad vada Jordanis. Hanc vocem reddunt plerumque Septuaginta, & Vulgata: *Trans Jordanem*. Quæ quidem loquendi ratio plane non convenit Moysi in hoc locorum situ constituto: ut enim supra animadversum est, non trans amnem, sed cis continebatur, Grammatici quidam certant, Hebræis unicam tantum esse vocem, qua significetur *cis & trans*; quare ut ambiguus hujus vocis sensus aperiatur, contextum ac seriem sermonis unice considerari oportere. Interdum Scriptura ambiguitatem hanc aufert, addito *ad Orientem*, vel *ad Occidentem* (1); sed & interdum ambiguitati huic suæ & incertæ significationi permittit.

Volunt alii, vocem *heber* nullo non in loco, vernaculo Hebræorum sermone, esse *trans*, nec alio sensu accepisse unquam veteres Interpretes; quin nec fieri posse, ut duabus hisce significationibus adeo oppositis *cis & trans*, unica vox valeat, quemadmodum fieri non potest, ut una eademque vox & affirmet & neget. Igitur si omnium assensu sonat frequenter *trans*, nunquam non in eum sensum accipienda est; statuendumque; Textus omnes, in quibus occurrit, ferens hanc falso tributam significationem *cis*, additos fuisse Textui opera Scriptorum longe Moysa recentiorum, qui locorum situm pro habitudine sua perspexerunt.

Alii tandem conciliare se posse reputarunt hoc discrimen, tradita voci *Heber* significatione, quæ neque *cis* prorsus, neque *trans* sonet, sed tantum *ad latus*, *e regione*. Probant id autem nonnullis Scripturæ locis. *Ait* (Saul ad populum): *Separamini* (2) *vos in partem unam* (Hebræus In *Heber unum*); *Et ego cum Jonatha filio meo, ero in parte altera* (Hebr. *in Heber altero*). Hic *Heber* ita ponitur, ut neque *cis* neque *trans* significet. Occurrit etiam interdum ea vox ita usurpata, ut melius significaret *cis* quam *trans*. Ita e. g. legimus (3) de Salomone: *Obtinebat omnem regionem, quæ est trans flumen* (Hebr. *Heber*) *Euphratem, a Thapsa usque ad Gazam*; idest *ab Euphrate usque &c.* Nulla igitur necessitate eo adducimur, ut agnoscamus, Textum hunc ab altero, post Moysem, substitutum fuisse: & nihil cogit vertere potius *trans* quam *cis*, cum præsertim id Syntaxis non quærat. Ita enim sonat Textus ad literam: *In transitu Jordanis*, vel *in Heber Jordanis*.

In solitudine campestri. In eodem scilicet agro sæpius appellato, *Campestribus Moab* (4); vel juxta Septuaginta: *Ad Occidentem Moab*. Hebræus hic non male redderetur במדבר בערבה *in deserto, in planitie*; vel *in deserto, in solitudine*. Septuaginta: Ἐν τῇ ἐρήμῳ πρὸς δυσμαῖς, *In deserto ad Occidentem*. Has duas voces distinguit Chaldæus, ac priorem exponit de deserto, ubi Israelitæ peccarunt in Deum; alteram vero de agris mari Rubro adjacentibus: conjungit autem easdem iis, quæ sequuntur.

Contra mare rubrum. Chaldæi, Septuaginta, & Interpretum plures, uti & Vulgata, Textum hic exponunt de mari Rubro. Sed nullam intelligimus intercedere connexionem inter Mare Rubrum, ac locum, ubi tunc Moyses versabatur. Hebræus fert tantum: מול סוף, *Prope Suph*, qui locus idem facile est, ac *Supha*, de quo in Hebræo capitis xxi. 14. Numerorum. Vox *Suph* sonat juncum; & cum jungitur voci genericæ *Mare*, Mare Rubrum designat. Sed hunc sensum præferre in hoc, quem versamus, Textu, vix in animum induco.

Inter Pharan et Thophel. Nomen Pharan certus quidam locus & desertum sibi vindicant: sed utrumque nimis longe abest a Jordane, & campestribus Moab. Urbs Pharan, de qua hic, nos penitus latet; nisi forte ea reputetur, de qua Genesis xiv. 6.

Thophel, ignota pariter urbs. Sunt qui censeant (5), appellatam fuisse *Pellam*, dein *Libiadem*, vel *Liviadem*. Urbis utriusque celebre nomen est; & Liviadis situs congruit maxime loco, ubi tunc Moyses versabatur; agebat enim ad Jordanem in extrema ora septemtrionali Maris Mortui. Sed Pella ab eo loco quam longissime aberat: constituitur enim in Decapoli, Gerasam versus. Fateri itaque cogimur; Thophel locum esse inter ignotos ignotissimum.

Laban, De hac Urbe, uti & de *Haseroth*; exploratum habemus nihil. Neque enim Haseroth hic confundenda est cum Haseroth ad meridiem Tribus Juda, de qua in Numeris xxxiii. 17.

Ubi auri est plurimum. Sunt qui aurifodinas ibi sitas credant; quo etiam in versione sua spectasse videntur Septuaginta, cum reddant καταχρύσεα. Sed Interpretum plerique Hebræum *Di-Sahab* די זהב accipiunt de nomine proprio certi alicujus loci, cujus situs ignoratur.

℣. 2. Undecim diebus de Horeb per viam montis Sehir, usque ad Cades-barne. Prona hujus Textus interpretatio innuit, Campestria Moab, ubi tunc Moyses morabatur, abfuisse undecim dierum itinere a monte Horeb, per viam, quæ ad Cades-barne ducit, secundum montes Sehir. Explicari etiam posset; Horeb, & Cades-barne remota fuisse inter se loca undecim dierum itinere; quod tamen minus vere dici potest. Quare præstat priorem expositionem sequi. In Tabulis Geographicis intervallum est centum leucarum circiter inter Sinai, & Vada Jordanis.

℣. 3. Quadragesimo anno, undecimo mense, prima die mensis. Idest, mense ante obitum suum Moyses revocat in mentem populo, quæcumque a Deo acceperit beneficia, & brevi quodam complexu latas a Deo Leges omnes repetit.

℣. 4. In Astaroth, et in Edrai. Urbem Astaroth paruisse olim Og Regi Basan, affirmat Eusebius; quæ deinde in possessionem Tribus Manasse transierit. Aberat vi. millibus passuum ab Adar, vel Adraa, Urbe Arabiæ. Idemque pariter Eusebius, agens de Astaroth-Carnaim, asserit, sua adhuc ætate duo Oppida occurrere nomine Astaroth, in Transjordanis, ix. tantum millibus passuum distantia, inter Adram, & Abilam. Tandem agens de Adraa affirmat, supra Astaroth-Carnaim jacere. Hæc simul omnia in eam nos persuasionem inducunt, Astaroth cum Astaroth-Carnaim confundi oportere. Docent Rabbini; Astaroth grandes esse montes, ita appellatos, quod oves plane innumeras pascerent. Vide *Numer.* xxxii. 34.

Edrai Urbs est in Scriptura notissima, & inter Urbes Regni Og principes. Hebræus hujus Textus legit: *Percussit Og, qui habitabat in Astaroth in Edrai*. Deus percussit seu fregit Israelitarum manibus Regem Og, sedes habentem suas in Astaroth, percussit, inquam, *in Edrai*. Ibi plane initum fuisse prælium, in quo victus cessit Og, legimus in Numeris xxi. 33. Sedes autem habebat Og constitutas in Astaroth.

℣. 5. Cœpitque Moyses explanare legem. Eadem methodo hic utitur Moyses, qua in opere universo. Primum prodigia a Deo in populi commodum patrata narrat, ostenditque quam male populus de Deo meritus fuerit, indignumque se Divinis beneficiis reddiderit: tum leges ac præcepta Divina explicat. Hic forte Liber loco supplementi cæterorum Moysis librorum haberi potest.

℣. 7. Montem Amorrhæorum. Eo nomine appellantur montes ad Meridiem Chananitidis, maxime quæ ad Mare Mortuum deflectunt: qui enim excurrebant ab Hazerim usque Gazam, facile

[1] Vide Deut. iv. 41. xi. 30. Josue i. 15. xiii. 8. xviii. 7. xx. 8. xxii. 7. [2] 1. Reg. xiv. 40. [3] 3. Reg. iv. 24. [4] Num. xxii. 1. & xxvi. 3. & xxxiii. 48. [5] Malvend. Bonfr.

cile ab Hethæis, & Hevæis (1) usque ad litus maris mediterranei occupabantur.

Humiliora loca. Hebræus: *Schephela*; quod cava loca, & humilia significat. Legitur ea vox in Macchabæis, qua Regio in tractu meridionali Tribus Juda designetur. En locum primi Macchabæorum XII. 38. *Simon ædificavit Adiada in Sephela, & munivit eam.* Vide Bonfrerium. Vide etiam quæ disseruimus ad Josue X. 40.

Terram Chananæorum et Libani. Id est Phœniciam, Regionem Sidoniorum, & latera Mediterranei, a Philistæis adusque montem Libanum. Porro nomen Chananæorum usurpari sæpe pro Phœnicibus, tam certum est quam quid aliud.

℣. 9. Dixique vobis, authore Jethro. Vide Exodum XVIII. 18.

℣. 12. Negotia vestra. Hebræus טרחכם *gravem laborem vestrum*. Septuaginta: Τὴν κόπον, *molestiam vestram*, negotium, quod mihi exhibetis, laborem, pondus. Vox Originalis *Tarca*, sonat *Turbas*, fastidium.

℣. 13. Viros sapientes et gnaros, quorum conversatio sit probata in tribubus vestris. Hebræus (2): *Viros Sapientes & intelligentes & notos* [probitate cognitos] *Tribubus vestris*. Viros sapientiæ & prudentiæ in populo spectatæ. Septuaginta (3): *Homines sapientes & scientes & intelligentes in Tribubus vestris*. Dotes hasce omnes in eximio Judice exigunt Hebræi: animum modestum, Deumque metuentem, cupiditate vacuum, veritatis, humanitatis, ac boni nominis studiosum, maturæ ætatis, bonisque fortunæ satis locupletem (4).

℣. 15. Viros sapientes et nobiles. Hebræus חכמים וידעים, *Sapientes & notos*. Septuaginta: *Sapientes & scientes & intelligentes*. Vide ℣. 13.

Principes, Tribunos. Hebræus: *Principes millium*. Vide Exodi XVIII. 21.

Qui docerent vos singula. Hebræus (5): *Soterim Tribubus vestris*. Septuaginta: *Scribas judicibus vestris*. Porro *Soterim* genus fuisse quoddam Cursorum, seu Præconum, qui edicta Judicum promulgabant, eorumque exequutionem urgebant. Exhibentur armati virgis, & bacillis, stantes coram Tribunali, præsto ad puniendos ex mandato sontes; vel excurrentes per forum, & in officinas, ut ordo, & politiæ ratio servetur, cædenteque eos, qui turbas aliquas cient, tum coram Magistratibus advocantes quoscumque reos in ipso crimine deprehendunt. Obtinet id hodie pariter apud Turcas, ut in majoribus Urbibus discurrant milites per vias, armati bacillis, eos cædentes, quos muneri suo deesse cognoverint. Crediderim ego quidem, *Soterim* perinde esse apud Hebræos ac *Chateres*, de quibus Itinerantes nostri apud Persas. Affinitatis præferunt plurimum tum nomina inter se, tum munera.

Docent Rabbini (6), ad munus *Soterim* plerumque eligi consuevisse viros e genere Cinæorum, posteros Jethro; cui opinioni fere fidem adstruunt ex Paralipomenis (7). Sed & ex Levitis selectos, eorumdem Librorum testimonio (8) constat. In Exodo (9) nomine *Soterim* appellantur Præfecti, constituti ad urgenda opera Israelitarum in Ægypto. Sunt (10) qui genus id esse credant Judicum ingenti in populum authoritate, quod probant ex testimonio hujus Libri, capite XVI. 18. ubi jubet Deus constitui Judices & Magistros [Hebraice *Soterim*] *in omnibus portis*, nempe ad judicandum. In sequentibus Libris exhibentur plerumque Senioribus, & Judicibus juncti (11); quin & Judicibus ipsis interdum præponuntur. Hebræum *Soterim* vertunt Septuaginta Scribas, vel Magistros, quamquam non satis perspicue constat e Sacris Libris destinatos illos fuisse ad scribendum: vicissim autem luculenter in ea legimus, obtinuisse illos authoritatis aliquid, qua imperarent (12), edictaque populis darent (13); sive id agerent tanquam præcones Judicum, & Principum, sive iidem ipsi cum essent Judices & Principes, edicta sua promulgarent. Eo forte spectans Author Vulgatæ illis hic & alicubi (14) munus docendi populos tribuit, ac *Doctores* vel *Principes* appellat (15).

℣. 17. Nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Jus reddite pro merito singulorum & causæ, non pro qualitate personæ. Integritatem præferte in judicando, similem quodammodo Divinæ, cujus locum tenetis, & ministerio fungimini. Alte menti vestræ insideat, *Quia Dei judicium est*; potiri vos ejus authoritate, quare & justitiam imitari par esse. Vel potius: *Dei Judicium est*: Judicium personarum attinet ad Dominum; quare non nisi de merito causæ judicare ad vos pertinet. Vel tandem: *Dominus judicat in medio vestrum*; tribunal suum supra vestrum habet constitutum: ita pronunciate sententiam, tanquam si Deus ore vestro loqueretur. Vide Psalmum LXXXI. 1.

℣. 22. Mittamus viros, qui considerent terram. Veluti ij minus crederent Domino, vel metuerent, ne in discrimine ab illo desererentur. Exprobrat illis Moyses infra IX. 23. neglexisse illos mandatum Domini, jubentis ingredi in Chananitidem, & defuisse in ea re tum fidei erga promissiones ab ipso factas, tum illius imperiis subjectioni. Re ipsa quidem verba illorum omnia hic relata indicium sunt animi paventis, diffidentis, qui carnis prudentia, Deo utique non grata, ducitur. Vide quæ disseruimus in Numeros XIII. 1. Ex proxime succedenti versu innui videtur, Moysem nihil sinistri animo concepisse de postulatis populi, nec latentem in illis iniquitatem intellexisse. Narrat enim: *Cumque mihi sermo placuisset*, Hebræus ad literam: *Bonum fuit in oculis meis verbum*. Et in Libro Numerorum ita totam hanc delectorum Exploratorum historiam refert, quasi scilicet a Deo, ejusque nomine id imperatum fuisset: sed Deus id fieri tantum, latenti consilio suo, permisit.

℣. 26. Sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri. Textus ad literam (16): *Irritastis os Domini Dei vestri*; vel cervicem in Deum vestrum erexistis: invertistis verba Dei vestri, plane contraria præstantes iis, quæ ab ipso præcepta sunt. Vel inania & vana reddidistis Domini præcepta. Vel tandem, os Domini amaritudine infecistis; illum irritastis.

℣. 37. Nec miranda indignatio in populum. Desunt hæc in Hebræo, in quo Moyses tantum de se loquitur: *Mihi quoque iratus est Dominus*. Illud autem indicare videtur, hac occasione Dominum subiratum fuisse in Moysem, atque idcirco damnasse illum, ut eodem cum cæteris fato mortem in deserto oppeteret. Sed ex Libro Numerorum intelligimus, diu post eventum illum Moysem de fiduciæ in Deum gradu decidisse ad Aquas Contradictionis, qua re iram in se Domini provocavit. Hic igitur locus intra parenthesim claudendus est, ut hæc sententia seddatur.

Cum

(1) Vide Deut. [illegible] (2) [illegible Hebrew] (3) Ἄνδρας σοφοὺς, καὶ ἐπιστήμονας, καὶ συνετοὺς. (4) Grot. (5) [illegible Hebrew] Γραμματοεισαγωγεῖς τοῖς κριταῖς ὑμῶν. (6) Vide Selden. de Synedriis l. [illegible] cap. [illegible] (7) 1. Par. II. 55. Cognationes Scribarum (Hebr. *soterim*) habitantium in Jabes, &c. (8) 2. Par. XIX. 11. *Habetis magistros*, (Hebr. *soterim*) *Levitas coram vobis*. Ita & 2. Esdr. VIII. 11. (9) Exod. V. 6. *Præcepit . . . exactoribus populi*. (10) Rabb. Jarchi, [illegible]. Item Bertram. de Rep. Hebr. (11) Vide Deut. XXIX. 10. XXXI. 28. Josue VIII. 33. & XXIV. [illegible] & 1. Par. XXIII. 4. & XXVI. 29. (12) Deut. XX. [illegible] (13) Josue I. [illegible] (14) Deut. XXIX. 10. 1. Par. XXIII. 29. 2. Par. XXVI. 11. (15) Josue I. 10. (16) [illegible Hebrew]

Cum hanc agendi rationem iniveritis, ut nullam in Deum fiduciam, nullam ejus beneficiorum agnitionem profiteremini, gravem in vos Numinis iram provocastis: quare & reos vos criminis damnavit, ut nunquam promissam regionem oculis præsentem intueremini. Ego pariter ipse sæpe adeo murmuris & infidelitatis vestræ testis, tandem in diffidentiam, & animi confusionem incidi: quare & una vobiscum sententia obvolutus sum; & Dominus vestri causa in me iratus, ejus regionis aditum mihi præcludit.

℣. 39. Filii qui hodie boni ac mali ignorant distantiam. Pueri qui ratione nondum expedita utuntur, qui se actionesque suas moderari ætatis imbecillitate nondum valent, qui denique murmuris vestri conscios sese non præbuerunt, illis aditus in optatam regionem patebit. *Discernere bonum ac malum*, phrasis est Scripturæ familiaris, quæ rationis usum significat. Vide Isaiam VII. 14. & XV. 16. & quæ contulimus in Genesim III. 15.

℣. 40. Revertimini, et abite in solitudinem per viam maris Rubri. Idest viam relegite Horeb versus, per easdem solitudines, per quas transiistis, ex Horeb in Cades-barne venientes. Vide ℣. 19. Hujus jussionis executio dilata fuit aliquandiu. Diutius adhuc perseverarunt Israelitæ in Cades-barne, uti aperte legitur in fine hujus capitis; tum moventes processerunt adhuc in Occidentem, secundum montes Sehir, Chanaanitidem ab Arabia distinguentes, Esmonam usque, urbem Ægypto proximam. Tum venerunt in Asiongaber ad mare Rubrum, longo tamen post tempore.

℣. 41. Cumque instructi armis pergeretis in montem. Hebrææ voces varie redduntur (1). Septuaginta (2): *Congregati ascendistis in montem*. Alii: Ascendere voluistis; vel: Ascendere cœpistis. Vel potius: Dixistis: Parati sumus ascendere. Alii: Conati fuistis ascendere. Syriacus: Mutuo vos concitastis ad ascendendum, Arabs: Festini ascendistis. Ludovicus de Dieu: Contempsistis imperium meum, ne ascenderetis. Hebræum *tahinu* hic tantum, & nuspiam alibi, in Scriptura legitur.

℣. 43. Tumentes superbia. Hebræum ותזידו ita vertitur: *Et superbe egistis, & ascendistis in montem*. Septuaginta: Παραβιασάμενοι, *Vim facientes ascendistis in montem*. Chaldæus: *Impie egistis, & ascendistis in montem*.

℣. 44. Sicut solent apes persequi. Pingitur hac similitudine alacritas, impetus & confertum hostium agmen, quod Hebræos urgebat. Exhibiturus Psalmista (3) consertos illos hostes, quibus obvolvebatur, persimili phrasi utitur: *Circumdederunt me sicut apes*. Isaias, ut vastationem illam prædicat, quæ ab Ægyptiis, & Assyriis imminebat Judææ, ita loquentem Dominum inducit (4): *Sibilabit* (sibilando invitabit) *Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ est in terra Assur*. Revocanda sunt in mentem, quæ diximus (5) de plaga muscarum in Ægypto, uti & de muscis, quas immissurum se spondet Deus in Chananæos, ut illis e Regione sua pulsis, locum faciat Israelitis (6).

De Sehir usque Horma. Nomen *Horma* nonnisi diu post inditum loco fuit, cum scilicet motis a Rege Arad in Israelitas armis, Regio ejus universa devota est anathemati, atque locus appellatus *Horma*, vel *Anathema*, Vide Numeros XXI. 3.

℣. 46. Sedistis in Cades-barne multo tempore. Hebræus ad literam: *Mansistis in Cades diebus multis, secundum* (numerum) *dierum, quibus mansistis* ibi. Comminiscuntur Hebræi (7), patres suos substitisse ibi XIX. annis a primo illo murmure, cum testati sunt, nolle se in eam regionem venire, quo destinabantur: tum vero per alios XIX. annos moram illam prorogasse, ex quo prælium contra præceptum Domini tentarunt in Amalecitas, & Amorrhæos. Sed hæc temere ab illis dicta esse constat; quin & in uno, eodemque loco perseveratum fuisse octo & triginta solidis annis, id fidem prorsus omnem superat. Ipse pariter Moyses longam locorum seriem recenset, quæ peragrarunt post stationem in Cades-barne; docetque in Capite sequenti, ℣. 14. octo & triginta annos insumpsisse, quousque e Cades-barne ad Torrentem Zared venirent. Quare redditur commode Textus: *Sedistis in Cades-barne, quamdiu voluistis*; seu potius: Sedistis in Cades-barne toto eo tempore, quo in eo deserti loco permansistis.

(1) ותזידו לעלות ההרה (2) Καὶ συναθροισθέντες ἀνεβαίνετε εἰς τὸ ὄρος. Legisse videntur ותזידו, dictum ex חנה, *castrametatus est*: perinde ac si diceretur: *Castrametati estis*, coacti estis, ut simul omnes ascenderetis. Ita & fortasse legit Vulgata. (3) Psal. CXVII. 12. (4) Isai. VII. 18. (5) Exod. VIII. 21. (6) Exod. XXIII. 28. & Deut. VII. 20. (7) Hebræi in Seder. Olam, apud Genebrard. Munst. Fag. &c.

CAPUT II.

Iter Israelitarum a Cades-barne ad Regionem Sebon. Vetat illis Deus, ne armis infestent Idumæos, Moabitas, & Ammonitas. Victoria de Sebon Rege Amorrhæorum, trans Jordanem.

℣. 1. PRofectique inde venimus in solitudinem, quæ ducit ad mare rubrum, sicut
mihi dixerat Dominus: & circuivimus montem Seir longo tempore. 2. Di-
xitque Dominus ad me: 3. Sufficit vobis circuire montem istum: ite contra Aqui-
lonem. 4. Et populo præcipe dicens, Transibitis per terminos fratrum vestrorum
filiorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos. 5. Videte ergo diligenter,
ne moveamini contra eos. Neque enim dabo vobis de terra eorum quantum potest
unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir. 6. Ci-
bos emetis ab eis pecunia, & comedetis: aquam emptam haurietis, & bibetis. 7.
Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: novit iter tuum,
quo-

quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit. 8. Cumque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elath, & de Asiongaber, venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab. 9. Dixitque Dominus ad me: Non pugnes contra Moabitas, nec ineas adversus eos prælium: non enim tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Loth tradidi Ar in possessionem. 10. Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus, & validus, & tam excelsus, ut de Enacim stirpe, 11. Quasi gigantes crederentur, & essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim. 12. In Seir autem prius habitaverunt Horrhæi: quibus expulsis, atque deletis, habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israel in terra possessionis suæ, quam dedit illi Dominus, 13. Surgentes ergo ut transiremus torrentem Zared, venimus ad eum. 14. Tempus autem, quo ambulavimus de Cadesbarne usque ad transitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit; donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut juraverat Dominus: 15. Cujus manus fuit adversum eos, ut interirent de castrorum medio. 16. Postquam autem universi ceciderunt pugnatores, 17. Locutus est Dominus ad me, dicens: 18. Tu transibis hodie terminos Moab, urbem nomine Ar: 19. Et accedens in vicina filiorum Ammon, cave, ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium; non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in possessionem. 20. Terra gigantum reputata est: & in ipsa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zenzommim, 21. Populus magnus, & multus, & proceræ longitudinis, sicut Enacim, quos delevit Dominus a facie eorum; & fecit illos habitare pro eis, 22. Sicut fecerat filiis Esau, qui habitant in Seir, delens Horrhæos, & terram eorum illis tradens, quam possident usque in præsens. 23. Hevæos quoque, qui habitabant in Haserim usque Gazan, Cappadoces expulerunt: qui egressi de Cappadocia deleverunt eos, & habitaverunt pro illis. 24. Surgite, & transite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum, & terram ejus incipe possidere, & committe ad ersus eum prælium, 25. Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo: ut audito nomine tuo paveant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur. 26. Misi ergo nuntios de solitudine Cademoth ad Sehon regem Hesebon verbis pacificis, dicens: 27. Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via: non declinabimus neque ad dexteram, neque ad sinistram. 28. Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur: aquam pecunia tribue, & sic bibemus. Tantum est, ut nobis concedas transitum, 29. Sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar, donec veniamus ad Jordanem, & transeamus ad terram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. 30. Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum: quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus, & obfirmaverat cor illius, ut traderetur in manus tuas, sicut nunc vides. 31. Dixitque Dominus ad me: Ecce cœpi tibi tradere Sehon, & terram ejus, incipe possidere eam. 32. Egressusque est Sehon obviam nobis cum omni populo suo ad prælium in Jasa. 33. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis: percussimusque eum cum filiis suis, & cum omni populo suo. 34. Cunctasque urbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris, ac mulieribus, & parvulis, non reliquimus in eis quidquam. 35. Absque jumentis, quæ in partem venere prædantium & spoliis urbium, quas cepimus 36. Ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido quod in valle situm est, usque Galaad. Non fuit vicus, & civitas, quæ nostras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis, 37. Absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus: & cunctis, quæ adjacent torrenti Jeboc, & urbibus montanis, universisque locis, a quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.

℣. 1. PROFECTI INDE. Moventes a Cades-barne circumduxerunt iter diu circa montes Sehir, uti hoc versiculo dicitur: tum redierunt in Mozeroth, iter ad Mare rubrum repetituri, eamdem relegentes viam, quam signaverunt, cum ex Horeb in Cades-barne venere. Vide Capitis præcedentis ℣. 40.

℣. 3. SUFFICIT VOBIS CIRCUIRE MONTEM ISTUM; ITE CONTRA AQUILONEM. In Elat, vel Asiongaber facile Deus hæc Moysi imperavit. Hebræi post longissimi temporis circuitum in regione Sehir, & in montibus Arabiæ Petrææ, redierunt tandem ad Asiongaber, Cades versus, e meridie ad septemtrionem, nunquam non sequentes ductum montium Sehir, & a populis illis commeatus & aquas soluto pretio sibi comparantes. Sed cum tandem in Cades venissent, ingressum iterum tentarunt in Chananitidem, per viam *Atarim*,

rum, vel Exploratorum; sed repulsi transitum postularunt ab Idumæis, extremam oram meridionalem Maris Mortui tenentibus: ab illis vero non repulsam tantum passi sunt, sed & minis territi, futurum, ut si pedem intra regionem suam inferre tentarent, vi armorum coercerentur. Tunc jussit Deus circuire illos Regionem Edom, ac parcere ab armis in populos illos filios Esau inferendis. Docet hæc omnia Moyses in Numeris xx. 14. & xxi. 4. hic autem obiter tantum attingit.

℣. 5. Ne moveamini contra eos. Reddi potest Hebræus אַל־תִּתְגָּרוּ־בָם; *Ne misceamini prælio cum illis*; ne irritetis eos; ne superbe & elate cum illis agatis. In Textu Originali legitur vox *Gur*, quæ radix est Gallicæ, & Italicæ vocis *Guerre*, *Guerra*.

℣. 6. Aquam emptam haurietis. Sæpe alias animadversum est, aquarum caritatem fuisse summam in Idumæa. Ingens Israelitarum, & gregum ipsorum numerus scaturigines omnes & cisternas exsiccassent, siquidem omnibus ad arbitrium data esset hauriendi facultas. Ex testimonio Libri Numerorum xx. 20. constat utique, Idumæos postulatis omnibus Hebræorum repulsam dedisse: sed commeatus, & aquas non incongrue putaremus pretio illis suffecisse, cum viderent continere se illos a regione sua, & alio itinere abiisse. Re ipsa quidem ex ℣. 29. intelligimus, Idumæos aliquid concessisse eorum, quæ prius dare recusaverant: permiserunt enim liberum transitum per fines suos, atque ut sibi res necessarias soluta pecunia compararent.

℣. 7. Novit iter tuum. Peculiari cura te deducendum suscepit; euntem te per viam prosequutus est beneficiis. Phrasis hæc in Scriptura significat amorem, studium in aliquem: *Novit Dominus viam justorum*, ait Psalm. 1. 6. & Psalmus xxxvi. 18. *Novit Dominus dies immaculatorum*. Eodem sensu (1) scriptum est, oculos Dei intentos esse in eos, qui sese amant & timent, in pauperes, &c.

℣. 8. Per viam campestrem de Elath, et de Asiongaber. Reddi potest Hebræus: *Et transivimus fratres nostros filios Esau, qui manserunt in Sehir per viam planitiei*, vel deserti, *ab Elath, & ab Asiongaber*. Id est, venientes ab Elath & Asiongaber, viam instituimus secundum regionem Sehir, occupantis montes porrectos a meridie ad septemtrionem, a finibus Chanaanitidis ad usque Sinai, & Mare Rubrum. Hinc cum venissemus usque Cades, circumducta ambitu regione Idumæorum, tandem regionem Moabiticam tenuimus. Brevitatem quærens in hac narratione sua Moyses, multa Textui supplenda relinquit.

℣. 9. Non pugnes contra Moabitas. Ex ℣. 29. constat, gentes illas liberum permisisse Israelitis transitum per regiones suas, nec ab emendis commeatibus prohibuisse; sed eo nomine reprehenduntur inferius xxiii. 3. 4. quod non ipsi per se venientes commeatus illos obtulissent; unde opinamur, Moabitas Hebræos venientes non majori comitate excepisse, quam exteros alios quoscumque, quin & transitum per regionem suam denegasse: quod postremum illis Jephte exprobravit (2).

Filiis Lot tradidi Ar. Metropolim hanc esse Moabitarum, non uno Scripturæ Textu docemur. Sita erat ad Arnon. Appellatur interdum (3) *Rabbath-Moab*, magna Urbs Moabitarum: & Eusebii ætate *Areopolis*. Jacebat ad ripam torrentis Arnon, oppositam alteri, in qua sita erat Aroer Urbs ditionis Sehon. Postrema hæc contigit Gaditis (4); & labentibus Reipublicæ Judaicæ annis, rediit ad Moabitas, a quibus Jeremiæ ætate (5) tenebatur.

℣. 10. Emim primi fuerunt habitatores ejus. Hanc facile gentem deleverunt bello Codorlahomor, & fœderati (6), aliquot annis ante natum Moab, patrem Moabitarum. Porro in ea Regione stetit Loth post Sodomæ excidium, eamque filiis suis reliquit hæreditatem. Sunt qui credant, nomen Emim inditum fuisse a Moabitis huic genti, quod finitimis omnibus esset formidabilis; namque *Emim* sonare potest *terribiles*, ductum ex Hebræo אֵימָה *terror*. Alii nomen derivant ex אַמָּה *Ammath*, *cubitus*, quasi diceretur, viri multis cubitis proceri, quo sensu Moyses, in Numeris xiii. 33. gigantes appellat אַנְשֵׁי מִדּוֹת, *viros mensurarum*, quos Vulgata, *Proceræ staturæ*.

℣. 11. Quasi gigantes crederentur, et essent similes filiorum Enacim. Hebræus ad literam: *Rephaim reputabantur; etiam ipsi sicut gigantes*, gigantibus similes. Censet Grotius, nomen *Rephaim* primævæ linguæ esse, quod mansarit in Scriptura, & aliquibus Syriæ locis, quæ *Raphanea* appellabantur. Inficiabitur utique nemo, Rephaim generico interdum sensu accipi de Gigantibus (7); interdum de mortuis (8) apud Inferos detentis; cujus quidem rei causa est antiquitas Rephaim vetustissima. Tandem in Chanaanitide, locisque finitimis Reges fœderati cum Codorlahomore (9) fuderunt, fugaruntque Rephaim ad Astaroth Carnaim. E Rephaim originem ducebat Rex Og (10); qui pariter in tota ea regione, quam olim Abrahami ætate patres sui obtinuerant, imperabat. Sub Davide (11) adhuc Gigantes nonnulli e genere veterum Rephaim apud Philistæos supererant. Meminit etiam non semel Scriptura Vallis Rephaim (12); ac daturum se Deus Abrahamo pollicetur regionem Pherezæorum & Rephaim (13). De Enacim vide quæ contulimus in Numeros xxiii. 23.

℣. 12. In Seir prius habitaverunt Horrhæi. Plura disseruimus in Genesim xiv. 6. quibus regionem Horrhæorum & Seir descripsimus.

Sicut fecit Israel in terra possessionis suæ. Exempla plura gentium e regione sua pulsarum huc congerenda idcirco facile censuit Moyses, ut Hebræos magis magisque compararet ad expeditionem Chanaanitidis alacriter aggrediendam; sive ut eas criminationes dissiparet, quibus eos forte oneraturi essent Moabitæ, & Idumæi, venisse scilicet illos, ut veteres Dominos e sedibus suis exturbarent. Cur enim nefas esse diceretur Judæis, quod finitimæ aliæ gentes sibi licere arbitratæ sunt? Nonne ipsi pariter Moabitæ eam tenebant regionem, quæ olim Emim parebat? Idumæi Horrhæorum, & aliorum alii? Obtinebant jam Israelitæ totum late Regnum Sehon & Og: quare merito illud usurpavit Legislator: *Sicut fecit Israel in terra possessionis suæ*. Reddi etiam posset Textus: *Sicut Israel facturus est*: vel, *sicut facere jam cœpit*. Suspicantur nonnulli, verba hæc recentioris esse Moyse & scriptoris ætatis: ejus enim verborum sententia absolute & ad literam stricte accepta, ab ætate ejusdem Legislatoris est aliena.

℣. 14. Triginta et octo annorum fuit. Hac ducta supputatione, annum circiter perseverarunt in Cades-barne; annum enim pariter substiterant in Horeb. Adde annum moræ in Cades-barne octo hisce & triginta annis itineris per desertum, usque dum pervenirent ad torrentem Zared, paucis ante prælium cum Sehone initum diebus, numerus quadraginta annorum fiet.

℣. 19.

(1) Psal. x. 9. 10. xvi. 2. xxxii. 18. xxxiii. 16. &c. (2) Judic. xi. 17. (3) Josue xiii. 25. Vide Euseb. in locis. (4) Josue xiii. 25. Num. xxxiv. 12. (5) Jerem. xlviii. 19. (6) Vide Genes. xiv. 5. (7) Job xxvi. 5. & Isai. xxvi. 14. (8) Psal. lxxxvii. 11. Prov. ix. 18. Isai. xiv. 9. (9) Genes. xiv. 5. (10) Deut. iii. 11. & Josue xii. 4. & xiii. 12. (11) 1. Reg. xxi. 16. 18. 20. 22. (12) Josue xv. 8. xviii. 16. (13) Genes. xv. 20.

℣. 19. Accedens in vicina filiorum Ammon, Sehone ſuperato, Iſraelitæ aduſque regionem Ammonitarum proceſſerunt: ſed continuo recedendum fuit, non modo ut Divinæ juſſioni, nequid Iſraelitæ illis nocerent, obtemperaretur; ſed ex eo pariter, quod fines eorum validis defendi præſidiis compertum eſſet (1).

℣. 20. Terram Gigantum. Hebræus: *Terra Rephaim*. Vide ſupra ℣. 11.

Quos Ammonitæ vocant Zomzommim, iidem creduntur, ac *Zuzim* Geneſeos. Porro Zomzommim, juxta literalem vocis hujus vim, ſonat homines ſceleſtos, abominabiles. Hos autem appellant Septuaginta *Zomzim*, & Chaldæos *Chusbanim*.

℣. 22. Horræans. Vide quæ diſſeruimus in Geneſim xiv. 6. Sunt qui ex eo deductum cenſeant nomen Horrhæorum, quod gens illa olim habitaret in ſpecubus, eodem ferme more ac Troglodytæ, apud Veteres notiſſimi. Incolæ montium hujus regionis plerique in ſpecubus vivebant, teſtibus Strabone, S. Hieronymo, aliiſque pluribus.

℣. 23. Hevæis quoque, qui habitabant in Haserim usque Gazam, Cappadoces expulerunt. Pro Cappadocibus, fert Hebræus *Caphtorim*. In Geneſi x. 17. demonſtrare conati ſumus, Caphtorim veteres eſſe incolas inſulæ Cypri. Porro hi Caphtorim pepulerunt Hevæos, quorum ſedes ad meridiem Chanaanitidis erant, ab Haſerim ad uſque Gazam. Haſerim eumdem locum putamus ac Aſeroth, de qua urbe egimus in Numeris xxxiii. 17. Eſt Gaza Urbs Philiſtæorum celeberrima in Scriptura. Nomen Hevæorum, hanc regionem tenentium, aliter ſcribitur ac illorum, de quibus in Geneſi x. 17. ſed inter ſe confundi utroſque, ne ambigimus quidem. Neque in libris hiſce novum eſt & extraordinarium, ut unius ejuſdem viri ac loci nomina aliter atque aliter ſcribantur.

℣. 24. Surgite et transite torrentem Arnon. Torrentem hunc non prius trajecerunt Hebræi, quam poſt miſſos ad Regem Sehon Oratores, tranſitum poſtulaturos, uti docent Libri Numerorum, & Judicum (2); ſicut etiam verſiculus 26. hujus capitis.

℣. 26. De solitudine Cademoth. Deſertum eſt juxta Urbem Cademoth, quo miſſi ſunt Legati ad Sehon: cum autem miſſos illos conſtet ante tranſvadatum Arnon, recte inde colligas, deſertum illud trans amnem jacuiſſe. Facile tamen Urbs Cademoth cis torrentem ſita erat, parebatque Sehoni, atque ex ipſo ejus nomine indicatur ſitus maxime Orientalis fuiſſe. Tribui Ruben deinde ceſſit. Joſue xiii. 18. inter *Jaſam & Mephat* illam collocat; inter Leviticas recenſita eſt (3).

℣. 29. Sicut fecerunt filii Esau, tranſitum non quidem per mediam regionem, ſed ut fines raderent, concedentes; quin & permittentes Iſraelitis, ut res neceſſarias ſoluto pretio ſibi compararent. Vide ℣. 6.

Et Moabitæ. Vide ſupra ℣. 9.

℣. 32. In Jasa. Vide Numeros xxi. 13. Urbs erat juxta torrentem Arnon, quem mox tranſierant Hebræi.

℣. 36. Ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido quod in valle situm est, usque Galaad. Urbs Aroer jacebat in Valle, quam perluebat amnis vel torrens Arnon, uti Scriptura non ſemel narrat (4). Surgebat in ripa hujus torrentis, e regione urbis Ar, uti animadverſum eſt ſupra ℣. 9.

℣. 37. Absque terra filiorum Ammon; reliqua jure armorum occupavimus: quidquid Sehoni Regi parebat. Vetuit Deus, ne Iſraelitæ aggrederentur Ammonitas, ſed nunquam juſſit reddi illis veteres poſſeſſiones, quas uſurpaverant Amorrhæi. Querelas ea de re ſuas detulerunt ad Jephte, ætate Judicum (5). *Tulit Iſrael terram meam a finibus Arnon uſque Jeboc, atque Jordanem: nunc ergo cum pace redde mihi eam.* Sed Jephte jus ſuum defendit pluribus argumentis. i. Regionem jure belli fuiſſe comparatam. ii. Præſcriptione, ac tranquilla plurium ſæculorum ſine dolo malo poſſeſſione. iii. Conceſſione Dei Iſraelitis, qui hæc populo ſuo conceſſerat. Vide Librum Judicum eodem loco, ubi maturius iſta expenduntur.

[1] Num. xxi. 24. [2] Num. xxi. 21. Judic. xi. 18. [3] 1. Par. vi. 79. [4] Joſue xiii. 9. & 16. & 2. Reg. xiv. [5] Judic. xi. 13.

CAPUT III.

Bellum in Og Regem Baſan. Lecti illius in Rabbath Ammonitarum ſervati longitudo. Portio hæreditatis Tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſe aſſignata. Aditum ſibi in terram Promiſſionis a Deo Moyſes petit, non impetrat.

℣. 1. Itaque converſi aſcendimus per iter Baſan: egreſſuſque eſt Og Rex Baſan in occurſum nobis cum populo ſuo, ad bellandum in Edrai. 2. Dixitque Dominus ad me: Ne timeas eum; quia in manu tua traditus eſt, cum omni populo ac terra ſua: facieſque ei ſicut feciſti Sehon Regi Amorrhæorum, qui habitavit in Heſebon. 3. Tradidit ergo Dominus Deus noſter in manibus noſtris etiam Og Regem Baſan, & univerſum populum ejus: percuſſimuſque eos uſque ad internecionem, 4. Vaſtantes cunctas civitates illius uno tempore: non fuit oppidum quod nos effugeret: ſexaginta urbes, omnem regionem Argob Regni Og in Baſan. 5. Cunctæ urbes erant munitæ muris altiſſimis, portiſque & vectibus, abſque oppidis innumeris, quæ non habebant muros. 6. Et delevimus eos, ſicut feceramus Sehon regi Heſebon, diſperdentes omnem civitatem viroſque, ac mulieres, & parvulos: 7. Jumenta autem, & ſpolia urbium diripuimus. 8. Tulimuſque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem: a torrente Arnon uſque ad montem Her-

Hermon, 9. Quem Sidonii Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir: 10. Omnes civitates, quæ sitæ sunt in planitie, & universam terram Galaad, & Basan usque ad Selcha, & Edrai civitates regni Og in Basan. 11. Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rebbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus. 12. Terramque possedimus tempore illo ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, usque ad mediam partem montis Galaad: & civitates illius dedi Ruben, & Gad. 13. Reliquam autem partem Galaad, & omnem Basan regni Og tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob: cunctaque Basan vocatur terra gigantum. 14. Jair filius Manasse possedit omnem regionem Argob usque ad terminos Gessuri, & Machati. Vocavitque ex nomine suo Basan, Avoth Jair, idest, Villas Jair, usque in præsentem diem. 15. Machir quoque dedi Galaad. 16. Et tribubus Ruben, & Gad dedi de terra Galaad usque ad torrentem Arnon medium torrentis, & confinium, usque ad torrentem Jeboc, qui est terminus filiorum Ammon. 17. Et planitiem solitudinis, atque Jordanem, & terminos Cenereth, usque ad mare deserti, quod est salsissimum, ad radices montis Phasga contra orientem. 18. Præcepique vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus vester dat vobis terram hanc in hæreditatem, expediti præcedite fratres vestros filios Israel omnes viri robusti: 19. Absque uxoribus, & parvulis, atque jumentis. Novi enim, quod plura habeatis pecora, & in urbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis, 20. Donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit: & possideant ipsi etiam Terram, quam daturus est eis trans Jordanem; tunc revertetur unusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis. 21. Josue quoque in tempore illo præcepi, dicens: Oculi tui viderunt, quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus: sic faciet omnibus regnis, ad quæ transiturus es. 22. Ne timeas eos: Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis. 23. Precatusque sum Dominum in tempore illo, dicens: 24. Domine Deus, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam. Neque enim est alius Deus, vel in cœlo, vel in terra, qui possit facere opera tua, & comparari fortitudini tuæ. 25. Transibo igitur, & videbo terram hanc optimam trans Jordanem, & montem istum egregium, & Libanum. 26. Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudivit me, sed dixit mihi: Sufficit tibi: nequaquam ultra loquaris de hac re ad me. 27. Ascende cacumen Phasga, & oculos tuos circumfer ad occidentem, & ad aquilonem, austrumque, & orientem, & aspice. Nec enim transibis Jordanem istum. 28. Præcipe Josue, & corrobora eum, atque conforta: quia ipse præcedet populum istum; & dividet eis terram, quam visurus es; 29. Mansimusque in valle contra fanum Phogor.

℣. 1. OG Rex Basan, unus e genere veterum Rephaim, incolarum regionis, qui supererat; de cujus viri immani corporis mole argumentum esse potest immanitas cubilis, in quo jacebat, in Rabbath servati. Hunc virum jam inde ante diluvium universale floruisse censent Rabbini; qui, ut e præsenti discrimine sese liberaret, inquiunt illi, Arcæ tecto sublimis inequitavit. Addunt, cum accedere Israelitas certior factus fuisset, ingentem lapidem validis lacertis in alium extulisse, quo in eorum exercitum deturbato, omnes elideret. Sed continuo immani illo lapide avis cujusdam opera perforato, qua parte ejus capiti incumbebat, illum in humeros viri decidisse; qui molesto eo monili præpeditus, capta a Moyse opportunitate occisus est. Dignum plane commentum hominum pravo mentis suæ sensui relictorum.

In Edrai. De situ hujus Urbis vide quæ diximus in Numeros xxi. 33.

℣. 4. Omnem regionem Argob. Hebræus ad literam: *Omnem funiculum Argob*; vel, *omnem mensuram Argob*. Porro notum est, tum ex Scriptura, tum ex Profanis, Hebræos & Ægyptios terras suas funiculis dimetiri consuevisse. Qui metiendi modus spectatus est non semel in Libris Sacris. *Jacob* (1) *funiculus hæreditatis* [Domini]; idest hæreditas Domini. Et Psalmus xv. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, nempe in optimo solo. Minitatur Amos vii. 17. Israelitis captivitatem, nunciatque: *Humus tua funiculo dimetietur*; idest, distribuetur inter hostes. Ad Ægyptios quod attinet, legendus est Herodotus (2), tradens, schoenum vel funiculum mensuram fuisse lx. stadiorum, vel vii. millium ac d. passuum, nempe duarum leucarum plenarum. Quare hæc mensura privatarum hæreditatum censenda non est, sed provinciarum vel regionum.

Vocem *Argob* mensuram reddidisse Symmachum, affirmat Eusebius. Ambo Paraphrastæ, Onkelos, & Jonathan, de Trachonitide interpretati videntur; reddiderunt enim *Tarchona*, vel *Targona*. Malunt alii, Argob virum fuisse, qui nomen suum regioni tradiderit. Urbem hujus nominis constituunt nonnulli e Geographis: sed nobis nihil ea de re certi suppetit. Persuasum est Vatablo, Basan, Argob, & Trachonitidem tria esse unius ejusdemque regionis nomina. Persuadere sibi non potest Cellarius (3), Trachonitidem, incultam plane regionem, cujus pleræque domus specus erant, ipsissimam fuisse regionem Argob, in qua,

(1) Deuter. xxxii. 9. (2) Herodot. l. 2. c. 9. (3) Cellar. l. 3. c. 13.

sesse Moyse, sexaginta non infimæ, nec infirmæ urbes numerabantur. Nomen Argob non incongrue derivatur ex Hebræo *Regeb*, quod bis occurrit in Jobo (1), designatque humum opimam & irriguam. Quod sane congruit cum fertilitate soli Basanitidis.

Versio Samaritana non raro pro *Argob* legit *Rigoba*. Sermo est apud Josephum de munitione Ragaba in regione Gerasenorum; agensque Eusebius de *Argob* seu Ragaba, tradit urbem esse quinto decimo lapide a Gerasa in Occidentali plaga.

℣. 5. Absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros. Hebræus (2): *Præter urbes* [vel oppida] *rusticorum innumeras*. Septuaginta (3): *Sine urbibus Pherezæorum multis valde*. Id autem commode accipiendum est de domibus in agro sparsis, vel de oppidis muratis. Tacitus (4) de Judæa: *Magna pars Judææ vicis dispergitur; habens & oppida*.

℣. 6. Disperdentes omnem civitatem. Hebræus (5): *Fecimus anathema omnem civitatem*, ubi essent *viri*, *mulieres*, *parvuli*. Seu potius: Exterminio viros omnes, mulieres, & pueros captarum urbium devovimus.

℣. 8. Duorum Regum Amorrhæorum. Hebræus ad literam: *Duorum Regum Amorrhæi*; quibus veluti designatur, populum quidem Amorrhæum fuisse, sed non Principem, qui originem referebat e priscis Gigantibus, primis regionis incolis. *Trans Jordanem*. Vide quæ animadvertimus in cap. 1. 1.

A torrente Arnon usque ad montem Hermon [℣. 9.] quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhæi Sanir. Relatæ de Sehon & Og victoriæ fructum retulit Moyses totum late agrum, qui a torrente Arnon usque ad montem Hermon patebat: non tamen longe ultra torrentem Jeboc excurrisse videtur. Misit facile copias, quibus omnis regio subigeretur usque ad montes Hermon surgentes ad orientem Libani, qui non alio innotescunt apud Profanos nomine, quam Antilibani, cum montis hujus e latere Orientali portio haberentur & essent. Compertum est (6), Regem Og subjectos ditioni suæ habuisse montes Hermon; idest, montis hujus meridionalem portionem cum agris adjacentibus. Hevæi pariter in iisdem montibus sedes habebant, sed remotiores ad septentrionalem plagam (7) *a monte Baal-Hermon, usque ad introitum Emath*. Permisit autem Deus, inquit Scriptura, ut in regionibus illis ad experimentum Israelitarum perseverarent.

Docet hic Moyses, Phœnices indidisse monti Hermon nomen *Sarion*; Amorrhæos vero *Sanir*; & sequenti capite IV. ℣. 48. appellat hunc ipsum pariter *Sion*, vel, ut Græci legunt, *Seon*. Montem Hermon plurali numero ponit Psalmus XLI. 7. quod scilicet continuata esset montium conjunctorum series. Non immerito reputamus, *Baal-Hermon*, *Sanir*, & montem *Hermon* tria esse nomina trium laterum catenæ hujus connexorum montium, quippe quæ tanquam tria varia latera in primo Paralipomenon V. 23. occurrant. Suspicantur nonnulli, montem Hor, de quo in Numeris XXXIV. 7. aliam esse montium Hermon portionem.

℣. 10. Omnes Civitates quæ sitæ sunt in planitie. Hebræum nomen כל ערי המישר retinendum censuerunt Septuaginta: Πᾶσαι πόλεις Μισώρ, *Omnes Civitates Misor*. Sonat hæc vox *planitiem*. Nobis autem persuasum est, idem significare ac *Argob* ℣. 4.

℣. 11. Solus Og . . . restiterat de stirpe Gigantum. E Rephaim postremus supererat. Planius reddi potest Hebræus in hunc sensum (8): Quia Rex Og unus erat ex iis, qui restabant de stirpe Rephaim. Idem observat Josue (9). Septuaginta: *Quia Og reliquus factus e Rephaim*, gigantibus. E stirpe Rephaim Gigantes adhuc alii supererant (10), sed non in eadem regione; versabantur enim inter Philisthæos, ac trans Jordanem; sed nec regnabant, nec regione peculiari potiebantur. Porro Og ejus stirpis postremus fuit Rex, qui jura in avita regione dederit.

Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath. Rabbath Urbs erat Metropolis Ammonitarum, sub Philadelphiæ nomine in Eusebio nota. Appellatur in Scriptura *Rabbath-Ammon*, vel *Rabbath filiorum Ammon*, vel tantum *Rabbath*. Apud Polybium est *Rabatamana*; Eusebio, & Stephano tantum *Ammana*. Fertur nomen deinde suum mutuasse in Astarten; tandem Ptolemæo Philadelpho authore in *Philadelphiam*. Jacebat x. millibus passuum a Jazer, Orientem versus, juxta Arnon (11).

Quod attinet ad lectum Og, ferreus erat, atque occupabat in longum novem cubitos, quatuor in latum: novem cubiti æquant pedes XV. pollices IV. & semis, datis in singulos pedes XII. pollicibus, & in cubitum XX. pollicibus ac semis. Cum autem lecti plerumque sternantur longiores, quam pro statura cubantis hominis, mensura Og commode definiretur ad XIV. vel XV. pedes; est autem multo superior justa hominum nostræ ætatis statura, quorum maxime proceri sex pedes vix æquant. Monet hic Scriptura, cubiti nomine aliam se non designare mensuram majorem, quam cubiti virilis: *Ad mensuram virilis manus*: Ad literam: באמת איש, *In cubito viri*; idest, juxta consuetam mensuræ longitudinem, a cubito usque ad extremum extensæ manus. Exponunt nonnulli de cubito Regis Og: *Ad mensuram cubiti hujus viri*, vel hujus Principis. Syriacus: *In cubito gigantum*. Chaldæus: *In cubito* [ejusdem] *Regis*. Sed mensuram hanc determinare malumus ad veterem cubitum Hebræorum, quem habuisse credimus XX. pollices ac semis circiter.

Sed cur hæc tam sedulo moneantur, nimirum lectum illum e ferro conflatum fuisse, & in urbe Rabbath monstrari? Primum quidem, Veterum moribus plane inusitatum non est, ut lecti e metallo instruerentur. De lectis aureis & argenteis exempla plura Scripturæ, & Profanorum suppetunt; ejusmodi enim Salomon (12) & Esther (13) lectos describunt. Convivales lecti aurei argenteique plures ornabant mensas Assueri. Lectos mensasque ejusdem metalli in Templis quibusdam positos memorant Herodotus (14), & Diodorus Siculus (15). E sepulchro Cyri (16) aureum lectum defodit Alexander Magnus. Una secum Sardanapalus igne cremavit CL. lectos argenteos, & ejusdem metalli mensas totidem (17). Solemne erat Parthorum Regibus (18) in lectis aureis cubare: id autem Regum privilegium habebatur. Trojani belli ætate Agamemnon (19) plures æneos lectos habebat paratos. Titus Livius libro XXXIX. & S. Augustinus (20) de æneis lectis agunt, quos Romani ex Asia transtulerant Romam, ab expeditionibus ejus regionis redeuntes. Narrat Thucydides libro III. Thebanos destructa Urbe Platæa quidquid retulerunt æris, vel ferri, redegisse in lectos, quos Junoni consecrarunt. In fervidis Regio-

(1) Job XI. 33. & XXXVIII. 38. (2) לבד מערי הפרזי הרבה מאד (3) Πλὴν τῶν πόλεων τῶν Φερεζαίων, τῶν πολλῶν σφόδρα. (4) Tacit. histor. l. 5. c. 8. (5) החרם כל עיר מתים הנשים והטף (6) Josue XII. 5. (7) Judic. III. 3. (8) כי רק עוג נשאר מיתר הרפאים (9) Josue XIII. 12. *Fuit de reliquiis Rephaim*. Heb. *Ipse residuus fuit de reliquiis Rephaim*. (10) Vide Josue XVII. 15. 2. Reg. XXI. 16. 18. 20. 1. Paral. XX. &c. (11) Vide Cellar. l. 3. c. 14. (12) Proverb. XXV. 11. (13) Esth. I. 6. (14) Herodot. l. 1. c. 181. (15) Diodor. l. 6. c. 10. (16) Arrian. l. 6. de expedit. Alex. (17) Ctesias apud Athen. l. 12. (18) Joseph. Antiq. l. 20. c. 10. (19) Thersites poeta apud Athen. l. 13. c. 1. (20) Aug. l. 3. c. 21. de Civitate Dei.

Regionibus familiares sunt e ferro, vel alio quocumque metallo lecti, ad evitandas molestias insectorum quorumdam, quæ facile ligneis lectis inhærent. Alexander Magnus e bello Indico regressurus, instrui a militibus suis lectos quinque cubitorum mensuræ, ac relinqui in castris jussit, ut de proceritate militum suorum falsam conjecturam regionis illius gentes caperent. Eodem forrasse consilio Rex Og instrui sibi lectum ferreum voluit. Rabbini, quorum est ingenium ad raras suorum traditiones oggerendas formatum, affirmant, lectum hunc Og novem cubitis immanem infantis illius tantum cunas fuisse; Principem enim, cum adolevit, cxx. cubitorum attigisse mensuram.

Quomodo lectus iste Og in potestatem Amorrhæorum venerit, silet Moyses. Vix credimus, in vivis agente eo Principe, illo potitos fuisse; post ejus obitum facile in eorum manus devenit. Quod miremur in hac historia, illud maxime succurrit, nimirum Moysem sedulo describendam sumpsisse staturam hujus Gigantis, & ambigua omnia, quæ forte lectorem detinere olim possent, prævidisse atque illustrasse; quasi scilicet hæc scriberet exteris, & quo tempore hominem ipsum, ejusque staturam nemo nosceret: cum tamen constet, scripturæ hæc mandata fuisse, quo tempore populus gigantem ipsum sub oculis positum habebat, paulo ante absoluto, quod in eum Regem susceptum fuerat, bello. Addit, ostendi adhuc lectum ejusdem in Urbe Rabbath; quæ phrasis est Authoris utique non coævi, neque narrantis recentem historiam, nulli non exploratam. His permoti Scriptores quidam Commentariorum autumarunt, hanc circumstantiam lecti Og superadditam fuisse Textui; & facile hunc lectum inventum fuisse in Rabbath, quo tempore David illam pulsis Ammonitis occupavit (1).

℣. 12. AB AROER . . . . USQUE AD MEDIAM PARTEM MONTIS GALAAD. Hunc sensum reddit hic Textus, juxta Hebræum: *Et istam terram possedimus ab Aroer, & dimidium regionis Galaad & urbes ejus dedi Rubenitis & Gaditis.* [℣. 13.] *Et residuum Galaad dedi dimidiæ Tribui Manasse.* Nomen Galaad latissimo sensu hic a Moyse usurpatur pro universa Regione trans Jordanem acquisita.

℣. 14. JAIR . . . . . POSSEDIT OMNEM REGIONEM ARGOB USQUE AD TERMINOS GESSURI, ET MACHATI. Si Jair ipse est hujus nominis Judex Israelis, de quo Liber Judicum x. 4. qui pariter, uti & hic noster, dicitur nomen suum indidisse *Avoth-Jair*; hæc utique omnia tanquam recens adjecta Textui Mosaico jure meritoque reputarentur. Nec sane has circumstantias omnes & animadversiones postulare videbatur oratio, quam tunc Moyses ad Israelitas habebat. Omnia enim quæ narrabat Legislator, populus ipse per se norat; & quæ hic usurpantur phrases, nullo negotio docent, Scriptorem Operis longe recentiori ætate, quam ea quæ narrat, vixisse. Sed & plura suppetunt, quibus aptissime persuadeamur, Judicem Israelis alium esse plane a Jair, de quo hic; at neque ista valent ad extruendum ea, quæ huc usque disseruimus de his circumstantiis, facile post Moysem Textui adjectis.

Gessuri, & *Machati* duæ sunt Urbes subjectæ montibus Hermon, in extrema hæreditatis Tribus Manasse ora.

VOCAVIT EX NOMINE SUO BASAN, AVOTH-JAIR . . . . USQUE IN PRÆSENTEM DIEM. Vide Numeros xxxii. 41. Redibit iterum sermo, tum de oppidis Jair, tum de Authore inditi illius nominis, in libro Judicum x. 4.

℣. 16. DE TERRA GALAAD USQUE AD TORRENTEM ARNON, MEDIUM TORRENTIS, ET CONFINIUM USQUE AD TORRENTEM JEBOC. Sortem Ruben definiebant ad Septentrionem quidem torrens Jeboc & montes Galaad, ad meridiem torrens Arnon, qui per mediam vallem hujus nominis fluit; vel forte dimidius fluvii hujus alveus cedebat Ruben, medius alter Moabitis, ripam ejus meridionalem tenentibus.

℣. 17. ET PLANITIEM SOLITUDINIS, &c. Idem est ager, de quo supra Capite 1. designatus sæpe alibi nomine Campestrium Moab. Tribui Ruben terminos Moyses constituit Moab ab Occidente Jordanem, a Mari mortuo, procedendo versus Mare Cenereth, appellatum alio nomine Lacum Tiberiadis.

AD RADICES MONTIS PHASGA, CONTRA ORIENTEM. Montes Phasga limites erant Orientales Rubenitarum. Hebræus (2): *Sub Asedoth Phasga ad Orientem.* Jam alibi animadvertimus, Phasga montem fuisse pertinentem ad Nebo, vel Abarim; quæ tria nomina facile designant tria cacumina unius, ejusdemque montium catenæ. *Asedoth-Phasga* Urbs erat ad radices montis ejus nominis, uti ex Josue xii. 3. constat. *Asedoth*, & *Phasga* tanquam distinctarum Urbium nomina accepisse videntur Eusebius, & S. Hieronymus. Vide Numeros xxi. 19. 20.

℣. 25. TRANSIBO IGITUR, ET VIDEBO . . . . MONTEM ISTUM EGREGIUM, ET LIBANUM. Reputabat facile Moyses, cum sibi prædixisset Deus futurum, ut prohiberetur ab ingressu terræ promissionis, id nihil gravius fore quam minas, edictumque non ita absolutum, ut precibus, & animi demissione tandem ejus remissio non impetraretur. Sed Dominus in proposito voluntatis suæ perseveravit, quamquam veniam facile criminis ad aquas Contradictionis commissi dedit: ut mysterium, quod superius explicatum est, impleretur, Moyses scilicet gloriam ducendorum in terram promissionis Israelitarum alteri, scilicet Josue, relinqueret.

Optat hic Moyses videre *montem egregium*, quem ante oculos positum, quo tempore sermonem habebat cum Domino, intuebatur. Cernebat ille totam hanc regionem, Jordanem inter & Mediterraneum mediam, distinctam collibus, fertilem humo, & cultum patientem, amœnam fontibus. Quare regio erat ab Ægypto longe diversa, cujus est solum planum, æquum, & humile. Arabia vero Petræa, quam Hebræi solidis xl. annis peragraverant, aridis montibus & adusto solo squallebar. Quare Chanaanitidis læta facies totum trahebat ad se oculis & animo Moysem; virum laboribus atque ætate lassatum. Sunt qui nomine montis egregii designatum censeant montem Sion, ubi Templum a Salomone excitatum est. Non desunt etiam (3), qui reputent, Moysem rem unam eamdemque eo monte egregio & Libano significasse. Constat utique, ut S. Hieronymus animadvertit (4), non semel in Scriptura Libanum positum esse pro monte Templi. Sed literali sensu hanc Textui interpretationem planam & simplicem aptari posse censemus: Utinam detur mihi aditus in eam regionem; & intuear oculis eximium hunc montem Libanum. Septuaginta hic & alibi pluries (5) legunt *Antilibanum* pro Libano. Constat equidem, montes definientes Chanaanitidem ad Septentrionem, Antilibanum a Græcis appellari. Libanus accedit propius ad Syriam. Inter Libanum & Antilibanum media jacet late sese porrigens vallis, cui nomen *Cœle* vel *Cava Syria* (6): hanc autem in Chananæorum potestate mansisse constat ex Libro Judicum iii. 3. Subacta tandem Salomoni paruit (7); vel saltem regionis illius incolæ ditioni Regum Tyri non accensebantur,

(1) 2. Reg. xxii. 30. (2) תחת אשדות הפסגה מזרחה (3) Onkelos, Jonath. Hebr. (4) Hieronym. in Ezech. xvii. Vide 3. Reg. vii. 2. & Zach. xi. 1. (5) Deuteronom. i. 7. xi. 24. Josue i. 4. & ix. 1. (6) Strabo l. xvi. Κοίλη Συρία, ἰδίως ἡ τῷ Λιβάνῳ καὶ τῷ Ἀντιλιβάνῳ ἀφωρισμένη. (7) 3. Reg. ix. 19. 20. 21.

22. Ecce morior in hac humo, non transibo Jordanem: vos transibitis, & possidebitis terram egregiam. 23. Cave, ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum: & facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit: 24. Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. 25. Si genueritis filios, ac nepotes, & morati fueritis in terra, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis; 26. Testes invoco hodie cœlum, & terram, citò perituros vos esse de terra, quam transito Jordane possessuri estis: non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus, 27. Atque disperget in omnes gentes, & remanebitis pauci in nationibus; ad quas vos ducturus est Dominus. 28. Ibique servietis diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno, & lapidi, qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec adorantur, 29. Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ. 30. Postquam te invenerint omnia, quæ prædicta sunt, novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem ejus. 31. Quia Deus misericors, Dominus Deus tuus est: non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti, in quo juravit patribus tuis. 32. Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die, quo creavit Deus hominem super terram, a summo cœlo usque ad summum ejus, si facta est aliquando hujuscemodi res, aut umquam cognitum est. 33. Ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, & vixisti: 34. Si fecit Deus, ut ingrederetur, & tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, & robustam manum, extentumque brachium, & horribiles visiones, juxta omnia, quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis: 35. Ut scires, quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum. 36. De cœlo te fecit audire vocem suam, ut doceret te, & in terra ostendit tibi ignem suum maximum, & audisti verba illius de medio ignis, 37. Quia dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos. Eduxitque te præcedens in virtute sua magna ex Ægypto, 38. Ut deleret nationes maximas, & fortiores in introitu tuo: & introduceret te, daretque tibi terram earum in possessionem, sicut cernis in præsenti die. 39. Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum, & non sit alius. 40. Custodi præcepta ejus, atque mandata, quæ ego præcipio tibi: ut bene sit tibi, & filiis tuis post te, & permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, 41. Tunc separavit Moyses tres civitates trans Jordanem ad orientalem plagam, 42. Ut confugiat ad eas, qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum, & alterum diem, & ad harum aliquam urbium possit evadere: 43. Bosor in solitudine, quæ sita est in terra campestri de tribu Ruben: & Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad: & Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse. 44. Ista est lex, quam proposuit Moyses coram filiis Israel, 45. Et hæc testimonia, & cæremoniæ, atque judicia, quæ locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Ægypto, 46. Trans Jordanem in valle contra fanum Phogor in terra Sehon regis Amorrhæi, qui habitavit in Hesebon, quem percussit Moyses. Filii quoque Israel egressi ex Ægypto 47. Possederunt terram ejus, & terram Og regis Basan, duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem ad solis ortum: 48. Ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, usque ad montem Sion, qui est & Hermon, 49. Omnem planitiem trans Jordanem ad orientalem plagam usque ad mare solitudinis, & usque ad radices montis Phasga.

℣. 1. PRÆCEPTA ET JUDICIA: Vel præcepta quæ ad Religionem & divinum cultum pertinent, & leges, politiam, resque civiles moderantes.

℣. 2. NON ADDETIS. Nihil addetis iis, quæ vetantur, nihil detrahatis ex iis quæ præcipiuntur a Deo. Ne vobis facultatem arrogetis interpretandi pro arbitratu præcepta mea; sed id unice studebitis, ut accurate legem servetis, minime declinantes, neque cultum pro vestræ voluntatis arbitrio constituentes. Interdum phrasis illa (1), *Addere aliquid rei præceptæ*, significat, aliter agere ac præceptum est. Non hic vetat Deus, ut sequamur bene constitutas traditiones, non expositiones legi cohærentes, non mandata Principum a Deo constitutorum: iis tantum interdicit, quæ leges Divinas evertunt, eorumque loco substituunt ea quæ mens hominis & arbitrium invexit. Id sibi decus nunquam non vindicarunt Hebræi, uti inhærerent accuratæ & literali Legis observantiæ:

(1) Deut. xii. 32.

tiæ : cui tamen interdum ita inhæserunt, ut vel in superstitionem degenerarent : nec immerito reprehenduntur interdum, quod legis vim & spiritum negligentes, literæ externam significationem tenerent. Tot adeo fictis traditionibus omnia infersere, ut Lex Mosaica, qua ratione hodie servatur a Judæis, perinde haberi possit ac sine anima corpus, & opprimens jugum.

Narrat Demosthenes (1), tenaciter adeo inhæsisse Locrenses legibus suis, ut nemini permitterent novas addere, nisi hoc ritu servato. Qui novum aliquid rogaturus erat, offerebat se coram populo, funem collo obvolutum gerens : si quod proponeret, gratum erat, solvebatur; sin minus, actutum elisis eo laqueo faucibus peribat.

℣. 6. Hæc est enim vestra sapientia et intellectus coram populis. Vestra fides & obsequium in Dei vestri mandata, obsequium vobis & famam nominis conciliabit apud reliquas per Orbem gentes : hinc laus sapientiæ & prudentiæ in vos redundabit. Axiomata sunt ista sæpe apud Salomonem inculcata : In eo positam volebat Princeps ille veræ sapientiæ laudem, ut cognosceretur, amaretur, plena fide teneretur lex Domini (2). Profani Scriptores, quamquam alioqui minori de Judæis opinione tenebantur (3), adhuc tamen facere non potuerunt, quin meritis laudibus eorum fidem erga leges Dei sui, illorumque cultus puritatem efferrent. Fateri utique oportet, agnitionem intimam & obsequium inviolabile erga Dei leges deberi menti sapientia excultissimæ, & Numinis singulari beneficio (4).

℣. 7. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi. Hebr. (5) : *Nam quæ gens, licet magna, cui sint Dii?* Septuaginta, quos docti quidam Interpretes sequuntur, vertunt : *Quæ est gens magna, cui sit Deus tam propinquus, ut Dominus est nobis?* Sed accipi solent de Diis gentium, quos licet dignos esse augusto Dei nomine ponamus [ponimus vero, non concedimus] : non tamen ita præsto sunt, validamque adeo exhibere valent opem cultoribus suis, uti Deus aderat, præsentemque se offerebat Hebræis. Cum Paganorum Numina veri essent Cacodæmones, vim suam in eo tantum valebant exercere, ut clientes affligerent ac malis opprimerent. Sed Dominus Deus Israel beneficia semper exhibet postulantibus; semper nostris cœtibus adest medius, vel potius semper nos illi præsentes adsumus (6) : *In ipso enim vivimus, movemur & sumus.* Sunt autem hæc decora multo ampliora, & majorem sui speciem exhibent in Novo quam in Veteri Fœdere. Multo majori gratiarum imbre perfundit nos Deus, multo efficacioribus Sacramentis donat ; & Deus multo quam prius adesse præsentior videtur, cum Jesus Christus carne nostra indutus, Sacramento amoris sui mortalibus sese communicavit.

℣. 9. Ne obliviscaris verborum quæ viderunt oculi tui. Solemne est Hebræis, ut verbum *videre* ad alios quoscumque sensus accommodent, uti & *verbum* rem cujuscumque generis appellant. Jam superius in Exodo xx. 18. animadvertimus scripsisse Moysem : *Populus videbat voces :* hic autem, ℣. 12. scriptum pariter legimus in Hebræo, populum *non vidisse imaginem ullam, præter vocem ;* quasi scilicet vox quid coloratum esset, quod oculos afficeret. Hanc phrasim usurpant non raro Profani. Eschylus (7) *Strepitum vidi.* Et alibi : *Neque imaginem neque vocem hominum videbis.*

℣. 13. Decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. Geminarum tabularum unaquæque continebat quinque præcepta, ait Josephus (8); & singulæ paginæ duo præcepta & medium præferebant (9). Malunt Hebræi, quatuor præcepta descripta fuisse in altera tabula, sex in altera (10). Vide quæ contulimus in Exod. xx. 1. In Dissertatione de forma Veterum Librorum asseruimus, bis descripta fuisse decem illa præcepta in tabulis, omnia quidem in una, & omnia pariter in altera.

℣. 16. Imaginem masculi et feminæ. Fusius hic Moyses, quam alibi, exponit, quæ vetanda censuerit Deus, nolens formari imagines & simulachra. Ita vero singula prosequitur, ut ex his probe intelligamus, quam alta vestigia impressisset tunc in populo Idololatria. Vetat insculpi seu formari imagines hominum utriusque sexus, cujusque generis animalium, avium, piscium, astrorum. Consecrati apud Ægyptios Isis & Osiris exhibebantur modo sub hominum forma, modo sub exuviis brutorum, modo ex homine & bruto monstra erant. Cultus astrorum parem facile vetustatem, ac reliqui superstitiosi Paganorum cultus, sibi vindicabat. Sol, Luna, & Astra variis distincta nominibus, variisque emblematum figuris per universum late Orientem regnabant. Veteris hujus superstitionis ita meminit Jobus xxi. 27. ut insignem impietatem appellet. Diis Baal, Astarthe, Moloc, Phegor, & Chamos, quid nisi Sol & Luna altaribus donati?

In Ægypto potissimum bruta in Numinum censum relata sunt; hunc autem cultum ejus regionis superstitiosum præ oculis habuisse Moyses videtur, dum cavet, ne simulachra animalium formentur. Passim per Ægyptum ferebatur in Aras bos vel taurus, seu vivens, seu tantum in imagine cultus. Taurinis cornibus ornabatur caput Isidis, quæ Numen hujus regionis potissimum habebatur. Canes & feles pariter communia erant totius regionis Numina. Præter hæc, sua etiam erant singularum Provinciarum peculiaria. Thebis & in Saitide ovis colebatur; Lycopoli lupus; Leontopoli leo; in Mendesio hircus; Heraclææ ichneumon; in Babylonia prope Memphim *cebus*, satyri genus, ex cane & urso.

Ad aves & pisces quod attinet, cultus accipitris & ibidis late per totam Ægyptum pervagabatur. Thebis colebatur aquila, & anguis *cnef*, immortalitatis symbolum. Pisces lepidetus & oxirincus Ægyptum sibi universam supplicem habebant. Sed *latus* Latopoli potissimum divinis honoribus fruebatur. Quid non sacrum & Numen apud eas gentes? Aquila, crocodilus, hippopotamus, & bruta fere omnia censum Numinum Ægyptiorum implebant. Ab his Moyses sanctione sua removet Hebræos. Docet, nihil hisce simile habere Deum : nullo se aspectu sensibili exhibuisse, cum in Sinai coram illis descendisset ; quare citra injuriam Numen exhiberi sensibili simulachro non posse.

℣. 19. Ne forte . . . errore deceptus adores ea, et colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cœlo sunt. Hebræus : *hæc omnia, quæ Deus dedit in sortem cunctis populis, qui sunt sub omnibus Cœlis.* Conferendo hanc sententiam cum aliis Deut. xvii. 3. xxix. 6. & 4. Reg. xvii. 10. 51. & xxi. 3. 5. & 2. Par. xxxiii. 3. 5. & Jer. xix. 3. & Amos v. 25. 26. 27. doceri videmur Hebræis olim hanc insedisse opinionem, Deum scilicet reliquisse gentibus cultum Cœli, astrorum & re-

rum

(1) Orat. advers. Timocrat. (2) Proverb. 1. 7. xxviii. 7. Eccli. 1. 34. &c. (3) Vide Joseph. lib. 2. belli Jud. cap. 5. & Strab. lib. 12. Tacit. hist. lib. 5. (4) Philo lib. Quod omnis probus liber. Ἀλείπεται χρώμενοι τοῖς πατρίοις νόμοις, ὡς ἀμάχητον ἀνθρωπίνῃ ὑπηρετοῦντες ψυχῇ αὐτοκελεύστως ὑπὸ ἐθῶν. (5) כי מי גוי גדול אשר לו אלהים קרבים אליו (6) Act. xvii. 28. (7) Eschyl. Thebaid. Κτύπον δέδορκα. Idem, Prometh. Οὔτε μορφὴν, οὔτε τοῦ φωνὴν βροτῶν ὄψει. Apud Gatach. (8) Antiquit. lib. 3. cap. 4. Δύο πλάκας . . . . . ἔγραψε τοὺς δέκα λόγους, ἐν ἑκατέρᾳ πέντε. (9) Idem Cap. 6. Ἀνὰ πέντε εἰς ἑκατέραν, ἀνὰ δύο δὲ καὶ ἥμισυ κατὰ μέτωπον, ἐγκεῖσθαι. (10) Drus. Centur. Miscellan. cap. 19.

rum creaturum tamquam in fortem ſuam. Vide Pſalm. cxxvii. & xx. ſibi vero filios Iſrael reſervaſſe; ac veluti gentibus aliis excluſis, eos ſibi cultores retinuiſſe. Quam in ſententiam Clemens Alexandrinus lib. 6. pag. 669. & Juſtinus in Dialogo cum Tryphone deſcendiſſe viſi ſunt.

Inculcat hic Legiſlator quæ in exordio Geneſeos i. 14. conſtituerat; nimirum Solem, Lunam, & Aſtra creata fuiſſe a Deo, ut hominibus, tempora & temporum vices dirigendo, famularentur. Nihil aptius ſuccurrere poterat ad removendum a cultu aſtrorum populum, quam ut hæc in mentem revocarentur: quiſque enim vel ſtupidiſſimus intelligit, majus eſſe Numen, quam ut ad famulatum cultorum ſuorum redigatur. Hebræus fert ad literam (1): Non coles, neque adorabis ea, *quæ partitus eſt Dominus Deus tuus omnibus populis ſub omnibus Cœlis*. Ita pariter vertendum cenſuerunt Septuaginta; ac injuria illos arguunt Talmudiſtæ, quaſi addiderint, aſtra ideo data fuiſſe *ut lucerent*. Textum Interpretum illorum ita legerunt Veteres, uti nos pariter legimus: ſed e Veteribus (2) plures male Textum illum expoſuerunt, quaſi ſcilicet permiſiſſet Deus, vel ſaltem toleraiſſet aſtrorum cultum inter gentes, quæ legem Domini non receperunt. Eumdem ſenſum retinent Rabbini quidam (3): Dominus dedit aſtra in partem gentibus, conceſſit illis loco Numinum; ſed ipſe ſe tradidit in hæreditatem populi ſui, Vide Deuteronomium xxix. 26.

℣. 20. Eduxit de fornace ferrea Ægypti. Inter Hebræos convenit, vocem originalem כור exprimere fuſorium vas, ubi liquantur & purgantur metalla. Accipi etiam poteſt de fuſorio vaſe ferreo, vel de fornacula, in qua ferrum funditur; quod poſtremum æquius videtur. Exhibet Ezechiel fuſorium vas (Hebraice *cur*) ad liquandum aurum, argentum, æs, ferrum, ſtannum, plumbum. In Oriente (4) fornaculæ illæ aurificum poſitæ jacent in medio officinæ, humi effoſſæ, nullo inſtructæ camino. Opera vero ſua artifices illi ſedendo præſtant, folle utentes quodam rotundo, quem manibus premunt & laxant. Docent hæc itineraotes, & cum Scriptura plane congruunt (5). Eodem corporis habitu, quo veſtium ſutores apud nos, nempe ſedeotes, operi inſtant fabri ferrarii (6). Dura Ægypti ſervitus vivida hac phraſi fornacis ferreæ expreſſa eſt (7).

℣. 21. Iratus eſt Dominus contaa me propter sermones veſtros. Murmur populi non Moyſi quidem inſputavit Deus; ſed murmure illo contabuit, emotuſque eſt animus Moyſis: quare permiſit Deus, ut a fiducia vir ille ſummus laberetur; ex quo ultio illa in caput ejus provocata eſt, quam & nunc memorat, & ſæpe revocat in memoriam populi, ut magis magiſque intelligant, quantam exigat Deus fidem a cariſſimis famulis, ac proinde quanta ſeveritate illos puniturus ſit, ſi forte vel minimum obſequio defuiſſe deprehendantur.

℣. 24. Deus tuus ignis conſumens eſt. His verbis idem ſignificatur, ac quod ſtatim infertur: *Deus æmulator*. Furor, zelus, indignatio Domini comparatur igni devoranti non raro in Scriptura: *In igne zeli ejus*, ait Sophonias 1. 18. *devorabitur omnis terra; quia conſummationem cum feſtinatione faciet cunctis habitantibus terram*. Lege pariter caput iii. 8. Loquendi phraſes ejuſmodi familiares ſunt in Scriptura. Dominus ſub effigie columnæ igneæ per noctem ſeſe exhibet (8): majeſtatem ſuam revelat in igne, quo Sinai vertex ardere ſubito conſpicitur (9): ſub ſpecie flammæ tranſit per ſectas animalium portiones, quibus Abraham ſacrificium fœderis initi a ſe cum Domino celebraverat (10): Moyſi per viſum apparet in rubo, imaginem referens ignis ardentis (11): ita pariter & in medio ignis ſeſe offert Eliæ (12), Ezechieli (13), Danieli (14): verba ejus igni in Scriptura comparantur (15). Lex Domini lex ignea eſt (16): ſe ipſum ignem eſſe ait adverſarios ſuos devorantem (17); & purgare amicos ſuos, tamquam ignis purgat in fornace metalla (18). Nullum aptius divinitatis ſymbolum ſuccurrit Paganis, quam ignis (19).

℣. 25. Et morati fueritis in terra, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem. Referunt hunc locum Doctores Hebræi ad tempus, quod a Moyſe aduſque captivitatem Babylonicam fluxit; ſupputant autem dcccli. annos, qui continentur hac voce Hebræa *Noſebanetem*, *ſi ſenueritis*. En Textus ad literam (20): *Et ſenueritis in terra, & corruperitis vos, & feceritis ſculptile, ſimilitudinem omnem, &c.*

℣. 26. Testes invoco hodie cœlum et terram. Reddi poteſt Hebræus העירתי בכם, *Teſtor in vos*, teſtes produco contra vos, vel teſtor coram vobis Cœlum & terram. Phraſium ejuſmodi vis ſentitur. Ad Cœlum pariter & terram dirigit Moyſes ſermones ſuos infra capite xxxii. 1. in Cantico quod paulo ante obitum ſuum cecinit. Sunt (21) qui direxiſſe ſermonem ſuum cenſent Moyſem ad Angelos & homines, qui ſoli apte confirmare teſtimonio ſuo dictorum veritatem poſſent; vel obſecraſſe illum Iſraelitas per quidquid ſanctiſſimum eſt, ac maxime dignum obſequio in Cœlo & in terra, ne malis, quæ minitatur, dignos ſeſe præbeant.

℣. 27. Disperget in omnes gentes. Hunc ſtatum tenent hodie Judæi late per orbis univerſi terras diſperſi, opprobrio omnibus & contemptui, eo miſerabiliores, quo pluribus Dominis ſervire coguntur, cum ne unicum quidem habeant religionis gentiſque ſuæ principem, cui obtemperent.

Remanebitis pauci. Hebræus ad literam (22): *Remanebitis viri numeri*; ideſt eo redigemini, ut e veſtro numero pauci remaneant: tantum aberit, quin in unum populum & gentem coaleſcatis, ut veſtra gente neque unica Urbs impleatur.

℣. 28. Seavietis . . ., ligno et lapidi, qui non vident. Dignus riſu Idololatrarum error, qui ſupplices coram iis ſternuntur, quæ perfectione, potentia, ac dignitate ipſi ſuperant. Sapientiſſimi inter Paganos quique vanum hoc Idolorum commentum agnovere, atque eorum ſtultitiam, qui exhiberi ſibi Numen ſub aſpectu ſenſibili volunt. Non is eſt Deus, ait Empedocles (23), qui ex rerum admixtione coaleſcat, membriſque humanis compingatur, cujus caput emineat humeris, diſtinguantur pedes, genua, barba: ſpiritus eſt purus & ineffabilis, mundum ſapientia ſua dirigens univerſum. Nunquam fieri poſſe docebat Antiphanes (24), ut in agnitionem Numinis perveniretur per imagines & ſenſiles figuras; neque enim iis, quæ ſpectamus, ſimile aliquid refert. Aſſir-

(1) אשר חלק יהוה אתם לכל העמים וגו (2) Vide Grot. hic. Juſtin. Dialog. cum Tryphone, Clem. Alexandr. alios. (3) Vide Druſium hic. (4) Vide Bellon. obſerv. l. 2. c. 114. (5) Zach. iii. 2. & Ezech. xxii. 20. Eccli. xxxviii. 29. (6) Bellon. l. 3. c. 45. (7) 3. Reg. viii. 51. & Jerem. xi. 4. (8) Exod. xiii. 21. (9) Exod. xix. 18. & xxiv. 17. (10) Geneſ. xv. 17. (11) Exod. iii. 2. (12) 3. Reg. xix. 12. (13) Ezech. i. 4. 13. (14) Dan. vii. 9. (15) 2. Reg. xxii. 9. & Jerem. xxiii. 27. & alibi paſſim. (16) Deut. xxxiii. 2. (17) Deut. ix. 3. (18) Malach. iii. 2. (19) Vide Porphyr. de abſtin. & quæ diximus in Pſalm. xvii. (20) ונושנתם בארץ והשחתם ועשיתם פסל תמונת כל וגו (21) Hieronym. & Baſil. in cap. 1. ℣. 2. Iſai. Lyran. Janſen. &c. (22) נשארתם מתי מספר Vide quæ in ſimilem phraſim diximus in Geneſ. xxxiv. 30. (23) Apud Grot. in ℣. 25 (24) Ἀπ' εἰκόνος οὐ γνωρίζεται, ὀφθαλμοῖς οὐκ ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε. Διόπερ αὐτὸν οὐδεὶς ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος δύναται.

Affirmat Plutarchus, nunquam permisisse Numam Romanis, ut effingerent sibi Numen sub hominum vel animalium imaginibus; quin nec spatio CLXX. annorum a condita primum urbe spectata ibi fuisse Templa & ædiculas, vel sacras Deorum ædes, non tamen simulacra. Reputabat Numa, nunquam fieri posse, ut res adeo eximia, uti Numen, imaginibus rerum multo quam illud inferioribus exhiberetur: id autem præstabat ille adamussim ex dogmate Pythagoræ, cujus doctrinam sequebatur. Non immerito credas, Phœnices nullis olim simulacris usos fuisse, neque enim ulla colebantur in Templo Herculis Gaditani, ubi ritus Phœniciæ religionis perseverabant, Silius Italicus libro III.

Nulla effigies, simulacraque nota Deorum,
Majestate locum & sacro implevere timore.

Olim etiam apud Persas (1) Deorum imagines nullæ; eosque damnabant Magi, qui illis vel simulacra, vel Templa erigerent, & eos maxime, qui sexum in Numinibus distinguerent. Rudes licet Germani, adhuc tamen notionem habebant Divinitatis satis æquam, ut crederent, officii ejus Majestati, si humana effigie exhiberetur (2): *Neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine Cælestium arbitrantur.*

℣. 29. Cumque quæsieris ibi Dominum. Vaticinium est eorum, quæ in posterum manebant Hebræos. Post evolutum illum malorum circulum, post contaminatam fidem vestram, Idolorum admixta superstitione, postquam vestro tandem experimento noveritis, nulla ratione felicem hominem fieri, præter quam servato in Deum obsequio, fiet tandem, ut ad illum revertamini. Hebræus ad literam: *Et quæretis inde*, e loco ubi versabimini, vel neglecta Idololatria, qua implicabimini, *quæretis Dominum Deum tuum, & invenies, cum quæsieris eum in toto corde tuo, & in tota anima tua* (℣. 31.) *in angustia in qua eris.*

℣. 30. Novissimo tempore reverteris. Sera tandem ætate ad Dominum redibitis, seu post captivitatem Babylonicam, seu potius in exitu Mundi. Post diuturnam illam Babylonicam captivitatem, nunquam Judæi in Idololatriam reciderunt; sed perfecta eorum ad fidem conversio eum futura expectatur, cum (3) *Plenitudo gentium intrabit* (in Ecclesiam) *& sic omnis Israel salvus fiet, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem a Jacob.*

℣. 32. Interroga de diebus antiquis . . . . et ex die, quo creavit Deus hominem super terram, a summo cœlo usque ad summum ejus &c. Omnia mente percurre, tempora & loca: considera diversarum gentium per totam late Orbis faciem dispersarum historias, utrum Deus alicui unquam populo adeo faverit, ac tibi. Phrasis hæc, *A summo Cœlo usque ad summum ejus*, exhibet extrema terræ, qualis nostris aspectibus exhibetur, definitæ circum a Cœlo, quod telluri extremis lateribus incumbere videtur; vel, ut ait Vatablus, significat Mundum late ab Oriente ad Occidentem. Eodem sensu S. Matthæus XXIV. 31. scribit, in secundo adventu Jesu Christi convocandos ab Angelis Electos *a summis Cœlorum, usque ad terminos eorum*; vel, ut ait S. Marcus XIII. 17. *a summo terræ usque ad summum Cæli.*

℣. 34. Per tentationes, signa, atque portenta. Tentamina hæc מסות & experimenta, quibus Deus subjecit Israelitas, antequam in populum suum eligeret, significare possunt discrimina, in quibus constitutus est Abraham, cum e. gr. a Deo jussus est filium suum sacrificare; discrimina pariter, quibus probatus est constans Jacobi, & fidelis Josephi animus, ac tandem Moysis virtus; mala etiam, quibus subjecti sunt Hebræi sive in Ægypto, sive in deserto iter habentes. Quamvis autem experimentis hisce succubuerint Israelitarum plures, reputandum est tamen, plurimum valuisse ad grande illud Dei consilium, formandi sibi scilicet populum fidelem, qui bonorum Operum exercitio, & malorum gravissimorum perpessione paratam sibi gloriam promereretur. Chaldæus & Arabs nomine tentationum designari censent prodigia, quæ Hebræos in fide continuerunt, seu confirmarunt.

Horribiles visiones, quæ Ægyptios in Regione sua terruere (4); vel potius, spectaculum illud formidabile montis in flammas penitus abeuntis, reboantium tonitruum, atque apparatus Divinæ Majestatis, quibus omnes Israelitæ terrore concussi sunt. Vide ℣℣. 33. 36. hujus capitis, & cap. v. 22. 24. 25. & seqq. Sunt qui reddant Hebræum מוראים גדלים *Terrores, & timores horribiles*, ductum ex ירא, *timere.*

℣. 39. Dominus ipse ait Deus in Cælo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius. Dominus Deus vester non iis astringitur limitibus, quibus definiuntur Numina cæterarum gentium, de quibus forte aliquid audistis; Numina, inquam, illa diminutæ authoritatis, quæ nonnisi uni populo, vel Provinciæ, vel Urbi valent: quorum imperium nonnisi in aquas, vel amnes, vel agros, vel montes, vel lucos est: Deus noster infinita potentia præstat, unus regnat in Cœlo, & in terra, unicum est Numen, & verum.

℣. 41. Tunc separavit Moyses tres civitates. Hæc trium Urbium refugii trans Jordanem destinatio hic extra suum locum narratur. Præceptum ea de re traditum sibi a Domino narrat Moyses in Numeris XXXV. nec a vero abludit, tres hasce Urbes tunc designasse, cum peculiarem hæreditatem Tribubus Ruben, & Gad distribuit. Verisimillimum item est, illum, qui totam hanc historiam hic inserendam censuit, aliqua a Textu Mosaico aliena adjecisse, ut illud e. g. *Tres Civitates trans Jordanem, ad Orientalem plagam*; sicuti & quæ leguntur ℣℣. 44. 46. 46. *Ista est Lex, quam proposuit Moyses coram filiis Israel, quando egressi sunt de Ægypto, trans Jordanem, in valle contra Fanum Phogor, in terra Sehon Regis Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon, quem percussit Moyses. Filii quoque Israel egressi ex Ægypto &c.* Hæc utique omnia penitus non convenire videntur authori, qui de rebus præsentibus scribat ad præsentes. Cæterum de Urbibus refugii, vide quæ animadvertimus ad Numeros XXXV. 11.

℣. 42. Ante unum et alterum diem. Ad literam hoc accipientes Rabbini docent, eo indicio argui mutua duorum simultatem, cum triduo abstineant a colloquio causa mutuæ offensionis (5).

℣. 43. Bosor in solitudine. Urbs erat in campestribus ditionis Rubeniticæ, quæ loca Scriptura interdum appellat Campestria Moab. Sitam fuisse in campestribus, & e regione Jerichuntis, Josue luculenter affirmat. Quare longe alia est ab Urbe Bosor, vel Bozra in Idumæa, de qua verbis illis Isaias LXIII. 1. *Quis est iste, qui venit tinctis vestibus de Bozra?* Postrema hæc urbs celebratur apud Authores profanos sub nomine *Bostræ*; sed Bosor, vel Beser, urbs Rubenitica, ne in ipsa quidem Scriptura satis se prodit. Constitui solet in Tabulis ad Ostia Jordanis, in Mare Mortuum defluentis.

Ramoth in Galaad. Urbs ea fuit seu princeps, seu inter principes Galaaditidis. Ætate sua tamen affirmat Eusebius, redactam fuisse in vicum, XV. millibus passuum a Philadelphia dissitum Occidentem versus. Ex Libris Regum (6) constat, Syris hanc Urbem Israeliticam occupantibus, A-

cha-

[1] Herodot. lib. 1. cap. 131. Diogen. Laert. in proœm. [2] Tacit. hist. lib. 5. [3] Roman. XI. 25. [4] Vide Sapient. XVII. 3. 9. 19. [5] Rabb. apud Selden. de jure nat. lib. 4. cap. 8. [6] 3. Reg. XXII. 3. 4. & seq.

ehabum Regem Israel, & Josaphatum Regem Juda, collatis simul viribus, redigere illam in potestatem tentasse, sed infelici plane successu; nam Achab sagitta confossus interiit.

Golan in Basan. Urbs Golan, vel Gaulan jacebat in Basanitide, & in sorte Manasse. Inter florentissimas semper habita fuit, suumque indidit nomen tractui illi Basanitidis, qui Gaulanitis appellatus est. Porro Gaulanitis portionem maxime meridionalem Regionis Gad tenebat, dividebaturque in inferiorem, & superiorem, jacebatque ad Orientalem plagam hujus tractus, totique Regioni Urbs Gaulan præerat. Gaulanitis inferior explicabat sese ad lacum Genesareth, parebatque Gamalæ tanquam Metropoli (1).

℣. 46. Fanum Phogor. Ipsa est Urbs Beth-Phegor, de qua superius Capite III. 29.

℣. 48. Usque ad montem Sion. Longe alius est ab inclyto alio monte Sion, cui Templum Jerosolymitanum insidebat. Hic enim posterior mons in ditione Juda continebatur, ejusque nomen scribitur per Tzade ציון: sed mons Sion, de quo Moyses hic, scribitur per Sin שיאן, jacetque in extrema Septemtrionali ora terræ Sanctæ, ac veluti portio aliqua montibus Hermon accedit. Vide Deuteronomium III. 8.

℣. 49. Usque ad mare Solitudinis. Ipsum est Mare Mortuum, Lacus Asphaltites, Lacus Sodomæ. Mare salsissimum ideo forte appellat Moyses, quod abundet asphalto, quem sub generali salis nomine comprehendunt Hebræi. Distinguitur hic nomine Maris solitudinis, Hebraice ים הערבה *Mare Araba*, quod extrema teneret campestris tractus, vel solitudinis, excurrentis trans Jordanem e regione Jerichuntis; quem tractum appellat Scriptura *Araboth* vel *Araba Moab*. S. Hieronymus reddit plerumque *planitiem* vocem Hebræam, quam hic reddit *solitudinem*; nomine autem illo designat solum nulla cultura domitum, pascuis tantummodo aptum.

[1] Vide Cellar. l. 3. c. 13.

CAPUT V.

Oratio Moysis ad populum. Totum illis repetit Decalogum, revocatque in mentem, quanto tenerentur horrore cum Deus e summo vertice montis Sinai auribus illorum voce sua insonuit.

℣. 1. VOcavitque Moyses omnem Israelem, & dixit ad eum: Audi Israel cæremonias, atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie, discite ea, & opere complete. 2. Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. 3. Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum, qui in præsentiarum sumus, & vivimus. 4. Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. 5. Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo, ut annunciarem vobis verba ejus: timuistis enim ignem, & non ascendistis in montem, & ait: 6. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis: 7. Non habebis deos alienos in conspectu meo. 8. Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in cœlo sunt desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ versantur in aquis sub terra. 9. Non adorabis ea, & non coles: Ego enim sum Dominus Deus tuus: Deus æmulator: reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam, & quartam generationem his, qui oderunt me, 10. Et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea. 11. Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra: quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit. 12. Observa diem sabbathi, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. 13. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. 14. Septimus dies sabbathi est, idest, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, servus, & ancilla, & bos, & asinus, & omne jumentum tuum, & peregrinus, qui est intra portas tuas: ut requiescat servus tuus, & ancilla tua, sicut & tu. 15. Memento, quod & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi, ut observares diem sabbathi. 16. Honora patrem tuum, & matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, & bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. 17. Non occides, 18. Neque mœchaberis, 19. Furtumque non facies, 20. Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. 21. Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa, quæ illius sunt. 22. Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis, & nubis, & caliginis, voce magna, nihil addens amplius: & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi. 23.

Vos

Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, & montem ardere vidistis, & accessistis ad me omnes principes tribuum, & majores natu, atque dixistis: 24. Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem, & magnitudinem suam, vocem ejus audivimus de medio ignis, & probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine vixerit homo. 25. Cur ergo moriemur? & devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem Dei nostri, moriemur. 26. Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus, & possit vivere? 27. Tu magis accede, & audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noster tibi; loquerisque ad nos, & audientes faciemus ea. 28. Quod cum audisset Dominus, ait ad me: Audivi vocem verborum populi hujus, quæ locuti sunt tibi: bene omnia sunt locuti. 29. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, & custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis, & filiis eorum in sempiternum? 30. Vade, & dic eis: Revertimini in tentoria vestra. 31. Tu vero hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias, atque judicia: quæ docebis eos, ut faciant ea in terra, quam dabo illis in possessionem. 32. Custodite igitur, & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram: 33. Sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, & bene sit vobis, & protelentur dies in terra possessionis vestræ.

℣. 1. VOCAVIT OMNEM ISRAELEM. Censent Interpretes plures (1), nonnisi divino prodigio fieri potuisse, ut loquentem Moysem universus late populus audiret. Neque hic tantum testatur ille, ad populi universi concionem sese verba fecisse: idem pariter & in exordio Libri (2) perhibet, & alibi omnes ad unum adfuisse luculenter affirmat (3).

℣. 3. NON CUM PATRIBUS NOSTRIS INIIT PACTUM, SED NOBISCUM. Non cum Patribus nostris tantum, sed & nobiscum pariter fœdus composuit (4). Vel potius: Non tale fœdus cum Patribus nostris veteribus Patriarchis, quale nobiscum, inivit (5); non enim illis legem, sicut nobis, constituit; non illos, uti nos, selegit: Fœdus cum illis strinxit, sed non adeo publicum & solemne. Aliter: Fœdus a Deo initum cum Patribus nostris, quos in pœnam murmuris mors corripuit in deserto, fœdus, inquam, illud perinde iis fuit, ac si nunquam sancitum fuisset (6): illi defuere, quin servaretur; nec Deus e re censuit illos donari præmiis, quæ nonnisi fidelibus promisit. Nobis unis, ut vera fateamur, dabitur ut fruamur eo fœdere, aditum habentes in terram a Deo promissam: ibi constituti Dei leges omnes adamussim plena observatione custodiemus.

℣. 4. FACIE AD FACIEM LOCUTUS EST NOBIS. Hebræus & Septuaginta: *Facie ad faciem locutus est vobis*. Chaldæus: *Verbum verbo locutus est Dominus vobiscum in monte*, ut amicus cum amico colloquens. Deus conceptis verbis in auribus universi populi insonuit, cum Decalogum rogavit: reliqua omnia uni Moysi exposuit, quocum familiarius loquebatur, *facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum* (7). Sunt qui phrasim illam *facie ad faciem* perinde positam accipiant, ac *familiariter*, apertis verbis, coram, & nullo colloquentis periculo. Vel, ut ait S. Augustinus, ita locutus est nobis, ut de præsentia ipsius certum teneamus documentum: scitum est enim ex Deuteronomio IV. 15. nihil ea occasione visibilis imaginis obtulisse sese Israelitis.

℣. 5. EGO SEQUESTER ET MEDIUS FUI. Postquam Deus rogavit Decalogum, adhuc cum Moyse colloqui perseveravit. Tunc autem Legislator sequestrem se præbuit fœderis, & jussionum divinarum Interpretem. Intermedius accedens, ea utcumque conjunxit, quæ inter se longissime distabant, Deum scilicet & populum. Eo spectat Apostolus, scribens ad Galatas III. 19. *Ordinata* [est Lex] *per Angelos manu Mediatoris*. Hanc autem gerens personam Moyses typum exhibet Jesu Christi, qui ab eodem Apostolo (8) appellatus est *Mediator Dei & hominum*, & (9) *Melioris testamenti mediator*, ac denique (10) *Novi Testamenti Mediator*.

℣. 7. NON HABEBIS DEOS ALIENOS IN CONSPECTU MEO. Septuaginta: *Non erunt tibi Dii alii præter me*. Chaldæus: *Non sit tibi alius Deus præter me*. Ita pariter reddi potest & Hebræus. Vox *Elohim*, sonans Deos, de ipso pariter uno eodemque Deo usurpatur. Vide supra caput IV. 7. & ℣. 26. hujus capitis, ubi Elohim plurali junctum, pro vero Deo usurpatur. Decalogi explicationem habes late deductam in Exodo XX.

℣. 15. IDCIRCO PRÆCEPIT TIBI UT SERVARES DIEM SABBATHI. Instituendi Sabbathi id potissimum & generale consilium fuit, ut creati mundi memoria perennaretur. Sed & Dei consilium, deducentis ex Ægypto populum, fœdus cum illo ineuntis, eo tendebat, ut Judæos cogeret Festum illud servare, sancteque custodire per omnes succedentes generationes depositum veræ Religionis, & monumenta, quibus superstruendum erat Novum Testamentum & Religio a Jesu Christo inter homines constituta. Eo Lex vetus universa collimabat.

℣. 20. FALSUM TESTIMONIUM. Præfert hic Hebræus עֵד שׁוא, *Schave*, quod reddi solet *vanum*. E. g. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Jam alibi demonstravimus, voce hac exprimi interdum quod fictum est & mendax; & in Textu parallelo Exodi XX. 16. legitur עד שקר *Schaker*, quod *mendacium* sonat.

℣. 22. HÆC VERBA, &c. Versiculo huic præponit Samaritanus prolixam additionem, ductam ex capite XXVII. 2. hujus Libri, de erectione Altaris in monte Garizim. Additionem hanc exscripsimus in Exodo XX. 27.

NIHIL ADDENS AMPLIUS. Conceptis verbis Deus pronunciavit tantummodo Decalogum, & nihil ultra

(1) Tost. Bonfr. Tirin. Menoch. Jans. &c. (2) Deut. I. 1. (3) Deut. XXIX. 10. 11. *Vos statis hodie cuncti coram Domino .... omnis populus Israel, liberi & uxores vestræ, &c.* (4) Vat. Est. Fag. Cornel. Drus. & plerique. (5) Ains. Menoch. Tirin. &c. (6) Theodoret. quæst. I. in Deuter. Ita fere & Aug. qu. 9. (7) Exod. XXXIII. 11. (8) I. Timoth. II. 5. (9) Hebr. VIII. 6. (10) Ibid. IX. 15. & XII. 24.

ultra effatus est. Reliqua exposuit Moysi privato colloquio. Chaldæus & illum sequuti Interpretes nonnulli vertunt Hebræum יסף ולא, *Et non cessavit*; prosecutus est Deus mandata sua explicare toto eo quadraginta dierum spatio, quo in monte ego perseveravi; vel ab eo tempore loqui non cessavit, exinde consilia sua manifestavit, loqui non destitit.

℣. 23. Accessistis ad me omnes Principes Tribuum; idest, convenistis me vos Principes Tribuum; vel potius: Misistis omnes Principes Tribuum; seu venistis una cum omnibus Principibus Tribuum, rogaturi, ut ego loquerer ad Dominum; legimus enim in Exodo xx. 19. populum convenisse Moysem, præeuntibus Principibus Tribuum, eumque per eosdem Principes esse allocutum.

℣. 25. Cur ergo moriemur? Cur novo mortis discrimini nos objiciamur? cur igni nos iterum devorandos committimus? Nonne satis est loquentem audisse Dominum impune? Felices, quod e discrimine liberi evasimus!

℣. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me. Utinam sic semper recte sapiant! Phrasis est humana, ait Estius; neque enim ita accipienda est, quasi Deus humanum animum vertere in bonum nequeat: exprimit quæ ipse optat a nobis; quantoque amore Deus illos prosequatur qui corde recti sunt, quorum menti alte insidet ejus timor & obsequium in leges sanctionesque Divinas.

℣. 32. Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Ut ille, qui recta graditur via, nunquam sive ad dexteram sive ad sinistram nisi errando deviat; ita pariter & in exercitio Legis Divinæ intra præscriptos fines immorandum est. Persimilis est loquendi phrasis alteri, de qua supra iv. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.*

CAPUT VI.

Ut Deus toto corde diligatur; ut dicto ejus maneant fideles; neve excidant legei ejus & beneficia populo præstita ex animo, adhortatio.

℣. 1. HÆC sunt præcepta, & cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos, & faciatis ea in terra, ad quam transgredimini possidendam: 2. Ut timeas Dominum Deum tuum, & custodias omnia mandata, & præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, & filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui. 3. Audi, Israel, & observa, ut facias, quæ præcepit tibi Dominus, & bene sit tibi, & multipliceris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte, & melle manantem. 4. Audi, Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est. 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. 6. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: 7. Et narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. 8. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, 9. Scribesque ea in limine, & ostiis domus tuæ. 10. Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua juravit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Jacob: & dederit tibi civitates magnas, & optimas, quas non ædificasti, 11. Domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas, quas non fodisti, vineta, & oliveta, quæ non plantasti. 12. Et comederis, & saturatus fueris: 13. Cave diligenter, ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. 14. Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt: 15. Quoniam Deus æmulator, Dominus Deus tuus in medio tui: nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de superficie terræ. 16. Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. 17. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia, & cæremonias, quas præcepit tibi. 18. Et fac, quod placitum est, & bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi, & ingressus possideas terram optimam, de qua juravit Dominus patribus tuis, 19. Ut deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est. 20. Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi volunt testimonia hæc, & cæremoniæ, atque judicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis? 21. Dices ei: Servi eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti: 22. Fecitque signa, atque prodigia magna, & pessima in Ægypto contra Pharaonem, & omnem domum illius, in conspectu nostro, 23. Et eduxit nos inde, ut introductis daret terram, super qua juravit patribus nostris. 24. Præcepitque nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum, ut

bene

bene fit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie. 25. Eritque nostri misericors, si custodierimus, & fecerimus omnia præcepta ejus coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis.

℣. 3. AUDI ISRAEL. Religioso quodam amore verba hæc usque ad ℣. 10. diligunt Judæi; quare & describunt in membrana e pelle animalis purissimi, descriptaque tenent apud se, ac recitant quotidie, obsequio plane summo & in loco mundo. Amuletum ea esse credunt præsentissimum ad omnis generis maleficia averruncanda (1).

℣. 5. DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO, EX TOTA ANIMA TUA, ET EX TOTA FORTITUDINE TUA. Amare Deum toto corde, est illum sine socio diligere (2); neque enim permittit Deus, ut portione sibi amoris nostri consecrata, alteram creaturis reservemus: id utique citra injuriam Creatori, unico affectuum nostrorum domino, irrogatam nemo committat. Si amari proximum vult, jubet pariter eam dilectionem ita in hominem ferri, ut in Deo tamen tanquam in unico fine conquiescat. *Nullum a se rivulum extra se duci patitur, cujus derivatione minuatur*, ait S. Augustinus (3). Tandem amare Deum toto corde, est illum diligere vacuo cupiditatibus animo, ferri in illum ejusdem amore; est toto corde Deo inhærere, in illo enim summum nostrum bonum ac finis ultimus existit: est totam habere mentem & cor ingentibus ejus dotibus & bonitate occupatum.

Amare Deum *ex tota anima*, est totam ejus servitiis impendere vitam, sensus, curas, valetudinem, corporis & animæ dotes; præsto esse semper, ut in ejus honorem immoletur sanguis, bona, quies, fama, & quidquid ab amica fortuna offertur commodi: denique pluris illum quam vitam suam facere. Tandem amare Deum *ex tota fortitudine*, designare potest, quanto ardore, animi præsentia, quam constanti proposito & consilio paratos sese exhibere homines par sit, ut ea omnia suscipiant, quæ Deus ab ipsis exigit in variis, quibus constituuntur, circumstantiis: seu potius, viribus omnibus corporis & spiritus adniti, ut illum cognoscamus, amemus, observemus, atque agnoscendum, amandum, observandum ab aliis pro viribus cujusque curemus. Quare merito docuit Jesus Christus (4), hoc amoris Dei præceptum, cum adjuncto altero amoris in proximum, Legem omnem, & Prophetas in se continere; officia enim hominum omnia complectitur, ut nihil liberæ hominum electioni vel minimum relinquat (5). Intellectus, memoria, voluntas, sensus animi, vires corporis, cogitationes mentis, Intelligentiæ perceptiones, quæcumque tandem homines appetunt atque desiderant, eo præcepto feliciter diriguntur. Siquis illud æque impleat, officia vitæ omnia & legis sanctiones implevisse blandiri sibi merito potest.

EX TOTA FORTITUDINE TUA. Hebræus ad literam בכל מאדך *Ex toto valde tuo*. Qua insueta, & nova phrasi veluti demonstratur, quantum sibi exigat Deus amorem, quam plenum ardoris, quam vehementem, quanto impetu validum, & pene dicam quanto amoris excessu Deus diligendus sit. Chaldæus: בכל נכסך, *In omni substantia tua*. Syriacus item aliique nonnulli (6) accipiunt de bonis temporalibus ac divitiis. Magis illum amabitis, quam quæ possidetis omnia, ut parati sitis potius omnium jacturam facere, quam ab amore erga Deum recedere.

℣. 7. NARRABIS EA FILIIS TUIS. Hebræus non uno sensu commode exponitur ושננתם לבניך *Repetes*, alte insinuabis in animum filiorum tuorum tamquam rem aliquam, quæ iteratis ictibus alte intra humum truditur (7). Vel: Perinde te geres cum illis, tamquam cotem, quæ acuit (8): sæpius docebis illos præcepta mea, ne unquam oblivionem prætendant. Tandem verti posset: Mandes illa, ceu nutrix ea prius mandens, quæ comedenda pueris tradit. Ex Græcis Scriptoribus (9) novimus, pueros nullum cibi genus accepisse, nisi lac nutricum, vel quod illæ prius ore præmandissent. Eo spectat his verbis Legislator.

MEDITABERIS. Hebræus ודברת בם *Loqueris in eis*. Ita & Septuaginta: Λαλήσεις ἐν αὐτοῖς. Frequenter in Scriptura *meditari* ponitur pro *loqui*. E. g. (10): *Os justi meditabitur sapientiam*, id est de illa loquetur, & diem fallet agendo de illa; vel illam sæpius repetet, quo altius imprimat memoriæ, ut de iis solet, quæ memoriæ mandanda sunt.

DORMIENS ATQUE CONSURGENS; idest cum ad dormiendum reclinaberis, & mane cum e somno surges; vel potius: *Dormiens atque consurgens*. Inter dormiendum non meditamur quidem; sed cum eum quis rem gerit alte menti impressam, cum reclinatur ad captandum somnum, eidem cogitationi dum expergiscitur instituturus, eadem etiam per quietem spectat identidem, ut proinde non male reputaretur vel dormiens eadem cogitare.

℣. 8. LIGABIS EA QUASI SIGNUM IN MANU TUA: Ut rei alicujus memoriam retineamus, apposito signo aliquo in manu vel brachio admonemur. Sponsus ad Sponsam in Cantico VIII, 6, affatur: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*. Facile etiam spectatum est ad veterem morem literas obsignandi. Alligabantur & obvolvebantur lino, tum muniebantur sigillo. Jubet Moyses alligari præcepta & circumvolvi manui, tum obsignari sigillo. Maluit Vatablus, metaphoram hanc esse deductam ex jaculatoribus, qui jaculum torquent ad scopum, & ab eodem scopo nunquam oculos removent. Id ad literam usurpantes Judæi, armillas membranaceas sibi parant, quibus Dei mandata inscribunt.

℣. 9. SCRIBESQUE EA IN LIMINE ET OSTIIS DOMUS TUÆ, Membranam illam, quam verbis hisce legis inscribebant Judæi, *Mesasoth* vulgari sermone appellabant. Ita de his commentatur Leo Modena. *Mos est apud Judæos pro ostiis domorum, conclavium, & ubique in locis aditum fuerum frequentatis suspendendi in pariete, in superliminaribus forium, ad dexteram ingredientium harundinem, seu tubulum quendam ligneum reconditam intus habentem membranam, in qua sedulo descripta sunt verba illa* Deuteronomii VI. 4. 5. 6. 7. 8. 9. XI. 13. 14. 15. Audi Israel; Dominus Deus noster

[1] Vide Fag. Munst. Clar. [2] Theodor. qu. 5. in Num. [3] Aug. l. 1. de doctr. Christ. cap. 22. [4] Matth. XXII. 40. [5] Vide Aug. loco citato. [6] Ita Hebr. apud Munst. [7] Lud. de Dieu. [8] Hebræus ad literam: *Acues eos*. Eadem utitur comparatione Horatius:

. . . . Fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ novit ferrum, exsors ipsa secandi.

[9] Theophrasti Caract. & Aristophan. Equit. Act. 2. Scen. 2.

Κᾆθ' ὥσπερ αἱ τίτθαι γε σιτίζεις κακῶς.
Μασώμενος γὰρ, τῷ μὲν ὀλίγον ἐνθεὶς,
Αὐτὸς δ' ἐκείνου τριπλάσιον κατέσπακας.

[10] Psalm. XXXVI. 30. Vide quæ diximus in Exodum XIII. 9.

ster Dominus unus est, *& quæ deinceps sequuntur usque ad illa verba :* scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ. *Membrana hæc in volumen convoluta ferensque scriptum in exteriori margine* Schaddai, *quod unum est ex nominibus Dei; in harundine reconditur. Numquam vero sive e loco illo egrediuntur Judæi, sive ingrediuntur, quin tangant digito locum illum ; tum vero digitum religiose osculantur.* Vide pariter Synagogam Buxtorfii.

MOVEBUNTUR ANTE OCULOS TUOS. Hebræus (1): *Et erunt sicut totaphoth inter oculos tuos.* Septuaginta (2): *Et erunt immobilia ante oculos tuos.* Chaldæus: *Et erunt quasi thephilin inter oculos tuos.* Oleaster, & Grotius: *Erunt pro conspicillis ante oculos tuos.* Nomen *Totaphoth* accipiunt Judæi de vittis illis membranaceis, quas fronti alligatas gerunt. Nos vero opinamur, Mosaicum hoc verbum significare ornamenti genus quoddam inter oculos pendens (3). Vide quæ contulimus in Exodum XIII. 9.

℣. 13. ILLI SOLI SERVIES. Desunt in Hebræo hæc: *Illi soli*: verum leguntur apud Septuaginta; sicut etiam ea exprimit Jesus Christus (4): nec sane diffitendum est, genuinum hunc esse sensum præcepti. Inter duos famulatum suum partiri nefas est homini: totum sibi Deus vindicat nostrum amorem & famulatum.

PER NOMEN ILLIUS JURABIS. Nunquam Deus præcipit jusjurandum; vetat quin etiam Jesus Christus in Evangelio (5): sed cum in variis rerum eventibus sacramenta illa præstari necesse sit, nunquam permittit Deus alio nomine, quam suo, ea nuncupari (6). Jurare est adhibere Deum testem veritatis; jurare alterius nomine, quam Dei, perinde est ac Deum alterum a Deo vero cognoscere. Porro jurare, cum postulat necessitas, obsequio in Deum, religione, discretione, ac veritate actionem comitantibus, res est non modo pravi nihil referens, sed pia admodum ac religiosa. Mendacium jurejurando asserere, est quodammodo Deo mendacii participationem aspergere. Jurare temere, nulla necessitate, est Nomen Domini tremendum contemnere. Judæi cum sacramenta coram Judicibus præstant, (hoc enim sensu Textum hunc interpretantur) sedulo cavent, ne nomen sacrum Jehova pronuncient, sed alia Dei nomina substituunt (7): & cum Judices sacramentum a quoquam exigunt, edicunt prius, sacramentum ab illo præstari oportere ad mentem Judicum sive adversarii, non ad jurantis mentem; qua cautione amotas volunt callidas, occultasque vocum restrictiones, & expositiones, quibus præstitum sacramentum eluderetur, affirmando se in hanc vel illam mentem jurasse.

℣. 16. IN LOCO TENTATIONIS. Idest in ea deserti Statione, ubi Israelitæ dari sibi aquas petulantius postularunt (8). Moyses percussa silice Horeb, optatum potum suffecit, atque locum appellavit *Massa*, idest, *Tentationem*.

℣. 21. SERVI ERAMUS. Tribus rationibus subjici debere Domino Israelitas probat Moyses: I. Quod illi deberent bonorum omnium maximum, idest Libertatem. II. Quod illis Deus fidem suam obligasset, daturum se & regionem eximiam & bonorum affluentiam. III. Quod Legum Divinarum exercitium commoda illis plura a Deo comparaturum esset (9).

℣. 24. UT BENE SIT NOBIS CUNCTIS DIEBUS VITÆ NOSTRÆ, SICUT EST HODIE. Hebræus (10): *Ut bonum sit nobis omnibus diebus, & vivamus secundum hanc diem*, uti nunc vivimus. Ut scilicet permanentem nobis felicitatem in hac vita promereamur, fruamurque, qua modo potimur, valetudine. Porro felicitas ista, & vita sunt Justis pignora, & specimina futuræ in altera vita felicitatis.

℣. 25. ERITQUE NOSTRI MISERICORS. Hebræus (11): *Et justitia erit nobis*, justificabimur. Chaldæus (12): *Et præmium erit nobis*. Fidele mandatis Dei obsequium justos nos, & oculis ejus gratos comparabit, ac dignos nos efficiet, ut recipiamus munificentiæ illius largitatem, & justitiæ retributionem. Stylo Scripturæ justitia ponitur interdum pro liberalitate Dei erga homines, & pro collato, juxta singulorum merita, præmio viris justis, atque inflicta impiis illorum persequutoribus pœna (13).

---

[1] והיו לטטפות בין עיניך [2] *Καὶ ἔσονται ἀσάλευτα πρὸ ὀφθαλμῶν σου.* [3] Ita Piscat. hic. [4] Matth. IV. 10. [5] Matth. V. 34. Jacobi V. 12. [6] Theodoret. quæst. 4. Est. Lyr. Vat. Menoch. [7] *Vide Selden. de Synedr. l. 2. c. 11. art. 7.* [8] Exod. XVII. 7. [9] Grot. [10] לטוב לנו כל הימים לחיותנו כהיום הזה [11] וצדקה תהיה לנו [12] וזכותא הוי לנא [13] Vide 1. Reg. XXVI. 23. & Isai. LIV. 17. Job. XXXIII. 26 Psalm. XVII. 21. &c.

C A P U T VII.

Jubet deleri Chananæos, & vestigia omnia Religionis illorum aboleri. Iis, qui Leges Divinas impleverint, opem, & protectionem Domini pollicetur.

℣. 1. CUm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, & deleverit gentes multas coram te, Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum, septem gentes multo majoris numeri, quam tu es, & robustiores te: 2. Tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, 3. Nec sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo. 4. Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat diis alienis: irasceturque furor Domini, & delebit te cito. 5. Quin potius hæc facietis eis: Aras eorum subvertite, & confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite. 6. Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. 7. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus, & elegit vos; cum omnibus sitis populis pauciores:

8. Sed quia dilexit vos Dominus, & custodivit juramentum, quod juravit patribus vestris: eduxitque vos in manu forti, & redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti, 9. Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis, & fidelis, custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se, & his, qui custodiunt præcepta ejus in mille generationes: 10. Et reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, & ultra non differat, protinus eis restituens, quod merentur. 11. Custodi ergo præcepta, & cæremonias, atque judicia, quæ ego mando tibi hodie, ut facias. 12. Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea, & feceris, custodiet Dominus Deus tuus pactum tibi, & misericordiam, quam juravit patribus tuis: 13. Et diliget te, ac multiplicabit, benedicetque fructus ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, & armentis, gregibus ovium tuarum super terram, pro qua juravit patribus tuis, ut daret eam tibi. 14. Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis. 15. Auferet Dominus a te omnem languorem, & infirmitates Ægypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis. 16. Devorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tui. 17. Si dixeris in corde tuo: plures sunt gentes istæ, quam ego, quomodo potero delere eas? 18. Noli metuere, sed recordare, quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, & cunctis Ægyptiis, 19. Plagas maximas, quas viderunt oculi tui, & signa, atque portenta, manumque robustam, & extentum brachium, ut educeret te Dominus Deus tuus: sic faciet cunctis populis, quos metuis. 20. Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes, atque disperdat, qui te fugerint, & latere potuerint. 21. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus, & terribilis. 22. Ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per partes. Non poteris eas delere pariter: ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ. 23. Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: & interficiet illos, donec penitus deleantur. 24. Tradetque reges eorum in manus tuas, & disperdes nomina eorum sub cœlo: nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos. 25. Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas; propterea quia abominatio est Domini Dei tui. 26. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam; ne fias anathema, sicut & illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, & velut inquinamentum, ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.

℣. 1. ET DELEVERIT. Hebræus fert tantum: נשל גוים רבים *expulerit gentes multas*. Utitur sæpe Vulgata verbo *deleo*, quo exprimat depulsionem gentis ab iis, quas tenent, sedibus.

SEPTEM GENTES. Decem gentium nomina non obscure leguntur in Genesi xv. 19. 20. Reputandum est igitur, sive ex iis aliquas spatio illo temporis inter Abrahamum, & Moysem intercidisse, sive Moysem ipsum perinde respexisse Amorrhæos, Pherezæos, & Rephaim, tanquam exterminatos ex relata de Og, & Sehone Regibus victoria. Sehon imperabat Amorrhæis (1); Og Rex Rephaim postremus supererat (2): tandem Hebræus, & Septuaginta non obscure docent, Moysem Urbes Pherezæorum plures occupasse (3). Igitur tribus illis e numero decem gentium subductis, septem supererant subigendæ, quo tempore Moyses verba faciebat ad Israelitas. Tandem commode decem illæ gentes ad septem rediguntur, revocatis ad nomina gentium præcipuarum minoribus nonnullis, quæ vel in unam appellationem cum prioribus illis transiverant, vel jam deletæ fuerant; quemadmodum non raro Scriptura sub generali Chananæorum, & Amorrhæorum nomine gentes illas omnes comprehendit: nec nisi raro, eas recensendo, nomina singularum expressa leguntur. In Textu illo Geneseos, decem nomina adscripta referente, frustra quæras Hevæos: alibi desunt Gergesæi, vel Pherezæi.

℣. 2. PERCUTIES EAS USQUE AD INTERNECIONEM; Metu ne pravum illorum exemplum pertrahat vos in Idololatriam, & ne conciliatum cum illis fœdus, corruptionem in vestros mores, & vitæ institutum, plane ab illis diversum, inducat. Tandem nemini parcendum vobis edico; vos enim statuo justitiæ, & ultionis meæ administros. Ex eo Moysis edicto, quo jubentur Dei nomine Hebræi immites se gerere cum Chananæis, nullumque componere cum illis fœdus; Profani Scriptores calumnias struxerunt in Israelitas, sævitiæ & nullius humanitatis accusantes, adeo ut negarent exteris communia illa auxilia, quæ ut nemini prohibeamus, vel ipsa natura hominum injungit. *Apud ipsos fides obstinata*, ait Tacitus (4), *misericordia in promptu; sed adversus omnes alios hostile odium*. Ut vero hæ calumniæ diluantur, ipsas Leges Mosaicas oculis percurrere satis est. Josephus, & Philo data opera exscindere e mentibus hominum conati sunt ea præjudicia, quæ gentes alias a gentilibus suis abalienabant. Profecto si Hebræi vitæ rationem tenebant plane singularem, nec commercia plurima detinebant cum exteris; id totum ex eo repetendum est, quod vitæ, ciborum, ac morum institutum sequerentur plane a reliquis diversum. Si Chananæos habuerunt tanquam gentem anathemati devotam, nullum vel fœdus, vel pacem cum illis admittentes, id ab illis præstitum est, ut obsequerentur sententiæ latæ a Deo, qui

[1] Deuter. III. 8. [2] Ibid. ℣. 11. [3] Deuter. III. 5. [4] Tacit. Vide Grot. hic, & lib. 2. de jure belli & pacis c. 15. §. 9.

qui ceu supremus humanæ vitæ arbiter pro sua voluntate decrevit de iis rebus, quas gentibus hisce criminosis concesserat.

Non inibis cum eis foedus. Num inire cum exteris fœdus interdictum erat Hebræis? Porro duo sunt exterorum genera distinguenda: alii quidem, de quibus nihil peculiare edixerat Deus; alii, de quibus mentem suam aperuerat. Erga alteros hosce mandata omnia Dei ad literam exequi necesse erat. Ad reliquos vero quod attinet, adhuc inter fœdera sedulo distinguendum est: erant enim fœdera tantum pro commercio, & vitæ societate, quale inierat David cum Hiram: erant ad commune bellum gerendum, quale iniit Asa (1) Rex Juda cum Benadad Rege Syriæ, & Achaz cum Teglatphalasare: alia tandem componebantur solius patrocinii occupandi gratia, quod sibi fœdus procurarunt Asmonæi cum Romanis, & Spartiatis. Quæ fœdera periculum inferunt, ne sive mores corrumpantur, sive deseratur Religio, uti cum inter conditiones illius aliqua continetur religioni opposita; vel cum initum cum exteris commercium pertrahit animos in Idololatriam, vel infidelitatem, vel Legum Divinarum prævaricationem; hæc, inquam, fœdera non vacant crimine, nullo que non in loco Prophetæ prædicant, quanto illa horrore haberi velit Deus. Reliqua vero fœdera nulla lege interdicuntur; quin & studiosissimi quique Legis viri alienos sese ab illis nunquam exhibuerunt. Sed de hujus generis fœderibus alibi forte fusius disseremus: illud vero, quod Josue cum Chananæis composuit, argumento esse posset, cum exteris fœdera non æque omnia vetari, sed ea tantum quæ gentes illas liberas, suæque religionis in exercitio inter ipsos Israelitas relinquerent, non sine discrimine, ut tandem Israelitæ sive pravo exemplo in eorum superstitiones inducerentur, sive illis arma capientibus servire cogerentur. Vide quæ disseremus infra Capite xx. 10. & xxiii. 6.

℣. 3. Neque sociabis cum eis conjugia. Certant (2) nonnulli, omnia æque cum Chananæis conjugia interdici Israelitis, tum etiam cum illi ad Judæorum sacra transierint. Censent insuper, sanctionem de non ducendis ex ea gente uxoribus ad omnes late gentes exteras porrigi. Constat equidem, Esdram ductas a populo exteras uxores jussisse dimitti (3). Sed ex ipsis legis verbis demonstrari arbitror, conjugia illa cum exteris fœminis tunc tantum prohiberi, cum illæ in Idololatria perseverent, metu ne in suum crimen maritos pelliciant; qua sane cessante causa, si ad religionem Judaicam illæ transierint, & legem cessasse reputandum est. Salmon duxit in uxorem Rahab (4), capta Jericho. Utrique filii Noemi (5) adsciverunt sibi e Moabitis uxores. Booz in thorum ducit Ruth, viduam Mahalonis, & Moabitidem (6). David & Salomon, atque alii deinceps Reges Juda & Israelis fœminas genere alienas duxere. Ipse Moyses apertis verbis (7) captas bello fœminas inter uxores habere sinit, nullo facto discrimine vel e Chananæis essent, vel aliis natæ. Quin & in Deuteronomio xx. 14. Israelitæ permittuntur servare incolumes fœminas & pueros Urbium, quas Dei ope in potestatem redegissent.

℣. 5. Aras eorum subvertite. Ubique per totum hunc librum spectare licet publice pervagantem usum Templorum, Altarium & statuarum; Idololatriam denique jam adultam & provectæ ætatis in Chanaanitide. Assentatur utique Romanis Josephus (8), cum vetitum affirmat Judæis, ne recipiant inter spolia aliarum Gentium Numina, eorumque Templa muneribus ibi forte oblatis expoliare. Vetat hic equidem ℣. 25. 26. Moyses ne manus injiciantur in aurum & argentum, Idolorum statuas tegentia, in proprium commodum derivanda; sed hæc ejus sanctio nonnisi pro tempore expeditionis illius Chanaaniticæ lata erat. Post hæc, nulla religio animos ea de re tetigit; nec David continuit se se, quin ex auro, quo spoliaverat Moloch Deum Ammonitarum, auream sibi coronam pararet (9).

℣. 6. Populus peculiaris. Vide quæ in eam rem disseruimus ad Exodi xix. 5. 6. Judæus populus destinatus est a Deo in selectam portionem suam, cum vicissim cæteras gentes veluti dereliquerit. Servavit sibi Israelem, ut gentem sanctam & populum propheticum faceret: *Speciali quodam ministerio gens prophetica fuit* (10).

℣. 9. Fortis et fidelis. Hebræus (11): *Dominus Deus tuus ipse Deus Deus verus*, vel *Deus fidelis*, seu *fortis*, *fidelis*. Vox *El* est *Deus* & *fortis*. In eo autem verus vel fidelis agnoscitur Deus, quod plena fide præstet omnia, quæ promisit, cum & promissa sibi ab aliis eadem fide reddi sibi postulet. Promissiones ejus, fœdera, verba, nec vana sunt, nec ficta, nec fallacia: exigit, ut suam veritatem, quantum præstari ab homine fas est, imitemur.

℣. 10. Reddens odientibus se statim. Ultionem de impiis non semper ad alteram vitam Deus reservat: sæpe hic etiam animadversioni illos subjicit. Hebræus (12): *Rependens odio habentibus se in facies eorum, ad perdendum eos: non differet odio habenti se in facies suas, reddet ei*. Obscurissimus licet est hic Textus; adhuc tamen utrumque ejus membrum eadem continere videtur, nimirum, Deum ultionem statim exacturum de illis, qui adversarios sese illi præbuerunt. Quod autem in hoc Textu ambiguitatem inducit, verba sunt illa *in facies ejus*; hæc enim quidam ad Deum ipsum, quidam ad impium referenda arbitrantur. Si prius illud teneatur, reddi posset: Paria reddet hostibus suis in furore irascentis vultus sui. Si alterum sensum præferamus: Puniet hostes suos, in faciem arguet, in faciem illis resistet, eosque coercebit. Chaldæus aliique nonnulli aliter exponunt: *Retribuens inimicis suis bona, quæ ipsi faciunt coram eo in vita sua, ut perdat eos: non differet facere bonum inimicis suis pro bonis, quæ ipsi faciunt coram eo: sed in altera vita* [pro criminibus] *retribuet eis*. Paraphrastes Jerosolymitanus cum Rabbinis nonnullis hunc sensum præfert. Sed Interpretum plerique Vulgatæ suffragantur.

℣. 13. Et diliget te ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui. Paria ferme exprimit Hebræus: *Diliget te, & benedicet tibi, & multiplicabit fructum ventris tui*. Ex benedictionibus, quas Deus impertitus est in Veteri Testamento, inter eximias semper habita est fœcunditas: hanc sæpius promisit Patriarchis; nec sane nisi ejus studiosissimus reputandus est populus, qui e genere suo effundendum esse Messiam noverat.

℣. 15. Infirmitates Ægypti pessimas. Dictum accipi posset generice de plagis, quas Deus inflixit Ægyptiis, antequam Israelitæ ab illis migrarent; vel peculiariter de ulceribus, quæ tunc illis supervenerunt; vel potius de morbis, quibus incolæ ejus regionis obnoxii erant. Postremum hunc sensum exigere videtur Hebræus (13): *Omnem infirmitatem & omnes ægritudines Ægypti malas*. Huic regioni sui quidam erant morbi peculiares (14), uti de elephantiasi affirmat Plinius (15): *Ægypti peculiare hoc malum*. Alia pariter incommoda, quibus afficiebantur Ægyptii, ab irata Iside immitti

[1] 3. Reg. xv. 18. [2] Grot. Ainsv. ex Heb. [3] 1. Esd. x. 2. 12. [4] Matt. i. 5. [5] Ruth 1. 4. [6] Ruth iv. 9. 10. [7] Deuter. xxi. 11. 12. [8] Joseph. l. 4. Antiq. c. 8. [9] 1. Paralip. xx. *Tulit autem David coronam Melchom de capite ejus . . . fecitque sibi inde diadema*. [10] August. Ep. 142. qu. 2. n. 15. [11] יהוה אלהיך הוא האלהים האל הנאמן [12] ומשלם לשנאיו אל פניו להאבידו לא יאחר לשנאו אל פניו ישלם לו [13] כל חלי וכל מדוי מצרים הרעים [14] Vide Joan. Cleric. in hanc loc. [15] Plin. l. 26. c. 1.

mitti Veteres arbitrabantur (1), ex. gr. cæcitatem, phtysim, ulcera, & crurum morbos. De morbis peculiaribus Cairi integro capite differit Tevenoth (2). Dominus de Joinville narrabat, sibi, totique exercitui, cum esset in Ægypto in expeditione S. Ludovici, affecta fuisse noxio quodam morbo crura; quo ad ossa usque caro aruerat, & pellem terreus color, qualis est veteris corii, infecerat: Præterea gingivæ difluebant in saniem; unde os fœtidam exhalabat mephitim. D. le Brun (3) affirmat, incolarum Ægypti quartam sane partem cæcitate vel alio oculari morbo laborare. V. Maillet par. 2. pag. 139, des Breves pag. 67.

℣. 19. Plagas maximas. Hebr. המסות הגדלות *Tentationum magnarum*. Revoca in mentem plagas illas, quas Ægyptiis inflixi ad faciendum de illis periculum; seu potius ad puniendam eorum pervicaciam, ut demum dimittere Israelitas cogerentur; ut intelligerem quousque obstinationis & nequitiæ pervenissent.

℣. 20. Crabrones mittet. Vox Hebræa sonat lepram, vel muscas majores. Abenezra de lepra dictum interpretatur; sed plerique exponunt de muscis majoribus, vespis, & insecto quodam, qui venenata cuspide faciem hominum maxime insequitur. Ad Exodi XXIII. 28. exempla quædam congessimus populorum, quos muscarum persequutio ex avitis sedibus depulit. Qui Orientem peragrarunt, novere quanta sint e muscis in illis Regionibus incommoda. Miusios (4) e sedibus suis sese subducere culices coegere. Legimus in Historia Ecclesiastica, Persarum exercitum in fugam a muscis pulsum, illis per S. Jacobi Nisibitani preces impetratis. Quare nihil est cur ad literam hæc Scripturæ verba non recipiantur.

℣. 21. Non timebis eos. Varie reddi potest Hebræus (5): *Non terreberis a facie eorum*. Non dejicieris animo, nec concutieris terrore coram illis, vel propter illos. Septuaginta (6): *Non vulneraberis a facie eorum*.

℣. 23. Interficiet illos, donec penitus deleantur. Hebræus, & Chaldæus (7): *Percutiet eos turbatione magna*, usque *ad destruendum eos*; vel injiciet in illos terrorem, & consternationem, donec deleantur.

℣. 25. Non concupisces argentum et aurum, de quibus facta sunt. Hebræus: *Nec argentum, nec aurum, quæ super illa sunt*. Laminas aureas, & argenteas, quibus teguntur simulacra lignea, & lapidea, vel quibus Idola formantur. Vide ℣. 5.

℣. 26. Ne fias anathema. Non minæ tantum hæc verba sunt, sed revera devovebatur anathemati, & morte plectebatur quicumque ex urbe anathemati devota exuvias aliquas ad se divertisset. Celebre ejus rei exemplum offert Achan, qui ex Urbe Jerichunte quiddam subripuerat (8). In Macchabæis pariter (9) legimus, militea quosdam Judæ Macchabæi deprehensos fuisse post prælium latentia sub vestibus tegere donaria quædam, rapta in Templo Jamniæ; cujus rei merito necem in se provocasse reputati sunt, quippe qui contra Legis sanctionem aliquid sibi subduxissent Idolis consecratum: *Invenerunt sub tunicis interfectorum de donariis Idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, a quibus Lex prohibet Judæos*.

---

[1] Juven. Satyr. 13. v. 91. *Dummodo, vel cæcus, teneam quos abnego nummos;*
Et phtisis, & vomica putres, & dimidium crus
Sunt tanti.
Ovid. l. 1. Eleg. 1. de Ponto.
Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos,
Alter ob huic similem privatus lumine culpam,
Clamabat media se meruisse via.

[2] Voyage d'Orient, lib. 2. cap. 80. [3] Le Brun, voyage d'Egypte c[illegible]. 40. [4] Pausan. in Achaja. [5] לא תערץ מפניהם [6] Οὐ τρωθήσῃ ἀπὸ προσώπου αὐτῶν. [7] והמם מהומה גדלה עד השמדם [8] Josue VII. 1. [9] Macc. XII. 40.

CAPUT VIII.

Narrantur beneficia omnia, quibus Deus prosequutus est Israelitas toto spatio itineris quadraginta annorum per desertum. Exterminium illis indicitur, si beneficiorum illorum oblivionem admittant, & latam ab eo Legem transgrediantur.

℣. 1. OMne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter, ut facias, ut possitis vivere, & multiplicemini, ingressique possideatis terram, pro qua juravit Dominus patribus vestris, 2. Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentaret, & nota fierent, quæ in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non. 3. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum. Manna, quod ignorabas tu, & patres tui: ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. 4. Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est. 5. Ut recogites in corde tuo: quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te, 6. Ut custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis ejus, & timeas eum. 7. Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarumque, & fontium: in cujus campis, & mon-

& montibus erumpunt fluviorum abyssi. 8. Terram frumenti, hordei, ac vinearum,
in qua ficus, & malogranata, & oliveta nascuntur: terram olei, ac mellis. 9. Ubi
absque ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris:
cujus lapides ferrum sunt, & de montibus ejus æris metalla fodiuntur. 10. Ut cum
comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam de-
dit tibi. 11. Observa, & cave, nequando obliviscaris Domini Dei tui, & negligas
mandata ejus, atque judicia, & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie: 12. Ne
postquam comederis, & satiatus fueris, domos pulchras ædificaveris, & habitaveris
in eis, 13. Habuerisque armenta boum, & ovium greges, argenti, & auri, cun-
ctarumque rerum copiam, 14. Elevetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei
tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis, 15. Et ductor tuus fuit in
solitudine magna, atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac
dipsas, & nullæ omnino aquæ: qui eduxit rivos de petra durissima, 16. Et cibavit
te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit, ac proba-
vit, ad extremum misertus est tui, 17. Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea,
& robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt. 18. Sed recorderis Domini Dei
tui, quod ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum, super quo juravit
patribus tuis, sicut præsens indicat dies. 19. Sin autem oblitus Domini Dei tui,
secutus fueris deos alienos, coluerisque illos, & adoraveris: ecce nunc prædico tibi,
quod omnino dispereas. 20. Sicut gentes, quas delevit Dominus in introitu tuo,
ita & vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

℣. 1. Ut possitis vivere. Quo scilicet fidele in præcepta ista obsequium diuturnam vobis vitam promereatur. Sæpe in superioribus animadversum est, Deum fidelibus servis suis præmium vitæ diuturnæ polliceri, & mortem minitari iis, qui jussionibus ejus resistant. Vitæ autem nomine censetur pariter & valetudo, tranquillitas & cætera omnia bona, sine quibus vitæ usura minus esset dulcis. Hæc vita, & hæc bona sunt carnalium Judæorum merces; veri autem Israelitæ ultro se hisce omnibus abdicant, ut aliam vitam & bona solidiora promereantur.

℣. 2. Ut affligeret te atque tentaret: Ut periculum faceret de te variis illis malis, quibus subjecit: ut ostenderet tibi imbecillitatem tuam, exposuit te laboribus, ac malis, quæ iniquo adeo animo sustinuisti; ex quo probe nosti, nullas esse tibi in bonum vires, ut quidquid habes, Deo uni referas acceptum. Docemur autem infra, prosperas res non minus ac secundas hominibus tentandis valere. Vide ℣℣. 12. 13. 14. Tandem, postquam Deus superbum de se populum suum ad saniora redegit tentatione; tandem, inquam, miseratione ejus tangitur. Vide ℣. 16.

℣. 3. Ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. Postquam Deus experimentum de vobis cœpit, fame, & rerum, quæ ad vitam necessariæ sunt, privatione, tum maxime cum vires illum suas omnes exeruisse reputabatis, & de toleranda ulterius vita jam desperabatis, cibum vobis supernaturalem suffecit, eo veluti argumento demonstraturus, non solo quidem pane hominem ali, sed Dei verbum ejus esse virtutis, ut nutriendi vim rebus, quibus voluerit, tribuat, innumerisque artibus nutrire creaturam suam valeat (1). Ex uno igitur ejus verbo, quod omnibus rebus par est, ejusque potentia in omnes res despotica opes, & quæ maxime necessaria sunt, expectetis oportet, in rebus vestris desperatis. Hujus rei specimen habetis in manna, qua vos pavit in deserto. Aluit ille Moysem, Eliam, & Jesum Christum, nullo licet corporeo cibo refectos.

Reddi posset Hebræus (2): *Ut noveris; quia non ex solo pane vivet homo, sed ex omni egressione oris Domini*. Non legitur in Textu, *In omni verbo, quod egreditur*; sed tantum *in omni, quod egreditur*. Chaldæus vertit: *Non in pane solo vivit homo; sed in omni quod egreditur a verbo Domini, vivit homo*. Sed Jesus Christus (3) hanc sententiam ita recitat, uti legitur in Vulgata, & Septuaginta; & Patres non rari (4) acceperunt ad literam de verbo Dei, quod nutrit animas, & vitam spiritus tuetur. Commode etiam exponitur de Jesu Christo, qui Verbum est Patris, & vita Mundi. In hunc sensum Textum interpretari Philo videtur (5): *Nutrit nos universalissimo suo Verbo. Manna enim redditur, quid est hoc? universalissimum omnium quæ sunt. Et Verbum Dei superius est mundo, & vetustius, & magis universale omnibus quæ facta sunt*.

Sed Scriptores Commentariorum plerique, & doctissimi literæ inhærentes, hanc interpretationem præferunt. Non solo pane Deus hominem alit, sed omni ea re, qua maxime nutriri illum voluerit. Nihil est, quod eo volente hominem non alat. *Verbum* hic & in Evangelio res generatim omnes significat. Sensum alium quidam Textui vindicant, qui pronus maxime videtur: Non solo corporis cibo vita hominum alitur, & conservatur, sed & fideli in Dei Legem obsequio: quicumque ea impleverit, quæ mandat Deus, vitam in eo nanciscetur, & mala omnia, atque Dei vindicis pœnas evitabit. Vide supra ℣. 1.

℣. 4. Vestimentum tuum . . . . nequaquam vetustate defecit. S. Justinus Martyr (6), Hebræi cum Interpretibus nonnullis, prodigium hoc novo prodigio exaggerant, affirmantes, non vestes modo Israelitarum usu tritas non fuisse, toto illo diuturni adeo itineris tempore, sed & adolescente in pueris corpore & illas pariter ve-

(1) Vatab. (2) כי לא על הלחם לבדו יחיה האדם כי על כל מוצא פי יהוה יחיה האדם (3) Matth. iv. 4. (4) Ambros. in Luc. 4. Greg. in cap. 9. l. 1. Reg. Origen. homil. 29. in Luc. D. Leo serm. 2. de Quadrag. Bern. ser. 1. dedic. Eccles. Chrysost. in Matt. 4. Aug. de vera religione c. 58. (5) Lib. 2. de legis allegor. Διατρέφει γὰρ ἡμᾶς τῷ γενικωτάτῳ αὐτοῦ λόγῳ. Τὸ γὰρ μάννα ἑρμηνεύεται, τί τοῦτό ἐστι, τὸ γενικώτατον τῶν ὄντων. καὶ ὁ λόγος δὲ τοῦ Θεοῦ ὑπεράνω ἐστὶ τοῦ κόσμου, καὶ πρεσβύτατος καὶ γενικώτατος τῶν ὅσα γέγονε. Vide & Bonfrer. in hunc locum. (6) Justin. in dialog. cum Tryphone. Rabb. Grot. Jansen. Bonfr.

luti adolevisse, Divinoque prodigio eidem se corpori aptasse, variis ætatum vicibus accommodatas. Plus aliquid supra fidem addit S. Hieronymus (1), nimirum nec ungues, nec comas illis succrevisse.

Sed aliis (2) persuadetur, commodiori sensu Textum hunc ita explicari posse, Deum scilicet large adeo necessitatibus Hebræorum consuluisse, ut nunquam deesse illis vestes toto illo tempore sineret. Censet Abenezra, cum ex Ægypto migrarunt, plures e vestibus illis secum tulisse, ut necessitatibus suis in deserto providerent.

Cosmas Ægyptius (3), cujus Opera paulo antehac publico communicata sunt, quæ de vestibus Hebræorum feruntur, ad fabulas amandat; certans, nihil aliud innuisse Moysem, præter quam quod nihil defuerit Hebræis in Deserto, Mercatoribus Arabibus large omnia sufficientibus. Verti posset Hebræus (4): *Vestis tua non veteravit desuper te*; ut semper haberes in promptu, quo indueteris.

Erat equidem providentiæ Numinis argumentum non obscurum, cum in medio vastæ illius solitudinis nihil deesset Israelitis, sive quo alerentur, sive quo induerentur. Suppetebant illis greges, nec opes deerant nec opifices: nihil prohibebat, quin mercaturam exercerent de lana & vellere ovium cum finitimis gentibus, sibi necessaria comparantes. Scitum est quanta quamque liberaliter ad Tabernaculi ejusque ornamentorum sumptus contulerint (5). In solitudine illa idem tenebant vitæ institutum ac plerique ejus regionis populi sine certo loco & sedibus; perinde erant ac ingens quædam errans Respublica: in eo tantum differebant ab Arabibus, quod illos numero superarent, ac victum haberent non quidquid sors daret, sed certum, manna semper labente: neque tamen prohibebantur, quin & alios sibi cibos procurarent. Nonne a Moabitis, Amorrhæis, & Idumæis panem & aquam soluto pretio postulant (6)? Si quis statuat servatam fuisse legem cæremonialem in deserto, illi etiam necessario admittendum est, commercia detinuisse populum cum propinquis gentibus, nisi alterius rei gratia, certe ut compararent farinam, & panes, sacrificiorumque omnes appendices; simila enim opus erat ad panes propositionis, & oleo ac vino ad libationes.

Hanc expositionem siquis admiserit, frustra quærat, cur vestes usu non tererentur; utrum id illis conferretur virtute mannæ, cujus cibi ea erat vis singularis, inquiunt Rabbini, ut transpiratione non egereretur, sed totus in hominis naturam converteretur; quasi scilicet vestes nonnisi transpiratione ac sudore corrumperentur, ac non etiam motu & actione. Frustra etiam hoc sibi arduum negotium ille assumat, ut investiget unde acciperentur vestes pro iis qui interim nascebantur, utrum scilicet novæ illis conficerentur, an ex relictis defunctorum apparentur: utrum prodigia hæc æque omnibus faverent Israelitis, an iis tantum, qui merito vitæ suæ Deo essent accepti. Justis id modo concessum censet Lyranus: verum si nequitia hominum illos eo Divino beneficio privabat; cur non & illis manna subducebatur? cur non justis tantum expressa est e silice aqua, & divisæ undæ viam in medio maris alveo obtulerunt? an minus est necessaria vestis, quam cibus homini? Hic equidem agnoscere opus est peculiarem Numinis in populum suum providentiam, minime tamen prodigia prodigiis, nulla poscente necessitate, superstructa.

Pes tuus non est subtritus: Varie redditur Hebræus (7). Septuaginta (8) *Pedes tui non occalluerunt*. Plerique vertunt: *Pedes tui non sunt nudati*. Calceis destituti non fuistis; nec soleæ usu tritæ sunt. Ita Moyses ipse sensum hunc suum referat in Textu parallelo (9); eumdemque sensum Chaldæus hic retinet. Vertunt alii: Pes tuus non est contusus, non tumuit, non est vulneratus. Vox originalis usurpari solet plerumque pro, farinam subigere; cum autem farina subacta fermentatione intumescat & turgeat, dictum Mosaicum in eam significationem acceptum est, quasi exprimat pedum tumorem & contusionem. Maluerim ego vertere planius: *Pes tuus mihi subegit*, tamquam farinam (10), lutum scilicet non subegit, non laboravit in tundendo argillam, cum nudus graderetur. Hujus metaphoræ vim norant Hebræi, quibuscum Moyses loquebatur; in Ægypto enim farina subigebatur pedibus, & argilla manibus (11). Hebræum *Bazak* in secundo Esdræ IX. 21. usurpatur pro, nudis pedibus esse.

℣. 5. Sicut erudit filium suum homo; vel sicut punit כאשר ייסר. Deus paterno amore punit, ut correctione instruamur, reformemur, & ad majora bona comparemur: quare inflictæ ab illo pœnæ amoris sæpe sunt argumenta. Væ illis, qui nulla animadversione pressi negliguntur! Ita punit, ut simul etiam suavitate demulceat, ceu pater, qui filios corripit (12): *Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.*

℣. 7. Terram rivorum, &c. Commendat commoda Chanaanitidis præ Ægypto, quæ unico tantum amne irrigatur. Porro is amnis agrum tegebat spatio sex hebdomadarum plena æstate: & cum late stagnantes aquæ in humili planoque solo neminem discurrere sinebant, interim vertices & loca aquis superiora nullo humore sota arescebant; destituebatur enim regio imbribus. Arabiæ vero Deserta, quæ Hebræos spatio XL. annorum tenuerant, multo etiam majoribus incommodis obnoxia erant, quippe quorum solum incultum esset, aridum, adustum, ubi aquarum latices rarissimi. His igitur nominibus commendat Moyses Hebræis terram, quam mox ingressuri sunt; perlui enim illam affirmat amœnissimis fluentis, quæ e vallibus æque & montibus scaturirent, ut nullum relinquerent solum non irriguum, nullum penitus infœcundum. Locorum hoc discrimen affecisse plurimum animos Hebræorum, reputandum est. Fluenta Palæstinæ Profani pariter celebrarunt, Solinus cap. XXXV. *Judæa illustris est aquis; sed natura non eadem aquarum omnium. Jordanes amnis eximiæ suavitatis...., regiones præterfluit amœnissimas*. Hebræus hujus versiculi ita præfert ad literam: *Dominus Deus tuus introducit te in terram bonam, terram torrentium, aquarum, fontium, & abyssorum egredientium* (fluentium) *in valle & in monte*, in campestribus & in regione montibus aspera. Abyssi nomine designari commode reputamus ingentia aquarum receptacula, quæ alibi *Maria* appellata sunt, uti Mare Tiberiadis, Mare Mortuum; vel Mare Magnum, Mediterraneum. Abyssi nomine non raro in Scriptura Mare & aquarum grandiores alvei censentur. Chaldæus ita Textum exponit: *Terram fluentem torrentibus aquarum, & fontibus manantibus ex abyssis* (13), *& egredientibus in campis & in montibus*.

℣. 9. Cujus lapides ferrum sunt. Inter cautes & lapides hujus regionis fodinæ ferri sunt, ejus metalli ditissimæ. Seu potius: Cujus lapides fer-

rum

(1) Hieronym. Ep. 32. nov. edit. pag. 125. *Frustra sutores & artificia didicerunt, scientes, Israelitarum populum per quadraginta annos, nec unguium, nec capillorum incrementa sensisse.* (2) Vide Estium hic, Joan. Cleric. Jun. Drus. (3) Cosmas Monach. lib. 5. pag. 205. (4) שמלתך לא בלתה מעליך (5) Exod. XXXVI. 5. *Plus offert populus quam necessarium est.* (6) Vide Deuteronom. II. 6. 28. &c. (7) רגלך לא בצקה (8) Οἱ πόδες σου οὐκ ἐτυλώθησαν. (9) Deut. XXIX. 5. *Nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* (10) Ita Malv. (11) Herodot. lib. 2. cap. 36. & Strabo lib. 17. (12) Prov. III. 12. (13) Vide Eccle. 5. 7.

rum soliditate, & duritie æmulantur. Describens Isaias lx. 17. futuram populi sui felicitatem, collaturum illis Dominum affirmat aurum pro ære, argentum pro ferro, & ferrum pro lapide. Quibus verbis spectari videtur usus lapidum olim obtinens ad scindendum, atque alios usus, in quos hodie ferrum impendimus. Aristæas in historia Septuaginta interpretum tradit montes Judeæ, proximos Arabiæ, fodinis æneis ac ferri olim abundasse; cum vero Præfecti Persarum regionibus illis constituti insinuassent Regi expensas proventum superasse; hinc factum, ut fodinæ illæ desererentur. Quæ olim in Phunon, regione Judeæ finitima, visebantur fodinæ, tota antiquitate celebratus. Regionis hujus meminit Moyses xxxiii. 43. ibique serpens æneus conflatus creditur.

De montibus ejus æris metalla fodiuntur. Ferunt, plurimis ferri, ærisque fodinis Libanum olim abundasse; sed fodinas illas sive exhaustas, sive neglectas adeo periisse necesse est, ut nihil de illis legas apud Græcos Latinosque Scriptores; quin & ex ipsa Scriptura ægre admodum argumenta promuntur, quibus demonstretur, metalla ejusmodi olim familiaria fuisse in Palæstina. David ingentem ferri ærisque vim ad Templi ædificationem collegerat (1). Legimus in tertio Regum xviii. 8. ingentem æris vim eum comparasse ex Urbibus Tahac, & Cun in Cœle-Syria, ubi forte rude metallum e fodinis Libani effossum præparabatur. Homerus (2) inter Profanos Authores, qui nobis suppetant, vetustissimus, Sidonem appellat æris divitem, πολυχάλκου. Ezechiel xxvii. 19. affirmat, Danitas contulisse Tyrum ferrum elaboratum. Moyses in benedictionibus, quas infra xxxiii. 25. impertitur Aser, calceamentum ejus fore prædicit ex ære, & ferro; quod commode exponitur de regione illi assignanda, his metallis divite. Sunt qui nomen Sareptæ derivatum Urbi credunt ex metallis, quæ ibi funderentur; *Zarephta* enim Hebraice perinde valet ac officina fusoria. Docet Plinius (3), Cadmum e Phœnicia in Græciam artem liquandi auri attulisse. Meminit Eusebius non semel (4) fodinarum Palæstinæ, ad quas sancti quidam Martyres damnati sunt.

℣. 10. Cum comederis . . . . benedicas Domino. Nihil magis commendat Scriptura, quam benedictiones, & gratiarum actiones pro bonis, quæ Deo largiente accepimus. In omnibus agere nos grates jubet Apostolus (5); & actiones suas omnes publicas, atque solemnes non sine precibus & gratiarum actionibus transigit Ecclesia: ex his sanctitas illarum omnis & religio. Priscis Judæis plures erant benedictiones, ut ex Evangelio docemur; neque pauciores sunt Recentioribus. In solemnibus Festis panem & vinum seorsum benedicunt; quem morem Christus in suprema cœna imitatus est (6). Porro hac formula (7) utuntur Judæi in vulgaribus benedictionibus suis; cyathum sumpturi: *Benedictus es Domine, qui creasti fructum vineæ*; antequam panem accipiant: *Benedictus es Domine, qui producis panem e terra*. Post cibum, ille, cui honor ejus rei defertur, pateram vino plenam manu tenens, precatur: *Benedictus sit ille, qui nos aluit bonis suis, & qui miseratione sua vitam nobis largitur*; statimque excipiunt adstantes omnes: *Benedictus sit ille, de cujus munere accepimus cibum, de cujus bonitate vivimus*. Succedit prolixa quædam precatio, benedictionibus sane pluribus inspersa. Veteri huic mori facile obsecuturus Jesus Christus, accepit calicem post cœnam (8), & Discipulis suis distribuit; & S. Matthæus animadvertit (9) exiisse illum *hymno dicto*, idest, post gratiarum actiones de more persolutas.

℣. 15. In qua erat serpens flatu adurens, et scorpio, ac dipsas. Innuuntur hic facile ea, quæ acciderunt in ea statione, in qua Moyses ænei anguis simulacrum erexit. In Numeris xxi. 6. ubi tota ea historia narrata est, mentio fit *ignitorum anguium*, vel *Seraphim*. Addit hic Moyses Scorpiones & Dipsades, ועקרב וצמאון. De angubus ignitis, vel *Seraphim*, mentem nostram in Commentario ad Numeros aperuimus. *Dipsas* est anguis viperini generis, maritima loca infestans, pelle tectus rubris nigrisque maculis inspersa, & capite minimo. Morsu hic suo flaccidum quemdam mollemque tumorem causat; tum & humorum œconomiam ita perturbat, ut sitim provocet inextinguibilem, quamquam epotam large aquam æger non reddit, nec vomitu, nec urina, nec sudore. Ex ea vero siti inditum belluæ nomen est Græce quidem *dipsas*, Hebraice *Zimaon*.

Scorpius insectum est, e cujus ovali corpore longa porrigitur cauda, e globulis instar globulorum precariorum, altero alteri ad extremas oras junctis: caput continuari cum pectore videtur; capitis illius mediam & extremam utrimque regionem muniunt gemina oculorum paria; inter quæ demittuntur duo brachia, veluti cancri forcipes: e pectore octo pedes minoribus cancri pedibus similes, prodeunt. Cauda, duplici interdum aculeo, cavo intus, & continente virus quoddam frigidum, armata ita ferit, ut simul noxium illud virus in vulnere deponat.

Plures Commentariorum Scriptores (10) in hoc Textu tantummodo legunt anguem saraph, & scorpionem, redduntque: *Duxit te in solitudinem magnam at quam terribilem* [ubi erat] *serpens saraph & scorpio*; & [in loco appellato] *sitis, ubi nullæ omnino aquæ, eduxit illas*. Sive illud *Zimaon* vel *Sitis* certi loci sit nomen, ut innuere videtur Isaias (11); sive communiter loca quæcumque arida & aquis destituta significet: commode nihilominus mox allata interpretatio admittitur.

De petra durissima. Ad literam מצור החלמיש *E silice cautis durissimæ*. Junius: *De petra adamantis*. Septuaginta: ἐκ πέτρας ἀκροτόμου, *de petra prærupta*.

℣. 17. Hæc mihi omnia praestiterunt. Hebræus (12): *Fortitudo manus meæ fecit mihi hanc virtutem*, hæc bona, hanc opulentiam. Ego mihi ea omnia peperi, quæ possideo: hæc omnia meo mihi robore & industria comparavi. Ad hunc ipsum sensum revocanda sunt ea, quæ fert ℣. 18. *Recorderis . . . quod ipse vires tibi præbuerit*, bona scilicet tua omnia & divitias. Ille te immisit in regionis hujus possessionem, eo quibus frueris commodis, illa eo largiente possides.

℣. 19. Si secutus fueris Deos alienos . . . . ecce nunc prædico tibi, quod omnino dispereas. Hebræus vi majore: *Testificatus sum contra vos hodie, quod pereundo peribitis*, certissime peribitis. Septuaginta: *Testor vobis hodie cælum & terram, quia perditione perdemini*, certissimo exitio perdemini. Vaticinium est, non inanes minas tantummodo ferens, sed prædicens exitium & mortem iis, qui defectionis a Domino sese reos præbuerint. Externum cultum omnem Deus in Exodo xx. 3. interdixerat: hic autem palam edicit, severa se animadversione puniturum illos, qui terga sibi vertentes, ad Idola & cultum externorum Numinum, recentium & patribus suis inco-

(1) 1. Paralip. xxii. 3. 14. (2) Odyss. xv. v. 425. (3) Plin. l. 7. c. 56. (4) Euseb. c. 5. & 13. de Martyrib. (5) 1. Thessal. v. 18. *In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei.* Vide & Timoth. iv. 4. (6) Matth. xxvi. 26. 27. & Luc. xxii. 17. & 19. (7) Rabb. apud Fagium. (8) Luc. xxii. 20. *Similiter & calicem, postquam cœnavit, &c.* (9) Matth. xxvi. 30. *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.* (10) Onkelos, Syr. Montan. Ainsw. Fag. Forster. Malv. &c. (11) *Et sitiens erit in fontes aquarum.* Isai. xxxv. 7. (12) עשה לי את החיל הזה

incognitorum, sese converterint (1): *Novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Indita mentibus hominum a natura Religio dictat, avitum cultum & ritum non sine crimine, ut novus alius admittatur, repudiari. Nisi Christiani, qui ejuratis Paganorum sacris ad fidem transierant, certis & evidentissimis argumentis Idololatriæ falsitatem novissent; si Christianorum illorum persecutores sincere & plena causæ cognitione, omnique animi æstu sedato agentes, impium aliquid inesse in Religione Jesu Christi reputare potuissent, nihil tunc reprehensione dignum actum ab his esset. Apud omnes gentes, ait Aristoteles (2), Religionis patriæ violatores impietatis arcessuntur. Quod ne unquam contingeret, tanta cura cavebant Athenienses, ait Josephus (3), ut ne verbum quidem in Deos injuriosum impune relinquerent. Romanorum Leges (4) edicunt: *Separatim nemo habessit Deos, neque novos; sed ne advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto.* Minis hisce Dei fidem plenissimam ea conciliant, quæ miseram gentem publica mala oppresserunt.

(1) Deuter. xxxii. 17. (2) Τὰ πάτρια ἔθη παρὰ πάντων παραβαίνειν, ἀσεβὲς ἐστι. Arist. Rhetor. ad Alex. (3) Joseph. l. 2. contra Appion. Ὥστε καὶ ῥῆμα μόνον παρὰ τοὺς ἐκείνων νόμους φθεγξάμενον περὶ θεῶν, ἀπαραιτήτως κολάζειν. (4) Cicero l. 2. de legib.

CAPUT IX.

Deus spondet Israelitis, traducturum se illos statim trans Jordanem, atque immissurum in possessionem Chananæitidis. Revocat in mentem quæcumque illi mala pro concessis bonis rependerunt, ne iis se bonis merito egregie factorum donari credant.

℣. 1. Audi, Israel: Tu transgredieris hodie Jordanem, ut possideas nationes maximas, & fortiores te, civitates ingentes, & ad cœlum usque muratas,
2. Populum magnum, atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti, & audisti,
quibus nullus potest ex adverso resistere, 3. Scies ergo hodie, quod Dominus Deus
tuus ipse transibit ante te, ignis devorans, atque consumens, qui conterat eos, &
deleat, atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi. 4. Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter
justitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem, cum propter
impietates suas istæ deletæ sint nationes. 5. Neque enim propter justitias tuas, &
æquitatem cordis tui ingrederis, ut possideas terras earum: sed quia illæ egerunt impie, introeunte te deletæ sunt: & ut compleret verbum suum Dominus, quod sub
juramento pollicitus est patribus tuis, Abraham, Isaac, & Jacob. 6. Scito ergo,
quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ cervicis sis populus. 7. Memento, & ne obliviscaris, quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine.
Ex eo die, quo egressus es ex Ægypto usque ad locum istum, semper adversum
Dominum contendisti. 8. Nam & in Horeb provocasti eum, & iratus delere te voluit, 9. Quando ascendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti,
quod pepigit vobiscum Dominus: & perseveravi in monte quadraginta diebus, ac noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens. 10. Deditque mihi Dominus
duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, & continentes omnia verba, quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est. 11. Cumque transissent quadraginta dies, & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis, 12. Dixitque mihi: Surge, & descende hinc cito: quia
populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, deseruerunt velociter viam, quam demonstrasti eis, feceruntque sibi conflatile. 13. Rursumque ait Dominus ad me: Cerno,
quod populus iste duræ cervicis sit: 14. Dimitte me, ut conteram eum, & deleam
nomen ejus de sub cœlo, & constituam te super gentem, quæ hac major, & fortior
sit. 15. Cumque de monte ardente descenderem, & duas tabulas fœderis utraque
tenerem manu, 16. Vidissemque vos peccasse Domino Deo vestro, & fecisse vobis
vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam ejus, quam vobis ostenderat: 17.
Projeci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro. 18. Et procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus, & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens, propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam provocastis: 19. Timui enim indignationem, & iram
illius,

illius, qua adversum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus
etiam hac vice. 20. Adversum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conte-
rere, & pro illo similiter deprecatus sum. 21. Peccatum autem vestrum, quod fe-
ceratis, idest vitulum, arripiens, igne combussi, & in frusta comminuens, omnino-
que in pulverem redigens, projeci in torrentem, qui de monte descendit. 22. In
Incendio quoque & in Tentatione, & in Sepulchris concupiscentiæ provocastis Domi-
num: 23. Et quando misit vos de Cadesbarne, dicens: Ascendite, & possidete ter-
ram, quam dedi vobis, & contempsistis imperium Domini Dei vestri, & non cre-
didistis ei, neque vocem ejus audire voluistis: 24. Sed semper fuistis rebelles a die,
qua nosse vos cœpi. 25. Et jacui coram Domino quadraginta diebus, ac noctibus,
quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos, ut fuerat comminatus: 26. Et
orans dixi: Domine Deus, ne disperdas populum tuum, & hæreditatem tuam, quam
redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti. 27. Recor-
dare servorum tuorum, Abraham, Isaac, & Jacob: ne aspicias duritiam populi hu-
jus, & impietatem, atque peccatum; 28. Ne forte dicant habitatores terræ, de qua
eduxisti nos: Non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus est
eis, & oderat illos: idcirco eduxit, ut interficeret eos in solitudine. 29. Qui sunt
populus tuus, & hæreditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, & in bra-
chio tuo extento,

℣. 1. TU TRANSGREDIERIS HODIE JORDANEM. Hebræus, Chaldæus, Septuaginta (1): *Tu transis hodie Jordanem*; Jordanem jam jam trajecturus es: statim tibi transvadandum est: nunc tandem tibi dabitur, ut trajicias amnem. Reipsa tamen ea transvadatio nonnisi post mensem circiter confecta est.

℣. 2. ET AUDISTI, QUIBUS NULLUS POTEST EX ADVERSO RESISTERE. Iidem sunt Gigantes, quorum terror adeo animos patrum vestrorum concussit, cum seduces e Chanaanitide Exploratores, quæcumque viderant omnia narrantes, exposuerunt, incidisse se in homines, quibus nemo resistat. Hunc populum, hos Gigantes ego coram vobis deleturus sum. Hebræus: *Quos tu nosti & audisti; Quis stabit adversus filios Enach?* veluti si proverbii loco obtineret apud veteres Hebræos: *Quis stet adversus Enacim?*

℣. 3. DEUS TUUS IPSE TRANSIBIT ANTE TE, IGNIS DEVORANS. Vide quæ contulimus supra (2), ad hanc Dei cum igne comparationem illustrandam. Sunt qui exponant de Angelo duce Israelitarum, qui columna nubis & ignis iter habentes illos per desertum protegebat, & qui post transvadatum Jordanem perinde se illis præstiturus erat, ac turbinem ignis, late per universam Chanaanitidem excidium & incendium ferens. Typica est loquendi phrasis; ignis enim nomine designatur Domini furor, gladio Israelitarum late omnia destruens atque devastans.

℣. 5. NEQUE ENIM PROPTER JUSTITIAS TUAS INGREDIERIS. Nihil detestabilius Deo, quam vitium animi ingrati, & superbi: eo spectat Deus, ut intelligant Hebræi, se omnia suæ liberalitati, nihil vel sibi vel operum suorum merito debere. Chananæos in pœnam scelerum suorum cædit; Israelitas vero in eorum regionem inducit, gloriam tantummodo suam volens; fidemque ab illis integram & gratam beneficiorum cognitionem quærit. Hac agendi in populum suum ratione nihil æquius, nihil Dei magnificentia dignius excogitari poterat.

℣. 7. SEMPER ADVERSUM DOMINUM CONTENDISTI. Hebræus ad literam (3): *Rebelles fuistis* [irritastis] *cum Domino*. Septuaginta (4): *Increduli perseveratis in iis quæ ad Dominum*. Chaldæus: *Rebelles fuistis coram Domino*.

℣. 12. QUIA POPULUS TUUS, QUEM EDUXISTI ..., DESERUERUNT VELOCITER. Hebræus (5): *Quia corruptus est populus tuus, quem eduxisti de Ægypto: recesserunt cito de via*. Septuaginta: *Iniquitatem fecit populus .... transgressi sunt*.

℣. 16. VIDISSEMQUE VOS PECCASSE DOMINO. Peccati hujus in Dominum nomine designatur potissimum Idololatria: insignis sceleris prærogativa crimen illud peccatum appellatur in Scriptura; omnem enim reliquorum peccatorum nequitiam continet. Jeroboamo filio Nabat nihil aliud exprobrat Scriptura, quam quod *peccare fecit Israel*, idest, in Idololatriam vituli aurei populum perduxit.

℣. 18. PROCIDI ANTE DOMINUM, SICUT PRIUS, QUADRAGINTA DIEBUS ET NOCTIBUS. Animadvertimus jam supra in Exodo XXXIV. 28. non unius Scriptoris judicio Moysem tres dierum quadragenas cibi prorsus expertem egisse coram Domino. En hic, ex iis authoribus, secunda dierum quadragena. Toto hoc tempore instituit Moyses, veniam pro gente sua impetraturus; jussusque a Deo novas parare Tabulas, ascendit iterum in montem Sinai, ubi Decalogum accepturus quadraginta aliis diebus perseveravit. Tertia hæc quadraginta dierum mora indicatur in Exodo XXXIV. 1. 2. . . . 28. Hiscuni agnoscit & ipse, ut Hebræorum reliqui, tres dierum quadragenas; at secundam a Moyse in Tabernaculo Federis actam putat. Qui duarum solummodo quadragenarum jejunium admittunt, censent, Moysem una tantum quadragesima dierum perseverasse post crimen consecrati aurei vituli, tum ut veniam impetraret populo, tum ut novas Tabulas acciperet. Opinioni trium quadragesimarum favet plurimum litera Textus. Sed non sine veri maxima specie reputamus, Legislatorem hic repetitione uti, ut quadraginta illi dies, qui narrantur ℣. 18. & 25. hujus capitis, iidem sint penitus, ac qui ℣. 10. capitis subsequentis. Adde, Moysem secundæ hujus quadragesimæ ne meminisse quidem in Exodo. Quæ tandem opinio duas quadragesimas admittit, inter optimos Interpretes & Chronologos communius probatur (6).

℣. 21. PECCATUM AUTEM VESTRUM. Peccatum appellatur in Scriptura non actus tantum pravus, sed & propensio in malum, objectum peccati, materia & occasio in crimen propellens, pœna cui

(1) אתה עבר Septuag. Σὺ διαβαίνεις. (2) Deuter. IV. 24. Vide & Platon. in Phædro. (3) ממרים היתם עם יהוה (4) Ἀπειθοῦντες διετελεῖτε τὰ πρὸς Κύριον. (5) כי שחת עמך . . . . סרו מהר
(6) Torniel. Usser. Bonfrer. Cornel. Tirin. Est. & alii.

cui a Deo subjicitur, & victima qua expiatur. Agit hic Moyses de vitulo aureo, sub nomine *peccati Israelitarum*.

Et in frusta comminuens, omninoque in pulverem redigens. Hebræus (1): *Contrivi illum molendo bene, donec in pulverem comminutus esset*. Censent plerique, Moysem validis ferrei mallei ictibus contusum simulacrum sub mola contrivisse, ut in pulverem redigeretur. Præfert Chaldæus contusum illud fuisse in mortario; Arabs vero lima rasum. Vide quæ animadvertimus in Exodo xxxii. 20.

℣. 22. In Incendio et in Tentatione et in Sepulchris Concupiscentiæ. Incendium, Hebraice *Taberra*, nomen suum accepit ex igne, quo divinitus conflagrarunt extrema castrorum, in ultionem murmuris Israelitarum, de labore itineris querentium (2). *Tentationis* nomine designata a Moyse creditur statio in Raphidim (3), ubi Israelitæ aquas postularunt; id autem consecutum est miraculum in Horeb, cum scilicet e silice aquæ expressæ sunt. Malunt nonnulli, hanc stationem *Tentationis* eamdem esse ac quæ appellatur *Incendium*, ut commode reddatur Textus: *In loco appellato Incendio, idest in Tentatione*, quæ ibi accidit. Reputaverim ego tamen, Tentationis nomen accipi hic de murmure populi, petentis carnes ad Sepulchra Concupiscentiæ. Favet non obscure huic opinioni Psalmista, narrans, populum, eductis e silice Horeb aquis, non destitisse ejus potentiam tentare, escas postulantem: *Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escam animabus suis*. *Psal.* lxxvii. Ea occasione Deus sufficit coturnices, opimas unius mensis dapes; tum nece sæviit in sontes, cum scilicet adhuc illi ore cibum manderent: hinc autem indirum loco nomen est: *Sepulchra Concupiscentiæ* (4).

Animadvertere juvat, tentationem, de qua David, longe posteriorem esse altera descripta in Exodo, quæ prodigium Horeb sequuta est. Ad hæc, series orationis Mosaicæ vix alium sensum admittit. Cur enim huc revocetur tentatio ad Raphidim, collocetur que inter ea, quæ in loco *Incendii*, & ea, quæ in Sepulchris concupiscentiæ contigere, quamquam tanto hæc inter se locorum ac temporum intervallo distant? Nec aliam tentationem præ oculis habuisse Moysem credo in illo Deuteronomii xxxiii. 8. nisi forte spectata reputemus ab illo ea, quæ ad Aquas Contradictionis evenerunt.

℣. 23. Contempsistis. In Hebræo eadem occurrit vox, ac quæ versu 7. redditur, *contendistis* vel murmurastis, vel opposuistis vos, & ℣. 24. *Rebelles fuistis*. Septuaginta. *Increduli fuistis*.

℣. 24. A die quo nosse vos cœpi. Septuaginta: Ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐγνώσθη ὑμῖν, *A die qua cognitus est vobis*. In alium etiam sensum Textus redditur: מִיוֹם דַעְתִּי אֶתְכֶם: Ex quo volui vos agnoscere in populum meum, me palam Deum vestrum declarare. In hunc sensum scriptum est in Exodo ii. 25. *Respexit Dominus filios Israel, & cognovit eos*; & alibi: *Novit Dominus qui sunt ejus*. Dominus ad Jeremiam i. 5. *Priusquam te formarem in utero, novi te*. Et ad Moysem in Exodo xxxiii. 12. 17. *Novi te ex nomine*. Contrario sensu, *Non novi vos*, parinde valet ac, Nihil mihi est vobiscum. Isaias lxiii. 16. *Tu pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos. Tu, Domine, pater noster, Redemptor noster, a seculo nomen tuum*.

℣. 25. Quadraginta diebus. Eadem est dierum quadragena, de qua supra, ℣. 18. quæque repetitur ℣. 10. capitis sequentis. Vide quæ disseruimus ad ℣. 18.

---

[1] ואכת אתו טחון היטב עד אשר דק לעפר [2] Num. xi. 1. 2. [3] Exod. xvii. 2. 7.
[4] Num. xi. 34.

CAPUT X.

Secunda Legis tabula. Arca fœderis. Stationes a Bene-Jacan usque Jetebatham. Levitarum vocatio. Ut Dei Leges serventur, adhortatio.

℣. 1. In tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem, faciesque arcam ligneam, 2. Et scribam in tabulis verba, quæ fuerunt in his, quas ante confregisti, ponesque eas in arca. 3. Feci igitur arcam de lignis Setim. Cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus. 4. Scripsitque in tabulis, juxta id, quod prius scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est: & dedit eas mihi. 5. Reversusque de monte, descendi, & posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus. 6. Filii autem Israel moverunt castra ex Beroth filiorum Jacan in Mosera, ubi Aaron mortuus, ac sepultus est, pro quo sacerdotio functus est Eleazar filius ejus. 7. Inde venerunt in Gadgad: de quo loco profecti, castrametati sunt in Jetebatha, in terra aquarum, atque torrentium. 8. Eo tempore separavit tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius usque in præsentem diem. 9. Quam ob rem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus suis: quia ipse Dominus possessio ejus est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus. 10. Ego autem steti in monte, sicut prius, quadraginta diebus, ac noctibus: exaudivitque me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit. 11. Dixitque mihi: Vade, & præcede populum, ut ingrediatur, & possideat terram, quam juravi patribus eorum,

rum, ut traderem eis. 12. Et nunc, Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit a te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac ſervias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua: 13. Cuſtodiaſque mandata Domini, & cæremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene ſit tibi? 14. En Domini tui cœlum eſt, & cœlum cœli; terra, & omnia, quæ in ea ſunt: 15. Et tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amavit eos, elegitque ſemen eorum poſt eos, id eſt, vos, de cunctis gentibus, ſicut hodie comprobatur. 16. Circumcidite igitur præputium cordis veſtri, & cervicem veſtram ne induretis amplius: 17. Quia Dominus Deus veſter, ipſe eſt Deus Deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus, & potens, & terribilis, qui perſonam non accipit, nec munera. 18. Facit judicium pupillo, & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum, atque veſtitum. 19. Et vos ergo amate peregrinos, quia & ipſi fuiſtis advenæ in terra Ægypti. 20. Dominum Deum tuum timebis, & ei ſoli ſervies: ipſi adhærebis, jurabiſque in nomine illius. 21. Ipſe eſt laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia, & terribilia, & viderunt oculi tui. 22. In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum: & ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus ſicut aſtra cœli.

℣. 5. IN TEMPORE ILLO. Poſt crimen culti aurei vituli Deus precibus Moyſis ad veniam Iſraelitis indulgendam flexus, juſſit illum parare geminas lapideas tabulas, iis perſimiles, quas confregerat, tum iterum reſtituere ſe monti, ut Decalogum acciperet. Quæ autem prius imperaverat, iterum mandavit, ut ſcilicet conderet Arcam, qua clauderentur tabulæ, poſtquam Dei manu deſcriptæ fuiſſent (1). Paruit Moyſes, ſed non eodem tempore omnia implevit: non enim Arcam e lignis ſetim conſtruendam niſi poſt reditum ſuum ſuſcepit (2).

Scriptores quidam Commentariorum (3) contendunt, Arcam hic a Deo Moyſi parari juſſam longe aliam eſſe ab ea, quam conſtituendam tradidit Beſeleeli, cujus deſcriptionem in Exodo deductam habemus. Beſeleelis Opus imperatum fuit Moyſi, cum primum aſcendit in montem ante crimen vituli aurei, neque completum niſi poſt ſecundas Tabulas. Sed Arca, de qua in hoc Capite, parata fuit a Moyſe, inquiunt illi, antequam ſecundo aſcenderet in montem. E lignis ſetim conſtabat, puris, & ſine alio ornamento, opus temporarium, tamdiu retinendum quamdiu diutius aliud & pretioſius ſubſtitueretur. Cenſent autem, poſt conſtructam illam Beſeleelis Arcam auro tectam, Moſaicam hanc penitus inutilem evaſiſſe, & intra pretioſiorem Beſeleelis fuiſſe reconditam. Sed hæc omnia affirmantur melius, quam probantur: nihil eſt enim pronius, quam Moyſem ſibi ipſi ita conciliare, uti in articulo præcedenti præſtitum eſt.

℣. 3. FECI IGITUR ARCAM. Feci quidem, ſed non hoc tempore, & feci per Beſeleelem. Facile tamen Moyſes conſtrui Arcam juſſit, antequam aſcenderet in montem, ut ſe abſente pararetur, & redux haberet in promptu, ubi tabulas reconderet.

℣. 4. QUANDO POPULUS CONGREGATUS EST ad radices Sinai, ejuſque auribus inſonuit vox Dei, promulgantis conceptis vocibus Decalogum. Vide Exodum XIX. 17. & Deuteronomium IX. 10.

℣. 6. FILII AUTEM ISRAEL MOVERUNT CASTRA EX BEROTH FILIORUM JACAN, IN MOSERA. Undenam ſubita hæc perſonarum variatio in ſerie orationis Moſaicæ? Verba faciebat coram populo audiente; ſtatimque quaſi oblitus Oratorem ſe agere, hiſtorici ſtylum, & ſermonem capit, narrans pariter tres vel quatuor ſtationes Iſraelitarum in deſerto, tunc maxime, cum animus nulli rei minus quam huic narrationi erat paratus: ac rurſus ad Oratorem rediens, a ℣. 10. orationem ſuam ad populum proſequitur. Ægre admodum divinando aſſequimur, quid Moyſem coegerit orationem ſuam hac narratione intercipere. Sed intima Dei conſilia penetrare nefas eſt homini, ſatiſque ad exigendum obſequium noſtrum habendum eſt, ſi noverimus, Scripturam per omnes ſui partes canonicam authoritatem ſibi vindicare.

Narrat hic Moyſes, Iſraelitas moviſſe *ex Beroth filiorum Jacan, in Moſera, ubi Aaron mortuus, ac ſepultus eſt*; inde veniſſe *in Gadgad*, tum *in Jetebatham*. Sed in Numeris XXXIII. 31. 32. 33. contrarium plane legimus, veniſſe ſcilicet illos *in Moſeroth*, quæ ipſiſſima creditur Moſera, tum in *Bene-Jaacan*, (qui locus hic appellatur puteus filiorum Jacan), inde in *Gadgad*, demum in *Jetebatham*. Fruſtra Commentatores torquentur, diſcrimen illud conciliaturi, alii quidem ſtationes ejuſdem nominis duas diſtinguentes; alii plura nomina uni eidemque conciliantes. Multo ſincerius, mea quidem ſententia, fatendum eſt, tranſpoſitionem hic voculæ obrepſiſſe, ut Amanuenſium mendo poſitus ſit puteus filiorum Jacan ante Moſeram, cum hic poſterior locus illi præponendus eſſet. Rei natura poſtulat, ut eum teneamus ſtationum ordinem, quem Moyſes data opera digeſſit in Libro Numerorum, potius quam hunc alieno in loco incidentem, ubi modica tantum ſtationum pars indicatur. Samaritanus congruit hic cum Libro Numerorum; verum Septuaginta, & Vulgata puteos filiorum Jacan præponunt Moſeroth; uti legit Hebræus.

IN MOSERA, UBI AARON MORTUUS EST. Obiiſſe Aaronem in monte Hor, legimus in Numeris XXXIII. 38. quod & repetit Moyſes in Deuteronomio XXXII. 50. Arbitramur igitur, Summum hunc Sacerdotem diem elanſiſſe in monte Hor, cum populus caſtra habebat ad Moſera. Cum autem caſtra illa jacerent ad pedes montis, idcirco in Numeris ſtatio *ad montem Hor* appellatur; hic autem *Moſera* dicta eſt, quod ab Urbe Moſera non diſtaret. Deceſſit Aaron non in itinere e Moſeroth ad Bene-Jacan, ſed in ſecundo ex Moſeroth ad Salmonam, unde ad Phunon (4).

℣. 7. IN GADGAD. In Numeris XXXIII. 32. legit Vulgata: *In montem Gadgad*. Hebræus: *Ad valles Gadgad*.

JETEAATHA IN TEARA AQUARUM, ATQUE TUAAENTIUM. Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta ארץ נחלי מים, *Terra torrentium aquarum*, vel rivulorum perennium.

℣. 8.

(1) Exod. XXV. 10. (2) Vide Exod. XXXVII. 1. XXXIII. 38. 41. (3) Vide Rabb. & Diuf. & Malv. (4) Num.

℣. 8. Eo tempore separavit Tribum Levi. Transpositio est rerom manifesta. Moyses cum primum ascendit montem, jussus est a Deo Tribum Levi a reliquis aliis Tribubus segregare (1); nec incongrue assereremus, reducem illum e monte exposuisse Levitis specialem illam prærogativam, qua donati fuerant a Deo. Atque ita facile alacriores redditi sunt sd prosequendam ultionem Domini, cultu aurei vituli provocatam (2). Post secundam illam quadragenam dierum, de qua hic, Moyses ad opus Tabernaculi opifices applicuit, ejusque absoluti consecrationem celebravit, consecrato pariter Aarone, & reliquis Sacerdotibus. Sed hæc omnia longissime distant a Statione *Jetebathæ*. Commode igitur refertur illud *eo tempore* hujus versiculi ad tempus quod consequutum est, postquam Moyses primum rediit e monte; vel facile innuit, ad Stationem *Jetebathæ* accidisse defectionem Core: jam enim alias animadvertimus, seditionis illius locum nullibi definire Scripturam. Sed plane constat, post terribilem illam ultionem de Core expetitam, cum Deus prodigio florentis virgæ Sacerdotium familiæ Aaronis confirmasset, novis in obsequium suum mandatis illos onerasse (3), contulisse illis jus in primitias, & decimas, prohibuisse ne fundos possiderent in terra promissionis, segregasse e reliquo cœtu Israelitarum, iterumque cæremonias suas illis commendasse. Congruunt autem hæc omnia cum iis quæ hic narrantur.

Ac benedixerat in nomine illius; Populo scilicet benediceret. Exponi solet Textus de benedictionibus solemnibus, quas Sacerdotes populo impartitent (4). Sed Castalio vertendum mavult: *Ut Levitæ ejus nomen celebrent*, laudes scilicet prosequantur. Munus id erat potissimum Sacerdotum & Levitarum: benedictiones vero solemnes imprecari populo, singularis erat Sacerdotum prærogativa. Verbum *benedicere* usurpatur non raro in Scriptura, pro, Deo laudes concinere (5).

℣. 10. Ego autem steti in monte, sicut prius. Narraverat jam ℣. 5. descendisse se e monte, gerentem duas Tabulas Legis, easque parata in Arca clausisse; hic autem resumit narrationem eorum quæ in monte acciderunt, quasi scilicet nihil adhuc scripsisset. Servire ordini temporis & rerum in serie historiæ suæ nunquam voluit: cum enim omnibus notissima recitaret, minus studebat utique, ut connexam rerum seriem instrueret, quam ut potissima seligeret, & ad memoriam Auditorum revocaret, atque hinc occasionem caperet illos docendi vel hortandi, ut fidem Domino inviolabilem servarent. Quadraginta illi dies, de quibus hic, iidem sunt, qui indicantur in superiori capite ℣℣. 18. & 25.

℣. 12. Quid Dominus petit a te, nisi ut timeas Dominum? Huc rediguntur omnia, quæ Deus a vobis petit, pro collatis in vos beneficiis. Metui se jubet, jubet amari, famulatum tota animi intentione sibi præstari, erga leges suas obsequium imperat. Numquid iniqua postulat? Numquid merito queramini, vos duris nimium oneribus opprimi? Addit & præ[illegible], daturum enim se spondet bonorum omnium largitatem: *Ut bene sit tibi*, ℣. 13. Hæc autem non ideo exigit, quod officiotum vestrorum necessitate aliqua teneatur ipse, a cujus nutu pendent & Cœlum & terra, omnesque in illis Creaturæ, ℣. 14. *En Domini Dei tui Cœlum est, & Cœlum Cœli, & terra, & omnia quæ in ea sunt*. Amoris est igitur & miserationis ipsius, quod Patres vestros, & vos pariter selegerit, vos a reliquis omnibus nationibus gratuito prorsus privilegio distinguens, ℣. 15. *Et tamen Patribus tuis conglutinatus est, & amavit eos &c.* Vide ergo quæ rependenda sint largitori pro tantis ab illo beneficiis.

℣. 14. Cœlum, et cœlum cœli. Trium Cœlorum meminit Scriptura. Primum est aereum, ubi vivunt aves Cœli, & ubi pariter nubes & imbres concrescunt. Alterum est Cœlum stelliferum, perinde exhibitum ac concameratus quidam fornix, e solida, & impenetrabili chrystallo. Tertium sedes est Altissimi. Eo raptus Apostolus mysteria didicit, quæ nulli hominum fas est revelare (6).

℣. 16. Circumcidite igitur præputium cordis vestri. Circumcisionem ceu insigne ingenuæ maxime nobilitatis respiciunt Hebræi, ut gentes cæteras ea non obsignatas perinde habeant ac profanas. Rem vero quamcumque impuram ac sordidam designaturi, ajunt esse *incircumcisam*. Eo sensu *incircumcisos* appellant fructus arborum, tribus prioribus annis a satione (7). Familiariter usurpantur aures (8), animus (9), cor (10) incircumcisa, pro, sorde polluta, obfirmata in malo, cæca, impura. Insinuat ubique Apostolus (11) interiorem quamdam cordis circumcisionem, a circumcisione carnis longe diversam: hanc autem Moyses hic Judæis commendat. In eo autem posita est, ut cor penitus purgetur ab iis, quæ contraria sunt amori, timori, & fidei in Deum: *Circumcidet Dominus Deus tuus*, ait ipse pariter inferius xxx. 6. *cor tuum, & cor seminis tui* [filiorum tuorum] *ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua*. Innuere videtur Spiritus Sanctus, hanc cordis incircumcisionem in eo potissimum constitui, cum quis se se & Dei verbo & illustrationi gratiæ Sancti Spiritus opponat: *Incircumcisis cordibus & auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis*. Circumcisionis in deserto ritum Hebræi intermiserant. Docet hic Legislator, illud potissimum exigi a Deo, ut circumcisione altera, nempe cordis, sese consecrent. Hac ille oratione paulo ante obitum coram populo habita ad altiora pro viribus Israelitas, magisque a carnalibus remota erigit. Repetit frequenter præceptum amoris Dei, quod nunquam antea satis perspicue declaraverat.

℣. 17. Deus Deorum, et Dominus dominantium. Nunquam se quidem Deus ingerere potest tamquam Deum fictorum Numinum, cum Dii illi & Idola perinde sint ac nihil (12): *Nihil est Idolum in mundo*; quare si se Dominum ac Principem illorum fateretur, reipsa simul aliquid esse illa indicaret. Reputandum est, ait Theodoretus, nomine Deorum designari hic Principes, Judices, Magistratus, ac viros amplissimos: Deum igitur nostrum Deum omnium quotquot sunt potentissimum esse & amplissimum. Sed numquid non æque reputari posset, Deum admissis præjudiciis Gentilium de Numinum suorum potestate, sese supra Deos illos extulisse, ut eo argumento demonstraret absolutum & infinitum Imperium suum super omnia, quæ Dei nomen usurpant, & in reliqua omnia, quæ despotica authoritate seu vera seu ficta donantur?

Dominus dominantium; seu potius Dominus Regum & Principum hujus sæculi. Onkelos & Jonatban: *Dominus Regum*: Hebræi quidam totum versiculum ita reddunt: *Dominus Israel Deus est Angelorum, & Dominator astrorum*, vel militiæ Cœli, cujus illi influxibus sublunaria nostra submittunt.

℣. 18.

(1) Exod. xxviii. 1. (2) Exod. xxxii. 26. *Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi.* (3) Vide ad Num. xvi. xvii. & xviii. (4) Vide Num. vi. 23. 24. 25. (5) 1. Paralip. xxiii. 13. (6) 2. Cor. xii. 2. (7) Levit. xix. 23. *Auferetis præputia eorum.* (8) Act. vii. 51. *Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus.* (9) Levit. xxvi. 4. *Donec erubescat incircumcisa mens eorum.* (10) Jerem. iv. 2. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordis vestri.* (11) Rom. ii. 28. 29. (12) 1. Cor. viii. 4.

℣. 18. FACIT JUDICIUM PUPILLO ET VIDUÆ. Vide quæ consulimus in Exodum XXII. 22. Injurias viduæ & orphani perinde habet Deus, ac sibi irrogatæ fuissent, quarum & judicium & ultionem sibi reservat.

℣. 20. EI SOLI SERVIES. Vim præcepti, quæ inest Originali, non satis reddidissent Septuaginta & Vulgata, nisi addendum succurrisset illud *soli*, quod tamen in Textu non legitur.

JURABIS IN NOMINE ILLIUS, cum publico judicio interrogaberis. *Deut.* VI. 13.

℣. 21. IPSE EST LAUS TUA. Laudum tuarum argumentum ille esse debet, quemadmodum & felicitatis tuæ fons & origo. Decus tuum omne, commoda & meritum in eo posita sunt, quod a Deo selectus es in ejus populum: idcirco commendaris, quod ipsi es inter charos, quod ejus portio censeris. In eo gloriandum est tibi, quod in ejus obsequio fidelis perseveres. Apud exteras gentes nulla ferme alia re innotescebant Hebræi, quam studio erga religionem singularis Numinis, Cœli terræque Creatoris. Eo solo nomine laudabantur, quod ejus cultui tenacissime inhærerent. Vetus oraculum apud S. Justinum Martyrem in Exhortatione ad Græcos pronunciavit:

> Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι,
> Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν αὐτόν.
>
> *Solus Chaldæus sapit, & Judæus Apella,*
> *Per seipsum genitum regemque Deumque colentes.*

℣. 22. IN SEPTUAGINTA ANIMABUS. Exemplaria quædam Septuaginta, & S. Stephanus in Actis legunt sexaginta quinque. Eadem lectionum varietas spectata est in Genesi XLVI, 26. ubi demonstrare conati sumus, præferendam esse lectionem Vulgatæ & Textus Hebræi.

CAPUT XI.

Continuatio narrationis beneficiorum Dei erga populum suum, tum & in illum populi officiorum. Jubet Deus pronunciari maledicta in transgressores Legis super montem Hebal; uti & infideles Legi morigeros proferri fausta in monte Garizim.

℣. 1. AMa itaque Dominum Deum tuum, & observa præcepta ejus, & cæremonias, judicia, atque mandata, omni tempore. 2. Cognoscite hodie, quæ ignorant filii vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia ejus, & robustam manum, extentumque brachium, 3. Signa, & opera, quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni Regi, & universæ terræ ejus, 4. Omnique exercitui Ægyptiorum & equis ac curribus; quo modo operuerint eos aquæ maris rubri, cum vos persequerentur, & deleverit eos Dominus usque in præsentem diem: 5. Vobisque quæ fecerit in solitudine, donec veniretis ad hunc locum: 6. Et Dathan, atque Abiron filiis Eliab, qui fuit filius Ruben: quos aperto ore suo terra absorbuit, cum domibus, & tabernaculis, & universa substantia eorum, quam habebant in medio Israel. 7. Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna, quæ fecit. 8. Ut custodiatis universa mandata illius, quæ ego hodie præcipio vobis, & possitis introire, & possidere terram, ad quam ingredimini, 9. Multoque in ea vivatis tempore: quam sub juramento pollicitus est Dominus patribus vestris, & semini eorum, lacte, & melle manantem. 10. Terra enim, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existis, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: 11. Sed montuosa est, & campestris, de cœlo expectans pluvias. 12. Quam Dominus Deus tuus semper invisit, & oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus. 13. Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & serviatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra. 14. Dabit pluviam terræ vestræ temporaneam, & serotinam, ut colligatis frumentum, & vinum, & oleum, 15. Fœnumque ex agris ad pascenda jumenta, & ut ipsi comedatis, ac saturemini. 16. Cavete, ne forte decipiatur cor vestrum, & recedatis a Domino, serviatisque diis alienis, & adoretis eos: 17. Iratusque Dominus claudat cœlum, & pluviæ non descendant, nec terra det germen suum, pereatisque velociter de terra optima, quam Dominus daturus est vobis. 18. Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. 19. Docete filios vestros, ut illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris, atque surrexeris. 20. Scribes ea super postes, & januas domus tuæ: 21. Ut multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum, in terra, quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret eis, quamdiu cœlum imminet terræ. 22. Si enim custodieritis mandata, quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum,

& ambuletis in omnibus viis ejus, adhærentes ei, 23. Disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, & possidebitis eas, quæ majores, & fortiores vobis sunt. 24. Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto, & a Libano, a flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri. 25. Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum, & formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram, quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis. 26. Et propono in conspectu vestro hodie benedictionem, & maledictionem: 27. Benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis: 28. Maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, & ambulaveritis post deos alienos, quos ignoratis. 29. Cum vero introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal. 30. Qui sunt trans Jordanem, post viam, quæ vergit ad solis occubitum, in terra Chananæi, qui habitat in campestribus contra Galgalam, quæ est juxta vallem tendentem, & intrantem procul. 31. Vos enim transibitis Jordanem, ut possideatis terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut habeatis, & possideatis illam. 32. Videte ergo, ut impleatis cæremonias, atque judicia, quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.

℣. 1. OBSERVA PRÆCEPTA EJUS. Hebræus (1): *Custodies custodiam ejus, & statuta ejus, & judicia ejus, & præcepta ejus.*

℣. 2. COGNOSCITE HODIE QUÆ IGNORANT FILII VESTRI, QUI NON VIDERUNT DISCIPLINAM DOMINI. Revocate ante oculos mentis vestræ, ac sedula meditatione versate grandia illa, quorum testes vos ipsi fuistis, cum mare Rubrum pede trajecistis, cum tanto majestatis apparatu Dominus in verticem Sinai descendit: quæ prodigia filii vestri in hoc Deserto intra quadraginta annos nati, minime conspexere. Harum autem rerum memoria e vestra in illorum mentem ita migret, ut nunquam per varias generationum vices obliviscamini ea, quibus in illum tenemini, grati animi officia. Hebræus commode paulo aliter redditur (2): *Scietis hodie* [*quoniam non cum filiis vestris loquor, qui non cognoverunt neque viderunt*] *castigationem* [ultionem] *Domini Dei vestri, magnitudinem ejus, manum ejus validam secundum brachium extentum.* Vel aliter: Mentem hodie vestram adhibete [neque enim res est mihi cum filiis vestris mente destitutis, & experientis]; adhibete, inquam, mentem vestram ad considerandas ultiones Dei in impios &c. Alii alium sensum præferunt: Scire vos hodie volo, prodigia hæc, quæ vestris oculis spectastis, nunquam deinceps innovanda fore: non ea esse, quorum testes futuri sint filii vestri per succedentes sæculorum ætates; nec ut ista videant perinde illis dandum, ac vobis datum est. Tandem: Id vobis animadvertendum propono, non filios vestros, sed vos ipsos oculis conspexisse ultionem Dei, & argumenta potentiæ ipsius; & cætera, quæ sequuntur usque ad ℣. 10. *Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit.*

℣. 4. DELEVERIT EOS DOMINUS USQUE IN PRÆSENTEM DIEM. Ita porro hæc sententia reddenda est: *Deleverit Dominus*, uti compertum est vobis etiam *in præsentem diem*. Supplendum censemus, *ut compertum est vobis*, acceptum ex ℣. 2. his enim verbis omissis, mancus esset narrationis sensus. Rem commemoro non adeo vetustam, ut oblivione penitus exciderit: comperta vobis & explorata omnibus hodie narro.

℣. 6. CUM DOMIBUS, ET TABERNACULIS. Hæc utique accipienda non sunt de ædibus constructis; neque enim tunc aliter, quam in tentoriis habitabant: sed vertendum est: *Cum domibus*, idest, *tentoriis suis*; vel, *cum familiis suis, & tentoriis*; domus enim commode usurpatur de uxoribus, filiis, & domesticis (3).

ET UNIVERSA SUBSTANTIA EORUM, QUAM HABEBANT IN MEDIO ISRAEL. Hebræus (4): *Omnem substantiam* stantem, vel quæ existebat *in pedibus eorum, in medio totius Israel*. Idest, juxta nonnullos Interpretes, corpora omnia viva, quæ illis parebant: quidquid præsto erat ad nutum illorum. Hæc loquendi phrasis occurrit in Exodo XI. 8. *Egredere tu & omnis populus, qui subjectus est tibi.* Hebræus: *Qui est in pedibus tuis*, qui te ducem sequitur. Designare hic videtur seditiosos, quibus se ducem præbuerat Core.

℣. 10. NON EST SICUT TERRA ÆGYPTI, DE QUA EXISTI, UBI JACTO SEMINE IN HORTORUM MOREM AQUÆ DUCUNTUR IRRIGUÆ. Hebræus (5): *Non sicut terra Ægypti est, e qua egressi estis, ubi semines semen tuum, & irriges in pede tuo, sicut hortum oleris.* Ut Textus Mosaicus bene intelligatur, animadvertere juvat, Ægypti solum nonnisi Nili aquis irrigari; nullis enim imbribus Cœlum ibi pluit; nulli sunt in Regione amnes, unus est pro omnibus Nilus. Ejus aquæ late regurgitant quotannis mense Julio ineunte, agrumque tenet inundatio spatio sex hebdomadum; alte vero adeo stagnant aquæ, ut ad sexdecim cubitos interdum ascendant. Si duodecimum non superent, caritas rerum futura est (6). Ex inundantibus hisce aquis tota Ægypti spes repetitur: nullo enim alio humore irrigatur ejus solum, nisi lacertorum vel machinarum ope ex alveo amnis in agros deducantur. Ea autem irrigandi ratio quam ardua sit, nemo est qui non intelligat, in regione præsertim per se quidem fertili, sed sole, siquæ alia, maxime adusta; ubi aquæ quam altissime etiam ascendentes, omnia pervadere non possunt.

Id igitur efficit hic Moyses, ut sentiant Hebræi beatam soli Chananitici fertilitatem, ubertate & commodis cæteris Ægypto nihilo minorem, sed incommodis ejus nullis subjectam. Perluitur Jordane, amne aquarum gloria inclyto; perluitur & torrentibus plurimis, ac tum imbribus, tum largissimo rore humectatur. Quare semel mandatum terræ semen ulteriori cultu non indiget; nec opus est

(1) ושמרת משמרתו וחקתיו ומשפטיו ומצותיו (2) וידעתם היום כי לא את בניכם אשר לא ידעו ואשר לא ראו את מוסר יהוה (3) Ita Onkel. Jonath. Hebræi. Vide Deuter. XII. 7. Vos & domus vestræ: & passim: domus Israel. (4) כל היקום אשר ברגליהם בקרב כל ישראל (5) לא כארץ מצרים היא אשר יצאתם משם אשר תזרע את זרעך והשקית ברגלך כגן הירק (6) Plin. l. 18. *Si duodecim cubita non excessit, fames certa est: nec minus, si sexdecim exsuperavit.*

est ad alendum germen deduci aquas machinis, quibus aqua pedibus educitur. Ita vero machinas illas describit Philo (1). Rota, inquit ille, paratur, quam homo aliquis torquet motu pedum, per gradus intus in rota positos ascendens. Sed cum torquendo diu in pedes stare torquens homo non posset, manibus solidum quid & immobile apprehendit, quo sustinente retinetur: quare in eo opere præstando manus pedum, pedes manuum officium gerunt; cum enim manuum sit agere, ea in rota quiescunt; pedes vero, quibus esset quiescendum, motum rotæ imprimunt. Describit etiam Strabo libro XVII. machinam quamdam Ægyptiam, cujus ope CL. mancipia deducendis aquis occupantur; ac generatim idem Author observat, in tota ea regione, cujus altius est solum, aquas e Nilo derivari ope cochleæ Archimedicæ. Idem affirmat Diodorus Siculus (2). Porro cochlea Archimedica constat fistula, quæ cylindrum spiris ambit. Hujus machinæ ope aquæ vis maxima attollitur: sed cum inclinatione aliqua instrumenti sit opus, altissime humor ille attolli non potest; opus est enim, ut machinæ illius unum caput aquæ immergatur quam attollit. Notat Solinus (3), Mosaicæ fidei cohærens, *hortorum culturam apud Alexandriam & per universam Ægyptum, præter quam secundum Nili ripas, admodum difficilem esse; quoniam perpetuo instrumentis a bobus versatis haurienda est aqua ad rigandum solum*. Nec recentiores Itinerantes (4) siluerunt instrumenta, quæ hodie usque in ea regione ob hauriendas aquas obtinent. Confer Maillet descript. Ægypti par. 2. pag. 6, 7. & par. 1. pag. 50. 51. Vide etiam des Broves pag. 244. & seqq.

℣. 14. Dabit pluviam terræ vestræ temporaneam et serotinam, idest, juxta plerosque Interpretas & Rabbinos, imbres cadentes mense Octobri post sementem, & alios mense Martio paulo ante messem. Convenit inter omnes, rarissimas esse in Judæa pluvias, præter quam utriusque æquinoctii, verni & autumnalis, tempestate. Sed nobis ea sedet persuasio, uti jam in Genesi XXVII. 28. animadversum est, Hebræum *Malkusch* מלקוש, quod in Vulgata redditur *serotina*, & a Rabbinis accipitur pro imbre verno, designare potius pluviam autumnalem; ac proinde vocem יורה *jorah*, quæ pro autumnali imbre sumitur, vernum significare. Asserenda est hæc nostra opinio argumentis. Satis autem intelligimus futurum, ut cum semel demonstratum fuerit, vocem *Malkusch* esse pluviam autumnalem, facili illatione deduci, vocem *Jorah* poni pro imbre verno; nisi forte confuerimus, utramque vocem ejusdem tempestatis pluvias judicare: quod nullo conatu evincas. Hæc igitur vox nihil significare potest aliud, quam pluviam autumnalem, uti a Vulgata accipitur. I. Derivatur ex Hebræo לקש *lakasch*, quod sonat *vindemiavit* (5); significat etiam, *tardavit*, distulit. Tandem usurpatur de herba serotina, de fœno (6), quod iterum germinat. II. Designat pluviam desideratam, vel ardentibus votis expetitam (7). Congruit id autem maxime Autumno, qui æstivo calori succedit. III. Pluvia *malkusch* cadebat (8) anno ineunte. Porro annum ab Autumno cœpisse, jam alibi demonstratum est. IV. Zacharias X. 1. satis indicat, pluviam hanc ultimam esse pluviam serotinam: *Petite a Domino pluviam in tempore serotino* [malkusch]; *& Dominus faciet nives, & pluviam imbris, dabit eis singulis herbam in agro*. V. Quo tandem ordine duæ hæ voces distribuuntur, hic satis propositum evincit; prior enim semper occurrit *Jorah* (9), quippe cum ea vox exprimat pluviam vernam; secunda vero succedit *Malkusch*, indicans serotinæ tempestatis imbrem. In hunc sensum vocem acceperunt Septuaginta (10); nec dissimili phrasi eas pluvias Profani expressere (11).

℣. 15. Fœnum ex agris ad pascenda jumenta. Fœni duplex genus agnoscimus in Scriptura. Fœnum montium, vel deserti, ad quod pascendum educuntur greges; aliud est fœnum agrorum, quod instar frumenti & hordei serebatur & metebatur. In Palæstina enim, & in Ægypto, ac per Orientem & per Hispaniam prata sunt nulla: seritur fœnum, & venditur per fasciculos, in Urbibus emptum ab iis, qui per deserta loca itineri sese committunt (12). Consueta gregum pascua erant palea & hordeum, uti a Scriptura undique patet. Colligebantur nihilo secius tum ex montibus, tum ex agris trifolio & aliis id generis satis. Sermonem hic esse credo de secundo hoc fœni genere, appellato in Hebræo *Mispho*, cujus fasciculos jumento, quo vehebantur, impositos secum Itinerantes ferebant (13). Constat utique, aliud hic designari præter paleam. De fœno montano sermo frequens recurrit. Job XL. 25. *Huic montes herbas ferunt*. Psalmus CXLVI. 8. Dominum eo nomine laudat, quod *producat in montibus fœnum, & herbam servituti hominum* [jumentis homini inservientibus.] Docet Salomon in Proverbiis XXVII. 25. e montibus colligi fœnum illud consuevisse: *Collecta sunt prata de montibus*.

℣. 16. Ne decipiatur cor vestrum. Hebræus ad literam (14): *Ne insipiens fiat cor vestrum*. Septuaginta (15): *Ne dilatetur cor vestrum*.

℣. 17. Iratusque Dominus claudat cœlum. In tota hac descriptione sua fertilitatis regionis Chanaaniticæ eo spectare videtur Moyses, ut indicet, fertilitatem hanc potius accepto referendam esse Dei potentiæ ac liberalitati, quam insitæ a natura terræ hujus benignitati: ab Israelitis vero expectandum esse ejus effectum ex industria sua & soli facilitate minus quam ex fide in legem Dei, & propitii Numinis beneficio. Eo tota orationis ejus vis collimat. Ac re ipsa quidem siquis naturalem soli Chanaanitici statum consideret, qualem hodie præfert, ægre ille quidem agnoscet rivos mellis & lactis, & beatam illam fœcunditatem, quam Scriptura nunquam non laudat. Ex iis, qui eas regiones excurrerunt, quidam affirmant, exceptis quibusdam terræ tractibus, pingui fertilitate uberrimis, reliqua omnia solo lapidoso, sterili & sicco horrere. Tota meridionalis portio Juda, & adjacens Jerosolymitæ regio, non tantum incultæ penitus squallent, sed neque culturam patiuntur; ut difficile admodum in animum induxeris, quo pacto ingratum illud solum olim tot numero hominibus alendis suffecerit. Id utique non nisi in propitium Numinis oculum, qui benigno intuitu populum suum respiciebat, & in improbum incolarum laborem referretur. Vide quæ de fertilitate hujus regionis diximus in Exodo III. 8. quæ sane his nihil repugnant. Nihil est fertilius solo Chanaanitico, larga benedictione Numinis fœcundato: nihil sterilius eo, iisdem benedictionibus exspoliato. Quam hodie præ-

(1) Philo de confus. linguarum pag. 325. . . . [illegible]

(2) Diodor. l. 1. c. 3. (3) Solin. l. 2. c. 22. Vide & cap. 36. & Vitruv. apud Geut. hic. (4) Vide Thevenot, voyage d'Orient part. 1. l. 2. c. 5. & 9. (5) Job XI. 14. Ita Chald. (6) Amos VII. 1. (7) Job XXIX. 23. & Prov. XVI. 15. & Osee VI. 3. (8) Joel. II. 23. *Imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio*. Hebr. *Imbrem Jorah, & Malkusch in initio*. (9) Deuteronom. XI. 14. Jerem. V. 24. Joel. II. 23. (10) [illegible] (11) Hesiodus, opera & dies l. 2. vernum imbrem vocat [illegible], & autumnalem [illegible] (12) Bellon. observat. lib. 2. c. 71. & Spon, voyage d'Athenes pag. 409. 410. (13) Genes. XLIII. 27. & Judic. XIX. 19. (14) ופתה לבבכם (15) Μὴ πλατυνθῇ ἡ καρδία ὑμῶν. Legendum puto μὴ ἐπλανήθῃ, ex sensu Textus.

fert, flatus ille utique ad sensum demonstrat effectum maledictionis illius apud Deuteronomium XXVIII. 23. *Sit Cœlum, quod supra te est, æneum, & terra, quam calcas, ferrea.*

℣. 18. Inter oculos vestros collocate. Vide quæ in similem phrasim contulimus ad Exodi XIII. 9. & Deuteronomii VI. 9.

℣. 20. Scribes ea super postes. Dictum hoc ad literam accipientes Judæi, duobus membranæ frustulis verba Legis inscribunt, atque utrumque frustulum in volumen convolutum recondunt in geminis ligneis tubulis, quas solemni ritu utrique stipiti januæ suspendunt. Porro e membranis illis altera inscribitur versiculis 4. 5. 6. 7. 8. & 9. Capitis VI. Deuteronomii; altera vero versiculis 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. hujus Capitis XI.

℣. 21. Quamdiu cœlum imminet terræ; idest, quoadusque mundus erit. De Regno Messiæ agens Psalmus LXXXVIII. 30. ita Deum loquentem inducit: *Ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies Cœli*. Judæos hortatur Baruc I. 11. ut orent Deum *pro vita Nabuchodonosor, & pro vita Balthassar filii ejus, ut sint dies eorum, sicut dies Cœli super terram*; idest ut Regno felici, & diuturno fruantur. Similes phrases amarunt Profani. Seneca in Troade:

Nulla te terris rapiet vetustas.
Tu comes Phœbo, comes ibis astris.

Vide & Adagia Delrii.

℣. 24. Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. Pedem in aliquo loco ponere, illum circuire, judicium est quoddam acceptæ in illum possessionis. *In Idumæam*, ait Psalmus LIX. 10. *extendam calceamentum meum*, vel pedem meum, idest, juxta Interpretes, mihi illam subjiciam, & jure dominii potiar. His verbis Deus veluti jus suum in terram Chananiticam ad Hebræos transfert. Post hæc, immittuntur illi in regionem, seu tanquam in avitam hæreditatem, seu tanquam in locum absque domino desertum, primisque occupantibus permissum. Quidquid vobis submittere valebitis, vestrum erit.

A Deserto et a Libano. Reddunt nonnulli: *A Deserto, vel Libano*; veluti si duo hæc unum idemque designarent. Alii מן המדבר והלבנון *A Deserto usque ad Libanum*. A Deserto Sin in Arabia Petræa ad meridiem Palæstinæ, usque ad Libanum ad septentrionem ejusdem regionis (1); qui duo limites terræ Sanctæ longitudinem definiunt.

Mare occidentale. Sermo est de Mediterraneo ad Occidentem Palæstinæ. Hebræus: *Mare posterius*. Situm variarum Universi partium ita describebant Hebræi, ut obveniebant homini verso ore ad Orientem stanti: tergum vertit Occidenti, lævam septentrioni, & dexteram meridiei (2). Vastum hunc regionis tractum hic descriptum nunquam reipsa possederunt Hebræi, nisi forte sub Davide & Salomone Regibus.

℣. 26. Propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem. Exhibeo vobis quæcumque prospera vobis accident, nisi a fide erga Deum recesseritis, & quæcumque infausta, si aberraveritis a recto: vestrum est eligere. Porro benedictio & maledictio hic ponuntur pro effectibus, qui Dei benedictionibus, & maledictionibus inducuntur.

℣. 29. Pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal. Constitues sex Tribus in monte Garizim ad precandas benedictiones iis, qui Dei legibus morigeros sese præbuerint; in refractarios vero maledicta totidem aliæ Tribus e vertice montis Hebal imprecabuntur. Quo ritu hæc omnia præstanda sint, fusius describit Moyses inferius XXVII. & XXVIII. ac mandati hujus executionem post transitum Jordanis sub Josue, narrat idem Josue VIII. 30. 31.

Hebal & Garizim Eusebius in Locis, & post illum S. Hieronymus, contenderunt montem fuisse in planitie Jerichuntis constitutos: quare falli turpiter Samaritanos, qui locum illis tribuunt prope Urbem suam Sichem, vel Neapolim. Sed errorem in eumdem Eusebium regerunt Geographi (3), & Scriptores Commentariorum nostrates; Garizim enim situm reipsa dicunt proximum ipsi Sichem; quod ad sensum demonstrat Liber Judicum IX. 7. hæc narrans. Abimelech filius Gedeonis Imperium occupaverat, neci traditis fratribus suis omnibus, uno excepto Jonathano, qui e fraternis manibus evasit. Ita vero liberatus discrimine ascendit in montem Garizim; elataque voce affatus est cives Sichem, exprobrans illis ingrati animi erga memoriam patris sui vitium. Surgebat itaque Garizim Urbi huic adeo proximus, ut loquentis e monte vox intra Urbem audiretur. Recens quidam Itinerator (4) affirmat, geminos hosce montes longitudinis & altitudinis mensuram, sicut & formam, persimilem inter se referre. Terminat utrumque ager Jacob, qui ad illorum pedes jacet; in longum vero ultra MD. passus ut summum non porriguntur. Figuram exhibent hemicycli: utrumque vero interjacet vallis ducentis circiter passibus lata. In ea valle jacet urbs Sichem. Præruptum est adeo montis utriusque e latere Urbis jugum, ut gressum non admittat. Affirmat Ludolphus (5), Garizim montem esse fertilissimum, amœnissimum, & pluribus fontibus irriguum: vicissim autem Hebal ariditate, & sterilitate sua horrere. Beniamin Tudelensis Hebal scopulum esse ait. Græcus quidam Poeta apud Eusebium (6) utrumque montem describit æque herbis virentem, plantisque & arboribus luxuriantem.

℣. 30. Qui sunt trans Jordanem, post viam quæ vergit ad solis occubitum. Totius hujus versiculi litera ita sonat in Hebræo (7): *Nonne sunt* [duo hi montes] *trans Jordanem, post viam occasus, in terra Chananæi, habitantis in planitie, e regione Galgal, apud saltum More?* Siti sunt trans Jordanem, ad dexteram, & secus viam, quæ a Jordane ad mediterraneum ducit e regione Chananæorum, incolentium planitiem Jerichuntis, quæ planities porrigitur a Galgal usque ad nemus vel quercetum More. Hujus forte Textus authoritate persuasus est Eusebius, montes Hebal & Garizim surrexisse in campestribus Jerichuntis prope Galgal. Nec sane aliter redditur Textus Septuaginta (8); quem Eusebius sequebatur: *Nonne ecce hi* [. montes] *trans Jordanem, post viam occasus solis, in terra Chanaan, qui habitat ad occasum, dominus Galgal, & prope quercum excelsam?* Si montes isti spectantur in regione Chananæi, habitantis ad Galgal, & prope excelsam Quercum, sunt illi utique non longe a Galgal, & a via More.

Juxta vallem tendentem, et intrantem procul. Hebræus fert tantum: *Juxta Quercus*, vel *Quercetum More*; vel, servatis vocibus Originalis: *Juxta Elone More*. Idem est locus in Genesi appellatus *Convallis illustris* (9). Jacebat non longe a Sichem, vel saltem eo usque porrigebatur: quare nullis defenditur opinio eorum, qui eamdem esse cum valle Mambre, juxta Hebronem, censent.

(1) Var. Malv. Ainsw. (2) Vide ad Genes. XIII. 9. & XIV. 15. (3) Vide Bonfr. Adrichom. Cellar. l. 3. c. 13. (4) Moriton, voyage l. 2. c. 10. (5) Ludolf. not. in Epist. 1. Sichemit. (6) Euseb. Præpar. l. 9. c. 22. (7) הלא המה בעבר הירדן אחרי דרך מבוא השמש בארץ הכנעני היושב בערבה מול הגלגל אצל אלוני מרה (8) Οὐκ ἰδοὺ ταῦτα πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ὀπίσω ὁδὸν δυσμῶν ἡλίου, ἐν γῇ Χανάαν, τὸ κατοικοῦν ἐπὶ δυσμῶν ἐχόμενον τοῦ Γάλγαλ πλησίον τῆς δρυὸς τῆς ὑψηλῆς. (9) Genes. XII. 6. *Usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem.*

CAPUT XII.

Jubet Deus deleri Idololatriam in Chanaanitide ; solvi decimas & primitias ac spontaneas oblationes ; sacrificia nonnisi in loco a Deo electo offerri ; & non gustari sanguinem.

℣. 1. HÆC sunt præcepta atque judicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris. 2. Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos ; super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum. 3. Dissipate aras eorum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis. 4. Non facietis ita Domino Deo vestro: 5. Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester, de cunctis Tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis : 6. Et offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas, & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ovium. 7. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabimini in cunctis, ad quæ miseritis manum, vos & domus vestræ, in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester. 8. Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur. 9. Neque enim usque in præsens tempus venistis ad requiem, & possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis. 10. Transibitis Jordanem, & habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis a cunctis hostibus per circuitum, & absque ullo timore habiteris, 11. In loco quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo. Illuc omnia quæ præcipio conferetis, holocausta, & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum : & quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vovebitis Domino. 12. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos & filii ac filiæ vestræ, famuli & famulæ, atque Levites qui in urbibus vestris commoratur ; neque enim habet aliam partem & possessionem inter vos. 13. Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: 14. Sed in eo, quem elegerit Dominus, in una Tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcumque præcipio tibi. 15. Sin autem comedere volueris, & te esus carnium delectaverit, occide, & comede juxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedi tibi in urbibus tuis: sive immundum fuerit, hoc est, maculatum & debile; sive mundum, hoc est, integrum & sine macula, quod offerri licet; sicut capream & cervum, comedes. 16 Absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes: 17. Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini & olei tui, primogenita armentorum & pecorum, & omnia quæ voveris, & sponte offerre volueris: & primitias manuum tuarum: 18. Sed coram Domino Deo tuo comedes ea, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius tuus, & filia tua, & servus & famula, atque Levites qui manet in urbibus tuis : & lætaberis & reficieris coram Domino Deo tuo, in cunctis ad quæ extenderis manum tuam. 19. Cave ne derelinquas Levitem, in omni tempore quo versaris in terra. 20. Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, & volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua: 21. Locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus ut sit nomen ejus ibi, si procul fuerit, occides de armentis & pecoribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis, ut tibi placet. 22. Sicut comeditur caprea & cervus, ita vesceris eis : & mundus & immundus in commune vescentur. 23. Hoc solum cave, ne sanguinem comedas : sanguis enim eorum pro anima est : & idcirco non debes animam comedere cum carnibus : 24. Sed super terram fundes quasi aquam, 25. Ut bene sit tibi, & filiis tuis post te, cum feceris quod placet in conspectu Domini. 26. Quæ autem sanctificaveris & voveris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus: 27. Et offeres oblationes tuas carnem & sanguinem super altare Domini Dei tui : sanguinem hostiarum fundes in altari : carnibus autem ipse vesceris : 28. Observa & audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi, & filiis tuis post te, in sempiternum, cum feceris quod bonum est & placitum in conspectu Domini Dei tui. 29. Quando disper-

disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaveris in terra earum: 30. Cave ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subversæ, & requiras cæremonias earum, dicens: sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita & ego colam. 31. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni. 32. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.

ỷ. 1. HÆC SUNT PRÆCEPTA. Post excussa generalia mandata Israelitis imposita, ac illud maxime de amore Dei, quod præcedentibus Capitibus inculcavit; modo vero singula ab Israelitis in terra Promissionis servanda prosequitur.

ỷ. 2. SUBVERTITE OMNIA LOCA, templa, lucos, aras, monumenta, & ligna Idololatriæ quæcumque offenderitis. De vetustate lucorum, profana religione sacrorum, disseruimus in Gen. XXI. 33.

ỷ. 3. DISPERDITE NOMINA EORUM. Removete externa indicia cultus profani, radicitus evellite ludibrium hoc religionis, ut ne nomen quidem ejus supersit; non vestigium, non memoria. Vel potius: Nunquam de illa loquimini, vel nomen ejus obliti, ut nunquam sit nomen illud in ore vestro, dum regionem tenueritis: id autem congruit cum iis, quæ imperantur in Exodo XXIII. 13. *Per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.* Tandem *disperdere nomen alicujus*, id designare proprie videtur, cogere aliquid mutare sedem, naturam, dominum, penitus abolere. Quemadmodum *ponere locum suum alicubi* est contrario sensu, in possessionem alicujus rei venire, confirmare se ibi, & tributa ac obsequia tanquam Dominum loci exigere. Hoc sensu legitur hic ỷ. 5. *Venietis ad locum quem elegerit Dominus Deus vester, ut ponat nomen suum ibi.*

STATUAS EORUM. Hebræum מצבה *Matzebah* reddunt plerumque Septuaginta τὰς στήλας *Columnas*. Consecrata olim apud Veteres Numina sculptum simulacrum non præferebant. Quæcumque vetustissima ea in re nobis comperta sunt, exhibent rudes lapides vel columnas (1). Sermonem habens Arnobius (2) de Dea Phrygia, quæ ab Attalo Romam missa sua adhuc ætate perseverabat, nihil aliud exhibuisse illam dicit, quam lapidem subnigrum vel atrum, asperum & brevem adeo, ut pondus hominis minus justum constitueret. Subducere e Templo Dianæ Laodiceæ meditabatur Heliogabalus (3) lapides, quos Orestes consecraverat. Quid Venus Arabum? Lapis figuræ pyramidalis.

ỷ. 4. NON FACIETIS ITA DOMINO DEO VESTRO. Non erigetis illis statuas, non lucos profanos plantabitis, non excitabitis aras, non Templa: nulla sensili figura illum exhibebitis, nec coletis impuro & superstitioso ritu, uti Deos suos Pagani venerantur. Vide ỷ. 21.

ỷ. 5. DE CUNCTIS TRIBUBUS VESTRIS. Septuaginta in nonnullis Exemplaribus hic, ỷ. 14. legunt (4): *In una e vestris Urbibus*. Fixam sibi eligere sedem in certa ulla Tribu Deus usque ad Davidis Regnum noluit. Ante eam ætatem modo in unam Tribum, modo in alteram migrabat.

UT PONAT NOMEN SUUM IBI, ET HABITET IN EO. Hebræos: *Ut ponat ibi nomen suum, ut ibi habitet, quæretis eum, & venietis illuc.* Septuaginta: *Ut adnominetur nomen ejus ibi, & invocetur, & exquiretis, & venietis illuc.* *Nomen Domini* designat hic ejus majestatem, præsentiam, Arcam, Templum; locum qui gloriabitur de nomine sedis Domini, sancti loci, Urbis sanctæ. Hoc plerumque titulo, Ἱερόπολις, uti sæpe apud Philonem, urbs Jerusalem distinguebatur. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.* Ipsa est *civitas Regis magni. . . . Civitas Domini virtutum, civitas Dei nostri* (5). Scripturæ stylo (6), *ponere nomen suum in aliquo*, est conferre in illum authoritatem suam, ut nomine suo agat. *Invocabitur nomen meum super vos* (7). Idest, inter meos recensebimini, ut titulo amicorum meorum, servorum meorum, populi mei distinguamini. Ponere nomen suum in loco aliquo, est seligere illum in sedem suam & hæreditatem; qua loquendi phrasi designat non raro Scriptura loca, in quibus Arca considebat (8), & Urbem, ubi Templum constructum est.

ỷ. 6. PRIMITIAS MANUUM VESTRARUM; idest primitias operum manuum vestrarum. Hebræus ad literam: תרומת ידיכם, *elevationem manuum vestrarum*. Dictum accepisse videntur Septuaginta (9) de laudibus Domini, de prece elatis in Cœlum manibus facta, de quibus in Psalmis (10) & apud Apostolum (11). Sed in versiculis 11. & 17. ita reddunt, ut in Vulgata, *Primitias manuum vestrarum*. Præstat explicare de oblationibus, quæcumque illæ fuerint, quæ Domino sisterentur. Vox *Trumah* usurpatur de oblationibus æque omnibus, tum spontaneis, tum imperatis. Appellantur *oblationes manuum vestrarum*, quod ipse per se offerens illas exhiberet, vel potius quod id daret offerens, quod dare posset ac possideret. Manus ponitur pro eo quod quis potest. Ex quo phrasis illa Levitici v. 11. *Quod si non quiverit manus ejus duos offerre turtures aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam.*

ỷ. 7. IN CUNCTIS AD QUÆ MISERITIS MANUM, בכל משלח ידיכם. *In omni ad quod extendetis manus vestras.* Quæ loquendi phrasis exprimere solet, molimina vestra omnia, & susceptos labores. Vide infra, Cap. XV. 10. XXIII. 20. XXVIII. 20. Commode etiam hic exponitur de iis quæ mensæ apponuntur, & quæ permittuntur in cibum; vel de rebus omnibus, & dapibus victimarum, de quibus fas est degustare. Constat equidem, in Sacrificiis pacificis privato cuique permitti esum carnium suarum victimarum, post oblatam in Altari & concessam Sacerdoti præscriptam a Lege portionem.

ỷ. 8. NON FACIETIS IBI, QUOD NOS HIC FACIMUS HODIE, SINGULI QUOD SIBI RECTUM VIDETUR. Innui his verbis videtur, legum cæremonialium sanctionibus vel nihil, vel minus obsecutos fuisse in Deserto, ut piis & spontaneis cordis sui motibus quisque permitteretur; satisque haberetur si quis

(1) Vide quæ diximus in Genesi XXVIII. 19. (2) Arnob. contra gentes, lib. 8. circa finem. (3) Lamprid. in Heliogabal. (4) Ἐν μιᾷ τῶν πόλεων ὑμῶν. In aliis Exemplaribus: ἐν μιᾷ τῶν φυλῶν ὑμῶν. (5) Psalm. XLVII. 1. 2. 9. (6) Exod. XXIII. 21. (7) Deut. XXVIII. 10. (8) Jerem. VII. 12. & 2. Paralipom. VI. 5. 6. Vide infra ỷỷ. 11. & 21. & Cap. XIV. 23. & XVI. 2. 6. 11. &c. (9) Τὰς ὁμολογίας ὑμῶν. Hæ enim voces aperte cum Hebræo congruunt, quamquam non eodem omnino in ordine sunt ac *trumah*. (10) Psalm. CXL. 2. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Item Psalm. CXXXIII. 2. *In noctibus extollite manus vestras in sancta.* (11) 1. Timoth. II. 8. *Levantes manus puras sine ira, &c.*

quis significationes aliquas religionis præstaret, quamquam non eas omnes, quæ a lege imperabantur. Scimus, Sabbathi religionem summa cautione servatam fuisse; cujus rei argumentum est apertissimum historia hominis lapidibus confecti, quod eam labore aliquo violasset (1). Mactari etiam consuevisse præ foribus Tabernaculi videntur animalia omnia, quæ Israelitis in cibum parabantur (2); uti & perpetuus ignis arsisse in Altari, cum Moyses jusserit efferri ex Altari cineres, cum castra moverentur (3). Sancitum est alibi, panes propositionis quotidie præsto essent coram Domino (4). Affirmat etiam cremari extra castra, in loco quo offerebantur cineres, victimam pro peccato oblatam (5). Sexcentæ aliæ legis cæremonialis sanctiones occurrunt, quæ vel in Deserto servatæ fuera. Sunt etiam ex iis nonnullæ, pro tempore itineris ita latæ, ut vix ac ne vix quidem in Chananitide servati potuissent. E. g. politia in jure dicundo (6); & alia nonnulla, quæ pertinent ad munditiem castrorum, quæque statuuntur de immunditiis (7), legalibusque maculis (8) ab eo contractis, qui funeribus adesset (9); vel quibus tenerentur fœminæ ex incommodo menstruo: jubebantur enim illæ, postquam convaluissent (10), sistere se Tabernaculo; uti & post puerperium conferre se ad Tabernaculum, post quadraginta a partu masculi dies, ut lustrarentur.

Sed vicissim plures erant leges, quas servare in Deserto ne volentibus quidem dabatur. Israelitæ filios suos circumcisione non obsignarunt, nullum celebrarunt sive Pascha, sive Festum aliud a Moyse præscriptum. Quin nec servari potuisse videntur præscriptæ pro jugibus sacrificiis regulæ, nisi forte in iis stationibus, ubi populus diutius perseveravit; e. g. in castris ad Sinai, ubi certo quidem constat solutum fuisse pensum holocausti matutini, & vespertini, cum omnibus suis libationibus & cæremoniis in Libro Numerorum præscriptis (11). Commentariorum Scriptores plerique (12) ultro agnoscunt, cæremonialis legis sanctionibus quibusdam nihil obtemperatum fuisse in Deserto; & Prophetæ Jeremias (13) & Amos (14) observant, Deum nulla in Deserto Sacrificia postulasse. Quin & iidem pariter Prophetæ exprobrant in eo itinere populo idololatriam; nec immerito reputamus ante latum edictum illud, ut quisque pro foribus Templi constitueret animalia omnia, quæ mactanda essent (15), sacrificia ubique totis castris ad arbitrium offerri consuevisse. Hanc etiam datam populo offerendi libertatem tamdiu perseverasse censent Judæi (16), quamdiu certa & fixa sedes Arcæ non fuit, nempe ut illi quidem affirmant, quamdiu non substitit in Silo; quin & post captam Arcam illam a Philistæis sacrificia quocumque maxime quis maluisset loco offerebantur: quod & obtinuit quoadusque Templum Jerosolymæ constructum non stetit.

Sunt qui (17) hæc Moysis verba de hac Hebræorum libertate, ad sola Sacrificia definiunt, quæ inquiunt, ubique locorum offerre fas erat; quæ facultas post collocatam in Silo Arcam adempta est. Hæc tamen explicatio, ex Rabbinis ducta, angustior quam par est nobis videtur (18). Quare Moysis verba latiore sensu intelligenda sunt, de ampliori regularum numero, quod spectat ad Sacrificia, decimas, primitias, oblationes, festos dies, aliasque cæremonias, minime tum servatas, neque servari cœptas, nisi subacta Chananitide per Israelitas.

℣. 11. Primitias manuum vestrarum. Vide ℣. 6. Veteres Græci Interpretes reddiderunt τὰ ἑκούσια, *spontaneas oblationes vestras.*

Quidquid præcipuum est in muneribus. Hebr. כל מבחר נדריכם *omnem electionem votorum vestrorum.* Quidquid eximium, quidquid optimum: vota enim de rebus selectis nuncupanda sunt, inquiunt Judæi Doctores.

℣. 14. Offeretis hostias. Hebræus: *Holocausta vestra.*

℣. 15. Si autem comedere volueris et te esus carnium delectaverit. Hebr. fert tantum (19): *Sed in omni desiderio animæ tuæ;* idest, si pruritus comedendi carnes te urserit, quicumque is pruritus fuerit, illum explere per me licet.

Sive immundum fuerit, hoc est, maculatum &c. Brevior est in Hebræo sententia, & aliam plane sensum reddit: *Mundum & immundum, comedetis illud, sicut capream & sicut cervum.* Qui Vulgatæ sensum præferunt, dictum exponunt de mundis immundisque animalibus: sed cum nefas sit immundum animal comedere, nomen hoc *immundum* ad novam & inusitatam significationem detortum est, quasi designet animal vitiatum, & sacrificiis ineptum. Easdem originalis voces in Textu persimili infra, ℣. 22. ita reddidit Vulgata: *Mundus, & immundus in commune vescentur.* Nec aliter dictum duobus his locis fere omnes Commentariorum Scriptores accepere. In degustandis carnibus communibus, semel oblato animali præ foribus Tabernaculi, ibique immolato, ejusque sanguine fuso coram Domino (20), fas erat deinceps Israelitis omnibus de dapibus illis degustare, etiamsi legali aliqua macula participandis hostiis pacificis arcerentur (21). Oblatio mactandorum animalium præ foribus Tabernaculi, ita ritum hunc exigebat, ut præter illum nihil. Id autem eo consilio indictum erat, ut discrimen omne Idololatriæ removeretur: nec tamen inde sanctitatis quidquam extraordinariæ inducebatur in victimas, quæ in proprios usus mactabantur.

Censet Fagius, animalia illa, hoc ritu oblata præ foribus Tabernaculi, ejusdem naturæ fuisse, ac hostias pacificas, ad quas proinde degustandas nonnisi puri accedere permittebantur; hic vero Moysem declarare, populum in terra promissionis ab ea lege eximendum esse, ac integrum tunc relinquendum singulis, sive mundis sive immundis, ut cibos e suis animalibus parent, soluta obligatione sistendi illa Tabernaculo. Nec inficiandum est, saltem hunc sensum reddere versiculos 20. 21. 22. Ægre tamen in animum induxerim, animalia, quæ tantum sistebantur Tabernaculo in Deserto, & quæ forte etiam oblata sunt in loco, ubi Arca Domini considebat, in Terra Promissionis, animalia, inquam, illa eam sanctitatem contraxisse, ut Immundos Israelitas arcerent. Nihil apud Moysem occurrit, quod Fagii opinionem hanc juvet. Quod nunc dubitanter innuimus, perseveratum scilicet fuisse constitui coram Templo vel Tabernaculo animalia, quæ mactabantur in iis Palæstinæ Urbibus, ubi Arca vel Tabernaculum considebat; id ad ℣. 21. discutietur.

℣. 16. Effundes. Effusus in terram sanguis aggesta humo operiebatur (22): sed in eo effundendo nullus erat præscriptus ritus, veluti cum commune aliquid, ceu aqua, effunditur.

℣. 17. Non poteris comedere in oppidis tuis deci-

(1) Num. xv. 32. (2) Levit. xvii. 3. (3) Num. iv. 13. (4) Numer. iv. 7. (5) Levit. iv. 12. (6) Exod. xviii. 25. (7) Deut. xxiii. 13. (8) Num. v. 2. (9) Deut. xxiii. 10. (10) Levit. xv. 28. 31. (11) Num. xxviii. 3. . . . 6. 8. . . . *Holocaustum juge est quod obtulistis in monte Sinai, in odorem suavissimum incensi Domini.* (12) Vide Fag. Vatab. Grot. Drus. Jansen. Vide & Mas. & Serar. in Josue v. 10. (13) Jerem. vii. 22. (14) Amos v. 25. 26. (15) Levit. xvii. 4. 5. (16) Vide Fag. & Vatab. (17) Munst. Fag. Vatab. Grot. (18) Menoch. Bonfr. (19) רק בכל אות נפשך (20) Levit. xvii. 3. 4. 5. (21) Levit. vii. 20. (22) Levit. xvii. 13.

DECIMAM FRUMENTI . . . . ℣. 18. SED CORAM DOMINO DEO TUO COMEDES EA. Nomine decimarum frumenti, vini, & olei, censendæ hic non sunt consuetæ decimæ, quæ ita Levitarum erant (1), ut nullo in eas jure cæteri Israelitæ potirentur; sed aliud decimarum genus intelligendum est (2), quod ad locum a Domino in sedem electum deferebatur, ut in convivia, aliasque lætitiæ significationes impenderetur. De extraordinariis hisce decimis sermo recurrit inferius XIV. 22. 23. nos vero de illis egimus in Leviticum XXVII. 30. (3).

PRIMOGENITA ARMENTORUM. Scitum est, primogenita omnia juris fuisse Sacerdotum, ut nihil de iis ad privatos dominos pertineret (4): quare hunc Textum accipi opus est non de primogenitis, quæ quis Templo sistere tenebatur, at de primogenitis tantum alterius generis; e. g. de secundo fœtu animalium, de quo decernere integrum erat domino; vel de primo quidem fœtu, cum fœmina nasceretur, neque enim ejusmodi primogenita offerenda erat Domino; vel tandem de primogenitis, quæ vitiata nascebantur, illa enim sibi redimebat herus, pretio Sacerdoti persoluto. Porro ex iis dominus poterat læta cum amicis convivia instruere. Maluerim ego, nomen illud primogeniti explicare de omnibus quæcumque Deo vovebantur. In Exodum XII. 12. demonstravimus, nomen illud usurpari interdum in Scriptura pro eo quod est optimum & eximium; eodemque Capite ℣. 11. ostendimus, res optimas, & eximias offerri voto consuevisse. Quare non immerito verti posse reputamus: *Comedes coram Domino primogenita armentorum*, idest opima opima, *quæ voveris, & sponte offerre volueris*.

OMNIA QUÆ VOVERIS. Voto res consecrari poterant Domino plene, & integre, ut nullum sibi jus offerens in eas servaret: res autem ita devotæ cedebant Sacerdoti, ut nihil ex illis in suos usus reservare posset vovens. Cum tamen quis vovebat sacrificia pacifica, vel voto sese obstringebat ad admittendos in Dei honorem Levitas, vel Leviticas familias in partem victimæ Deo oblatæ, ciborumque ex ea paratorum, tunc nihil cedebat Sacerdotibus, nisi quod Lege decretum erat, veluti operæ stipendium: reliqua illius erant, qui victimam sufficiebat. De postremis hisce votis sermo est in præsenti.

℣. 21. SI PROCUL FUERIT. Quæ oritur oppositio hujus Textus cum versiculis 11. 12. & 13. in eam persuasionem induxit Scriptores quosdam Commentariorum (5), Lege sua Moysem obligasse Israelitas, ut undique e vicinis locis coram Tabernaculo, vel Templo sisterent quæcumque animalia in suum usum mactanda erant; quemadmodum e totis castris statuebantur parata in hunc usum animalia, ut fusus eorum cruor Domino offerretur. Sed ægre admodum demonstrabitur, morem hunc obtinuisse, quo tempore Hebræi in Palæstina consederunt. Quare planius ita hæc sententia redditur: Si locus distet, ita vos geretis uti superius imperatum est (6): vescemini carne animalium, quorum permissus est esus, sive puri sitis, sive impuri, dummodo a sanguine abstineatis. Confer Leviticum XVII. 3. 4.

℣. 22. MUNDUS ET IMMUNDUS IN COMMUNE VESCENTUR. Ii scilicet, quos levior aliqua legalis macula ita viciaverit, ut a participatione rerum sacrarum arceat, minime tamen a communi hominum consuetudine amoveat. Qui vero tenebantur alterius generis maculis, quæ in cæteros contagione quadam diffundebantur, quæque a societate hominum removebant, nefas erat illis comedere in aliorum cœtu carnes; quibus tantum seorsum, & a cæteris discreti vescebantur.

℣. 27. OBLATIONES TUAS: Hebræus: *Holocausta tua*. Absumebantur hæc penitus igne, & sanguis super altare fundebatur. Verum in Sacrificiis pacificis sanguis offerebatur Domino, effusus ad basim Altaris; carnes vero comedebant privati quique, tradita, quam Lex imperat, Sacerdotibus portione.

℣. 30. CAVE, NE IMITERIS EAS. Hebræus פן תנקש אחריהם: *Ne forte offendaris post eas*; ne in earum laqueos incurras.

℣. 31. NON FACIES SIMILITER. Vide ℣. 4.

COMBURAES IGNI. Vide quæ de Sacrificiis humanarum hostiarum contulimus in Leviticum XVIII. 21.

℣. 32. NEC ADDAS QUIDQUAM, NEC MINUAS. Vide supra Cap. IV. 2. Nihil addes, contrarium iis quæ edicit præstando; nihil demes, ea negligendo quæ præcipit. Hanc regulam non pessundedit Jesus Christus; neque enim contra spiritum, & mentem Legislatoris egisse arguendus est, cum aliquid addidit iis, quæ minus perfecta Lex sanxerat, vel ea abstulit, quæ obstaculo erant perfectioni. Augendæ potius, & perficiendæ Legi ea valuerunt quæcumque ipse demenda, & supplenda censuit. Josephus libro contra Appionem Capite 3. hæc memoranda verba de Libris sacris gentis suæ scripta reliquit: *Cum tot jam sæcula effluxerint, nemo adhuc nec adjicere quidquam illis, nec demere, aut mutare aliquid ausus est. Sed omnibus Judæis hoc insitum, atque innatum est, Dei ut hæc esse præcepta credamus, iisdemque constanter adhærescamus, & eorum caussa, si opus fuerit, mortem libentissime perferamus.*

(1) Num. XVIII. 21. (2) Vide Theodoret. qu. 10. in Deut. (3) Vide Hieronym. in Ezech. c. 45. & Joseph. Antiq. l. 4. c. ult. & Bonfrer. hic. (4) Num. XVIII. 15. (5) Jansen. ad ℣. 13. (6) ℣. 15. 16. Vide Bonfrer.

CAPUT XIII.

Edicta in Pseudo-Prophetas, & seductores populi ad Idololatriam, & cultus Domini desertionem.

℣. 1. SI surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum, 2. Et evenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis: 3. Non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra. 4. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius

lius custodite, & audite vocem ejus: ipsi servietis, & ipsi adhærebitis. 5. Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de domo servitutis: ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui. 6. Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis, ut animam tuam, clam dicens: Eamus, & serviamus diis alienis, quos ignoras tu, & patres tui. 7. Cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta, vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ, 8. Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis, & occultes eum, 9. Sed statim interficies: sit primum manus tua super eum, & postea omnis populus mittat manum. 10. Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere a Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis: 11. Ut omnis Israel audiens timeat, & nequaquam ultra faciat quippiam hujus rei simile. 12. Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: 13. Egressi sunt filii Belial de medio tui, & averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt: Eamus, & serviamus diis alienis, quos ignoratis: 14. Quære solicite, & diligenter rei veritate perspecta, si inveneris certum esse, quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, 15. Statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, & delebis eam, ac omnia, quæ in illa sunt, usque ad pecora. 16. Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, & cum ipsa civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus; non ædificabitur amplius, 17. Et non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua, ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tui, multiplicetque te, sicut juravit patribus tuis, 18. Quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias, quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

℣. 1. SI SURREXERIT IN MEDIO TUI PROPHETES, Monita hæc, & leges appendices sunt eorum, quæ præscripta sunt in fine capitis præcedentis: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Surgat licet in medio tui Propheta, qui spiritu Dei se afflatum jactet, qui prodigia spargat, qui futurorum arcana ita referet, ut ab eventu sibi fidem conciliet; si tamen ille abstrahere te a cultu Domini nitatur, cave ne illum sequaris, sed habeas ceu vanum, & seductorem. Postquam prodigiis assertam Religionem tuam spectaveris, post tot argumenta, quibus sanctitas ejus, sinceritas, puritas demonstrantur, nihil est quod fidem apud te adversus illam adstruat, non prodigia, non prophetica Oracula, non authoritas ulla tantam obtinere debet apud te certitudinem, quantam Religio, quam profiteris. *Si Angelus de Cælo evangelizet vobis præter quam quod evangelizatum est vobis, anathema sit.* His verbis S. Paulus confirmabat Galatas non dissimili occasione (1). Frustra Judæi sententiam hanc urgent in Jesum Christum. Huic plane Divino Magistro veri Prophetæ characteres omnes congruebant; tantumque aberat, quin Judæum populum a Deo, & Religione sua abstraheret, ut inculcaret illi potius perfectum, purum, sublimiusque Legis obsequium, quam sane Legem ille *non venit solvere, sed adimplere.*

Quod attinet ad animadversionem in seductores, qui populum a vero abstrahare conarentur, docent Rabbini (2), Judicium eorum Sanhedrinis Patribus reservari: quem morem spectasse videtur Jesus Christus iis verbis (3): *Non capit Prophetam perire extra Jerusalem*; & (4): *Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt.* Nec sane alia ratione constitutus coram Caipha (5) & Sanhedrio creditur Jesus, nisi quod Pseudo-Propheta esse accusaretur. Tandem ex Evangelio intelligimus, Judæos sedulo explorasse omnia, investigaturi, num Jesus Christus verus esset Propheta; cujus rei causa ab illo prodigium petunt (6): *Volumus a te signum videre.*

In hoc causarum genere necessarium utique non habebatur, ut reus præmoneretur: quod tamen in ceteris omnibus causis capitalibus solemne erat. Sola Testium probatione adhibita, Pseudo-Propheta damnabatur. Frustra autem ille causabatur ignorationem, neque enim hæc reum absolvebat; qui statim sententia Sanhedrii elisis faucibus interficiebatur.

Porro Pseudo-prophetas hisce indiciis, ex Rabbinis, agnoscas. I. Opus erat, ut Pseudo-propheta personam Prophetæ verbis & factis ementiretur, seseque obtruderet tanquam hominem afflatum, & gestu, & rebus ceteris Prophetam simulans. Etenim si de futuris tantum ederet oracula, vel mira supra naturam operaretur, sive naturæ excellentioris ingenio, sive animi solertia & calliditate; hæc utique minora erant, quam ut Pseudo-propheta judicaretur: pœnam subibat tantum seductoris, si ingenii sui nervos intendisset, ut populum e cultu veri Dei removeret. II. Ille Pseudo-propheta censebatur, qui Legi opposita doceret: nisi aliis forte indiciis agnitus fuisset genuinus Propheta, ac vir probus, qui in singularibus rerum eventibus aliquid Dei legibus contrarium præciperet; uti Elias, qui ut cultores Baalis rubore persuaderet, Sacrificium obtulit in monte Carmelo (7). III. Pseudo-propheta non censebatur ille, qui cum futura mala prænunciasset, oraculis tamen illius non respondisset eventus; miserentis enim est Numinis, ut pœnam hominibus decretam sæpe differat, seu veniam pœnitudine

[1] Galat. I. 8. [2] Maimon. in Tract. Sanhedr. c. XI. 12. [3] Luc. XIII. 33. [4] Matth. XXIII. 37. [5] Matth. XXVI. 57. [6] Matth. XII. 38. [7] 3. Reg. XVIII. 23.

dine potcentibus indulgeat. Vicissim autem, si bona plurima spopondisset, nec nisi modica sequerentur, id satis erat, ut Pseudo-propheta judicaretur. Tandem ille genuinus Propheta censebatur, cui testimonio suo verus alius Propheta suffragaretur. Vide nostram Dissertationem de veris fictisque prodigiis. Plura si quis optaverit de Prophetis, atque Prophetarum Oraculis, adeat generalem nostram Præfationem in Prophetas.

℣. 2. Et evenerit quod locutus est. Rei eventus plene respondens vaticinio non semper est veri Prophetæ argumentum. Casus, experientia longa habitudine comparata, ingenium ac solertia hominis, vel dæmonis, indicium capere possunt de rebus futuris ex præsenti rerum naturalium dispositione; quibus omnibus oraculo suo, licet ficto, fidem adstruant ex eventu. Verus Propheta verti potest in impium & Ariolum; nihilominus ea, quæ antea tanquam verus Propheta prænunciaverat, eo licet in deterius mutato, procul dubio contingent. Tandem Deus latenti consilio suo permittere potest, ut ariolus uti Balaamus, impius uti Caiphas, rerum futurarum certa fundant Oracula; nec tamen idcirco ariolorum illorum prava consilia opus est sequamur, si quæ forte dederint, quibus homines a Dei cultu removeant. Nec aliter data proportione differendum est de prodigiis. Facile est seductori quædam patrare, quæ prodigii inanem speciem præferant. Potuit Dæmon magorum Pharaonis virgas in angues vertere: potuit Judas ante apostasiam patrare miracula: sed præstigiosa hæc licet ac specie verum prodigium imitantia, perinde tamen habenda sunt ac nihil, cum eo tendere deprehenduntur, ut nos a Deo seducant.

℣. 3. Quia tentat vos Dominus. Neminem Deus tentat (1): *Deus intentator malorum est.*; impar est tentandis hominibus, ut eos decipiat & pertrahat in malum. Nec etiam tentare potest homines, ut noscat occultas eorum habitudines, intima enim cordis nostri penetralia ipsi reserata sunt; sed id efficit interdum, ut nos animum nostrum cognoscamus, ut qui simus tandem intelligentes, audaciæ nostræ saniores limites constituamus; vel etiam in cognitionem nostri ducere vult alios, ut scilicet ipsi virtute nostra proficiant in melius, vel ex imbecillitate nostra demissiores & cautiores fiant.

℣. 5. Propheta ille, aut fictor somniorum, interficietur: Fictor somniorum, vel ut Hebræus ad literam חלם החלום, *Somniator somniorum*, ille esse fertur (2), cui Deus per quietem noctis inter dormiendum aliquid revelat; cum vicissim Propheta is habeatur, cui se Deus vigilanti communicat. Seductorum illa fæx morte puniebatur, quemadmodum supra narravimus ex Rabbinis. Sed Philo (3) docet, etiam non cognito judiciali ritu causa, & nulla facta dilatione, tuendum esse in necem hominum illorum perniciosissimorum. Innuit Zacharias xiii. 3. si forte Propheta falsitatis alicujus, non vero seducti in Idololatriam populi, convinceretur, illum inuri consuevisse stigmate, vel incisione manus seu cubiti notari, ut agnosceretur; quemadmodum simili ferme exemplo apud Romanos nota aliqua frons servorum fugitivorum compungebatur, ne laterent.

Auferes malum de medio tui. Hebræa vox בערת הרע exponi potest de malo, vel re aliqua mala, vel de homine impio, aut scelesto. Septuaginta, & S. Paulus (4) postremum hunc sensum tenent: Ἐξαρεῖτε τὸν πονηρόν, *Auferte malum* (hominem pravum) *ex vobismetipsis*.

℣. 6. Uxor, quæ est in sinu tuo; quæ tibi est in deliciis; ad literam אשת חיקך, *uxor sinus tui*, Onkelos: *Uxor fœderis tui*. Phrasim Originalis referunt quidam (5) ad ritum, quo fœminæ mensæ accumbebant, reclinantes nempe in sinu maritorum. Sed nullo argumento demonstrabitur, usum cubandi in lectis ad mensam Moysis ætate obtinuisse; & ubique in Scriptura, nulla emphaseos necessitate, additur uxori idem epithetum, *Uxor sinus tui* (6).

℣. 8. Neque parcat ei oculus tuus. In hoc uno singulari crimine fas erat Judicibus calliditate & artificio uti, ad reum detegendum: fas erat insuper accusationem ex integro instaurare, etiam post sententiam absolutionis. Nec quibus rationibus, quibusve de causis ad agendum inductus reus fuisset, quærebat Judex; sed convictum omnino morte damnabat (7).

Ut misereris et occultes eum. Nulla miseratione in hominem, nulla indulgentia in crimen tangaris volo. Nulla vos religione teneri credatis, ut secretum illi inviolabile servetis in re, ex qua funestæ plurimæ consecutiones timentur. Reum statim ad tribunal deferetis, testes stabitis contra illum; nec ope, nec monito salutari, nec perfugio illum juvabitis. Damnati supplicium non differetis, ut moris est cum cæteris capitalis culpæ reis. Porro Judæi in causa Jesu Christi perinde illum habuerunt, tanquam publice agnitum seductorem, & Pseudo-prophetam convictum.

℣. 9. Statim interficies. Illud *Statim* deest in Textu exhibente tantum: הרג תהרגנו, *occidendo occides*. Accusandus erat prius, convincendus, & damnandus, uti præcedentia omnia & sequentia demonstrant. Innuimus supra, ex Philonis sententia, oportuisse illum statim neci tradi; id vero tantum docuisse ille videtur de iis, qui apertam professionem exercebant pelliciendi populum ad apostasiam. Illos sane nullo judiciali servato ritu neci tradere fas erat. Docent Rabbini (8), quæ aliis criminibus dabatur dilatio diei unius ac noctis, etiam post latam damnationis sententiam, hanc negatam fuisse Pseudo-prophetis. Fas esse insuper privato cuique, etiam judicis injussu, latam ab eo sententiam exequi, dummodo adhiberentur saltem decem homines, qui juxta Doctores illos illud constituunt, quod Scriptura *Concilium* appellat (9).

Hunc Textum ita reddunt Septuaginta: Ἀναγγέλλων ἀναγγελεῖς περὶ αὐτοῦ, *Annuntians annuntiabis de eo*; legunt enim aliter ac nos, הגיד תגידנו; quæ cum præcedentibus continuanda sunt: *Non teges eum, sed denuntiando denuntiabis*.

Sit primum manus tua super eum. Delator, accusator, vel testis primum lapidem injiciebant in hominem, qui populum ad idololatriam sollicitasset (10). Cum tamen Pseudo-prophetarum fauces laqueo eliderentur, juxta Rabbinos, duorum testium erat tenere utrimque oras linei panniculi, quo jugulum illius adstringebatur. His quæ hic sancita sunt, jungendum est edictum, jubens reum extra Urbem deduci (11). Legis hujus exemplum habes in iis, quæ in nece S. Stephani, primi inter Martyres Jesu Christi, servata leguntur; captum enim extra Urbem testes primi lapidum jactu impetierunt (12).

℣. 12. In una urbium tuarum. Non privati tantum, sed & Urbes integræ atque hominum cœtus extremis hisce animadversionibus submittebantur, si quid simile in Dei cultum tentassent: sed antea Urnium incolæ præmonendi erant, inquiunt Rabbini.

℣. 13. Filii Belial. בני בליעל Hebræum Belial exprimere potest *homines nihili*, ex בלי *non*, & יעל,

[1] Jacobi i. 13. [2] Fag. [3] Philo de victimas offerentibus. Ἀνυπερθέτῳ τέχνῃ τοῖς κατ' ἐκεῖνον ἀσεβείᾳ ἐπιδημοῦντα ... [4] 1. Cor. v. 13. [5] Delrio, Adag. 125. [6] Deut. xxviii. 54. 2. Reg. xii. 18. Eccli. ix. 1. Mich. vii. 5. [7] Grot. hic. [8] Vide Grot. [9] Vide ad Num. xv. 30. [10] Vide ℣. 10. & Deut. xvii. 5. [11] Deut. xvii. 4. 5. 6. [12] Act. vii. 57.

& יעל, *profuit*; vel *homines sine jugo*, ex בלי, *non*, & על, *jugum*, sine lege, nemini subjectos; homines qui jugum excusserunt, Apostatas. Hoc postremo sensu Dæmon *Belial* appellatus est, tanquam Princeps omnium, qui Deo terga vertunt, & jugum legis ejus excutiunt. Nullus ferme Scripturæ Textus occurrit, ubi Belial Diabolum non significet. Usurpatur etiam pro Antichristo, Idolis, & hominibus scelestis, uti Sennacheribo in Nahum (1). Notat etiam S. Hieronymus (2), cum in veteri Lege occurrunt nomina filiorum pestilentium, vel filiorum pestilentiæ, hæc accipi oportere de filiis Belial; cum Septuaginta ita plerumque verterint nomen Belial (3). Iidem tamen pariter reddiderunt interdum injustum (4), impium (5), prævaricatorem (6), rebellem (7), insensatum (8); & S. Hieronymus vertit impium, sine jugo, iniquum, prævaricatorem, apostatam, diabolum, injustum.

℣. 15. STATIM PERCUTIES HABITATORES URBIS ILLIUS. . . . . USQUE AD PECORA. Voces, quibus hæc lex exprimitur, non obscure produnt internecionem universæ Urbis omniumque incolarum, cum uxoribus, filiis, mancipiis, gregibus, rebusque domesticis. Equidem si neci tradendi sunt incolæ omnes, ne brutis quidem exceptis; multo æquius judicandum est, perdendum pariter fuisse totum quidquid est hominum. Rabbini tamen, & qui duces illos hac in re sequuntur, Interpretes plures (9), illud firmum statuentes, angustissimos limites poni oportere Legibus pœnam & odium inferentibus, phrases hujus sanctionis lenire pro viribus conantur. I. Indicatam hic pœnam ad mares tantum restringunt; quare absolvendas ab ea edicunt fœminas puerosque tertiodecimo ætatis anno minores. II. Censent, hoc tantum sancitum fuisse de Urbibus in medio regionis (10), non quæ in finibus, vel maritimis. III. Opus erat, ut qui Urbem traxerant in Idololatriam, ad eamdem urbem vel Tribum pertinerent, nec pauciores essent quam duo. Si enim unus singularis homo, vel exterus aliquis, aut fœminæ illam seduxissent, ab anathemate, & ab igne pronuntiabantur immunes, reis tantum ad lapides damnatis; quod statum erat Idololatrarum supplicium. IV. Insuper, ut aliquo numero cives crimine Idololatriæ sese implicuissent, e. g. centeni vel plures. V. Nonnisi de Urbe hoc edictum explicandum est, non de Oppidis, seu Vicis. VI. Ab ea communi lege immunis erat Urbs Jerusalem & Urbes Asyli; quod frequentes numero exteri in illis versarentur. VII. Si plures simul urbes in apostasiam incidissent, non anathemati devovebantur, sed plectebantur decretis in Idololatras pœnis. VIII. Tandem apostasiæ totius, vel saltem majoris partis Urbis causam cognoscere, ad Sanhedrinos Judices spectabat. Hæ vero exceptiones verbis ac menti Legis nimis aperte repugnant.

AC OMNIA QUÆ IN ILLA SUNT; vel bona ipsa innocentium. Quæ vero reus possidebat, quocumque tandem continerentur in loco, eidem anathematis censuræ subjiciebantur. Deus, qua est suprema in vitam & bona hominum æque omnium potestate, permittit interdum in aliquibus rerum eventibus, ut una simul sententia reus pariter & innocens obvolvantur. Id autem facit, ut majorem criminis inspiret horrorem; simul autem ut eos, qui rerum suarum amore tenentur, quos alias recti studium ad resistendum fortiter pravæ consuetudini non excitaret; ut, inquam, eos, metu ne simul uno exitio cum sontibus perdantur, in vitium armet. Punit quoque eorum apathiam, quos nullus movet rerum Divinarum amor in impios; punit etiam tenacem illorum affectum erga Urbem & populum infidelem, e quibus ipsi se proripere debuissent, statim ac aliquid de apostasia illorum subodorarentur.

Author quidam illustris (11) certat, naturali jure datum esse unicuique, ut sive in ordinem redigat, sive puniat nomine societatis humanæ impios, Deum vel providentiam ipsius existere negantes, non vero perinde fas esse armari eodem jure in alios, qui errores minus perniciosos & lumini naturali minus repugnantes tueantur. Probat contra Covarruviam, jus esse Regibus puniendi crimina, quæ in Deum patrantur, ac bella suscipiendi ad exscindendos impios, vel saltem ut resipiscant. Hanc autem sententiam suam adstruit ex necessaria illa connexione inter religionem & societatem humanam. Cum religio vinculum sit societatis; ita vicissim impietas & irreligio tale vinculum dirimunt: ex his ceu fontibus, injuria, vis, ac scelera omnia inundant. Job, naturalis legis ductum secutus (12), astrorum cultum arguit tanquam *maximam iniquitatem*; quam sane iniquitatem in posteris Esau, inter quos Jobum Grotius recenset, punitam fuisse negaverit nemo. Alibi vero docet, Deum subjecisse morti impios Sabbathi violatores, quod ea violatio perinde haberetur ac si negaretur, Deum Cœli terræque creatorem fuisse. Generalium istarum legum ceu appendices sunt sanctiones illæ, quibus anathemati Urbes in apostasiam & idololatriam prolapsæ submittuntur.

℣. 16. IN MEDIO PLATEARUM EJUS; vel in quadriviis, aut viis. Hebræus: אל תוך רחבה Septuaginta: Εἰς τὰς διόδους αὐτῆς.

UNIVERSA CONSUMAS DOMINO DEO TUO. Hoc ceu sacrificio litabis justitiæ Domini Dei tui; perinde est enim ac victima expiationis, qua criminis macula purgatur. Parebis Deo tuo; argumentum illi præstabis studii tui erga ejus gloriam, & horroris in apostasiam impiorum. Utique tamen ab excidio servabantur cives illi, qui tam longe aberant ab eo crimine palpando, vel dissimulando, ut potius illud detexissent, ac palam oppugnassent.

SIT TUMULUS SEMPITERNUS. Incolis nunquam non destituetur, Ἔσται ἀοίκητος εἰς τὸν αἰῶνα, inquiunt Septuaginta: strues erit ruderum, juxta Hebræum & Chaldæum. Rabbinorum scrupulus eo usque pertingit, ut dubitet, utrum fas sit humum illam in rura comparari (13).

[1] Hieron. in Nahum c. 1. & in Isai. c. 27. [2] Idem lib. 2. in Epist. ad Ephes. [3] 1. Reg. II. 12. 2. 27. xxv. 17. xxx. 22. [4] Hic, & xv. 9. & Judic. xix. 22. [5] Judic. xx. 13. [6] 2. Reg. xxiii. 6. [7] 3. Reg. xxi. 13. [8] Prov. vi. 12. & xvi. 27. [9] Vide Selden. de Synedriis l. 3. c. 5. & Grot. hic. [10] In medio tui ℣. 13. [11] Grot. l. 2. de jure belli & pac. cap. xx. art. 44. 45. 46. 47. [12] Job xxxi. 26. 27. 28. [13] Grotius.

CAPUT XIV.

Cautio ne fiant incisiones, ne inducatur calvitium in Luctu. Sanctiones pro mundis immundisque animalibus dignoscendis: de decimis atque conviviis coram Domino instituendis.

℣. 1. FIlii estote Domini Dei vestri; non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo: 2. Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo: & te elegit, ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quæ sunt super terram. 3. Ne comedatis, quæ immunda sunt: 4. Hoc est animal, quod comedere debetis, bovem, & ovem, & capram, 5. Cervum, & capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardum. 6. Omne animal, quod in duas partes findit ungulam, & ruminat, comedetis. 7. De his autem, quæ ruminant, & ungulam non findunt, comedere non debetis: ut camelum, leporem, chœrogryllum: hæc quia omnia ruminant, & non dividunt ungulam, immunda erunt vobis. 8. Sus quoque quoniam dividit ungulam, & non ruminat, immunda erit: carnibus eorum non vescemini, & cadavera non tangetis. 9. Hæc comedetis ex omnibus, quæ morantur in aquis: Quæ habent pinnulas, & squammas comedite: 10. Quæ absque pinnulis, & squammis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt. 11. Omnes aves mundas comedite. 12. Immundas ne comedatis: aquilam scilicet, & gryphem, & haliæetum, 13. Ixion, & vulturem, ac milvum juxta genus suum: 14. Et omne corvini generis, 15. Et struthionem, ac noctuam, & larum, atque accipitrem juxta genus suum. 16. Herodium, ac cygnum, & ibin, 17. Ac mergulum, porphyrionem, & nycticoracem, 18. Onocrotalum, & charadrium, singula in genere suo: upupam quoque, & vespertilionem: 19. Et omne quod reptat, & pennulas habet, immundum erit, & non comedetur. 20. Omne quod mundum est, comedite. 21. Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da, ut comedat, aut vende ei: quia tu populus sanctus Domini Dei es. Non coques hœdum in lacte matris suæ. 22. Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos, 23. Et comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis, & ovibus tuis: ut discas timere Dominum Deum tuum omni tempore. 24. Cum autem longior fuerit via, & locus, quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare, 25. Vendes omnia, & in pretium rediges, portabisque manu tua, & proficisceris ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: 26. Et emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque, & siceram, & omne, quod desiderat anima tua: & comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu, & domus tua: 27. Et Levites, qui intra portas tuas est, cave, ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua. 28. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore: & repones intra januas tuas. 29. Venietque Levites, qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum, & peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris.

℣. 1. FIlii estote Domini. Hebr. אתם ליהוה בנים *Filii estote Domini*. Ita & Chaldæus & Septuaginta. Id autem optime conjungitur cum exitu capitis præcedentis in hanc sententiam: *ut facias quod placitum est in conspectu Dei tui: filii estote Domini Dei vestri*. Hæc tamen reipsa a Vulgatæ interpretatione non discrepant.

Non vos incidetis. Ne os vestrum vel pectus in luctu scalpatis, uti moris est consueti apud gentes barbaras & infidelas (1), quibus nulla post vitam hanc mortalem spes superest, quæque agendas se rapiendasque dolori permittunt. Vide quæ contulimus in Leviticum XIX. 28. Dictum etiam accipitur de incisionibus, quibus se homines in honorem profanorum Numinum cruentabant. In funeribus consuetas cæremonias, quæ pariter apud finitimas gentes obtinebant, nunquam omiserunt Hebræi; sed lege sibi interdictas agnoscunt incisiones in honorem Mortui, idest, Osiridis vel Adonidis, cujus veluti mortui funus lugebatur, uti in Dissertatione nostra de Chamos probatum est.

Se-

[1] 1. Thessal. IV. 12. *Ut non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent.*

Septuaginta in plerisque Exemplaribus a Vulgata non discrepant : Οὐ κοθήσεσθε ; veteres tamen Patres, uti Theodoretus, S. Cyrillus & Codices Vaticani legunt : Οὐ ἀλείψετε, *Non purificabimini, neque facietis calvitium in medio oculorum vestrorum super mortuo* : quod non exponitur nisi de lustrationibus quibusdam superstitiosis ; fuæ enim lustrationes iis, qui funera celebrarunt, in lege præscriptæ sunt.

Vox Hebræa לא תתגדדו significare potest ad literam : *Non incidetis turmatim* ; quibus verbis facile indicatur vetus mos agendi luctus apud Ægyptios, Babylonios, ac gentes alias obtinens (1). Discurrebant hi turmarim & solemni ritu per compita ac loca publica, mortuos suos lugentes ; quod hodie pariter sanctum manet alicubi per Orientem, & Græciam. Sæpe tamen eadem originalis vox usurpatur pro, scindere se, incisionibus cruentare, sive in funeribus (2), sive in aliis profanis cæremoniis, ad propitianda Numina, uti præstitum scimus a Sacerdotibus Baal, quos Achab coegerat in vertice Carmeli, ad operanda Numini sacrificia (3).

Nec facietis calvitium super mortuo. Demonstratum est alibi, usu obtinuisse in luctibus, ut coma deponeretur. Sed ita hic agit Moyses, ut innuat, habere se præ oculis cæremoniam non familiarem. Vetat enim (4) *fieri calvitium inter oculos propter mortuum*, idest capillos frontis, qui inter oculos pendent, vel saltem crines, qui ad medium frontis in arctum reducti cadunt ; vel etiam supercilia. Morem apud Arabes aliasque nonnullas gentes, quæ comam in rotundum tondebant, nec ad extrema capitis, vel *ad angulos capitis sui*, uti habet Moyses, crines crescere sinebant, in Levit. XIX. 27. spectavimus. De ipsis pariter Arabibus agens Plutarchus (5) affirmat, anteriorem comam radere consuevisse ; quod & de Saracenis asserit Theodorus Mopsuestenus (6). Narrat Homerus (7), Abantas EubϾ incolas in occipitio tantum fuisse capillatos. Hic vero mos cædendi crines accedit maxime ad veterem Ecclesiasticorum Scotorum disciplinam, qui sibi comam abradebant in fronte, & ad duo tempora in semicirculum, usque ad aures ; ita tamen ut occiput & capitis vertex crinibus tegerentur. Hunc se morem e S. Joanne Apostolo retinere affirmabant.

Tandem ita accipi posset hæc phrasis : *Non facietis calvitium, vel non scindetis crines inter oculos*, quasi supercilia abradere Hebræis vetaretur. Porro Ægyptios supercilia abrasisse in luctibus, affirmat Artemidorus; docetque S. Ambrosius (8), eos *Capita & supercilia radere, siquando Isidis sacra suscipiunt*. Hac autem doloris significatione designabant, se in partem venire doloris miseræ illius Deæ, quæ amissum sponsum suum Osiridem plorabat. Hæc autem omnia eo nos ducunt, ut Textum explicemus de incisionibus & comæ abrasione superstitiosa in honorem Osiridis vel Adonidis, cujus funus lugebatur. Huic opinioni maxime favent ea quæ sequuntur.

℣. 2. Quoniam populus sanctus es, & Domino Deo tuo consecratus, idcirco nequod insigne consecrationis in honorem Idoli vel mortui assumas, caveto. Quæ enim dignitatis proportio inter Deum Jehova, Deum vivum, & omnipotentem, ac Deum, qui se e mortis manibus subducere non potest ? Quantum est discriminis inter consecrationem vestram mysteriis Altissimi, & absurdam illam initiationem sacris Dei imbecillis & infirmi, cujus vos quotannis funera instauratis?

℣. 4. Bovem et ovem et capram. Hebr. (9) : *Taurum, agnum ovium, & hædum caprarum*.

℣. 5. Bubalum. Hebræus יחמור *Jachmur*. Nomine hoc Arabes animal quoddam appellant, quod circa Euphratem vivit, persimile cervo, cornutum & setis rubrum. In Libris Regum (10) legimus, e carnibus *Jachmur* instructa fuisse convivia Regis Salomonis. Sermonem hic esse credunt nonnulli de onagro vel dama. Hujus belluæ, aliarumque hic recensitarum nomen non legitur in Levit. XI. ubi census instituitur animalium mundorum & immundorum.

Tragelaphum. Hebr. אקו *Acco*. Tragelaphi nomen ducitur e Græco *tragos*, hircus, & *elaphos*, cervus, quod bellua sit e duobus illis participans, nempe, ait Scaliger (11), capite & cornibus referens hircum, reliquis cervum. Familiaris esse in Arabia fertur. Scribit Plinius (12), Tragelaphum non frequentare nisi loca ad Phasidem, nec a cervo aliter quam barba, & setarum magnitudine differre. In Arabia illum pariter constituit Diodorus Siculus (13). Bochartus post Arabem Interpretem certat, Hebræum *Acco* esse hircum sylvestrem. Veteres quidam, uti Origenes & S. Gregorius Nazianzenus, Tragelaphum ad fabulosa rejecerunt.

Pygargum. Hujus nominis nota est aquila: sed hic quadrupedem belluam designat. Apud Plinium (14) est Pygargus cuniculi genus; quo facile hic Septuaginta & Vulgata spectarunt. Vox *Pygargus* sonat Græce animal, quod nobis descripsit Bellonius (15) sub nomine tragelaphi, maculis cinereis ad latera aspersum; vel forte ille verum Tragelaphum describit, cujus dorsi pars est cinerea. Hebræum דישון *discon* derivatur ex *deschen*, *cinis*.

Orygem. Est Oryx apud rerum naturalium Scriptores (16) animal inter sylvestres capras recensitum. Latet illud modo, nisi eorum opinionem adoptemus, qui eumdem esse censent ac capram sylvestrem, vulgo *gazella*. Est Aristoteli (17) oryx bellua, cujus unicum cornu e media fronte porrigitur : pluribus tamen cornibus instruere illam Appianus videtur. Pilos habet contrarios, capiti obversos, si fides Plinio habeatur. Olim in usum cibi adhibitum fuisse, ex Juvenali Satyra 11. constat:

Et Getulus oryx hebeti lautissima cœna.

Tradit Horus Ægyptius (18), huic belluæ solem horrori esse; unicam autem esse inter omnes, quam, etiam non obsignatam, Sacerdotes Ægyptii comedunt.

Recentiorum Interpretum plerique (19) Hebr. תאו *Tho*, sive תוא, uti est apud Isaiam LI. 20. reddunt bovem sylvestrem; sed Bochartus probat potius esse sylvestris capræ genus.

Camelo-pardalum, vulgo *Giraffa*. Hanc belluam ita describunt. Capitis figura damam refert; caput autem incumbit collo, pertica circiter prolixo & tenuissimo : aures habet ac pedes fissos, caudam rotundam, quæ ultra juncturam crurum non porrigitur; cæterarum vero belluarum crura, cruribus suis, quæ anteriora præsertim sunt, altitudine superat ; quibus proinde prohibetur, ne demit-

(1) Vide quæ diximus in Genes. L. 3. (2) Jerem. XLI. 5. & XLVIII. 37. (3) 3. Reg. XVIII. 28. *Incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* (4) לא תשמו קרחה בין עיניכם למת (5) Ἐκείρετο τῆς κεφαλῆς τὸ πρόσθεν. Plutarch. in Theseo. (6) Theod. Mopsuest. apud Grot. in Levit. XIX. 21. Οἱ σαρακηνοὶ τὴν κόμην κατὰ τὸ ὄπισθεν μέρος τηροῦσι μόνον ἀποκείροντες τὸ μέρος τὸ ἐπὶ τὸ μέτωπον. (7) Iliad. B.

Τῷ δ' ἅμ' Ἄβαντες ἕποντο θοοί, ὄπιθεν κομόωντες.

(8) Ambros. Ep. 58. nov. edit. Sabino. (9) שור שה כשבים ושה עזים (10) 3. Reg. IV. 23. (11) Exercit. 207. in Cardan. (12) Plin. l. 33. c. 8. (13) Diodor. l. 2. & alii apud Boch. de animal. part. 2. l. 6. c. 1. (14) Plin. l. 8. c. 53. (15) Observat. l. 2. c. 51. (16) Plin. l. 8. c. 53. & l. 11. c. 46. (17) Arist. hist. anim. l. 1. (18) Lib. 1. Jeroglyph. 46. (19) Vatab. Pagnin. Forster. Munster. Ainsv. & alii.

demittat se ad potum, nisi cruribus divaricatis. Instruitur duplici parvo cornu, pedem circiter longo. Docent nonnulli, belluas ejus generis occurrere in India Orientali, ultra Gangem; alii nonnisi in Æthiopia degere affirmant; sed Salmasio in Solinum p. 1018. & 1307. aliisque pluribus bellua est mere fictitia. Sunt qui Textum reddant *Cameleopardum*, quo animalium genere frequentari Abyssinorum regio fertur. Hæc vero de illis narrant. Capite & collo accedunt ad camelum, maculosa pelle ad leopardum; sed maculis inspergunrur albis, cæterum subrubro colore induti. Censet tamen Bochartus (1), verba Mosaica alio detorquenda esse quam ad camelopardalum & *giraffam*, quippe quæ ignota erant Hebræis animalia, nec nisi in regione a Judæa remotissima degebant. Hisce antem merito addimus, camelum animal fuisse immundum; quare inter munda recenseri cameleopardus, qui cameli genus est, vix ac ne vix quidem putaretur. Bochartus igitur Hebræum *Samer* explicat de capra sylvestri, quæ luxurians saltat, juxta vim genuinam vocis Originalis. Vertunt nonnulli alcem, vel capram sylvestrem.

Ỹ. 7. Camelum. Immundum est animal, uti in Levitico animadvertimus. Olim tamen ex ejus carnibus dapes instruebantur, quibus & convivas suos, quemadmodum & struthionibus, donavit Heliogabalus, dicens præceptum esse Judæis, ut ex illis comederent (2): qua in re ille impudentissime mentiebatur.

Choeroogryllum histricem exposuimus in Levit. xr. 5. Author Epistolæ inscriptæ nomine S. Barnabæ, & S. Clemens Alexandrinus (3) jungunt hyænam lepori, quasi scilicet utrumque animal vetuerit Moyses, quamquam nomen hyænæ nullibi in Levitico legitur. Fertur animal illud quotannis mutare sexum; quare inconstantiam, incontinentiam, & levitatem figurate significat: nec alia de causa sancitam esse legem putant, quæ carnes ejus Hebræis interdicit (4).

Ỹ. 10. Quæ absque pinnulis et squammis sunt, ne comedatis. Nullum piscium genus mundum sive immundum nomine suo a Moyse sive hic, sive in Levit. xr. 14. designatur. Verum S Barnabas in sua Epistola (5) hæc tanquam Scripturæ verba recitat: *Non manducabis murænam, neque polypum, neque sepiam*. Tria hæc piscium genera squammis & pinnulis destituuntur, in imo aquarum fundo latent plerumque, adeoque verbis Mosaicæ sanctionis comprehenduntur.

Ỹ. 13. Ixion, et vulturem, ac milvum. Quod animal designari creditum est nomine Ixionis, descripsimus in Levitico xr. 14. appellatur autem hic ראה *Rah*, & in Levitico דאה *Dah*, literulæ alterius in alteram transmutatione, quod frequenter accidit inter Hebræum *daleth*, ac *resch*, ex figuræ similitudine. Porro Vulgata reddit hic *Ixion*, quod in Levitico verterat *milvum*. Est Ixion (6) vulturis genus quoddam album, & oculorum acie acutissima. Porro vulturem usurpabant Ægyptii pro symbolo hominis acute videntis, Nomine *Ixion* avis nulla nobis innotescit.

Milvum. Animal est notissimum. Hebr. דיה *Daiah* vertunt nonnulli vulturem; alii milvum. Bochartus vulturem maluit, quod in Isaia xxxiv. 15. aves *Daiah* turmatim volant; quod milvo minime congruit, qui solitarius volat.

Ỹ. 15. Et struthionem. Vide quæ de eo contulimus ad Levitici xi. 16. Hebræus legit בת היענה *filiam Jaana*; neque enim aptæ erant in cibum carnes senescentium struthionum, sed pullorum tantum, inquiunt Rabbini (7) Sed ambigere me profiteor, utrum Arabes, Afri, Persæ, atque Æthiopes, qui olim his in cibum utebantur (8), adeo essent delicati, ut nonnisi pullorum carnes admitterent.

Ỹ. 19. Omne, quod reptat, et pennulas habet. Hebræus ad literam כל שרץ העוף *Omne reptile volatile*, uti muscæ, vespæ. Vide Levitic. xi. 20. & seqq. Quæ hic dicta sunt, commode extenduntur etiam ad pisces, qui recenseri solent inter reptilia, & quorum branchiæ non male appellantur *pennulæ*; sed Moyses mentem suam de piscibus satis explicat Ỹ. 9. hujus Capitis.

Ỹ. 21. Peregrino . . . . . da, ut comedat. Fas erit tibi cadaver immundi animalis morticini seu dare, seu vendere advenæ Pagano, vel Proselyto tantum domicilii, non vero Proselytn Justitiæ; qui cum ad Judaica Sacra transisset, iisdem, quibus Judæi origine, Legibus submittebatur. Ex hoc Textu recte infertur (9), licuisse Hebræis in regione sua immunda animalia nutrire, atque ex illis etiam commercia instituere, dummodo ab esu carnium abstinerent. Animalia illa dum viverent, nullam, mortua vero maculam aliquam inhærebant. Nomine *morticini* significari etiam videntur animalia suffocata (10); seu violenta morte ita perempta, ut exteri illa comedere seu possent, seu vellent. Quis enim degustare posset e morticino, seu animali, quod morbo occumbat?

Non coques hœdum in lacte matris suæ. Hebræi, & docti plures Interpretes (11) literam hic retinendam censent. Extenditur autem ea cautio ad vitulos, & agnos, ne scilicet eorum carnes in lacte matris coquantur. Solemne est Arabibus dapes fere omnes lacte condire; & cum solemne aliquod convivium instituunt, carnem arietis probe contusam, & in pilas redactam in lacte acido coquunt (12). Veteres quidam (13) typice Legem exposuerunt, veluti eo præcepto prohiberentur mores sævi, & inhumani. Malunt alii vetari hac lege, ne coquantur & adhibeantur in cibum tenelli adhuc catuli, quo tempore adhuc veluti constant lacte, & sanguine matris suæ, nec solidiori alio cibo substantiam suam formarunt. Juvenalis Satyra xi.

Hœdulus, & toto grege mollior, inscius herbæ,
Necdum ausus virgas humilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet, quam sanguinis . . . . . .

Malumus tamen nos vetitum a Deo reputare, ne victima Paschalis offeratur, quamdiu adhuc sub matris ubere perseverat (14). Fas erat offerre Deo primogenita octo tantum diebus nata (15): fas alias animalium ejus ætatis victimas dare (16); sed agnus, vel hœdus Paschalis ablactatus exigebatur (17): *Masculus anniculus*.

Ỹ. 22. Decimam partem separabis. De decimis hisce extraordinariis, ac longe diversis ab iis, quæ Levitis in ipsa specie solvebantur, actum est a nobis superius (18). Utriusque meminit, ac distinguit non obscure Josephus (19): *Sint præterea victimæ fructuum seorsum ab illis, quæ Sacerdotibus ac Levitis debentur; quibus in patria venditis, pecunia inde redacta in sacra urbe insumatur in Sacrificia & in convivia. Æquum enim est ex proventu terræ a Deo datæ in ipsius honorem hilari-*

(1) Boch. de animal. par. 1. l. 3. c. 21. (2) Lamprid. in Heliogab. *Struthiones & camelos exhibuit in cœnis aliquoties; dicens, præceptum Judæis ut ederent.* (3) Clem. Alexand. lib. 2 Pædag. cap. 10. (4) Vide Hugon. Menard. in Epist. Barnab. pag. 164. (5) Epist. Barnab. pag. 35. edit. Paris. an. 1645. Ου με ειχης, φησι, σμυραιναν, ουδε πολυπα. (6) Lyr. Albert. Mag. Hebr. in Vatab. (7) Hiscum apud Drus. (8) Vide apud Boch. de anim. sacr. par. 2. l. 2. c. 14. (9) Jansen. (10) Fag. hic. (11) Vat. Grot. &c. (12) P. Eug. Roger l. 2. c. 2. Terre sainte. (13) Philo l. 2. de humanitate. Clem. Alex. lib. 1. Strom Theodoret. qu. 56. in Exod. Div. Thom. 1. 2. qu. 102. (14) Exod. xxiii. 19. (15) Exod. xxii. 30. (16) Levit. xxii. 27. (17) Exod. xii. 15. (18) Deut. xii. 17. 18. & Levit. xxvii. (19) Lib. 4. Antiq. c. 8.

leviter agere. Agit etiam in eodem capite de tertio alio decimarum genere, quod singulis triennis oblatum fuisse censet (1). Tradit enim, decimis illis omnibus persolutis, privatos quosque conferre se ad fores Tabernaculi, antequam redirent ad propria, ut palam testarentur, omnia se implesse, quæ Deus exigebat, agerentque grates pro acceptis ex Deo beneficiis, & prosequutionem rogarent.

℣. 26. Vinum et siceram. Amabant veteres potum *Saccar* ex Saccaro confectum. Liquor erat dulcis; constans ex succo harundinis cujusdam, saccarinæ persimilis. Vinum pariter ex palma expressum eo nomine donabant. Vide S. Chrysostomum ad Theodoram. De vino palmarum vide animadversiones meas ad Levitici xix. 9. Usus pariter obtinet apud Orientales oppii vel offii, cujus eadem ac vini est vis. Maundorlus tom. 2. pag. 231. &c.

Apud Indos vulgares palmæ caricas ferunt, quas ne maturescant nimius regionis æstus prohibet. Ex arbore isto stillat *Tari*; quod familiare vinum est apud illos, ac certa quadam arte extrahitur. Inciditur arbor forfice, & vulneri inseritur folii palmaris frustulum. Frustulum illud pendet super lagenam arbori appensam, in quam succus ex arbore per canale illud inserti folii defertur. Quotidie vespere & mane, incisio illa paululum augetur, quo, plus succi distillet. Arbore sensim adolescente superior altera incisio ducitur. Succum illum *Tari*, seu vinum Indicum, Lusitani appellant *Soufe*. Avide liquorem hunc appetunt simiæ & vespertiliones; æque pariter egregii ejus potatores sunt Indi, Musulmani, Persæ; avideque illum ingurgitant Tribus quædam Indorum quibus præ religione permittitur, eoque ita large se inebriant, ut Græci vino; Turcæ opio, Armeni spiritu vini distillati, & Belgæ cervisia. Porro vinum istud sapit mane, nec vespere ingratum est, lactis Saccaro medicati gustum reddens; sed meridie ita acescit, ut ferri vix possit.

Ex hoc succo admisto saccaro nondum excocto eruitur spiritus quidam ceu vini eximius, quem Indi familiarem habent, & *Arak* appellant. Quo plus generosior eo sanior est, & meridie epotus summe refrigerat.

Genus est aliud palmarum procerrimum super alias omnes Indicas arbores, cujus folia manus similitudinem referentia duabus vel tribus ulnis in longum crescunt. Arbor ista dat *Tarim* multo saniorem & meliorem, quam palmæ ceteræ, & alia arte extrahitur. Nova germina seu folia media sui parte scinduntur, aptoque in loco suspenditur lagena, in quam ex vulnere planta succum suum extillat; succum, inquam, qui Bacchum alult, cum infans in regiones illas translatus fuit. Porro liquor ille saccaro nondum purgato, & oleo anisi Sinensis, quod maxime propitium est stomacho, admixtum reddit optimum spiritum veluti vini, ex quo pariter potentissimum acetum conficitur.

Tertium est palmarum genus apud Indos inter arbores regionis illius eximium, cum ex ejus ligno, foliis, & fructibus navigium omni sui parte perfectum conficiatur. Fructus ejus nondum perfecte maturus decerpitur, redditque medium pintale succi perinde apti ad potum ac *Tari*. Si quis illum distillaret, eximium liquorem erueret. Si forte acciderit, ut arbor ista infœcunda reperiatur, destinatur ad *Tarim* seu vinum perinde ac ceteri palmarum arbores. Tum vero fructus nullos fert, nam succo fructui alendo destinato privatur. Est arbor paulo ceteris palmarum arboribus procerior, fructumque suum ibi emittit, ubi caricas ceteri. Vino ex eo eruendo secantur germina ea plane ratione, qua secundi generis palmarum; suspenditur in loco apto lagena, in quam stillatim humor defluit.

Nota est in regionibus nostris betula, ex qua liquor stillat hircis refrigerandis aptus. Paulo acidulus est, & potui gratissimus; at servatus acrescit. Terebra perforatur truncus arboris & forulo inseritur epistomium, vel aliquid aliud excipiendo reddendoque liquori aptum, ex quo liquor in lagenam in imo solo positam cadit.

℣. 20. Anno tertio separabis aliam decimam. Hebræus ad literam (2): *A fine annorum trium*: quæ verba ita explicant nonnulli, tertiam hanc decimam nonnisi ad exitum anni post messem solvi, qui vero ante id tempus solvi potuisset? Sed consilium Legislatoris nunquam fuisse videtur, ut tres simul decimæ eodem fere tempore solverentur. Satis erat, ut intra spatium tertii anni debitum quisque suum solveret: quæ potissimum dicta volumus de decimis rerum, quæ in ipsa specie non solvebantur. Animadvertimus supra ℣. 27. tria decimarum genera singulis trienniis conferenda distinxisse Josephum: sed per annos hosce nos, uti & Scriptores ceteri, nonnisi duo ejusmodi vectigalia cognoscimus; rati non nisi de uno eodemque genere decimarum sermonem hic esse, ℣℣. 22. 23. 24. & ℣℣. 28. 29. & capite xxvi. 12. 13. (3). Totum inter illas discrimen est, quod duobus succedentibus post Sabbathicum annis, secunda decima deferenda erat in Templum ad læta ibi convivia instituenda; tertio vero & sexto quoque anno, id totum insumebatur in ipsis locis, ubi quisque versabatur: quod satis docent ℣℣. 28. 29. ejusque legis impletæ exemplum habes in Tobia 1. 7. Tertius is annus erat a Sabbathico, quo Sabbathico anno omnia permittebantur Domino, ut nihil esset in res suas majoris juris ipsi hero quam ceteris; omnes enim ex æquo de fructibus arborum & agrorum colligebant.

[1] Vide ℣. 28. hujus capitis, & Deut. xxvi. 12. 13.

[2] מקצה שלש שנים

[3] Vide Grot. hic.

CAPUT XV.

Annus Sabbathicus. Manumissio servorum. Fœnus permissum erga Exteros, vetitum erga Judæos. Quid erga pauperes præstandum. Primogenita quæ Domino offerenda.

℣. 1. Septimo anno facies remissionem, 2. Quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. 3. A peregrino, & advena exiges: civem, & propinquum repetendi non habebis potestatem. 4. Et omnino indigens, & mendicus non erit inter vos: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus, in terra, quam traditurus

diturus eſt tibi in poſſeſſionem. 5. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris univerſa, quæ juſſit, & quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus eſt. 6. Fœnerabis gentibus multis, & ipſe a nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur. 7. Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, 8. Sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris. 9. Cave, ne forte ſubrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat ſeptimus annus remiſſionis, & avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei, quod poſtulat, mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum, 10. Sed dabis ei: nec ages quippiam callide in ejus neceſſitatibus ſublevandis; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore: & in cunctis, ad quæ manum miſeris. 11. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum verſatur in terra. 12. Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & ſex annis ſervierit tibi, in ſeptimo anno dimittes eum liberum: 13. Et quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris: 14. Sed dabis viaticum de gregibus, & de area, & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixit tibi. 15. Memento, quod & ipſe ſervieris in terra Ægypti, & liberaverit te Dominus Deus tuus, & idcirco ego nunc præcipio tibi. 16. Sin autem dixerit, Nolo egredi; eo quod diligat te, & domum tuam, & bene ſibi apud te eſſe ſentiat; 17. Aſſumes ſubulam, & perforabis aurem ejus in janua domus tuæ, & ſerviet tibi uſque in æternum; ancillæ quoque ſimiliter facies. 18. Non avertas ab eis oculos tuos, quando dimiſeris eos liberos; quoniam juxta mercedem mercenarii per ſex annos ſervivit tibi; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus, quæ agis. 19. De primogenitis, quæ naſcuntur in armentis, & in ovibus tuis, quidquid eſt ſexus maſculini, ſanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis, & non tondebis primogenita ovium. 20. In conſpectu Domini Dei tui comedes ea per annos ſingulos, in loco, quem elegerit Dominus, tu, & domus tua. 21. Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cœcum, aut in aliqua parte deforme, vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo, 22. Sed intra portas urbis tuæ comedes illud: tam mundus, quam immundus ſimiliter veſcentur eis, quaſi caprea, & cervo. 23. Hoc ſolum obſervabis, ut ſanguinem eorum non comedas, ſed effundes in terram quaſi aquam.

℣. 1. SEPTIMO ANNO FACIES REMISSIONEM. Hebræus ad literam (1): *A fine ſeptem annorum facies remiſſionem*. Sive: *Poſt ſeptem annos debita remittes*. Sunt (2) qui minus vere putaverint, æs alienum non remitti niſi exeunte ſeptimo vel Sabbathico anno: ſed optimi quique Interpretes (3) conveniunt, remiſſionem & manumiſſionem ineunte ſeptimo illo anno impletam fuiſſe; atque in rem animadvertunt, uſurpari ſæpe in Hebræo vocem *finis* pro rei ineuntis exordio: Finis eſt enim æque is, unde res ducitur, & ubi res terminatur.

℣. 2. CUI DEBETUR ALIQUID AB AMICO . . . REPETERE NON POTERIT. Commentariorum ſcriptores quidam contendunt (4), æs alienum anni Sabbathici privilegio non penitus extingui, ſed ita ſuſpendi, ut debitores toto eo anno ad ſolutionem non urgerentur. Cum toto eodem anno agri cultu vacarent, nihilque ex agris colligeretur, nihil pariter ſolvi poterat creditoribus ab obæratis. Nonnihil huic opinioni favere Textus videtur: ita enim ſonat ad literam (5): *Et hæc eſt ratio faciendæ remiſſionis: Omnis creditor remittet manum ſuam de re credita proximo ſuo: non arctabit proximum ſuum, fratrem ſuum.* Quibus verbis innui videtur, actionem creditoris ſuſpendi tantum anno Sabbathico, eoque elapſo permitti, ut exigat ſolutionem, niſi tamen forte obæratus ſolvendo impar omnino ſit (6). Tunc enim ne deſperatione vel rei familiaris anguſtia veniret in diſcrimen deſerendi cultum Dei, recipiendique ſe apud Paganos, abſolvebatur penitus ſolutione.

Putat Grotius, ſi tranſigendo clauſula illa debiti perpetui addita fuiſſet, tunc integrum manſiſſe Creditori, ut rem ſuam, non minus ac antea, ita etiam poſt evolutum Annum ſabbathicum exigeret; ſed in puris tranſactionibus id nunquam licuiſſe. Menochius in ea eſt perſuaſione, privilegium remiſſionis valere pro debitis omnibus, rerum venditionibus, rebuſque commodatis, & in jus alienum tranſlatis; ceſſare tamen pro ſimplici commodato, quo dominus rei uſum ita concedit alteri, ut jus a ſe penitus non abdicet: ceſſare etiam pro rebus depoſito vel curæ alienæ commiſſis. Tandem maxime recepta opinio (7) ait, privilegio anni Sabbathici debita æque omnia vix eo anno ineunte ita penitus extincta fuiſſe, ut nunquam reviviſcerent. Nec ſane aliter ſuadet ſubdola illa locupletum cautio, quam tollendam cenſuit Moyſes hic ℣. 9, negantium mutuum dare.

[1] מקץ שבע שנים תעשה שמטה. [2] R. Moſes de Cotzi apud Munſt. [3] Abenezra, Vat. Grot. Bonfr. Fag. Druſ. &c. [4] Cajet. Burgenſ. Piſc. alii. [5] וזה דבר השמטה שמוט כל בעל משה ידו אשר ישה ברעהו לא יגש את רעהו. [6] Lyr. Vat. Eſt. [7] Hebr. in Druſ. Eſt. Gerund. alii.

dare fratribus, cum septimus annus instabat, metu ne quidquam in posterum a creditoribus acciperent.

℣. 3. A peregrino et advena exiges. Remissionis privilegio illo non donabantur nisi Judæi origine, vel proselyti justitiæ, ii nempe qui ad Judæorum sacra transiissent. Exteri omnes, cujuscumque essent conditionis, & ipsi pariter proselyti domicilii, qui Idololatriam ita abjecerant, ut Judaismum tamen non profiterentur, nulla ejus anni prærogativa fruebantur. Id exteris omnibus permittebant Hebræi, quod ab hominibus inter se præstari jubet jus naturæ, conjunctionis illius gratia, qua homines inter se junguntur: sed nulla se lege adigi reputant, ut ad omnes extendant illa amoris indicia, quæ Lex exhiberi vult erga homines ejusdem gentis & Religionis. Ita e. g. spicæ & racemi, quæ in messe seu vindemia negligebantur; convivia e decimis instituta, & alia id generis, nonnisi ab Hebræis in gratiam fratrum suorum præstabantur (1).

℣. 4. Omnino indigens et mendicus non erit inter vos. In Textu Hebræo (2) & Septuaginta (3) deest *mendicus*. Versiculum hunc præcedenti ita jungunt Septuaginta: *Fratri tuo remissionem debiti facies, quia non erit in te egenus*. Veluti scilicet diceretur: Nolo ego egenos esse in populo meo; quare id committatis volo, ut nemo indigeat (4): bonorum & conditionum æqualitatem pro viribus servandam in vobis constituo, ut miserorum ejusmodi nullus apud vos sit. Sed hoc eodem Textu nonne demonstratur, pauperes & mendicos non raros fuisse in Israele? Nonne etiam Deus perspicuis verbis id prænunciat ℣. 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis vestræ*. Potuisset utique Deus, siquidem voluisset, inter Israelitas bonorum & conditionum æqualitatem constituere: sed tota legis dispositio satis demonstrat, alienam fuisse ab ea re summi Legislatoris mentem, vel saltem nunquam id eventurum intellexisse, ut nulli unquam essent mendici, cum alias super alias sanctiones in favorem pauperum tulerit. Constat equidem, inter Hebræos, siquidem dictæ legis integra fide illi paruissent, nunquam futuros pauperes ad extremam rerum angustiam redactos, quibus necessaria vitæ adminicula deessent. Sed norat pariter Deus, pervicaciam cordis Judæorum nunquam sanctioni huic plene obsecuturam. Quare hic Textus ita commode redditur: Ne timeatis, ne hæc lex de requie annua, & debitorum remissione futura vobis in laqueum (5), & in detrimentum rerum vestrarum sit, utpote qua bonis vestris privemini: Ego vobis tam larga benedictione favebo, ut nulla rerum necessitate teneamini. Non tantum hac data lege nolo ego in censum pauperum redigi locupletes; quin id volo, ut ea felicitate omnes fruantur, qua neque indigentes incommodum sentiant. Id tantum facitote, ut legem servetis; statimque vestro experimento sentietis benedictionis meæ copiam, & promissionum mearum veritatem.

Alii aliter hanc legem explicant (6): Remittetis debita civibus vestris, siquidem illi paupertate laborent; non vero si rebus fruantur commodis; neque enim bona vestra vos perdere æquum est. Reddunt illi: *Præter quam cum deerunt pauperes in terra vestra*. Tunc nullam a vobis debitorum remissionem exigo. Sed hoc nimis recedere a consilio Legislatoris videtur. Tota hac lege cautiones omnes, quas suggerebat prudentia, adhibuisse illum intelligimus, ut vulgus tueretur tum a locupletum vexatione, tum a summæ necessitatis angustiis. Singulis suus erat agellus, qui in alienas manus transire non poterat ultra annum jubilæi: æs alienum & servitus non ultra annum sabbathicum porrigebantur: sexcentæ aliæ sanctiones constitutæ erant in favorem pauperum, eo tendentes, ut ope illis exhibita in necessitatem emendicandi victum non devenirent. Humanitatem erga fratres suos plurimam semper exhibuerunt Judæi, sed minorem quam pro justo erga exteros servasse, vitio illis sæpe versum est: quamquam pluries humanitatem pariter erga exteros lex imperat.

Hæc largitionum in pauperes disciplina hodie apud Judæos obtinet (7). In amplis urbibus plura sunt in favorem pauperum sodalitia instituta: alia e. g. excipiendis iis pauperibus, quos miserum rerum suarum statum revelare prohibet pudor: alia collatam pecuniam exigunt pro redimendis captivis; alia demum pro dote pauperculis puellis constituenda. Præter hæc, duo selecti viri colligunt pecuniam singulis sabbathis continentam. Discurrunt ostiatim bini semper, ne infidelitatis suspicionem incurrant. Cum summa collecta distribuenda est, tertium alium adhibent. Singulis sabbathis *Parnassim* vel Judices singulis egentibus tribuunt quidquid necessarium est ad victum familiæ per totam hebdomadam succedentem.

Cum gravis aliqua necessitas, quæ largitiones consuetas superet, hominem tenet, sive ad tradendam nuptiis filiam, sive ad redimendum captivum, sive quid simile, jussu Præfecti Synagogæ Cantor per mediam Synagogam discurrens, singulis qui vel aliquid largiuntur, vel aliquid spondent, apprecatur: *Benedictus sit hic qui donat pro hac necessitate*. Spondet quis pecuniam, quæ deinde per domos colligitur; neque enim fas est Judæis pecuniam die Sabbathi contingere. Promissionum ejusmodi fidem sanctissime & inviolate servant. Si impar est Synagoga, ut necessitati præsenti succurrat, hominem epistola munitum ad alias Synagogas mittit, quæ venientem illum excipiunt, alunt, fovent, ac largitionibus publicis privatisque juvant; atque ita demum fit, *ut mendicus non sit in Israel*. Ubique locorum, ubi Judaicum nomen auditur, piæ largitiones excipiuntur mittendæ Jerosolymam ad pauperes ibi agentes orantesque pro salute Israelis. Persimiles etiam ad alia Judææ loca mittuntur, ut ad urbem Japhet, Tiberiadem, Hebronem &c. Præter publicas hasce largitiones privatus etiam quisque suas præstat, non Judæis tantummodo, sed & Christianis & egenis generatim omnibus juvandis. Tournefortius in suo itinerario Orientali meminit non sine elogio largitionum, quæ a Turcis fiunt, apud quos nec egentes, nec mendicantes ulli occurrunt.

Dogmate sanctum est inter Thalmudistas (8), nunquam vacuis manibus remittendos esse pauperes, quamvis non nisi frumenti granulo donari possint. Edicunt, ut minus religiosi largiantur saltem quinquagesimam bonorum suorum, alii vero decimam: nec satis est subvenire necessitati præsenti: succurrendum est etiam pauperi pro conditionis suæ statu; emendus illi equus & servus, si ante casum & servo & equo utebatur. Tandem quicumque exactas largitiones negant, Judicum sententia puniuntur, & olim damnabantur a Sanhedrio, quod illos flagris damnabat, donec satisfecissent. Tradit etiam Maimonides, contigisse olim ut discurreretur per eorum domos, raptumque ex illis aliquid retineretur, veluti non collatæ eleemosynæ pignus.

Ut benedicat tibi Dominus, ut bonis cumulet & faveat cœptis. Vestra erga pauperes miseratio benedictiones vobis largas promerebitur: nunquam sinatis in egestate squallere homines in ve-

(1) Grot. hic. (2) אפס כי לא יהיה בך אביון (3) Ἄφεσιν ποιήσεις τῷ χρέει σου, ὅτι οὐκ ἔσται ἐν σοὶ ἐνδεής. (4) Tertull. l. 4. contra Marcion. cap. 16. Est. Tirin. Menoch. Bonfrer. alii plerique. (5) Munst. Fag. Vatab. Oleast. (6) Apud Vatab. (7) Leo Modena prim. part. c. 14. (8) Vide Selden. de jur. n. nat. & gent. l. 6. c. 6.

ſtra regione, ſiquidem vultis a me benedictione donari.

℣. 6. Fœnerabis gentibus multis. Fœnerum duo ſunt genera: *Commodatum* & *Mutuum*. Prava autem loci hujus expoſitione, permiſſa ſibi credunt Judæi erga Exteros fœnera; quaſi ſcilicet juſtiſſimus Deus pietatem illorum erga fratres utcumque remuneraturus id permitteret, ut injuſtitiam erga exteros exercerent, qualem utique quodcumque genus fœnorum præfert. Ita ergo hic locus exponendus eſt: Is erit rerum veſtrarum ſtatus, ut ſit vobis commodum fœnerari aliis, ne recipere ab aliis cogamini. Large omnia vobis ſuppetunt, ut finitimæ quæque gentes, rebus ſuis proviſuræ, opem a vobis quærant. Vocis originalis litera exprimit, recipere vel dare in pignus (1). Nequaquam cogemini bona veſtra vel res familiares oppignorari ad debita ſolvenda: quin potius pignora pro re vobis debita ab aliis gentibus exigetis. Septuaginta (2) dictum acceperunt de fœnore, quaſi diceret: Adeo rebus commodis fruemini, ut facile ſit vobis fœnerari &c. Utrum vero juberentur hoc facere, an, ſi facerent, crimine abſolverentur, non explicatur.

℣. 8. Aperies eam [manum] pauperi, et dabis mutuum. Textum hunc non explicant Hebræi doctores (3) de collatione rei, quæ reſtituendi neceſſitatem inferat, nec de illicito fœnore, ſed de ſimplici rei largitione, rati legem imperare eleemoſynas non modo erga fratres, ſed & exteros, ac Proſelytos Juſtitiæ & Domicilii, non tamen erga Paganos, niſi forte priores illos admixtos cum egenis idololatris vivere contingat. Tunc enim juvabantur eleemoſynis, ſed humanitatis tantum ſenſu, non legis obligatione. Docent Thalmudiſtæ, nefas eſſe Iſraelitæ mendicare, & largitionem & eleemoſynam accipere a Paganis, niſi clam, & cum collata ab Hebræis pecunia minor eſt, quam ut neceſſitatibus ſuis par ſit. Sunt etiam e Scriptoribus quidam (4) qui aſſerant, genuinos Judæos nunquam emendicare, atque hodie pariter ſtipem non poſcere niſi apud homines religionis ſuæ. Nec diffitemur pariter rariſſime emendicantem Judæum occurrere, eximiamque plane diſciplinam, quoad eleemoſynas, inter illos ſancitam obtinere. Sed æque pariter conſtat, nulla ſive lege, ſive conſuetudine prohiberi quin mendicent; nec locupletes lata aliqua lege ad eleemoſynas cogi, niſi ea quam charitas & humanitas hominibus poſuit. Sancita ſunt quædam in lege in favorem pauperum, quæ tamen extra rerum neceſſitatem omnem illos minime conſtituant. De Judæis Romæ emendicantibus ſermo frequens occurrit apud Satyricos. Juvenalis (5):

. . . . Cophino fœnoque relicto,
Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem.

℣. 9. Et avertas oculos tuos a paupere fratre tuo. Hebræus ad literam (6): *Oculus tuus ne malignetur in fratrem tuum.* Hac phraſi innuitur anima, cujus nervi omnes ſunt reſoluti, quam totum occupat livor, zelus, ſordidus amor pecuniæ. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* ait Jeſus Chriſtus (7): ideſt: An forte e munificentia mea livore aliquo tangeris? Salomon (8): *Ne comedas cum homine invido.* Hebr. *Cum homine mali oculi.* Moyſes in Deuteronom. xxviii. 54. ut ſignificet, virum uxori, & uxorem viro inviſuros ſibi invicem carnes filiorum, quos vorare coget famis deſperatio, ſcribit: *Malignabit oculus viri in uxorem ſinus ſui, & oculus uxoris malignabit in virum ſinus ſui, &c.* Vetus eſt Proverbium: Γειτόνων ὀφθαλμός, *Oculus vicini*, pro livore inter homines ejuſdem profeſſionis, & inter vicinos. Eo ſpectat Deus, ut Hebræi ſincere, & liberaliter conferant eleemoſynas ſuas; quippe qui ab ipſo largis benedictionibus cumulati ſunt: formari illos ad imitationem largitatis ſuæ voluit.

℣. 10. Nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus . . . ut benedicat tibi Dominus. Paulo aliter Hebræus (9): *Et non malignabitur cor tuum cum ei dederis, quia propter hanc rem benedicet tibi Dominus.* Alacriter communicato illi portionem bonorum, quæ liberaliter tibi impartitus eſt Deus, eo conſilio, ut famulis ſuis, & fratribus tuis tu viciſſim communicares. Cor pravum valet hic perinde ac in verſiculo præcedenti, *Oculus nequam*. Dare corde pravo eſt dare invite, ægre, & reluctanter.

In omni tempore, et in cunctis, ad quæ manum miseris. Latini quidam Codices ferunt: *In omni opere:* ſed Vulgata Hebræo plene cohæret. Phraſis hæc, *In cunctis, ad quæ manum miſeris*, prono ſenſu exprimit cœpta omnia, & quicunque ſuſcipitur labor. Commode etiam exponitur de bonis, ac divitiis; ſtylo enim Scripturæ vir *fortis manu*, ac *manu debilis* eſt pauper, vel dives. Quare ut dicatur Deus benedixiſſe proventibus populi, commode ſcribitur benedixiſſe rebus omnibus, ad quas populus manus admoviſſet.

℣. 11. Non deerunt pauperes. Vide ſup. ℣. 4.

Aperies manum fratri tuo egeno, et pauperi. Hebræus fuſius, & magis emphatice (10): *Aperiendo aperies* [large aperies] *manum tuam fratri tuo, afflicto tuo, egeno tuo in terra tua.* Innuitur hic ordo in diſtributione eleemoſynarum ſervandus. Subveniendum eſt primum fratri, quocum vinculo ſanguinis jungeris: tum iis, quos rerum, & malorum anguſtia magis premit; tandem civibus, quos forte afflixerit egeſtas.

℣. 12. Cum tibi venditus fuerit. Vendere libertatem ſuam, cum extrema rerum neceſſitas cogeret, datum erat Hebræis: jus patri vendere liberos: Judex vendi cogebat furem, furto ſolvendo imparem; ſed nec vendere ſe, nec vendi permittebantur niſi Hebræis origine, non exteris; qua de re vide quæ diſſeruimus in Exod. xxi. 1.

℣. 14. Dabis viaticum. Hebræus ad literam (11): *Onerabis collum ejus* commeatu; vel *Facies illi* quaſi *torquem*. Large illi ſufficies panem, vinum, carnes. In Exodo, ubi fuſe tota hæc Lex de manumiſſione ſervi Hebræi recitatur, ne verbum quidem de commeatu.

℣. 17. Assumes subulam. Diſcimus ex Exodo xxi. 5. 6. herum & ſervum ſimul ſe contuliſſe coram Judice, ubi ſervus palam profitebatur, cedere ſe privilegio manumiſſionis a Lege conceſſo. Sunt qui credant, ſanciri hæc tantum de illis, quos ſive Judicum ſententia ad venditionem coegit, ſive ipſi ſe ſponte vendiderunt (12).

Usque in æternum. Ad litteram accipientes, quidam cenſent, perpetuæ tota vita ſervituti illum addici: ſed Commentariorum Scriptores plerique (13), poſt Rabbinos, Textum explicant de ſervitute diuturna, ideſt, uſque ad annum Jubilæi. Vide Exodum xxi. 6.

Ancil-

---

(1) והעבטת גוים רבים ואתה לא תעבט (2) Δανειεῖς ἔθνεσι πολλοῖς, σὺ δὲ οὐ δανειῇ. (3) Vide Selden. de jure nat. & gent. l. 6. c. 6. (4) Scaliger in Elench. trihær. 1. 28. *Veri Judæi non mendicabant, neque mendicant hodie, propter φιλαλληλίαν eorum, &c.* Vatab. Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap. 7. & 32. (5) Juvenal. Satyr. 6. v. 541. Martial. l. 12. Epigr. 57.

Nec turba ceſſat Entheata Bellonæ.
. . . .
A matre doctus nec rogare Judæus.

(6) ורעה עינך באחיך Septuag. Καὶ πονηρεύσηται ὁ ὀφθαλμός σου τῷ ἀδελφῷ σου. (7) Matth. xx. 15. (8) Prov. xxiii. 6. (9) ולא ירע לבבך בתתך לו כי בגלל הדבר הזה יברכך יהוה (10) פתח תפתח את ידך לאחיך לעניך ולאביונך (11) העניק תעניק לו (12) Vide Fag. hic. (13) Iſidor. l. 2. Ep. 85. Piſcat. &c.

Ancillæ quoque similiter facies. Ex Interpretibus quidam (1) certant, perforatas fuisse aures ancillis, perinde ac viris, eodem ritu servato: sed perfossas mulierum aures negant plerique (2). Quod autem hic legitur, spectat tantum ad manumissionem ancillæ, & ad commeatus illi pro itinere sufficiendos. Sanctiones erant peculiares constitutæ pro puellis ancillis, quæ venditæ fuerant facta spe, fore ut in societatem thori cum heris suis venirent; qua de re vide quæ disseruimus in Exodo xxi. 7.

℣. 18. Quoniam juxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi. Neque ea res dura tibi ut videatur, æquum est, te scilicet cogi liberum illum remittere post evolutum famulatus ejus tempus: an non ille tibi toto, quo tenebatur, spatio servivit? Manumissionem ejus perinde habeas volo, ac præmium servitutis, & servitutem perinde ac tempus, ad quod accepto pretio se tibi impendit mercenarius. Fratris tui conditio, perinde ac tua, ingenua est: si tibi sese subjecit, ea tamen conditione jugum subiit, ut pristinam libertatem tandem reciperet; quam proinde illi rependere debes, tanquam mercedem, de qua inter vos convenerit. Commode etiam dictum hoc refertur ad commeatus, quibus servi illi manumissi instruebantur. Conferte hæc illis liberali manu, ingrati animi vestri significationem, illud animo versantes, parum vos pro præstito servitio rependere.

Septuaginta (3): *Non erit durum coram te, cum ipsi dimittuntur liberi a te: quoniam annuam mercedem mercenarii servivit tibi sex annis*. Idest, reddidit tibi integro sexennio famulatum annuum, & assiduum mercenarii.

Textus Hebræus ita redditur (4): *Quia duplum quam servisset tibi mercenarius, servivit tibi sex annis*. Idest, juxta Rabbinos, & Commentariorum Scriptores nonnullos (5), duplo majori tempore tibi servivit, ac servisset mercenarius. Nunquam mercenarii ultra triennium operam suam locabant, juxta illud Isaiæ xvi. 14. *In tribus annis, quasi anni mercenarii*. Sed loci hujus authoritas minima est ad opinionem hanc adstruendam. Occurrit apud eumdem Prophetam Capite xxi. 16. alia loquendi phrasis, qua explicatio hæc tota subvertitur: *In anno uno, sicut in anno mercenarii*. Quare *annus mercenarii* nihil designat aliud, quam annum plenum, cui nulla defuerit dies, qualis transigitur a mercenariis pretio conductis. Formula hæc erat loquendi proverbialis, ut ex pluribus Scripturæ Textibus probatur (6). Ecquis audivit unquam, mercenarios apud Hebræos triennio conduci consuevisse? Conducebantur potius, ut apud alias ubique gentes, pro rei necessitate; sed cogebantur servire toto conductionis tempore, ne ulla quidem die illis remissa.

Onkelos aliter Hebræum reddit: *Quoniam duplex tibi servitium præstitit sex annis, magis quam mercenarius*. Quasi scilicet innuatur, majoribus oneribus opprimi servos, quam mercenarios, qui in diurnum opus conducebantur (7). Alii vero exponunt de fide, & amore, quæ major erat in servo Hebræo erga herum suum, quam mercenario erga conductorem. Tandem non male exponitur de labore, humili statu, & difficultatibus servitutis, quæ maximæ sunt in homine conditionis ingenuæ; de quo utique non male usurpatur, servire illum plus duplo, quam alium, quippe qui eo servitutis jugo magis premitur.

℣. 19. De primogenitis, quæ nascuntur. Superius xii. 17. animadvertimus, primogenita quædam ita cessisse Sacerdotibus, ut privatis nullum jus maneret in illa; quæ nec voto sibi addici (8), nec in pios usus impendi Deus sinit: privatis Israelitis nihil est juris in illa, quippe quæ sibi Deus reservavit. Alia vero ex primogenitis jubentur impendi in convivia religiosa in locis, quæ Deus selegisset: his autem de primogenitis sermo hic fit, deque his mentem nostram exposuimus in Deuteron. xii. 17.

Non operaberis in primogenito bovis. Sive hoc accipiendum est ad literam de primogenito, seu primo fœtu animalis; vel primogenitum est hic alio sensu positum pro secundo fœtu animalis, vel pro optimo, magis opimo, vel ad mactationem saginato. Nefas erat illum applicare culturæ, lucri gratia; vel conviviis hisce destinatas oves tondere. Vox Hebræa גזז *Gasas*, quæ hic redditur *tondere*, sonat ad literam *vellere*; unde conjecturæ locus, Hebræos olim ab exordio nec forfice, nec novacula totondisse oves, sed lanam vulsisse. Idem pariter in usu esse observat Bellonius alicubi per Orientem, ut scilicet lana seu villi caprarum quarumdam vellantur. Varro testatur (9), *prius lanæ vulsuram quam tonsuram inventam fuisse*. Tradit insuper, sua adhuc ætate interdum lanam velli consuevisse; quique id servabant, triduo antea omni cibo oves prohibuisse, quoniam minus tenax est lana, cum oves lassescunt & fame extenuantur. Tonsores barbæ non prius novisse Italiam affirmat, quam anno ab U. C. ccliv. & e Sicilia illorum primos P. Ticinium Menam duxisse. Eumdem morem vellendi lanam perseverasse alicubi ætate sua, testis est Plinius (10).

℣. 21. Sin autem habuerit maculam . . . non immolabitur Domino. Non ita sunt hæc accipienda, quasi hæc primogenita immolationi, seu victimæ pacificæ, destinarentur. Nihil enim tale præcipit Moyses (11). Quin potius licere ait ex illis comedere, sive nulla vitiarentur macula, sive aliqua tenerentur, juxta Vulgatam; sive comedentes impuri essent vel secus, juxta Hebræum (12). Illud autem aperte demonstrat, loco hostiarum pacificarum primogenita illa non offerri; neminem enim arbitror ignorare, eos qui legali aliqua macula polluebantur, a sacrificiis quibuscumque amotos fuisse. Reputandum est igitur Moysem hic nihil aliud significasse, quam quod hæc sacrificia offerre volentes, ipse non prohibebat, dummodo victimæ qualitatibus necessariis non destituerentur. Quasi dixisset: Vobis integrum est ex illis comedere, sive vitiata illa fuerint sive integra, sive mundi sitis sive immundi; non tamen idcirco vobis datum est offerre illa in sacrificium, nisi omnes illæ conditiones adfuerint, quas postulant leges.

(1) Ainsw. Malv. (2) Menoch. Bonfr. Fag. Dref. &c. (3) Οὐ σκληρὸν ἔσται ἐναντίον σου, ἐξαποστελλομένων αὐτῶν ἐλευθέρων ἀπὸ σοῦ, ὅτι ἐνιαύσιον μισθὸν τοῦ μισθωτοῦ ἐδούλευσέ σοι ἓξ ἔτη. Legunt משנה *mischana, annuam*, pro *mischeneh, duplex*, quod nos hodie legimus. (4) כי משנה שכר שכיר עבדך שש שנים (5) Hebr. Munst. Fag. Vatab. Grot. (6) Job vii. 1. & xiv. 6. (7) Kimchi, apud Munst. (8) Levit. xxvii. 26. *Primogenita quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit, & vovere.* (9) Varro, de re rustica l. 2. cap. ult. (10) Plin. lib. 8. c. 48. (11) Vide supra xiii. 15. 16. 17. (12) Vide Hebræum hic & ℣. 22. Vide & xiii. 22.

C A.

CAPUT XVI.

Tria Festa, Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum, Judices & Præfecti Juris: Domini, pro illorum politia regula. Cautio ne plantentur luci circum Altare neve simulacra erigantur.

℣. 1. Observa mensem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias
Phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus
tuus de Ægypto nocte. 2. Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de
bobus, in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. 3.
Non comedes in eo panem fermentatum: Septem diebus comedes absque fermento,
afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto: ut memineris diei
egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ. 4. Non apparebit fermen-
tum in omnibus terminis tuis septem diebus, & non remanebit de carnibus ejus,
quod immolatum est vespere in die primo usque mane. 5. Non poteris immolare
Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi: 6. Sed
in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi: immolabis
Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto. 7. Et coques, &
comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, maneque consurgens vades in
tabernacula tua. 8. Sex diebus comedes azyma: & in die septima, quia collecta est
Domini Dei tui, non facies opus. 9. Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die,
qua falcem in segetem miseris. 10. Et celebrabis diem festum hebdomadarum Do-
mino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres juxta benedictio-
nem Domini Dei tui: 11. Et epulaberis coram Domino Deo tuo tu, filius tuus,
& filia tua, servus tuus, & ancilla tua, & Levites, qui est intra portas tuas, adve-
na, ac pupillus, & vidua, qui morantur vobiscum: in loco, quem elegerit Domi-
nus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. 12. Et recordaberis, quoniam servus
fueris in Ægypto; custodiesque, ac facies, quæ præcepta sunt. 13. Solemnitatem
quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de arca, &
torculari fruges tuas: 14. Et epulaberis in festivitate tua, tu, filius tuus, & filia,
servus tuus, & ancilla, Levites quoque, & advena, pupillus, ac vidua, qui intra
portas tuas sunt. 15. Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco,
quem elegerit Dominus: benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus
tuis; & in omni opere manuum tuarum, erisque in lætitia. 16. Tribus vicibus
per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in lo-
co, quem elegerit: in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, & so-
lemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus: 17. Sed offeret
unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam de-
derit ei. 18. Judices, & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus
Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas: ut judicent populum justo judicio,
19. Nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera: quia
munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum. 20. Juste, quod ju-
stum est, persequeris, ut vivas, & possideas terram, quam Dominus Deus tuus dede-
rit tibi. 21. Non plantabis lucum, & omnem arborem juxta altare Domini Dei tui,
22. Nec facies tibi, neque constitues statuam: quæ odit Dominus Deus tuus.

℣. 1. Observa mensem novarum frugum, et verni primum temporis. Hebræus fert tantum (1): *Observa mensem Abib*. Respondet hic mensis partim Martio, partim Aprili apud nos: idcirco vero mensis virentium spicarum appellabatur, quod eo mense hurdei spicæ adultæ jam vergerent ad maturitatem: frumenti vero spicæ acerbæ adhuc erant & virides, Messis hordei colligebatur exeunte Martio; ejusque primitiæ offerebantur in Templo altera die Festi Paschalis (2). Mensis hic virentium spicarum dein transiit in appellationem *Nisan*, vel mensis signorum, fortasse quod tunc exercitus in aciem egrederentur. Nomen illud e Chaldæis receptum est, adoptatumque ab Hebræis, qui captivi Babylone tenebantur, ac deinde ab illis nostra etiam ætate servatum est. Vide quæ disseruimus in Exodum XIII. 4.

Eduxit te Dominus de Ægypto nocte. Quo pacto ista cohæreant cum iis, quæ alibi (3) legun-

(1) שמור את חדש האביב (2) Levit. XXIII. 10. (3) Exod. XII. 12. *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane*. Et Num. XXXIII. 3. *Profecti de Ramesse . . . altera die Phase*.

guntur, mane scilicet ineuntis Paschatis; vel transitus, vel diei transitus Angeli exterminatoris, pedem ex Ægypto illos retulisse; qua etiam ratione conveniat cum his versus 6. hujus Capitis: *Ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto?* Reponimus, Israelitas quidem cœnasse vespere Paschatis ineuntis, juxta eorum supputandi rationem, ipsa die qua egressi sunt: post cœnam, jussos vel saltem permissos esse a Pharaone discedere, lato ad ipsos eadem ipsa nocte Regis edicto; ineunte vero mane itineri se commisisse, ut pergerent in Ramessem, quo ut convenirent, Israelitis omnibus indictum erat. Quare verissime dicuntur simul & semel, juxta varias circumstantias, proximas vel remotas, discessisse illos vespere, noctu, summo mane, ac plena die, ut tota res vel cœpta consideratur, vel dum fiebat, vel absoluta, vel executioni prorsus mandata. Vespere discessum paravere, Agno Paschali comesto: illos discedere coegit populus circa noctis medium, post cædem primorum natu. Noctis partem egerunt veniendo in Ramessem, quo omnium conventus indictus erat. Tandem itineri se commiserunt mane, circa solis exortum. Quare discessio illa merito facta dicitur vespere, nocte, mane, ac plena die.

℣. 2. Immolabis Phase Domino . . . de ovibus et de bobus. Innuit hic Moyses duo hostiarum genera (1) die Paschatis, ac per eos dies festos immolandarum. Primum est agnus vel hœdus Paschalis, quem immolabant comedebantque Israelitæ omnes quo primo vespere Festum exordiebatur. Hostiæ aliæ boves erant vel tauri, qui mactabantur in sacrificium ipsa die festa, & per octo festos dies qui sequebantur: mactabantur illæ in holocaustum, uti imperatur in Numer. xxviii. 19. 23. 24. cujus rei usum legimus in Paralipom. (2) sub Ezechia. Censent quidam (3), sermonem hic esse apud Moysem de victimis pacificis & spontaneis, immolatis tota ea octava perseverante; de quibus privatus quisque participabat. De sacrificiis hisce, inquiunt, sermo est apud Evangelistam (4), dum scribit, Sacerdotes, qui Jesum Christum ad Pilatum deduxere, renuisse ingredi in Prætorium, ne maculam aliquam contraherent, qua a comedendo Paschate arcerentur. Hæc autem opinio veluti certum ponit, tunc Agnum Paschalem comestum fuisse ejus diei pervigilio; quare his Sacerdotum verbis nihil aliud innui posse, quam hostias pacificas, de quibus toto hoc Festo comedere licitum illis erat. Quid vero necesse fuit, ut Judæi hostias comederent, quæ die Paschatis immolabantur? Nihil profecto; integrum enim erat ex illis comedere vel illis abstinere tum ea die tum succedentibus post illam diebus. Minora hæc erant, quam ut cogendus esset Pilatus egredi e Prætorio, ut verba cum illis faceret, quare major aliqua necessitas tunc adfuisse reputanda est, quam spontaneæ Religionis. Hæc autem erat, quod vespere ejus diei degustandus illis erat Agnus Paschalis (5), cum mane alterius diei Festum Paschatis celebraretur. Porro in Levit. vi. 12. non obscure designantur hostiæ pacificæ, quarum adipes adolebantur super holocaustum quotidianum eo Festo perseverante, & in 2. Paralipom. xxxv. 7. legimus, sub Josia collata fuisse Sacerdotibus ad celebrationem Paschatis bis mille & sexcenta e capris atque ovibus, bovesque trecentos; Josiam vero Regem distribuisse in populum xxx. millia ex arietibus, & hœdis: hæc autem omnia ut immolarentur in Sacrificia pacifica, dum Festum Paschatis celebrabatur, atque ex illis populus, & Sacerdotes participarent. Utraque hæc opinio nihil habet repugnans, & contrarium.

℣. 3. Afflictionis panem. Panem non fermentatum, qui argumentum est, & monumentum malorum, quæ tulistis in Ægypto; vel panem male confectum, insuavem, nec voluptati, neque valetudini satis conducentem. Reddunt quidam (6) Hebræum לחם עני, *Panem paupertatis*, quod pauperes cogantur sæpe victitare pane sine fermento, tumultuarie excocto, cum non satis seu temporis, seu commodi ad fermentatum parandum nanciscantur. Ut sensus illos demissionis vividos in mente servent Judæi, panem hunc in Paschate non apponunt mensæ, nisi in frusta concisum, uti moris est pauperum, qui non integros panes, sed frustula corrogata degustant. Syriacus vertit: *Panem humilitatis*. Arabs: *Panem imbecillitatis*. Septuag. Ἄρτον κακώσεως, *Panem afflictionis*.

Quoniam in pavore egressus es de Ægypto; admixta timori præcipitatione. Metuebatis enim, ne Pharao fugientes insequeretur, vel ne quid molestum grandi facinori vestro obsisteret. Legimus in Psal. civ. 43. *Eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia*. Sed gaudium illud temperabat metus, uti solet frequentissime, cum lætum aliquid extraordinarium, & insperato accidit. Subrepit statim metus bonum illud amittendi, vel saltem ne forte contingat, ut illud brevi amittatur, quod longa nos expectatione fatigavit, cujus acquisitio plurimi stetit. Septuaginta ita Hebræum vertunt: Ἐν σπουδῇ ἐξήλθετε ἐξ Αἰγύπτου, *In festinatione exiisti ex Ægypto*; qui verus esse sensus videtur Hebræi Textus: בחפזון יצאת (7).

℣. 5. Non poteris immolare Phase in qualibet Urbium tuarum. Nefas erat Pascha alibi immolare, quam in loco a Domino selecto: agnus Paschalis nullibi nisi in atrio Templi mactabatur (8); erat enim verum Sacrificium, cujus sanguis, ac forte etiam adeps super Altare Domini offerendus erat (9). Ingens ille numerus victimarum immolandarum *inter duas vesperas*, idest, spatio circiter horarum quatuor, negocium aliquod in hac re facessit: constat tamen, Josephi ætate Sacerdotes per se ad id sufficisse. Eorum in hac re peritia, & experientia, late porrectus ambitus atrii, amplitudo plane extraordinaria Altaris holocaustorum, ordo, quo tota ea cæremonia dirigebatur, hæc simul omnia id conferebant, ut paucis horis totum id absolveretur, quod per se plures postulasset.

E Scriptoribus Commentariorum quidam (10) volunt, præceptum hic datum non respicere nisi tempus tranquillæ pacis, & cum omnis simul populus convenire posset ad locum, quem Dominus elegisset: in rebus autem turbatis fas fuisse Pascha alibi celebrare, ubi Arca detinebatur. Ita sub Regno Amonis decessoris Josiæ, cum Sacerdotes liberum non haberent exercitium ministerii sui in Templo Jerosolymitano, amotam e Sanctuario Arcam secum detulerant. Josias initio Regni (11) cum Pascha solemne celebrare vellet, jussit Arcam in locum suum restitui, vetuitque ne deinceps efferretur. An forte reputabimus toto illo tempore, quo Arca & Sacerdotes ab Urbe Jerosolyma abfuerunt, urbes omnes Juda a Paschate celebrando abstinuisse? Vix hoc in mentem induxerim. Nullo tamen documento celebratum reipsa discimus: & extraordinarii ejusmodi rerum eventus perinde haberi possunt ac exceptiones, communem Legem contrariam confirmantes.

℣. 6.

[1] Grot. Rab. Salom. Maimon. Ainsv. Vide & Aug. qu. 24. in Deut. [2] 2. Par. xxx. 15. *Immolaverunt Phase . . . Sacerdotes quoque obtulerunt holocausta in domo Domini.* [3] Bonfr. Bochart. Menoch. Tirin. &c. [4] Joan. xviii. 28. [5] Vide quæ de hac re diximus in Dissertatione de Paschate. [6] Pagn. Oleast. Malv. [7] Vide Exod. xii. 11. Isai. lii. 12. &c. [8] Menoch. Bonfr. Boch. de animal. sacr. par. 1. l. 2. c. 50. [9] Ita Maimon. & Misna de Pascha, cap. 5. 6. apud Boch. loco citato. [10] Jun. Malv. [11] 2. Par. xxxv. 3. *Ponite arcam in sanctuario Templi . . . Nequaquam enim eam ultra portabitis: nunc autem ministrate Domino, &c.*

℣. 6. AD SOLIS OCCASUM, QUANDO EGRESSUS ES DE ÆGYPTO. Jam supra, ℣. 1. explicavimus, quo sensu affirmari possit, Israelitas ab Ægypto exiisse vespere, *ad solis occasum*. Vespere enim ad iter sese expedierunt. Hebræus alio sensu reddi- tur (1): *Immolabis Pascha vespere, circa occasum solis, tempore evoluto egressus tui ex Ægypto*. Vel tempestate, mense, die exitus tui recurrente. Vox originalis usurpatur ad designandum certum statumque tempus Festa celebrandi, non vero ad certam diei horam determinandam.

℣. 7. COQUES. Assatus igne comedi agnus solebat; quin & lege cautum erat, ne crudus vel elixatus comederetur (2). Quæ tamen hic legitur, in Originali vox sonat coquere ex aqua carnem victimæ paschalis. Reputandum est igitur cum Interpretibus nonnullis (3), verbum בשל *baschal*, cum solitarium est sine addito, significare tantum, coquere dapes; hic autem, & alicubi interdum poni pro assare. Cum Moyses alias mentem suam aperuerit de ritu coquendi agnum paschalem, accuratius hic rem tradere neglexit. Septuaginta vertunt: Ἑψήσεις, καὶ ὀπτήσεις, *coques & assabis*, quod ineptum videtur. In Chaldæo idem recurrit verbum ac in Hebræo. Interpretes quidam (4) autumant, sermonem hic esse non de agno paschali, sed de victimis aliis, quæ toto hoc Paschatis festo perseveranter offerebantur, de quibus supra ℣. 2. disseruimus. In 2. Paralip. xxxv. 13. innuitur, aliarum victimarum carnes aqua coqui consuevisse: sed Textus hic prono & naturali sensu nonnisi de victima, vespere Paschatis immolanda, nempe de agno Paschali, accipitur.

MANEQUE CONSURGENS, VADES IN TABERNACULA TUA. Qui ultro sese offert Lectoribus, horum sensus verborum est, eadem die Paschatis, & mane alterius diei ab immolatione & esu agni, integrum fuisse singulis dimisso cœtu ad propria remeare.

Rabbini & Interpretes plures (5) textum hunc conciliaturi cum traditione, iter vetante Hebræis per dies Festos, explicant ea verba, *Mane consurgens*, de mane septimæ diei festivæ; Paschatis vero diem appellatam affirmant *Diem retentionis* (6), quod populus, inquiunt, retineretur Jerosolymis ad conferendas largitiones oblationesque, quarum collectio eo usque differebatur. Porro substitisse populum septem diebus solidis, dum Festum Paschale celebraretur, probare sibi videntur iis verbis (7): *Fecerunt Filii Israel, Phase in tempore illo, & solemnitatem azymorum diebus septem*. Hæc tamen demonstrant ne, praecepto obligari populum, ut eo dierum numero in loco subsisteret; vel morem hunc subsistendi obrinuisse? Nonne satis erat ad verborum istorum veritatem, si magno numero populi perseverassent? Vel dicas, præter morem accidisse, ut in utroque hoc Paschate, cum solemnius solito Festum celebraretur, populus septem integris diebus in loco manserit: sub Ezechia enim & sub Josia intermissum antea Pascha instauratum est.

Commentariorum Scriptores alii (8) docent, prima die Festi hujus, cum solemnitas haberetur, continuisse se populum, ne Jerosolymis discederet; mane vero alterius diei reditum ad propria permissum fuisse.

℣. 8. SEX DIEBUS COMEDES AZYMA. Edicit Moyses in Exodo xiii. 6. ut gustentur panes azymi spatio septem dierum, idest, per sex eos dies, qui proxime Festum Paschatis sequuntur ipsaque festa die, quæ septem dierum numerum complet. Cuni liceret singulis ad propria, absoluto sacrificio hostiæ Paschalis, redire, opportune monet Legislator, ne permissum sibi usum panis fermentati arbitrentur.

IN DIE SEPTIMA, QUA COLLECTA EST DOMINI, NON FACIES OPUS. In Levitico xxiii. 36. Textum huic persimilem expendimus. Reddi posset Hebræus: עצרת ליהוה, *Interdictum*, vel *Retentio Domini*, dies interdicti, retentionis; vel potius, dies *Festi* vel *Cœtus*: populus enim universus conveniebat in Templum, statuebatque sese coram Domino, tamquam subjecta gens, tributum Domino suo præstitura. Septuaginta: Τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ ἐξόδιον ἑορτὴ κυρίῳ, *septima die egressus, solemnitas Domino*.

℣. 9. SEPTEM HEBDOMADAS NUMERABIS AB EA DIE, QUA FALCEM IN SEGETEM MISERIS. Secunda die ab inito Festo Paschali offerebantur in Templo primitiæ hordei, excussi e manipulo tunc in eam rem collecto; & secunda die Festi Pentecostes, post septem a Paschate hebdomadas recurrentis, offerebantur pariter primitiæ frumenti, delato ad Templum manipulo novi frumenti in eum finem collecti. Vide Leviticum xxiii. 10.

℣. 10. OBLATIONEM SPONTANEAM MANUS TUÆ. Offeres primitias, quarum memini: erant autem illæ oblationes liberæ & spontaneæ laboris manuum tuarum. Alii Textum exponunt de victimis spontaneis, & de sacrificiis pacificis, quæ quisque pro religione sua privata, instituendisque coram Domino conviviis offerebat (9). Textus Hebræus reddi potest: מסת נדבת ידך, *Tributum spontaneum*, quod reddis Domino e labore *manus tuæ*. Vel: *oblationem spontaneam laboris tui, quam elevas coram Domino*; vel tandem (10): *Offer Domino oblationem spontaneam pro viribus facultatum tuarum*. Septuaginta (11): *Offer Domino, prout valet manus tua*.

℣. 11. EPULABERIS. Hebræus tantum שמחת, Septuaginta: Εὐφρανθήσῃ, *Lætaberis*. Obsequio dierum festorum & Sabbathi conferre se plurimum arbitrantur Judæi, si ea die convivia agant lætiora, licitisque voluptatibus sese oblectent: quam in rem adducunt illud Isaiæ lviii. 13. *Sabbathum delicarium* (12). Sed legislatoris mens, cum læta illa convivia indixit, ea erat, ut magis magisque a profanis Idolorum festis illos abalienaret, erigeretque paulatim crassiorem illum populum ad sinceras cordis & spiritus voluptates. Sed rudis ille populus legis mentem non pervadens, iis semper inhæsit, quæ sensum & concupiscentiam alliciunt. His potissimum festis diebus Jerosolymam ex Urbibus omnibus ejus regionis animalia primogenita selecta deducebantur, in banc rem saginata, ut ex iis convivia coram Domino agerentur. Vide cap. xii. 17. & xiv. 23.

℣. 15. EXISQUE IN LÆTITIA. Reddi posset Hebræus: והיית אך שמח *Fueris utique lætus*, omni cura niteris, ut lætus sis. Serenum mentis tuæ nihil turbabit. Ex hoc Textu petunt Rabbini morem abstinendi a celebratione nuptiarum Festis diebus; neque enim, inquiunt illi, fas est voluptatem carnalem castis festorum Domini deliciis miscere: sacra enim sanctarum dierum lætitia nulla fuctus, vel lætitiæ alterius generis admixtione violanda est.

℣. 16. NON APPAREBIT ANTE DOMINUM VACUUS. Quicumque ad Festum conveniebant, offerebant seu primitias, seu primogenita, seu pro sacrificiis

(1) בערב כבוא השמש מועד צאתך ממצרים Septuag. Ἐν τῷ καιρῷ ᾧ ἐξῆλθες. (2) Exod. xii. 8. *Edent carnes nocte illa assas igni*. 9. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni*. (3) Rab. Salom. Abenezra, Kimchi, apud Bochart. Vide 2. Par. xxxv. 13. (4) Ainsv. (5) Rabb. & Menoch. Tirin. Ponss. & Heb. in Fag. & Munster. (6) ℣. 8. *Quia collecta est Domini*. Hebr. *Quia retentio, vel interdictum Domino*, &c. (7) 2. Par. xxxv. 17. Vide & 2. Par. xxx. 21. (8) Tost. Ol. &c. Lyr. (9) Vide ℣. 11. (10) מסת verbum est Chaldaicum, idem sonans ac די Hebræum. Vide Exod. 11. 4. Prov. xxx. 8. Est *sufficientia*, quod sufficit ad voluntariam oblationem. Grot. (11) Καθότι ἰσχύει ἡ χείρ σου. Ita Vat. Grot. Rab Salom. & Kimchi. (12) Vide Buxtorf. Synagog. Jud. c. 10. & 11.

ciis hostias, seu pro epulis victimas. Festa illa jucunda semper erant ac læta, tum confluentium hominum numero, tum copia rerum undique allatarum. Quare nihil mirum si undique in urbem sanctam fieret populorum concursus, sin minus ad Religionem, certe ad tantum pompæ apparatum invitati. Vide quæ in similem Textum contulimus in Exodo XXIII. 15.

℣. 17. JUXTA BENEDICTIONEM DOMINI DEI SUI, QUAM DOMINUS DEDERIT EI. Conferet quisque in domum Domini, pro viribus facultatis suæ, & pro bonis quæ de manu Domini acceperit. Nihil enim supra vires exegit unquam Deus, nec quantitatem rerum offerendarum determinari vult: id totum arbitrio & grato populi sui animo relinquit.

℣. 18. JUDICES ET MAGISTROS CONSTITUES. Hebr. שפטים ושטרים, *Judices & Soterim*. In Deuter. I. 15. expendimus quæ Præfectorum Soterim dignitas esset & officium. Docent Rabbini, hos esse cursores, vel apparitores, qui virgam tenentes in manu, cogebant populum sententiæ Judicum, & Legum mandatis obtemperare; stabantque ad nutum Judicum subjecti. Hanc vero Ministrorum Justitiæ politiam statuunt Doctores Hebræi (1). Trium generum erant apud ipsos Judicum tribunalia constituta. Primum erat Sanhedrin, collectum e LXX. Patribus, quibus Princeps aliquis præerat. Secundum Tribunal e XXIII. Judicibus in principibus Urbibus constituebatur. Tertium e tribus tantum, sedebat in locis, ubi saltem CXX. vel CXXX. incolæ colligerentur. Ferunt, inter Patres adlectos non fuisse, nisi Seniores, manuum impositione destinatos, vel illos, qui honorem Seniorum affectabant; quemadmodum & Levitas, vel Israelitas ingenuos, & discipulus Sapientum, qui nullo notareatur vitio corporis, Sapientes, divites, magiæ peritissimos, ut nossent magiæ effectus frustrari. Id etiam exigebatur, ut e numero illo trium & viginti, duo saltem exculti essent scientia LXX. linguarum, ne Interpretem adhiberi in Judicio opus esset. Nemo eligebatur, qui nimia senectute satisceret; eunuchus nemo, quorum severius est ingenium (2).

Adde quod eunuchus nulla pietate movetur;
Nec generi natisve cavet. Clementia cunctis
In similes, animosque ligant consortia damni.

Non summus Sacerdos, nisi sapientia præstaret; non Rex, cui coram obsistere & contradicere, res plena discriminis est. Singulis Judicibus aderant ad latera duo selecti viri, quorum alter absolvendi, alter damnandi sententiam scribebat. In hoc Senatu requirebantur Medicus, Chirurgus, Lanio, Pædagogus, Scriba, duo Cursores, vel Apparitores, & duo Collectores eleemosynarum. Præterea opus erat, ut in Urbe decem homines essent, qui otiosorum nomine distinguebantur, qui mane, & vespere adesse Synagogæ non impedirentur.

Judicum trium & viginti Tribunalia erecta erant præ foribus urbis, eorumque pedibus aderant triplici ordine discipuli, qui peculiarem studio sapientiæ navabant operam, docebanturque quid in usu ipsa agendum, ut suo ordine in locum Judicum demortuorum succederent.

In minoribus iis locis, ubi saltem CXX. incolæ collecti erant, tres tantum Judices constitutos fuisse jam animadvertimus. Jus autem dicebant in subjectis sibi locis eadem ferme authoritate, qua tres illi & viginti in suis; quamquam admonebantur, ut ad judicii securitatem adhiberent viros a consiliis, vel assessores, qui simul omnes una cum tribus illis numerum undecim vel unius & viginti complerent. Interdum litigantes conveniebant, ut trium a se delectorum Judicum arbitrio rem totam permitterent, quamvis Senatus trium & viginti adesset: sed tres Judices ita delecti authoritate sponte sibi delata, & in singularibus rerum eventibus potiebantur. Judicium de animadversionibus hisce Rabbinicis lectori integrum remittimus; his autem eo minorem fidem addicimus, quod ejusmodi politiæ Judaicæ ideam nullam Josephus exhibeat (3). Affirmat ille tantum, Moysem constituisse in singulis urbibus septem Judices, quibus singulis duo aderant ministri e Tribu Levi, qui numerus ex iis collectus unius & viginti hominum est: cum Thalmudistæ singulis majoribus Urbibus tres ac viginti Judices tribuant, ac bis totidem Apparitores ad eorum nutum subjectos. Confer nostram Dissertationem de re Judiciaria apud Hebræos.

℣. 19. MUNERA EXCÆCANT OCULOS SAPIENTUM. Excæcatus cupiditate animus hominis impar est agnoscendæ veritati, Justitiæque administrandæ. Avaritia enim perinde ac nubes menti vel maxime perspicaci tenebras offundit, ut in aperto positam veritatem non videat. Persimili sententia in Hebræo Ecclesiastes VII. 8. *Oppressio insanire faciet Sapientem, & perdet cor donum*. Judex timidus, & avarus justo judicio ferendo est impar; animum ferat oportet ad judicandum impavidum, inaccessibilem muneribus, minis, timori, & commendantium authoritati.

℣. 20. JUSTE QUOD JUSTUM EST PERSEQUERIS. Hebræus ad literam: צדק צדק תרדף *Justitiam justitiam sequeris*. Obtutum tuum alio minime convertes, in hoc tantum intentus. Vel id unice studebis, ut justitiam reddas integra fide, quidquid justissimum est persequaris. Non satis est Judici æqua judicare; sed unice justitiæ causa, rerumque æquitatis juste illi judicandum est: si alio consilio ad id feratur, avaritia, vanitate, aliove commodo, justitiæ nitorem corrumpit. De Judicum munere vide Exod. XXIII. 1....9.

℣. 21. NON PLANTABIS LUCUM, ET OMNEM ARBOREM JUXTA ALTARE DOMINI. Reddi posset Hebr. *Non plantabis tibi ex cujuscumque generis arboribus lucum juxta Altare Dei tui*. Solemne erat Paganis, arboris genus aliquod consecrare Numinibus; ac nunquam ferme erigebant Fana, vel Aras, nisi accedente simul sacri & annosi nemoris religione. Umbra illa, silentium, & arborum proceritas genus quoddam sacri horroris conciliabant, tegebantque crimina illa, quæ in profanis hisce Festis patrabantur. Ex historia Regum constabit, huic Moysis sanctioni minus obtemperatum fuisse, cum nemora ad cultum Idolorum consecrata non semel fuerint. Id tamen non minus certo constat, nunquam permisisse Deum plantari lucos circa Templum Jerosolymitanum: quem tanquam Templi illius singularem ritum Pagani (4) Scriptores animadverterunt.

℣. 22. NON FACIES TIBI... STATUAM. Originalis voces לא תעשה לך... מצבה extendi possunt ad monumenti religiosi quodlibet genus, aram, columnam, struem lapidum, statuam: hæc simul omnia vetita erant Israelitis. Ante legem nulla absterrebantur religione Patriarchæ, ne aras Domino erigerent; quin & post legem, plurium quorumdam virorum exempla succurrunt, qui apud Israelitas altaria excitaverunt. Samuel Altaria erexit ut sacrificaret; monumentum etiam sacrum ad ripas Jordanis erexerunt Israelitæ, qui trans amnem sedes habebant constitutas (5). Docent Rabbini (6), Proselytis justitiæ non solum crimini datum non fuisse, sed merito etiam & virtuti adscriptum, si ejusmodi monumentis religionem suam testarentur, dummodo tamen superstitio omnis & impius cultus abesset.

CA-

[1] Vide Rabbinos apud Munst. & Fag. & Grot. hic, & Selden. de Synedr. l. 2. cap. 5. [2] Claudian. in Eutrop. lib. 1. [3] Joseph. lib. 4. Antiq. cap. ult. [4] Hecatæus de Jerosoly. Οὐδὲ φυτουργεῖ παντελῶς οὐδὲν ὅσον ἀλσῶδες ἢ τι τοιοῦτο. [5] Josue XXII. 10. [6] Apud Selden. de jure nat. lib. 2, cap. 6.

CAPUT XVII.

Judæi idololatriæ rei, morte puniuntur. Judices supremi, ad quos ardua quæque deferuntur, Regis electio & munera.

℣. 1. NON immolabis Domino Deo tuo ovem, & bovem, in quo est macula, aut quidpiam vitii: quia abominatio est Domino Deo tuo. 2. Cum reperti fuerint apud te, intra unam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir, aut mulier, qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, & transgrediantur pactum illius, 3. Ut vadant, & serviant diis alienis, & adorent eos, solem, & lunam, & omnem militiam cœli, quæ non præcepi: 4. Et hoc tibi fuerit nunciatum, audiensque inquisieris diligenter, & verum esse repereris, & abominatio facta est in Israel: 5. Educes virum, ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, & lapidibus obruentur. 6. In ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium. 7. Manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur: ut auferas malum de medio tui. 8. Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram: & judicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. 9. Veniensque ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem. 10. Et facies, quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te 11. Juxta legem ejus: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. 12. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel: 13. Cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. 14. Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis cam, habitaverisque in illa, & dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes: 15. Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. 16. Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus, præsertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini. 17. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti, & auri immensa pondera. 18. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, 19. Et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. 20. Nec elevetur cor ejus in superbiam, super fratres suos, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israel.

℣. 1. OVEM AUT BOVEM. Communi ovis nomine censentur arietes, agni, capræ, hœdi, hirci; boves vero, tauri, vaccæ, vituli. Boves nunquam offerebantur; quo enim notabantur vitio, scilicet mutilationis, arcebantur a sacris. Vitia quibus animalia inepta efficiebantur sacrificio, jam alibi recensuimus (1).

QUIPPIAM VITII. Hebræus כל דבר רע, *omne verbum malum*, quodcumque mali genus: victima omnis, cui minus perfectum sit aliquid, sive in se, sive ex vitio offerentis.

℣. 2. TRANSGREDIANTUR PACTUM ILLIUS; Domini nempe fœdus, ejus cultu abjecto, ut Idola venerentur. Compositum inter Deum & Israelem fœdus in eo potissimum versabatur, quod Deus coli se a populo suo vellet juberetque.

℣. 3. SOLEM, ET LUNAM, ET OMNEM MILITIAM CÆLI. Astrorum cultus, omnium superstitionum est vetustissima: ad cultum illum redigebantur omnes Orientalium religiones. Sol & Luna perinde habentur, ac Rex & Regina Cœli; & sidera omnia tanquam eorum militia, vel custodiæ illorum cohortes deputatæ habebantur. Paganorum ea in re persuasionem indicat Plato in Phœdro, docens, Solem Deos omnes præcedere vectum alato curru; reliquos vero undecim majores Deos totidem veluti agmina Dæmonum, vel Geniorum ducere: Veteres enim astra perinde ac Genios reputabant.

℣. 5. AD PORTAS CIVITATIS TUÆ, ET LAPIDIBUS OBRUENTUR. Plectebantur extremo supplicio sontes extra Urbes & proxime portis, quo juri dicundo populus & Judices coibant (2). Extra castra lapidi-

[1] Vide Exod. XII. 5. Levit. 1. 3. [2] Bonfr. Menoch.

pidibus obrutus est sacrilegus ille Sabbathi violator, qui ligna eo die collegit (1): extra Urbem in crucem erectus est Christus (2); raptus extra Jerosolymam S. Stephanus, lapidibus confectus est (3). Criminis, de quo hic agitur, cognitio ad tres & viginti Judices pertinebat, de quibus ℣. 18. Capitis præcedentis. In reum lapidibus animadvertebatur; ejus tamen bona permittebantur hæredibus. Cum vero Urbs omnis, vel incolarum plerique avitam religionem deserebant, Urbs & reorum bona omnia devovebantur (4). Ut vero eo supplicio reus damnaretur, opus fuisse docent Rabbini (5), ut ille de cultu præstito, vel de oblatis Idolo sacrificiis & libationibus convinceretur: denique arguendus erat commissæ & exercitæ idololatriæ: quæ si absuissent, lapidibus quidem liber, animadversionibus aliis subjiciebatur. Cum Tribus integra, vel portio ejus maxima incidisset in idololatriam, & universalia perversionis periculum adesset, rem totam judicare, ac pœnis reos coercere ad Sanhedrium pertinebat. Ita Judæi.

℣. 6. In ore duorum aut trium testium peribit. Plane constat, sermonem hic esse tantum de sonte ad judicium publicum delato, cujus idololatria palam adhuc non esset; qui enim palam Idola coluisset, illum, nullo judiciali ritu servato, neci tradere (6) fas erat. Apud Judæos nemo unico testimonio convictus damnabatur. *Non stabit testis unus contra aliquem*, ait Moyses (7). Quocumque tandem de crimine accusaretur quis, duo saltem adhibendi erant testes; quin & publico judicio apud Judæos respuebatur delatio stultorum, puerorum decimo tertio ætatis anno minorum, publicanorum, eorum qui ludis aleæ victitarent, furum, caprariorum, servorum, ac fœminarum (8). Adduntur (9) surdi, cæci, muti, cognati, vel partium inimici, impudentes, impii. Nomine impiorum designantur prædones, fures, fœneratores, testes de dolo malo convicti, & quicumque crimina aliqua seu morte, seu flagris digna patrarent; ac tandem ignorantes legem, Mischnam & morum disciplinam. Optandum esset utique, ut in hac re certius aliquid tradi posset; nunquam enim, nisi cautissime, accipianda sunt, quæ Rabbinorum manu exhibentur.

℣. 7. Manus testium prima interficiet eum; ut qui moram omnem aliorum exemplo suo solicitent. Ea enim actione testabantur accusatores, nihil ambigere se, juste sontem illum damnari, nec metuere, quin reos se sanguinis injuste effusi constituant. Docent Hebræi, sontem statui in præcipiti loco, vinctis post terga manibus & vitta circum oculos alligata, ac testes stetisse retro; quorum primus hominem in præceps deturbabat: si ex lapsu non interiisset, secundus testis actutum grandem lapidem in illum convolvebat: si nihilo secius respiraret adhuc, quicumque aderant omnes miserum lapidibus conficiebant. Ex Rabbinis etiam quidam (10) affirmant, extrema damnatorum supplicia differri consuevisse ad usque dies magnorum Festorum, ut scilicet quo major esset præsentis populi frequentia, eo essent graviora. Sed alii ex iisdem Rabbinis contraria plane defendunt.

℣. 8. Si difficile et ambiguum apud te judicium. Hebræus (11): *Cum fuerit difficillimum tibi verbum* [aliquid] *in judicio*. Septuaginta (12): *Si impossibile fuerit a te verbum in judicio*. Ita pariter reddi posset Hebræus: Si res divisa est inter vos in judicio; si Judicum contraria sint in ea re studia. Vel potius: Si res est vobis occulta; si obscura sunt nonnulla, & ita implexa, ut penetrari a vobis non possint. Non hic agitur, ait hoc loco Grotius, de difficultatibus facti, sed juris. Facti quæstiones semper melius expenduntur in locis ipsis, apud Judices ibi constitutos, quam apud remotos: secus vero juris quæstiones. Cum Divinæ leges humano modo efferantur, ab ambiguitatibus, assiduis humanarum legum sociis, nunquam expediuntur. Cum leges genericis verbis describuntur, in peculiaribus rerum eventibus ambigitur, utrum id de quo agitur, verbis illis genericis legis contineatur; cumque verbis particularibus lex sancita est, quæstio statim oritur, utrum particularis illa sanctio ad genericum extendenda sit, eademque ratione philosophandum sit in omnibus rerum eventibus, qui persimile aliquid ferre videntur.

Inter sanguinem, et sanguinem. Inter varia homicidiorum genera, vel inter varias causas, quæ referri possent ad homicidium, uti insidias, ictus, vulnera, ambigi posset, utrum homicidii genus aliquod permissum sit, an interdictum. Distinguendum est inter necem casu, vel de industria illatam; inter eam quæ noctu imparato fertur, & eam quam armatus armato infert. Insuper, pluribus circumstantiis criminis scelus vel augeri posset, vel minui, quarum proportione animadversio definienda est. Homicidii genus est quoddam venia dignum, cui lex asyli Urbes indulget; aliud est vicissim omnino puniendum, cujus criminis reus vel ad asylum Urbium refugii, vel ad ipsum Templum confugiens, inde avulsus interficitur.

Author Vulgatæ verba hæc alibi (13) vertit: *Inter cognationem, & cognationem*: qua admissa interpretatione, ita Textus redditur: Vestrum erit discernere inter varios gradus cognationis, quod ambiguitatem turbasque non modicas parit, sive cum de connubiis, sive cum de successionibus agitur (14). Hebræi aliter accipiunt: Cum discernendum est inter sanguinem, quo fœminæ polluuntur, & purum sanguinem (15). Vide Leviticum XII. 4. 5.

Inter causam et causam. In causis pecuniariis, & cum de repetendis injuriis agitur, quarum pœnæ erant arbitrariæ; qua ex re sententiarum discrepantia oritur apud judices, aliis reum gravius damnantibus, aliis mitius (16). Vel potius: *Inter causam, & causam*; in dissidio sententiarum, aliis absolventibus, aliis damnantibus. Hebræus בין דין לדין *Inter judicium & judicium*; inter causas criminales & civiles (17); vel inter causam postulantis, & tuentis: denique in omnibus æque causis, quarum jus implicatum est, ambiguturque, utrum laicorum Judicum sententiæ subjaceant, an pertineant ad Levitas. Levitarum Tribunali Rabbini nonnisi tria causarum genera permittunt. I. Quæ ad Sacrificium vaccæ rufæ pertinent (18); II. Quæ spectant ad fœminam in judicium a viro zelotypo delatam (19); III. Cum de vacca, quæ immolanda erat pro homicidio ab ignoto authore commisso (20).

Inter lepram et lepram. Discretio lepræ judicii erat Sacerdotalis, uti fusius disseruimus in Levitico XIII. Cautiones erant quamplures servandæ, ut homo, seu vestis, seu domus lepra vel infecta vel exempta declararentur, atque inter varii generis lepras arduum magis erat judicare, simulque statuere, utrum morbus iste particularis lepræ perniciosus esset, an non; utrum ea infectum a cœtu hominum arceri oporteret. Fas erat quidem accusare hominem ejus morbi suspicione

[1] Num. XV. 35. [2] Hebr. XIII. 12. [3] Act. VII. 57. [4] Deut. XIII. [5] Selden. de Synedr. l. 3. c. 4. & 5. [6] Deut. XIII. 9. [7] Deut. XIX. 15. [8] Joseph. Antiq. l. 4. cap. ult. [9] Seldan. de Synedr. l. 2. c. 13. art. 11. Vide & Grot. hic. [10] Akiba apud Fag. & Maimonides apud eumdem ℣. 10. [11] כי יפלא ממך דבר למשפט [12] Ἐὰν ἀδυνατήσῃ ῥῆμα ἀπὸ σοῦ ἐν κρίσει. [13] 2. Par. XIX. 10. [14] Tirin. [15] Vide Druf. & Lyran. hic. [16] Grot. [17] Jonathan. [18] Num. XIX. [19] Num. V. 14. 15. [20] Deut. XXI. 5.

aspersum coram statutis in loco Judicibus; sed illi si ambiguum quid vel minimum nanciscerentur, statim rem deferre tenebantur ad Sacerdotes. Sunt qui ita reddant Hebræum בין נגע לנגע: *Inter plagam & plagam*; inter vulnus & vulnus; inter mulctas, quæ pro irrogato vulnere injungendæ erant. Ut leges talionis implerentur, plura occurrebant ardua; neque enim pronum erat ad justum definire damna eorum, qui vulnere aliquo infirmabantur. Nobis ea sedet persuasio (1), verba illa, *Inter sanguinem & sanguinem*, criminales omnes causas complecti; alia vero, *Inter causam, & causam*, causas omnes civiles minoris momenti; postrema tandem, *Inter lepram & lepram*, leges omnes cæremoniales, quæ maculas vel lustrationes legales inferebant.

Et judicum intra portas tuas videris verba variari. Aliter reddi posset Hebræus: דברי ריבת בשעריך: si quod judicium vertatur inter sanguinem & sanguinem, & inter lepram & lepram, quæ consueta sunt argumenta *contentionum in portis tuis, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus*.

℣. 9. Venies ad Sacerdotes Levitici generis. Non satis luculenter distinguit, utrum hæ appellationes ab inferioribus Tribunalibus ad Sacerdotes Levitici generis deferrentur ab ipsis litigantibus, qui redditæ sibi ab inferioribus Judicibus sententiæ stare recusarent; an ab ipsis Judicibus remitterentur causæ ad superius Tribunal, utpote qui rerum ambiguitatem & difficultatem sentientes, e re esse censuerint, ut superius illud Tribunal de illis judicaret. De rota vero hac re ita definiunt Hebræorum Doctores (2). Causa primum deferebatur ad Judices consuetos partium litigantium, vel ad Judices urbis propinquæ, si nulli essent in eo loco constituti. Si arduum quid occurreret, remittebatur ad Judices alterius Urbis vicinioris; qui si pariter impares se nossent judicio in ea ferendo, Tribunal xxiii. Judicum, Jerosolymæ jus dicentium ad radices montis, cui Templum considebat, de causa sententiam ferebat. Ex illis transferri poterat ad Tribunal aliorum xxiii. Judicum, qui cogebantur ante fores atrii Templi: tandem id nisi satis fuisset, in Sanhedrium ab omnibus inferioribus Judicibus & partibus litigantibus uno assensu deferebatur: cujus sententiæ submittere se se indicta mortis pœna jubebantur. Vide ℣. 11.

Et ad Judicem, qui fuerit illo tempore. Rabbini & plerique Commentariorum Scriptores (3) censent, hunc Judicem ipsum fuisse Summum Sacerdotem: nec alio sensu acceperunt Josephus (4) & Philo (5); idque pariter confirmat non uno in loco Scriptura; e. g. capite xxi. 5. ubi de Sacerdotibus: *Ad verbum eorum omne negotium, & quidquid mundum vel immundum judicetur*. In Ezechiele xlv. 24. *Cum fuerit controversia* [in omnibus Religionis causis] *stabunt* [Sacerdotes] *in Judiciis meis & judicabunt*. Capitis pœnam indicit hic Moyses in eos, qui Judicis hujus sententiæ stare recusaverint: jubet reservari illi causas omnes, quæ majoris sunt indaginis, & quæ ad expositionem legum Domini pertinent: Judicem hunc sessurum dicit in loco, quem sibi Dominus elegerit: quæ simul omnia in unicum summum Sacerdotem quadrant, cui Deus consilia sua omnia in Tabernaculo aperiebat, cum indutus Ephod, & Urim ac Thummim gerens, ad illum consulendum se se conferebat.

Recentiores quidam Scriptores (6) e re sua esse rati, intra angustiores fines authoritatem Sacerdotum veteris legis claudere, ut, siquidem fieri posset, Ecclesiasticam authoritatem omnem abolerent, distingui oportere dicunt in hoc versiculo duo Judicum genere. Primum designant verba illa: *Venies ad Sacerdotem Levitici generis*. En Judicium Sacerdotale pro causis Religionis. Aliud est, quod his fertur: *Et ad Judicem qui fuerit illo tempore*: en Judex causarum temporalium. Hujusmodi judicium exercuerunt Judices Josue successores, qui in Israele paulo minorem Regia authoritatem obtinuerunt. Pro particula & ponunt illi *vel*, seu aliam disjunctivam: *Venient ad Judices Ecclesiasticos, vel ad Judices laicos*, pro causarum varietate. Contendunt alii, Judicem, de quo hic Moyses, & *Sacerdotes* unum idemque Tribunal, Sanhedrium nempe, constituisse. Nobis tamen una cum Scriptoribus Commentariorum plerisque certum videtur, supremum illum Judicem a Moyse indicatum, ipsum esse Summum Sacerdotem. Israeliticæ Reipublicæ politia nova plane erat & singularis. Cum summum ejus imperium Deus retineret, illud ipse Deus exigebat, ut majoris moliminis res omnes ad Tribunal suum, ad Tabernaculum, & ad se deferrentur. Summa ille clementia pollicitus fuerat, revelaturum se jussa sua Pontifici, a quo consuleretur: neque tamen idcirco laica sæcularisque authoritas evertebatur; singulis enim in Urbibus sui erant Judices laici (7), qui primam de omnibus rebus sententiam ferebant.

℣. 10. Et facies quodcumque dixerint. Ex hoc Textu potissimum repetunt Judæi summum illud, quod Rabbinorum authoritati deferunt, obsequium (8). Qua in re usque adeo quidam errant, ut dicant, Rabbino etiam docenti lævam manum dexteram esse, non sinistram, fidem esse omnino adhibendam; & gravissimis inferorum suppliciis eos damnant, qui huic obsequio vel minimum defuerint. Quam Filius Dei contulit authoritatem Ecclesiæ suæ Sacerdotibus, iisque qui legitima successione ex Apostolis suis descenderunt, in iis quæ ad doctrinam & Fidelium mores pertinent, illa nihilo minor ea est, quam Moyses Sacerdotibus Legis hic conciliat. Edicit enim, ut in omnibus deferamus Sacerdotibus, nisi cum forte apertissime convincantur contraria docere iis, quæ ab ipso Dei Filio tradita fuerunt. Cæterum nullum permittit privatis jus sententiam Judicis sui in examen revocandi: parendum est pleno & integro obsequio. Quid enim essent leges ejusmodi, lataque sententiæ, si integrum esset singulis, Judicem & Censorem Ecclesiæ Legum & sententiarum agere? (9). Unum hoc intercedit discrimen, quod cum Legislator Hebræorum jubeat morte plecti refractarios jussionibus sententiisque Summi Sacerdotis, cæterorumque qui illi assidebant, Judicum; præcipit Jesus Christus, ut pervicaces illi anathemate inusti ab Ecclesia segregentur; ac tamquam Ethnici & publicani habeantur (10), qui Ecclesiam ejusque ministros audire recusaverint. *Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat interfectio*, ait S. Gregorius.

℣. 12. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio . . . et decreto Judicis, morietur homo ille. Docent Judæi (11), sanctionis hujus edicto inferiores Judices subjici sub pœna mortis sententiæ Sanhedrii: ut autem supplicio illo se dignos reddant, Opus esse, ut Judex inferior non modo palam aperiat, aliter se opinari ac decreverit Sanhedrium, sed agat etiam aliter, ac illud agendum edixerit, vel inducat cæteros ut adversus illius sententiam agant: idque in rebus maximi momenti, cujusmodi ea omnia censentur, quæ exterminii pœnam inferunt.

Tunc

(1) Ita Gerard. & Jans. (2) Vide Selden. de Synedr. l. 3. c. 2. art. 2. (3) Fag. Munst. Menoch. Tirin. Bonfr. Jans. Grot. &c. (4) Joseph. l. 2. contra Appion. Καὶ τὸ γενέσθαι πάντων κριτὰς τῶν ἀμφισβητουμένων ἐν ἱεροῖς ἐτάχθησαν. (5) Vide Philon. lib. de Principe constituendo. (6) Calvin. Grot. Gerard. Ainsw. (7) 2. Paral. xix. 5. (8) Buxtorf. Synagog. Jud. c. 1. (9) Vide Grot. & Jansen. hic. (10) Matth. xviii. 17. Aug. in Deut. qu. 38. (11) Selden. de Synedr. l. 3. c. 3.

Tunc pervicaces illi refractarii supplicio perimebantur die festa, & Jerosolymæ, cum scriptum sit ℣. 13. *Cunctus populus audiens timebit*. Cum autem genus mortis nullum Lex determinet, faucium elisionem statuunt Rabbini. Receptum est apud illos axioma, cum genus supplicii nullum exprimit Lex, silentio illo semper significari faucium elisionem. Si vero rei pervicacia minor sit, minori etiam pœnæ subditur, uti excommunicationi, anathemati, suspensioni e munere quo quis fungitur, flagris.

Exemplaria plura Latina (1) ferunt: *Qui autem superbierit . . . ex decreto Judicis morietur*. Quæ variatio sensum reddit a Vulgata plane diversum; innuere enim videtur, Judicem fuisse laicum constitutum, cujus potissimum esset munus urgere executionem sententiarum Sanhedrii, & contumaces supplicii metu adigere. Sed Hebræus legit morte plectendum esse illum, qui parere recusaverit אל הכהן . . או אל השפט *Sacerdoti vel Judici*, idest summo Sacerdoti (2), qui supremus est Judex, ad quem causarum majoris indaginis cognitionem transmittere Tribunalia omnia inferiora jubebantur.

℣. 14. Constituam super me Regem. Futurum prævidens Deus, ut populus tandem vellet sibi Principem constituere, quemadmodum suos habebant per orbem gentes, integrum id illi relinquit, servato tamen sibi jure virum designandi: quo argumento demonstrat, Regem illum vicibus Dei functurum, & jussiones Divinas impleturum, Leges illi præscribit, authoritatem ad certos limites definit, ut illum contineat in obsequio, & debita erga se submissione, cui accepto referre debet authoritatem suam omnem & potestatem, fons est enim & origo omnis in Cœlo & in terra potestatis.

Cur vero tanta indignatione exarsit Deus in populum suum, cum Israelitæ constituere sibi e gente sua Regem statuentes, rem Samueli proposuerunt? *Non te abjecerunt*, ait (3), *sed me, ne regnem super eos*. Nonne concesse sibi e Domino potestate utebantur Israelitæ? Totum igitur populi crimen non illud utique fuit, quod Regem postularint, sed quod cum tumultu postulaverint, quo tempore Deus Judicem illis dederat, cujus probitas ac justitia spectata erat; cujus nec vitæ meritum nec gubernandi scientiam ignorabant. Irrogata hæc Samueli injuria, in Deum ipsum, qui illum elegerat, & præfecerat populo, recidebat.

Animadvertunt Hebræi (4), opus fuisse ut Rex electus esset, antequam certus erigendo Templo locus destinaretur; ut scilicet Princeps authoritate sua modum hominibus poneret, prohiberetque ne, Tribus facta invicem divisione, civili bello secum furerent, affectantibus singulis honorem sufficiendi locum, Templo Domini destinandum.

℣. 15. Eum constitues, quem Dominus elegerit; quem Dominus per Prophetam suum designaverit, qua ratione designatus est Saul, David, Salomon. Principes qui Salomoni suæ stirpis jure successere, id illi jus ex promissionibus obtinebant, quibus Deus sese Davidi obstrinxerat, daturum se ipsi & posteris ejus Regnum sempiternum. Ipse per se Deus successione transfundi Regnum illud voluit, atque authoritate sua primam illam e se constitutam politiam mutavit.

℣. 16. Non multiplicabit sibi equos. Rari erant in Israele finitimisque regionibus equi, rarusque eorum usus erat in bellis: noluit Deus ut Princeps Populi sui grandibus expeditionibus semper occuparetur; vix enim cum belli tumultu cohærebat legum a se latarum studium & obsequium. Ad hæc, equorum ingens numerus populo nocuisset, et Principi audaces nimis animos indidisset, ut nimis ille viribus suis fideret. Rationem aliam indicat statim Moyses.

Nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus. Quasi scilicet metueret Legislator, ne Rex populum suum ducere in expeditionem adversus Ægyptios meditaretur; vel saltem ne cogitaret reducere in potestatem eam regionem, quam Israelitæ antea possederant. Sed alium sensum offert Hebræus (5). *Et non redire faciet populum in Ægyptum, pro multiplicandis equis*. Caveat ne occasionem suppeditet Israelitis redeundi in Ægyptum emendis equis vel Regi vel sibi ad Regis exemplum (6). Scripturæ stylo præstari dicitur aliquid e quopiam, cum id præstandi præbet alicui occasionem. Ita Deus mandat Sacerdotibus: *Nolite perdere populum Caath* (7); idest, ne sinatis mortis discrimen subire illos, sacra vasa sine veste tangentes.

Docet Philo (8), vetare Deum Principi populi sui, ne subjectas sibi gentes cogat ex uno in alterum locum migrare, redigatque ad erraticum vitæ genus, specie quidem commoda aucturus, missurusque in ditioris regionis possessionem; reipsa tamen possessis bonis illos suis spoliaturus.

E Textu Moysis innui videtur, Ægyptum equorum feracissimam tunc fuisse; & jam facile ex ea ætate (9) equorum mercimonia cœperant, qua in varias Provincias equi transmitterentur. Salomonis ætate (10) mercimonia illa proventus amplissimos in æraria Regum Ægypti inferebat: sed posteriori demum ætate Ægyptus minus equorum ferax fuit. Illud fortesse studium comparandi equos cessavit, cum inutiles ferme intercisa canalibus regione effecti sunt. Canales illos ad deducendas Nili aquas primus omnium duxisse Rex Sesostris fertur; quo ex tempore rarescere in Ægypto equi cœpere (11).

Animadversum est, huic Moysis sanctioni adusque Salomonis ætatem obsecundatum fuisse. Judices Israelis, quorum erat authoritas Regia ferme non minor, nunquam equis usi sunt, seu vectoribus, seu bellatoribus; ipsi pariter eorumque filii in asinis equitabant (12). Quin nec bello capti equi servabantur; et memoriæ proditum est, Davidem nervum fœmoris præcidisse equis omnibus, quos in bello cum Adarezer Rege Syriæ Soba cœperat (13): quod & præstitit Josue (14) cum equis e Regibus Chananæorum in prælio ad Merom captis.

℣. 17. Non habebit uxores plurimas, ne ab illis nimis effœminetur, neve earum pellectu ab occupationibus publici regiminis abstrahatur, neve pariter nimii fœminarum ac filiorum greges ad eos adigant sumptus, qui populo sint oneri: tandem ne animum Regis occupantes, sub ejus obtentu in populum dominentur. Postremum hunc sensum facile indicant verba illa: *Quæ alliciant animum ejus*. Vel juxta Hebræum: ולא יסור לבבו *Neque declinabit cor ejus*, ne pervertatur. Hanc phrasim plerique intelligunt de discrimine, cui se objicit, ne nimio mulierum pellectu e religione sua ad cultum Idolorum traducatur; quod accidisse scimus Salomoni, aliisque Principibus, ad quos Prophetico spiritu prælusisse videtur Legislator.

Hebræorum Jurisconsulti (15) docent, interdici Regem, ne ultra XVIII. uxores adsciscat: nec majo-

[1] Edit. Sixti V. Regia, & Jayana, Paris. & aliæ. [2] Cypr. Ep. 55. [3] 1. Reg. VIII. 7. [4] Vide Grot. & Fag. [5] ולא ישיב את העם מצרימה למען הרבות סוס [6] Bonfr. Bochart. [7] Num. IV. 18. [8] Philo de constituendo Principe. [9] Rabbini Salom. Abenezra, Bechai, Nachmanni, &c. [10] Vide ad 3. Reg. x. 29. [11] Marsham. Can. Ægypt. sæcul. 13. & 14. [12] Judic. 2. 4. & XII. 14. [13] 2. Reg. VIII. 4. [14] Josue XI. 6. 9. [15] Paraphrast. Jonath. Gemar. Rabb. apud Selden. Uxor. Hebr. l. 1. c. 8, & 9. Vide & Grot. & Drus.

majorem numerum habuisse Davidem, & Roboamum defendunt. Tradunt insuper (1), Regem, qui numerum illum uxorum excederet, flagrorum pœnam incurrisse, eamdemque subiisse animadversionem, si plus equorum nutriret quam opus esset ad currus suos, plus auri quam exigerent sumptus ministris detinendis necessarii. Hæc tamen omnia absurda sunt, Rabbinis authoribus tradita, nulla licet authoritate, nulla ratione, & exemplo fulta. Roboamus enim, cujus exemplum urgent, præter XVIII. uxores habebat apud se concubinas sexaginta (2). Majorem etiam mulierum gregem nutriebat Salomon; illud autem mirum est, doctores hosce nihil certi definire de numero uxorum, quas privati adsciscerent. Certos limites præscribunt duabus tantum supremis in Republica sua Dignitatibus, Regi nempe, & Pontifici. Singulis datum est, inquiunt Thalmudistæ, tot adsciscere uxores, quam multas alere potest: quamquam de consilio sapientum ultra quatuor admittendæ non sunt; quod a Mahumetanis servatur.

Polygamiæ libertas obtinuit semper apud Judæos sub Romanis Imperatoribus, usque ad Theodosium, Arcadium & Honorium, quorum edicto anno CCCXCIII. sublata est (3). Affirmat S. Justinus in Dialogo, ætatis suæ Rabbinos permisisse, ut quatuor, & quinque uxores simul adsciscerentur. Tradit Leo Modena, nostra adhuc ætate Judæos degentes in Italia, & Germania secundam alteram adhibere posse uxorem, si prior sterilitate laboret: eaque in re indulto Pontificis illos muniri. Postremum hoc de indulto legitur in manuscripto ejus Authoris, laudato a Seldeno (4). Quicumque Turcarum Regionem peragrarunt, apud quos polygamiam obtinere nemo ignorat, narrant eos, qui ex illa oriuntur, abusus, & incommoda: ut enim prætereamus malas æmulationes, dissidia, lites, quæ polygamiæ sunt appendices veluti necessariæ, nihil magis occupat Judices, quam causæ ex frequentibus divortiis natæ, & ex dotibus restituendis. Nati vero e connubiis illis filii, ad extremas sæpe angustias rediguntur, cum matres illorum repudio abjiciuntur: quare non religio tantum, sed recta etiam civilis politia postulat, ut res ita dirigantur, quomodo a Jesu Christo restitutæ sunt.

Neque argenti, et auri immensa pondera. Nimiæ in Principibus divitiæ lasceivos illis mores inspirant, feros, ambitiosos, tumidos, audaces, sævos; qua veluti lue Regnum omne, Principes, & subditæ illis gentes perduntur. Vix fieri potest, ut Reges impleant æraria, quin subjectas sibi gentes spolient. Contigit re ipsa quidem interdum, ut Reges pietate, & æquitate insignes ditissimos Thesauros possederint; sed raris admodum contigit, ut paratum ex illis laqueum, & scandalum evaserint. Si David auri vim magnam collegit, non aliud tamen consilium menti illius insidebat, quam ut Templo construendo illud consecraret. Salomon ut sumptibus, quibus sese implicuerat, immensis sufficeret, vectigalibus oppressit populum, quæ molestissimos extremos Regni sui annos effecerunt, ac tandem post ejus obitum Regnum ejus decem Tribuum secessione minuerunt. Notum est, quanti steterit Ezechiæ ipsius ambitio, cum thesauri sui pompam coram Legatis Regis Babylonis expandit (5).

Post. Describet sibi Deuteronomium Legis hujus. In suum usum transcribet Legis hujus volumen; idest, vel ea tantum, quæ de Rege sancita sunt, vel integrum Deuteronomium, vel totum Legis Codicem; neque enim in ea re satis convenit inter plures. Scriptorum plurimi (6) ajunt, describendum fuisse totum Pentateuchum, qui tunc perpetua unius Libri serie constabat, ac sub Legis nomine designabatur. Alii (7) satis fuisse credunt, si haberet Rex apud se descriptum Deuteronomium, quod Legum aliarum omnium veluti synopsis est, & cujus crebra lectio ultro pronior est, & commodior. Constat ex Josue (8), jam inde ab illa ætate nomine Deuteronomii, vel secundæ Legis censeri postremam illam Moysis orationem, quæ majorem Libri hujus portionem occupat.

Hebræus ad literam (9): *Et cum sederit super solium regni sui, scribet sibi duplum Legis hujus*. Favet hic plurimum opinioni illorum, qui transcribendam fuisse a Rege Legem totam arbitrantur; prono enim ejus ætatis verborum sensu non aliter accipiebantur verba illa, *transcriptus codex Legis*, quam de toto Pentateucho; nisi forte reputemus, Moysem imperasse Principi, ut transcriberet orationem illam, quam eo tempore ipse Moyses pronunciabat. Putavere nonnulli, imperatum fuisse Regi, ut duos haberet Legis Codices, alterum scilicet, quem secum perpetuo ferret, alterum, quem in Bibliotheca, vel in Tabulario suo servaret. Primum retinere jubebatur tanquam Israelita, alterum tanquam Rex. Describendum autem Exemplar id erat sive ex ipso Moysis Autographo, sive e codice alio publica authoritate munito, & in Templo sub custodibus Sacerdotibus servato. Reputabat Philo (10), ipsa Principis manu describendum fuisse codicem; sed satis fuisse creditur, si ab amanuense descriptum haberet. Exemplum Josiæ, qui post exactos in Regno XVIII. annos, Moysis Libros nunquam viderat (11), argumento est, sanctionem hanc Legis ea ætate penitus neglectam fuisse. Fama est, Judæos Romæ in moribus habere positum, ut electo Pontifici, cum solemni pompa ad Ecclesiam Lateranensem se confert, Legis suæ codicem exhibeant (12). Hanc cæremoniam descriptam habes in Pontificali Romano *pag.* 47. Innocentio II. Pontifici, solemni pompa ingredienti Lutetiam anno MCXLVI. Urbis illius Judæi obtulerunt Legis volumen. Ita & de Ludovico Crasso memoriæ proditum est a Sugero Abbate; Lutetiam enim ingredienti occurrentes Judæi, ait Historicus, *Rotulam velatam offerunt* (13). Restat id apud illos facile ex veteri more, cum Reges Regnum inituri, traditam sibi legem accipiebant, atque imposito capiti diademate coronabantur (14). Eo ritu a Jojada Joas Rex Juda inauguratus est.

Pii quique Christiani Principes nihil habuerunt antiquius, nihil sanctius, quam ut legerent, meditarentur, versarent legem Dei in sacris Libris traditam; quemadmodum hoc potissimum in Principatu negotium sapientissimi, & potentissimi Testamenti veteris Principes habuere. Scitum est, quantum in eam rem studii impenderint Constantinus Magnus (15), Carolus Magnus (16), S. Stephanus I. Pannoniæ Rex, Alphonsus I. Hispaniarum Rex (17), Alphonsus Rex Aragoniæ (18), qui sacra Biblia quater ac decies cum Glossis & Com-

---

[1] Maimonid. Halac. Melachim c. 3. Vide Schikard. de jure regis c. 2. [2] 2. Paralipom. XI. 21.
[3] *Ne quis Judæorum morem suum in conjunctionibus retineret, nec juxta legem suam nuptias sortiretur.*
[4] Selden. l. 1. c. 9. Uxor. Hebr. [5] 4. Reg. XX. 13. 17. [6] Rabbini plerique. & ex Christian. Grot. Danhaver, Schikard. [7] Menoch. Bonfr. Vat. Jansen. &c. [8] Josue VIII. 32. *Scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel.* [9] והיה כשבתו על כסא ממלכתו וכתב לו את משנה התורה הזאת [10] Philo de creatione principis. Κελεύει τὸν [illegible] χειρὶ αὐτοχειρίᾳ, κεφαλαιώδη τοῦτον μεταγράψαι ἀντίγραφον τοῦ νόμου. [11] 4. Reg. XXII. 10. 11.
[12] Henric. Morus, de sacris unctionibus l. 1. c. 8. pag. 58. [13] Suger. vit. Lud. Crassi pag. 312.
[14] 2. Paralip. XXIII. 11. *Eduxerunt filium Regis, & imposuerunt ei diadema & testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem.* [15] Euseb. l. 1. de vita Constant. c. 26. [16] Thegan. Chorep. Trevir. [17] Osor. l. 6. de instit. Regis. [18] Panorm. l. 2.

Commentariis perlegerat; Alfredus Rex Angliæ, qui bis Libros novi Testamenti sua manu descripsit.

℣. 20. Non elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos. Illud *superbiam* non exprimit quidem Hebræus, sed apertissime constat, nonnisi de animi tumore & præsumptione agere hic Moysem; conditionis enim suæ dignitate Principes supra fratres suos eriguntur. Est autem hæc potissima & difficillima in Principe virtus, in tanta dignitatis gloria tantoque assentatorum, quibus undique obsidetur, discrimine, ea tantummodo suggerentium consilia, quæ in contrarios plane sensus animum rapiant, ac quos hic Moyses præscribit (1).

Ipse et filii ejus. Vaticinium est eorum, quæ implenda fuerant in Familia Davidis, per quam Regnum successione transmissum est, insigni amoris Dei erga Principem illum privilegio, atque altiore etiam consilio, in gratiam scilicet Christi atque Messiæ.

[1] Vide August. lib. 5. de civit. cap. 24.

C A P U T XVIII.

Portio Sacerdotum & Levitarum. Cautio ne consulantur Arioli. Propheta Magnus a Deo suscitandus. Indicia quibus Pseudoprophetæ distinguantur.

℣. 1. NON habebunt sacerdotes, & Levitæ, & omnes, qui de eadem tribu sunt, partem, & hæreditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini, & oblationes ejus comedent, 2. Et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus enim Ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis. 3. Hoc erit judicium sacerdotum a populo, & ab his, qui offerunt victimas: sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt sacerdoti armum, ac ventriculum: 4. Primitias frumenti, & vini, & olei, & lanarum partem ex ovium tonsione. 5. Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, ut stet, & ministret nomini Domini ipse, & filii ejus in sempiternum. 6. Si exierit Levites ex una urbium tuarum ex omni Israel, in qua habitat, & voluerit venire, desiderans locum, quem elegerit Dominus, 7. Ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ, qui stabunt eo tempore coram Domino. 8. Partem ciborum eamdem accipiet, quam & cæteri: excepto eo, quod in urbe sua ex paterna ei successione debetur. 9. Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave, ne imitari velis abominationes illarum gentium. 10. Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, & observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, 11. Nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem. 12. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. 13. Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo. 14. Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures, & divinos audiunt: tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es. 15. PROPHETAM de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, 16. Ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. 17. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti. 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. 19. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. 20. Propheta autem, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. 21. Quod si tacita cogitatione responderis: Quo modo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? 22. Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non evenerit: hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit: & idcirco non timebis eum.

℣. 1. QUia sacrificia Domini et oblationes ejus comedent. Hæc ad Levitas non non pertinent: de Sacerdotibus tantum accipienda sunt, quorum cedebat in victum portio ex hostiis pacificis & ex oblationibus similæ, vini, olei, aliorumque, quæ Templo offerebantur.

tur. Simplices Levitæ nihil habebant in eas res juris. Hebræus ad literam (1): *Quod crematur Domino, & hæreditatem ejus comedent*. Id est, cedent ipsis in cibum portiones e victimis, & ex oblationibus similæ; panum, & vini, quæ in ignem Altaris injicientur, & decimæ ac primitiæ, quæ sunt hæreditas Domini, vel proventus ac tributum ab Israelitis solvendum Domino, tanquam supremo Principi & Regi. Primi generis oblationes Sacerdotum tantummodo partes erant. Decimæ portio erant Levitarum. Septuag. (2): *Oblationes Domini sors eorum, comedent eas*.

℣. 3. Hoc erit judicium Sacerdotum a populo. Narrat hic tantum Moyses juris Sacerdotalis nonnulla; de iis enim, quæ ipsis debebantur ab Israelitis, mentem suam jam alibi satis explicaverat (3). Monet igitur tantum, ut illi, qui hostias pacificas offerunt, Sacerdotibus tunc temporis ministrantibus hæc conferant quæ sequuntur.

Armum ac ventriculum. Hebræus (4): *Humerum, maxillas, & ventriculum*. Opimius hoc est, crassius, & postremum e quatuor ventriculis, quibus animalia ruminantia instruuntur. *Omasum* appellant Latini, & tanquam cupediarum omnium delicatissimam (5) Veteres plurimi æstimarunt. Alibi ubicumque designantur ea, quæ de Sacrificiis pacificis cederent Sacerdoti, nihil aliud exprimitur, quam armus dexter & pectusculum; quare ut hic Textus cum aliis (6) conciliettur, in qoibus Moyses narrat, quæ Sacerdotibus debentur, reputant alii, Moysem hic supplere, quæ alibi non satis explicaverat, ac exprimere ut hæc dentur Sacerdotibus: mandibulæ, lingua animalis, præter pectusculum, & armum dexterum, quas partes jam alias indicaverat. Censet Jansenius, Moysem hic eamdem legem repetere, quam scripserat in Exodo & in Levitico: quare quæ hic appellantur genæ vel mandibulæ ac ventriculum, idem sunt ac pectusculum; cum enim armus uterque animalis separatur, statim sese offert pectusculum tanquam duas genas, vel duo latera exhibens.

Sed utraque hæc expositio cupiditatem lectorum non explet. Cum docto quodam Interprete (7) reputamus, sermonem hic esse non de sacrificiis pacificis, quæ Templo offerebantur, sed de animalibus, quæ ab Israelitis in usus privatos per Urbes mactabantur. Ex illis cedebant Sacerdotibus armus, mandibulæ, vel genæ & omasum. Hunc sensum non obscure præfert Philo (8), docens, singulis Israelitis animal extra Tabernaculum mactantibus imperari, ut relinquant Sacerdoti armum, mandibulas, & ventriculum, Græcis *enustron*, idest, ventriculum animalium ruminantium. Morem hunc pariter conferendi aliquid in Sacerdotes ex animalibus, quæ in proprium usum mactabantur, agnoscit Josephus (9); quamquam ipse nonnisi armum dexterum & pectusculum, ut in Sacrificiis pacificis, recenset. Vide quæ disseruimus in Levit. XVII. 3. 4. 5. Cæterum Textus ita commode redditur (10): *Hoc erit jus Sacerdotum a populo*, quod accipient *a sacrificantibus sacrificium, sive bovem, sive pecus parvum: dabit Sacerdoti brachium, maxillas & ventriculum*. Eædem ipsæ voces, quæ hic redduntur a Vulgata, *Ab his qui offerunt victimas*, in Genesi XLIII. 16. significant victimam in usum convivii mactatam.

℣. 4. Primitias frumenti. Primitiæ quædam erant frumenti, recurrente Pentecostes Festo in Templo offerendæ, de quibus tamen hic sermo non est; agitur enim tantum de primitiis, quas e proprio agro Israelitæ offerebant. Solvebant autem illas ipsa re plerumque oblata, non pretio; ejusque quantitatem consuetudo definierat, ut *qui plurimum*, ait S. Hieronymus, *quadragesimam partem daret Sacerdotibus; qui minimum, sexagesimam: inter quadragesimam & sexagesimam licebat offerre quodcumque voluissent*. Vide quæ contulimus in Exod. XXII. 29.

℣. 5. Ut stet et ministret nomini Domini. Ut sistat se coram Domino, cui & serviat. Docent Hebræi (11), Sacerdotes in Templo toto tempore, quo ministerio suo vacabant, nunquam assedisse; munus autem suum siquidem alio corporis habitu ministrassent, nullum futurum fuisse & impurum. Sunt etiam qui orantibus hunc statum tribuant; ut nunquam rite orandum fuerit, nisi stantibus. Textus Samaritanus & Septuaginta in nonnullis Exemplaribus habent: *Ut stet coram Domino Deo tuo, ut ministret ei, atque ut benedicat in nomine ejus*.

℣. 6. Si exierit Levites . . . et voluerit venire, desiderans locum quem elegerit Dominus. Ante Davidis ætatem, Levitæ omnes simul Tabernaculo ministrasse videntur; seu potius ex his singuli conferebant se ad ministrandum, pro religionis suæ arbitrio, recipiebantque se, cum videbatur. Ut autem illos ad confluendum alacri animo invitet Moyses, propositis commodis allicit. Statuit, ut in loco sancto habeant quæcumque sunt vitæ necessaria; excipiantur commode, iisdemque donentur stipendiis, quæ jam ibi ministrantibus conferuntur. Successu temporis, statuens David ordinem ministerii illorum majori quam antea studio moderari, ratusque ministrorum copiam turbarum plurimum allaturam, servitii parum; metuensque ne singulis onus suum in socium transferentibus torpescerent omnes, Templi interim servitio neglecto ac destituto, statuit, ut Sacerdotes & Levitæ (12) per vices ministrarent; totamque Sacerdotum & Levitarum multitudinem ita in varias classes divisit, ut suo quæque tempore Templo adesse juberentur. Qua in re derogandum ille quodammodo censuit Legum Mosaicarum œconomiæ, quamquam reipsa consilium illarum omne implevit; ac post eum ordinem invectum, non secus ac prius, procul dubio credimus excipi consuevisse in Templo, ut Moyses statuerat, eos Levitas, qui sponte addicere se ejus ministeriis vel tota vita, vel longo temporis spatio voluissent.

℣. 8. Partem ciborum eamdem accipiet, quam et cæteri. Quibus fundis vel proventibus sufficerentur consueta Levitis in Templo ministrantibus alimenta, a lege non docemur; nisi forte accipi illa statuamus e tota massa decimarum, quæ ad illos pertinebant: nullusque sive Scripturæ locus sive Interpres indicat, qua ratione ejusmodi decimæ distribuerentur, ut suas singuli Levitæ partes haberent, suaque portio Templo superesset, ex qua Levitis in Templo pro vice sua ministrantibus consuleretur. Suspicatus est Oleaster, participasse Levitas e carnibus Sacrificiorum; sed nulla ex illis portio in Scriptura Levitis assignatur. Quæcumque enim de hostiis pacificis decrevit, Sacerdotum erant. Malunt alii, e proventibus thesauri Templi vel e decimis summi Sacerdotis segregata fuisse ea, quæ in usum illorum impendebantur (13).

Excer

(1) אשי יהוה ונחלתו יאכלון (2) Καρπώματα Κυρίου ὁ κλῆρος αὐτῶν, φάγονται αὐτά. (3) Levit. VI. VII. 32. 33. 34. (4) הזרע והלחיים והקבה (5) Vide Jun. Nomenclat. Aristophan. Equitibus Act. 1. scen. 3. & Act. 4. scen. 1. Vide Bochart. de animal. sacr. parte 1. l. 2. c. 45. (6) Vide Exod. XXIX. 27. 28. Levit. VII. 32. 34. & passim. (7) Vide Joan. Cleric. hic. (8) Philo de præmiis sacerdotum. Ἀπὸ δὲ τῶν ἔξω τοῦ βωμοῦ θυομένων ἕνεκα κρεωφαγίας, τρία προστέτακται, τῷ ἱερεῖ δίδοσθαι, βραχίονα, καὶ σιαγόνα, καὶ τὸ καλούμενον ἤνυστρον. (9) Joseph. Antiq. lib. 4. cap. 4. (10) וזה יהיה משפט הכהנים מאת העם מאת זבחי הזבח אם שור אם שה ונתן לכהן הזרע והלחיים והקבה (11) Vide apud Outram. de sacrific. l. 1. c. 6. (12) 1. Par. XXIII. XXIV. XXV. & seq. (13) Bonfr. Menoch.

Excepto eo quod in urbe sua ex paterna successione debetur. Quamquam quotidianum victum recipiebat in Templo, semper tamen & paterna hæreditate, & decimis, quæ ipsi cedebant in patria sua, fruebatur. Hebræus ad literam (1): *Præter venditiones* [emptiones] *super patribus suis*, nulla eorum habita ratione, quæ ipse paternis bonis emptione addiderit. Aliter, juxta Chaldæum: *Partem ciborum comedet, sicut & cæteri, præter id quod per vices sabbathi et veneris, sicut Patres constituerunt*. Ferunt, Seniores Tribus Levi sanxisse, ut præter ea, quæ unicuique singulis diebus distribuebantur, Levitæ die Sabbathi ministrantes peculiaribus illis emolumentis fruerentur, quæ iis die illa sancta contingerent. Sed hujus singularis sanctionis ne verbo quidem meminit Scriptura.

Sunt (2) qui ita reddendum censeant Hebræum: Eamdem accipiet, ac cæteri Levitæ, portionem, nulla habita ratione avitæ ejus hæreditatis, sive patriæ domus, quam ille pretio vendiderit. Scitum est, Levitis fas fuisse domos suas vendere, manente tamen jure perpetuo venditas redimendi; domus enim illis loco erant totius hæreditatis: hæreditatem autem a se penitus abdicare nemini dabatur. Alii vero (3) Textum ita explicant: Accipient alimenta, juxta ordinem Genealogiæ suæ; Meraritæ cum Meraritis, Gersonitæ cum Gersonitis, & sic de cæteris, minime spectatis iis, quæ quis ex pretio venditæ successionis suæ retulisset. Tandem ita commode vertitur Hebræus; Accipiet eamdem portionem alimentorum, quam alius quicumque Levita, nisi tamen hæreditatem patrum suorum vendiderit. Vel: Nisi patres ejus vendiderint, & ad alium transtulerint jus in oblationes; quasi scilicet jus illud transfundi posset in alios. Facile etiam Moyses præveniendum censuit Levitarum dolum; contingere enim poterat, ut quis ex illis domos suas venderet, nihil curans ut patrum suorum hæreditatem servaret, cum certo sciret futurum, ut semper in Templo unde viveret, nancisceretur (4). Sed hæc explicatio minus prona videtur: prior autem multo verisimilior est & magis Vulgatæ cohærens.

℣. 10. Qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem. Actum est fuse in Levitico xviii. 21. & in Dissertatione de Moloc, de more traducendi filios per ignem. Duo hæc, traducere per ignem, & igne cremare, sedulo distinguenda censet Grotius. Alterum crimen capitale esse dicitur in Levitico xx. 2. Primum autem, de quo hic & in Levitico xviii. 21. nulli corporali supplicio subditur. Fuse demonstrat Grotius, utramque superstitionem viguisse apud Hebræos, Chananæos, Phœnicios aliasque per Africam gentes; demum vero secundum moribus receptum fuisse, cujus etiam vestigia apud Christianos interdum deprehensa sunt. Nec sane ambigendum est, Chananæos, Ammonitas, Idumæos, Phœnicios, & eorum exemplo Hebræos non semel cremandos sacro igni filios suos in Numinum honorem tradidisse. Aperte nimis eam rem testantur Scriptura & Authores profani. Jeremias xix. 5. luculenter id asserit de Judæis: *Ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim*. Ita pariter & Ezechiel xxiii. 37. *Obtulerunt eis* [Idolis] *ad devorandum* . . . . . *Cumque immolarent filios suos Idolis suis*. Psalmus cv. 37. *Immolaverunt filios suos & filias suas Dæmoniis: effuderunt sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan*. Tandem Sepharvaitæ (5), qui loco traductorum in captivitatem Israelitarum substituti erant, filios suos in honorem Numinum suorum cremabant. Docet non semel Moyses (6), apud Chananæos id in moribus positum fuisse, antequam Israelitæ in regionem illorum venirant; quod unum fuit e potissimis criminibus, quorum merito a Domino deleti fuere.

Ad Phœnices quod attinet, docet Porphyrius, in historia Sanchoniatonis crebra offerri exempla hominum Saturno immolatorum; cujus sævissimi moris veteres fere omnes meminerunt. Sophocles in Andromeda, Plato in Minoe, Ennius (7), Plutarchus (8), Q. Curtius, Silius Italicus (9), Lactantius (10), Minutius in Octavio, Tertullianus (11), S. Augustinus (12), S. Hieronymus (13), aliique plures uno assensu eamdem veritatem testantur: ac si quando occurrat in historia, satis habitum fuisse interdum seu traducere homines per duos ignes medios, vel saltu transilire flammas; manebat id ex veteri & crudeli illo more antea regnante, cremandi igne homines; quemadmodum memoriæ mandatum est, cervam mactatam fuisse loco puellæ Laodiceæ in Syria (14), & bovem loco hominis in Insula Cypro; cerea hominum simulacra pro viventibus & spirantibus hominibus in Ægypto; ardentemque tædam mergi consuevisse Romæ in Tiberi, pro homine (15), qui antea aquis perdebatur. In Africa pariter (16) & apud Indos (17) diu mos ille perseveravit, pueros scilicet per medias flammas traducendi. Et Romæ & in Sicilia viguit (18), eoque fortasse ex fonte derivata est superstitio, cujus meminit S. Chrysostomus (19), transiliendi super ignes incensos; superstitio, inquam, quam Theodoretus (20) & Concilium Trullense, canone 65. tanquam ethnicæ impietatis reliquias merito damnant & exscindunt.

Aut qui ariolos sciscitetur. Divinationis genus omne Hebræis interdictum erat. Vocem originalis קסם קסמים acceperunt Septuaginta (21), & Interpretes nonnulli (22) tanquam genericam phrasim, qua divinationis genus omne, infra deductum, contineat. Sed alii (23) malunt, agi hic de superstitiosa quadam arte futura pandendi ope bacillorum. Docet Hiscuni, ariolum, qui per eam superstitionem divinat, baculum, quem manu tenet, metiri digito vel manu; primo autem obmurmurare: *Ibo*; secundo: *Non ibo*; & si forte contigerit, ut quo loco secundo pronunciandum est, *Non ibo*, sors ferat ut pronunciet, *Ibo*, tunc iter, de quo consulit Oraculum, suscipit. De superstitione virgarum fusius actum est in Ezechiele xxi. 21. ubi eadem, quæ hic, vox in Hebræo occurrit. Illam tamen accipiunt quidam (24) non pro ariolum consulente, sed pro eo qui consulitur. Interdicit Deus populo suo ne ariolum agant.

Et observent somnia. De genuina significatione Hebræi מעונן *Meonen* ambigitur, LXX. Κληδονιζόμενος. Mentem nostram ea de re aperuimus in Levitico xix. 26. Accipi potest de Ariolis ex nubium

---

(1) לבר ממכריו על האבות (2) Oleast. Cajet. Lyran. Vat. Bonfr. Fag. Ainsw. & alii plerique. (3) Malv. ex Junio. (4) Rab. Salom. Kimchi, & Abenezra in Fag. (5) 4. Reg. xvii. 31. (6) Vide Levit. xviii. 24. & 27. xx. 2. 23. & hic, ℣. 12. (7) Ennius. *Pœni sunt soliti suos sacrificare puellos*. (8) Plutarch. de superstitione.

(9) *Mos fuit in populis quos condidit advena Dido,*
Poscere cæde Deos veniam, & flagrantibus aris,
Infandum dictu! parvos imponere natos.

(10) Lact. l. 1. c. 21. (11) Tertull. in Apolog. & in Scorpiaco. (12) De civit. l. 7. cap. 17. (13) Hieron. in Jerem. vii. 31. (14) Porphyr. de abstin. l. 2. (15) Vide Macrob. l. 1. Saturnal. c. 7. (16) Leo Afer. (17) Fernand. Mendez Pinto. (18) Scholiast. Horatii. *Palilia . . . sunt apud rusticos, ut cum fœno contextis stipulis ignem magnum transiliant, his pallibus se expiari credentes*. (19) Chrysost. in nativ. sancti Joann. (20) Theodoret. in 4. Reg. c. xvi. qu. 47. (21) Μαντευόμενος μαντείαν. (22) Abenezra, Kimchi. (23) Rabb. Salom. Hiscuni. Drus. Grot. alii. (24) Gerard.

bium inspectione, vel de præstigiatoribus; vel tandem de iis, qui oracula, & revelationes venditant.

Atque auguria. Septuaginta vocem מנחש exponunt de divinationibus, inspecto volatu vel cantu avium, οἰωνιζόμενος; alii de divinatione per angues.

Nec sit maleficus, מכשף. Septuaginta: φαρμακὸς, *Veneficus*; vel homo maleficiis, excantationibus, magia; veneficiis ad nocendum utens. Docent Rabbini, capite non damnari in Lege eos, qui fascinationibus ac præstigiis utuntur, vel qui rerum naturalium inspectione futura prædicunt; sed eos tantum qui maleficia adhibent ad nocendum.

℣. 11. Nec incantator. Voces Originalis accipiuntur de excantantibus vi carminum angues, scorpiones, & belluas alias venenatas. Confer Psalmum LVII. 6. in quo eædem Hebrææ voces recurrunt. Exponi potest Hebræus חבר חבר de illo qui pacto aliquo vel fœdere cum pravo spiritu jungitur, vel de eo qui nectit ligamina, nota est enim ligaminum superstitio. LXX: ἐπαείδων.

Nec qui pythones consulat. Constat equidem, nomen Pythonis designare anguem, quem Apollo interemit; quo singulari facinore Deus ille sibi nomen Pythii promeruit; unde & Pythonissa est sacris ejus initiata fœmina, & Pythones qui futura prædicunt. Vox illa commode derivatur ex Hebræo *Patah*, seducere; anguis enim dolo prima fœmina seducta est, & arioli plerumque consulentes suos dolo malo decipiunt. Vox Originalis שאל אוב *Qui consulit altum*; vel: *Qui per alium interrogat*. Porro nomen illud Divinis inditum ideo volunt nonnulli, quod ex imo stomachi oracula plerumque eructent, veluti si vocem ex imo dolii fundo hauriant. Hinc LXX: ἐγγαστρίμυθος. De Jerusalem agens Isaias, XXIX. 4. ac miserum ejus statum, ad quem redigenda erat ex obsidione, prædicens, *Humiliaberis*, ait, *de terra loqueris* [tanquam in terra sepulta loqueris] *& de humo audietur eloquium tuum, & erit quasi Pythonis de terra vox tua*; gemes nempe in imo animi tui, nec efferre in apertum ejulatus tuos audebis. Persuasione receptum erat apud Hebræos (1), Divinis illis præsto fuisse sub axillis spiritum aliquem hominis defuncti, qui surdas voces daret. Quam absurda, Deus bone!

Nec Divinos. Hebræus ad literam: ידעונים *Cognitores*, vel *Sapientes*. Reputaverim ego designari hisce Genethliacos, & generatim omnes, qui ex arcanis cabalæ vel magiæ rerum futurarum scientiam captant. Rabbinorum quidam (2) censent versasse illos in ore os quoddam belluæ *Jaddua*, ex quo virtus illis reserandorum futurorum conciliaretur. Fabulæ!

Aut quærat a mortuis veritatem. Necromantæ, vel qui mortuos consulunt, vel illi pariter qui mortuos evocant, uti Pythonissam legimus in Scriptura (3) Samuelem coram Saule evocasse. Tradunt Rabbini, Divinos penes se mortui os quoddam habuisse, ex quo dormientibus, vel etiam vigilantibus, per visum obversabantur imagines quædam, per quas futura detegerent. Alii vero malunt (4), sumi consuevisse calvariam defuncti, eumque, cujus calvaria tenebatur, revocari ad vivos; ita tamen ut Magus illum videret oculis, auribus non audiret; ac vicissim, qui consulebat per Magum, mortuum audiret quidem, sed non videret. Qui tandem aderant spectaculo, nihil seu viderent, sive audirent. Ita Pythonissa, quæ Samuelem evocavit, vidit quidem hominem, sed loquentis verba non audivit: audiit Saul, non vidit: neque audierunt, neque viderunt Abner & Amasa duces Saulis. Hæc omnia quanta fide asseruntur? Veri speciem habet maximam, evocationes omnes mortuorum per Magos mera fuisse præstigia, ope Dæmonis exhibita. Hæc autem mala per Chananæitidem Moysis ætate inundabant.

℣. 13. Perfectus eris et absque macula cum Domino Deo tuo. Hebræus fert tantum (5): *Perfectus eris cum Domino Deo tuo*. Author Vulgatæ tanquam expositione quadam adjiciendum censuit: *Sine macula*. Eo spectat Deus, ut cultum habeat a populo suo rectum, purum, sincerum, nulla superstitione, cultu extraneo, & Idolo corruptum. Religionis sanctitati, & debitæ in Deum fidei magia omnis & divinatio officit; alium enim, præter quam Deum, agnoscere aptum futurorum arcanis revelandis, perinde est quodam modo ac si Deus ipse idem esse negaretur.

℣. 14. Tu autem aliter a Domino Deo tuo institutus es. Qua in futurorum cognitionem venias, aliam tibi viam Lex instruit. Religionis alia dogmata tibi præscripta sunt, quam quæ placent populis impiis & superstitiosis. Tu enim institutus es in genuino cultu rituque sincero adorandi ac serviendi Deo. In Hebræo (6): *Et tu, non sic dedit tibi Dominus Deus tuus*. Vetat tibi Deus vanas omnes superstitiones, neque ut ad Divinos, ac per illos ad Dæmones accedas, permittit. Sunt qui dictum ita exponant: *Tu vero; non ita erit: Dominus Deus tuus tradidit tibi regionem eorum*: cave ne vitia illorum imiteris. Aliter: Sed illi, quos Dominus tradet tibi, non erunt utique, ut hi arioli, deceptores, & Apostatæ, sed erunt veri Prophetæ, viri spiritu Dei afflati.

℣. 15. Prophetam de gente tua ..... sicut me, suscitabit tibi Dominus. Ne defuturos vobis timeatis homines, quibus docentibus futura discatis: defectum enim Magorum, ariolorum, excantatorum, & augurum supplebunt Prophetæ, quos e medio vestri Deus suscitabit, quibus præceptoribus consilia ejus doceamini. Nihil est igitur, cur illos vobis ab exteris gentibus procuretis; paratos enim habebitis e fratribus vestris: tantumque aberit, ut Prophetæ illi a Lege & cultu Domini vos abducant, quin iis potius magistris, & ducibus quæ sint vestra officia noscatis, eaque magis magisque persequamini. Occupat hic Moyses duo, quæ ab Israelitis objici potuissent. Vetas ne consulamus divinos, ac prohibe ne quem unquam in nostra regione patiamur: accersemus igitur ejusmodi homines ex aliis gentibus; vel illos, quocumque fuerint in loco, conveniemus; vel saltem eo penitus auxilio destitui cogemur; cum interim vicinæ nobis gentes patentem hanc habeant viam, ut in futurorum cognitionem deveniant. Sed demonstrat hic Legislator, nihil minus velle Deum, quam ut populus suus non minimo eo commodo careat, Prophetia scilicet ac scientia futurorum, adeoque exponatur discrimini consulendi in dissitis regionibus divinos; quare potius daturum illis Prophetam, e medio populi suscitatum, qui rerum scientia Moysi nihilo inferior sit, doceatque populum suum omnia, de quibus jure interrogaretur.

Animadvertere juvat, uti hic Moysem phrasi, qua Lectores ultro deducit, ut in promissione data de suscitando Propheta Messiam agnoscant. Ait enim, suscitandum esse Prophetam, sicut ipsum Moysem; *Sicut me*, idest, Legislatorem, Regem, Mediatorem, Principem populi Dei; denique ipsam eamdem rem, cujus tantum typum Moyses exhibebat; qui eo altius assurgat supra Prophetas cæteros, & ipsum pariter Moysem, quo ipse Moyses cæteros, qui præcesserant, quique secuturi erant, superabat. Cum autem in Deuteronomio XXXIV. 10. *Non surrexit ultra Propheta in Israel, sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem*; hinc recte inferas, Prophetam a Moyse promissum neminem esse alium,

quam

(1) Apud Drus. hic. (2) Rabb. Salom. apud Drus. (3) 1. Reg. XXVIII. 7. (4) Vide Drus. hic, Baal. Aruch. Rabb. Salom. Abenezra. (5) תמים תהיה עם יהוה אלהיך Legimus in Proverbiis XXVIII. 18. תמים appositum doloso & deceptori. (6) ואתה לא כן נתן לך יהוה אלהיך.

quam Messiam, qui in se uno colligit decora omnia, quibus Moyses emicuit, quique pariter unus possedit quæcumque magis augusta in Sanctis, & Prophetis omnibus Veteris Testamenti refulsere.

Judæi Jesu Christo coævi ne ambigentes quidem censebant, Moysem hic unum Messiam habuisse præ oculis. Hanc populi communem fuisse & universalem opinionem, Apostoli tanquam certum statuerunt. S. Petrus (1) in prima illa oratione, quam in Templo Jerosolymitano, post restitutam claudo illi homini valetudinem, habuit ad populum, confidenter affirmat, in Jesu Christo demum impletum iri promissionem jam inde a plurimis sæculis a Moyse Israelitis præstitam; futurum scilicet, ut a Deo similis Moysi Propheta e medio fratrum suorum suscitaretur. Hoc idem oraculum in favorem Jesu Christi S. Stephanus expendit (2). Ad Jesu Christi discipulatum invitatus S. Philippus, Nathanaelem conveniens affatus est (3): *Quem scripsit Moyses in Lege, & Prophetæ, invenimus Jesum Nazarenum*. Tandem viso prodigio quinque panum stupentes turbæ, dicebant: *Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum* (4).

Nec aliter ea de re veteres Ecclesiæ Patres censuerunt. Ait Tertullianus (5), promissionem illam Mosaicam spectasse Patrem æternum, cum ita loquens a tribus Apostolis auditus est (6): *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*. Quasi scilicet indicaret: Hic est, quem vobis per Moysem prædixi: hunc audiendum imperavi. S. Cyprianus (7), postquam Textum hunc, quem versamus, Jesu Christo accommodasset, addidit, Moysem spectasse Jesum Christum verbis illis suis ad Judæos (8): *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit*. S. Athanasius (9) erroris accusat opinionem Judæorum, qui putant, ea quæ a Legislatore de Propheta post ipsum futuro prædicta sunt, ad alium ex Prophetis, præter quam Jesum Christum, referri oportere. Denique S. Augustinus (10) persuadetur, de industria sacrum Scriptorem usum hic fuisse nomine singulari, cum spondet *Prophetam*, quem ita singularis honoris prærogativa appellat, multo sublimissimum quam cæteri Prophetæ, tum scientiæ præstantia, tum Messiæ dignitate. Christiani quique Interpretes hanc Patrum explicationem, solam utique veram & genuinam, sequuntur.

Frustra Judæi in omnem se torquent partem, ut eludant vim testimonii hujus de veritate nostræ fidei in Jesum Christum. Jam supra animadvertimus, patribus illorum, Apostolis coævis, nunquam succurrisse, ut de sensu hujus Textus cavillarentur. Ultro illi admittebant, respici eo oraculo Messiam: sed increduli ejus ætatis negabant, Jesum Christum esse Messiam. Plus aliquid asserunt Judæi nostrates (11), cum Josue hic a Moyse significari certent, qui proxime ipsi in regimine populi successit, cujus imperio illa obsequendum edicit. Alii respici Jeremiam, vel aliquem ex Prophetis credunt. Sed quisnam Propheta iste Moysi prorsus æqualis, perinde ac Moyses audiendus, qui, non secus ac Moyses, in se uno personam mediatoris, Principis, & Legislatoris populi Dei conciliet? Nonne ipsi pariter Judæi affirmant, nunquam in Israele similem Moysi Prophetam paruisse? At quamvis etiam fateremur, significari a Legislatore Josue, vel Principem alium aut Prophetam, vel omnes simul Prophetas; an ne recte inferunt Judæi, hisce verbis pariter non designari Jesum Christum, qui omni assensu non genuinus tantum est Propheta, sed Summus inter Prophetas, quique in se uno conciliavit decora omnia, quæ de Principibus aliis & Prophetis reliquis populi Israelitici Scriptura commendat? Demus autem Judæi causationem aliquam obtendere posse, si in Jesu Christo Messiæ personam non agnoscunt: certe nulla excusatione defendent, quod illum tanquam Prophetam agnoscere noluerint, ait Grotius, cum nullis Prophetæ characteribus destituatur. Si veritatis splendor, si in rebus agendis sinceritas id tandem apud illos impetraverit, ut in Prophetarum censum Jesum Christum referant, felici demum necessitate cogentur illum confiteri Messiam; arctissimo enim vinculo duo hæc junguntur: Jesus Christus verus est Propheta: verus igitur est & unicus Dei filius.

℣. 16. Ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb; cum scilicet Dei majestas insedit vertici Sinai, ac Domino apertis verbis loquente, vos terrore concussi me deinceps rogastis, ut Dei verba populo exponerem, sed nunquam Deus ipse per se loqueretur, vitæ vestræ metuentes (12). Deus igitur, quam optatis indulgentiam, erga vos præstabit: intermedium concedet, qui jussa sua vobis exponat: Deus erit quidem semper, sed in vestrum commodum aliquid e gloria majestatis illius demittet, quæ vos terret: inter vos medius nascens, similem se vobis prorsus exhibebit. Nuspiam legimus in Exodo hanc promissionem Mediatoris Moysi successuri, quamquam factam esse constat, quo tempore gloria Domini in vertice Sinai emicuit.

℣. 19. Ego ultor existam. S. Petrus in Actis III. 23. & post illum veteres quidam Ecclesiæ Patres (13) ita versiculum hunc legunt: *Omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe*.

℣. 22. Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus. Rei eventum, oraculo consentientem, argumentum esse non plane demonstrans sinceritatem Oraculi, jam supra ad Caput XIII. 2. ostendimus: argumentum est autem apertissimum, falsum esse oraculum, cum eventus longe diversus sequitur. Non ita vero disserendum est de oraculis conditione aliqua adstrictis. Cum effectus illorum e libera hominum voluntate pendeat, mirum non est, si ea non semper eveniant, quæ prædicuntur; contingere enim potest, ut amota conditione, causæ vel evanescant vel alio avertantur. Ita latum a Jonæ de excidio Ninives vaticinium (14) effectu suo caruit; nec latæ in favorem Israelitarum amplissimæ promissiones impletæ sunt; quod scilicet Ninivitæ pœnitudine ac criminibus resipuerint, ac Israelitæ legum Divinarum jussioni pervicaces sese opposuerint, quarum legum obsequio, tanquam præmium, promissiones illæ respondebant. Denique statim ac Propheta aliquis nomine inanium Deorum aliquid nunciat, conaturque ad impium eorum cultum pertrahere incautos, neci actutum tradendus est, prodigiis licet ingentibus fidem sibi conciliet ac sectatores: prodigia hæc, quæcumque fuerint, nullo examine expendenda sunt: quæ ille præstat, omnia experimentum sunt, quo sinceros famulos suos probat Deus. Vicissim autem, qui nos magis magisque Deo conjungit, legumque ipsius obsequium docet, ille frustra prodigia patraverit, ut admittatur: gesta ipsius validius persuadeant, quam si clareret prodigiis; vel potius prodigia omnia, quæ antea spectata sunt, totidem sunt argumenta, quibus missionis ipsius & consiliorum veritas asseritur.

Non

(1) Act. III. 22. (2) Act. VII. 37. (3) Joan. I. 45. (4) Joan. VI. 14. (5) Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 22. (6) Luc. IX. 35. (7) Cyprian. l. 1. contra Judæos c. 18. (8) Joan. V. 46. (9) Athanas. l. 2. contra Arianos. (10) Aug. contra Faust. l. 16. c. 19. (11) Vide apud Munst. & Fag. (12) Exod. XX. 19. (13) Tertull. contra Marcion. l. 4. c. 22. (14) Jonæ III. 10. *Et vidit Dominus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit*.

Non timebis eum. Hebræus לא תגור ממנו *Ne timueris ab eo*, nequid finistri metuas ex ejus vaticiniis ac minis: audacter te illi oppone, atque ad necem deposce. Vel potius: Nulla erga illum utaris indulgentia: hominem non suspicies. Septuaginta: Οὐκ ἀφέξεσθε ἀπ' αὐτοῦ, *non abstinebis ab eo;* nullam ejus rationem habebis, quin manum in illum injicias.

CAPUT XIX.

Urbes refugii, Homicidium voluntarium & involuntarium. Cautio ne quis limites mutet. Pœna in falsos Testes.

℣. 1. CUM disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram,
& possederis eam, habitaverisque in urbibus ejus, & in ædibus: 2. Tres civita-
tes separabis tibi in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem,
3. Sternens diligenter viam: & in tres æqualiter partes totam terræ tuæ provinciam
divides: ut habeat e vicino, qui propter homicidium profugus est, quo possit evade-
re. 4. Hæc erit lex homicidæ fugientis, cujus vita servanda est: Qui percusserit pro-
ximum suum nesciens, & qui heri, & nudiustertius nullum contra eum odium habuisse
comprobatur: 5. Sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, & in
succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus
percusserit, & occiderit: hic ad unam supradictarum urbium confugiet, & vivet: 6.
Ne forsitan proximus ejus, cujus effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur,
& apprehendat eum, si longior via fuerit, & percutiat animam ejus, qui non est reus
mortis, quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur.
7. Idcirco præcipio tibi, ut tres civitates æqualis inter se spatii dividas. 8. Cum au-
tem dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut juravit patribus tuis, & dede-
rit tibi cunctam Terram, quam eis pollicitus est, 9. (Si tamen custodieris mandata
ejus, & feceris quæ hodie præcipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, & am-
bules in viis ejus omni tempore) addes, tibi tres alias civitates, & supradictarum
trium urbium numerum duplicabis: 10. Ut non effundatur sanguis innoxius in medio
Terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus. 11. Si
quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque per-
cusserit illum, & mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus, 12. Mit-
tent seniores civitatis illius, & arripient eum de loco effugii, tradentque in manu
proximi, cujus sanguis effusus est, & morietur. 13. Non misereberis ejus, & au-
feres innoxium sanguinem de Israel, ut bene sit tibi. 14. Non assumes, & transfe-
res terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus
Deus tuus dabit tibi in Terra, quam acceperis possidendam. 15. Non stabit testis
unus contra aliquem, quidquid illud peccati, & facinoris fuerit; sed in ore duorum,
aut trium testium stabit omne verbum. 16. Si steterit testis mendax contra homi-
nem, accusans eum prævaricationis, 17. Stabunt ambo, quorum causa est, ante Do-
minum in conspectu sacerdotum, & judicum, qui fuerint in diebus illis. 18. Cum-
que diligentissime perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum
mendacium; 19. Reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, & auferes malum de
medio tui: 20. Ut audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant
facere. 21. Non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, den-
tem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

℣. 2. Tres civitates separabis. Tres jam urbes refugii constituerat Moyses in regione, quam sibi armis vindicaverat e victis Regibus Og & Sehon, uti supra narratum est (1). Nunc igitur mandat, ut præter tres illas urbes a se destinatas in plaga Orientali Jordanis, tres aliæ constituantur ad Occidentem amnis, cum populus Chanaanitidem subegerit. Meminit etiam, ℣. 8. trium aliarum urbium refugii, quæ destinari poterunt in regione, ab extremis limitibus Chanaanitidis usque ad Euphratem: at non sine veri specie reputamus, hanc Moysis jussionem de tribus aliis urbibus refugii addendis nunquam executioni fuisse mandatam.

℣. 3. Sternens diligenter viam. In Numeris xi. 6. jam narravimus, quibus cautionibus urbium refugii commoditati ac securitati consulendum esset. Curandum erat, ut viæ eo deducentes ster-
ne-

(1) Deut. iv. 41. & Num. xxxv. 11.

nerentur probe, atque in biviis, ne quis erraret, erigendi erant pali, rectam viam indicantes. Eos palos inscribi consuevisse affirmat Oleaster voce מקלט *Miklat*, idest, salus, evasio.

In tres æqualiter partes divides totum regionis tuæ tractum a meridie usque ad septemtrionem, ut scilicet iis, quos necessitas urbes asyli quærere coegerit, securitatis locus pronior sit & commodior. Constat ex Josue xx. 7. tres illas urbes refugii trans Jordanem destinatas fuisse Hebronem, Sichem, & Cedes.

℣. 6. Percutiat animam ejus qui non est reus mortis. Necessarii hominis illius, quem imprudens aliquis interfecerat, impune homicidam hunc, quamvis nullius culpæ reum, in subito furoris & doloris sui impetu, interficere poterant. Ultionem hanc licet iniquam lex tolerabat; eamque alia ratione coercere se non posse censuit, quam destinatis urbibus refugii, a quibus ultores illi arcerentur, exciperentur autem vicissim homicidæ insontes, fide publica tuti. Curat autem maxime Legislator, ut asyli loca æquis inter se spatiis designentur. In tota Chanaanitidis longitudine a septemtrione ad meridiem, inter urbes illas refugii intervallum xv. leucarum constitui commode poterat: propinquius accedebant trans Jordanem, cujus regionis tractus minus porrigebatur.

℣. 7. Tres Civitates æqualis inter se spatii dividat. Hebræus legit tantum: *Separabis tibi tres Civitates*. Additio Vulgatæ petitur ex ℣. 3. hujus capitis, in quo æquis intervallis distantes urbes refugii destinari jubentur.

℣. 9. Addes ibi tres alias Civitates. Præter urbes refugii tres trans Jordanem, & cis amnem totidem, permittit Deus populo suo, ut tres alias eligat in regione, quæ inter montes Hermon & Galaad, ac Euphratem excurrit. Sed ex ea, quam hic addit, conditione innuere videtur, nunquam illos curaturos, ut politiæ hanc partem constituant: *Si tamen*, ait, *custodieris mandata ejus*. Profecto licet regionem hanc David & Salomon subjecerint, nunquam tamen Urbes refugii in ea destinatas scimus; illi enim veteres in ea incolas reliquere, nec Israelitæ unquam eo transmigrarunt. Asyli autem privilegium Israelitis potissimum favebat; eædemque urbes non diu Regibus Judæorum paruerunt.

℣. 12. Mittet seniores civitatis illius. Cum homicida aliquis ad Urbes asyli confugisset, non tamen e Judicum manibus evadebat; lata enim nimis patuisset abusibus via, si homicidis omnibus indiscriminatim datum fuisset asylum. Mandat Deus, ut ejus agatur causa, qui ad asylum confugerit; quin & cogatur ipse se sistere coram Judicibus, probaturus, imprudenti sibi necem contigisse. Cum igitur ille coram Judicibus loci, ubi homicidium commissum erat, veniret, ejus securitati cautiones omnes adhibebantur, quas descripsimus in Numeris xxxv. 12. Si vero homicidii culpa manifesta esset, atque hominis interfecti Necessarii probassent, interfectorem animo deliberato, & odio ad crimen illud accessisse, avellebatur miser a loco asyli, ac permittebatur manibus necessariorum, ut neci traderetur. Ægre quidem intelligimus, politiam hanc a Lege Domini fuisse invectam: novum plane nobis & insitatum videtur, permitti odio & ultioni necessariorum hominis interfecti, ut sententiam Judicum exequantur, atque injuriæ propriæ ultionem urgeant. Hæc tamen omnia reputanda sunt tanquam indulgentiæ obstinationi Judæorum obsecundantes, quas fulciebat usus, ut majora mala vitarentur.

℣. 13. Auferes innoxium sanguinem de Israel. Codices Latini non raro ferunt: *Auferes noxium sanguinem*; hæc tamen sententiæ minime officit: effuso enim noxio sanguine, ultioni sanguinis innoxii consulitur, & Israel a sanguine injuste in regione fuso expiatur.

℣. 14. Non transferas terminos proximi tui, quos fixerunt priores. Hic locus commode accipitur de limitibus, quibus inter se Tribus distinguuntur, quos limites fixerunt Principes populi Dei Josue, Eleazar, & Tribuum Capita. Distributio illa terrarum integra mansit, quamdiu Tribus ante captivitatem discretæ permansere: soluta vero captivitate, nulla ejus ratio habita est. Plerique tamen Textum exponunt de terminis privatæ hæreditatis (1). Id summa semper cura providerunt (2) Legislatores, ne agrorum limites removerentur; quæ fidei publicæ & juris communis populorum appendix est (3). Criminis illius reos duplici flagrorum animadversioni submittebant Hebræi: primo causa alienæ hæreditatis furto occupatæ; secundo quod Legem hic narratam violassent.

Jurisconsulti Romanorum (4) nullam certam pœnam determinant in subversores limitum. Mancipia, quæ dolo malo & insciis heris id moliti fuissent, morte puniebantur. Optimates interdum pœnas ejus criminis dabant exilio; privati pro qualitate criminis puniebantur vel pecunia vel corpore. Legem hanc plane singulari sensu accepit Josephus (5): *Terminos*, ait, *terræ ne liceat movere, neque propriæ neque alienæ eorum, quibuscum vobis est pax; sed caveatur, ne auferantur tanquam firmus Dei calculus in sempiternum positus; quippe cum bella inde nascantur & seditiones, quod ultra terminos progredi velint avari. Neque enim a legibus transilientes longe absunt, qui agrorum limites de loco suo dimovent.*

Obsequium & Religio veterum erga terminos hæreditatum adeo porrigebatur, ut exorbitaret, donaque & Sacrificia illis offerrentur. Dionysius Halicarnassæus tradit, Numam Pompilium Regem Romanorum statuisse, ut offerrentur terminis pultes, placentæ, & fructuum primitiæ. Ovidius in Fastis narrat, agnum terminis immolari, ejusque sanguine illos aspergi:

Spargitur & cæso communis terminus agno.

Juvenalis, Satyra xvi.

Et sacrum effodit medio de limite saxum.

Quod mea cum patulo coluit puls annua libo.

Innuere videtur Tibullus, ornari interdum consuevisse floribus & corollis:

Nam veneror seu stipes habet desertus in agro,

Seu vetus in triviis florida serta lapis.

℣. 15. Non stabit testis unus contra aliquem, ut quis damnetur; idem vero satis erit, ut quæstio fiat adversus reum: & cum de pecuniis repetundis res est, ex unius testimonio cogetur reus purgare se jurejurando (6).

Sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Excipietur delatio, & causa absolvetur: iis testibus reus convictus esse censebitur. Phrasis hæc verborum quodammodo in proverbium transisse videtur, ut ad innuendam rem quampiam certam ac minime dubiam, satis haberetur dixisse, rem illam duorum vel trium testimonio probari (7). Unicus testis facile corrumpitur, difficile mendacii redarguitur, facilius tuetur calumniam: neque enim prodi se a complice metuit: sed duo testes falsi male sibi cohæreant. Omnes eas cautiones occupat Lex, quas dictat prudentia; atque in rebus humanis ea pro certis habet, quæ communi hominum æstimatione certa reputantur.

℣. 16.

(1) Fag. hic. Grot. & Rabb. apud Selden. de jure nat. & gent. l. 6. cap. 3. (2) Vide Platon. l. 8. de legibus. (3) Vide Job xxiv. 2. *Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges*, &c. (4) Digest. l. 47. tit. 21. de termino moto. (5) Joseph Antiq. lib. 4. c. 8. (6) Maimon. apud Grot. hic. (7) Vide 2. Cor. xiii. 1. & Matth. xviii. 16.

℣. 16. Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis. Singulare igitur privilegium unicus hic rerum eventus obtinere videtur, ut scilicet unicus testis accipiatur adversus illum, qui Legem Domini Apostasia, & Idololatria violavit (1). Fatemur tamen, unicum quidem illum testem admitti ad accusandum; sed ad reum damnandum impar habebatur. Vox Originalis (2), quæ hic redditur *prævaricatio*, accipitur commode de majoribus omnibus criminibus adversus Legem: hic tamen significare potissimum videtur Apostasiam, & commissa in Deum scelera. Lex sanciens, ne reus damnetur ex delatione unici testis, generalis est, nullaque exceptione coercetur: accipienda erat de criminibus in Deum patratis, æque ac de injuriis proximo irrogatis: *Quidquid illud peccati, & facinoris fuit* ℣. 15. Ex Demosthene (3) discimus, quam multis ritibus excipi consueverit testis alicujus in causis capitalibus jusjurandum. Jurabat ille super carnes apri, arietis, & tauri; simulque in caput suum & familiæ sævissima imprecabatur dira, siquidem vera non testaretur.

℣. 17. Stabunt ambo . . . . ante Dominum in conspectu Sacerdotum, et Judicum. Confirmantur hic ea, quæ supra XVII. 9. animadversa sunt, Sacerdotibus nempe causas majoris difficultatis, & indaginis fuisse deferendas. Ex contextus serie intelligimus, accusationem, de qua hic, non de Idololatria, vel Apostasia esse tantum, cum falsus delator iisdem subjiciatur pœnis, quas molitus est innocenti, ut reddat animam pro anima, dentem pro dente, oculum pro oculo. Animadversum est etiam (4), imperari, ut ambæ partes stent coram Domino, Judicibus nempe ab eo constitutis, ejusque nomine sententiam ferentibus.

℣. 20. Ut audientes cæteri timorem habeant, Spectamus hic Dei in Legibus pœnalibus sanciendis consilium (5); id enim vult primo, ut injuria alteri irrogata aliqua ratione reparetur; tum ut impiis vires nocendi adimantur; pœnaque de sonte exacta vulneri e pravo exemplo inducto medeatur, neque spes criminis impuniti cæteros alliciat in crimen. Vetus quidam Philosophus (6) ajebat, ita inducendum esse animum ad occidendos impios, quo viperas, & vulpes delemus, ne noceant. *Cum cervices noxio præcidi curabo*, ait Seneca (7), *eo vultu animoque ero, quo serpentes, & animalia venenata percutio.*

℣. 21. Animam pro anima, vitam pro vita. Ex iis, quæ præcedunt, innui videtur, hæc omnia ad literam omnino, nullo addito temperamento accipi oportere. *Non misereberis ejus*, ait Moyses; ita cum illo te habebis, quomodo ille se habuit cum fratre (8). Docent Rabbini (9), Legem hanc severe impletam non fuisse, nisi cum alter alterum occidisset: tunc enim interfector capitis pœnas luebat; cæterum satis erat mulcta pecuniaria in reum animadvertere, uti e. g. si ille oculum fratri suo eruisset (10). Vide quæ in similem Legem disseruimus in Exodo XXI. 24.

[1] Ibid. [2] כי יקום עד חמס באיש לענות בו סרה [3] Demosthen. orat. advers. Aristocrat. [4] Vatab. [5] Grot. de jure belli & pac. l. 2. c. 20. art. 9. [6] Democrit. apud Grot. loco citato. [7] Lib 2. de ira. [8] Lyran. & Caritæ, Vat. Drus. [9] Hebræi apud Ainsv. [10] Rabb. Salom. Jonathan, & alii apud Fag.

C A P U T XX.

Leges belli. Qui dimittendi sint ab exercitu. Quo pacto indicendum bellum. Quid agendum cum Chananæis. De obsidionibus urbium Leges.

℣. 1. Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus, & currus, & majorem, quam tu habeas adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti. 2. Appropinquante autem jam prælio stabit sacerdos ante faciem, & sic loquetur ad populum. 3. Audi, Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos. 4. Quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. 5. Duces quoque per singulas turmas, audiente exercitu, proclamabunt: Quis est homo, qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam? vadat, & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam. 6. Quis est homo, qui plantavit vineam, & necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, & revertatur in domum suam; ne forte moriatur in bello, & alius homo ejus fungatur officio. 7. Quis est homo, qui despondit uxorem, & non accepit eam? vadat, & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. 8. His dictis addent reliqua; & loquentur ad populum: Quis est homo formidolosus, & corde pavido? vadat, & revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. 9. Cumque siluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit. 10. Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. 11. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo. 12. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. 13. Cumque

que tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea
generis masculini est, & in ore gladii: 14. Absque mulieribus, & infantibus, ju-
mentis, & cæteris, quæ in civitate sunt: Omnem prædam exercitui divides, & co-
medes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. 15. Sic fa-
cies cunctis civitatibus, quæ a te procul valde sunt, & non sunt de his urbibus, quas
in possessionem accepturus es. 16. De his autem civitatibus, quæ dabuntur tibi, nul-
lum omnino permittes vivere: 17. Sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet,
& Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum, sicut præ-
cepit tibi Dominus Deus tuus; 18. Ne forte doceant vos facere cunctas abominatio-
nes, quas ipsi operati sunt diis suis, & peccetis in Dominum Deum vestrum. 19.
Quando obsederis civitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis, ut expu-
gnes eam, non succides arbores, de quibus vesci potest, nec securibus per circulum
debes vastare regionem, quoniam lignum est, & non homo, nec potest bellantium
contra te augere numerum. 20. Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agre-
stia, & in cæteros apta usus, succide, & instrue machinas, donec capias civitatem,
quæ contra te dimicat,

℣. 2. STABIT SACERDOS ANTE ACIEM. Doctores Judæi (1) tradunt, præsto semper adfuisse in exercitu Sacerdotem, peculiari consecratione destinatum ad ea indicenda, quæ hic præscripta sunt. Id autem munus non perpetuo eidem mansisse, nec ejus dignitatem hæreditaria successione ex patre in filios transmissam fuisse. Porro Sacerdotis illius erat munus inflare buccinam, habebatque ad nutum subditos reliquos Sacerdotes, qui in fronte agminum procedentes palam nunciabant, ea repetendo, quæ primus ille Sacerdos peculiari munere ad bellum destinatus indicebat. Eleazar, cui demandatum fuit bellum in Madianitas, ipse per se fortasse tuba clangebat, quamquam Summo Sacerdotio fungens; neque enim supremæ dignitati erat indecorum munus illud tibicinis exercere. Porro Sacerdos belli palam edicebat ea, quæ hic recitantur ℣℣. 5. 6. 7. universo agmini, antequam ordines in prælium dirigerentur. Directam vero aciem idem Sacerdos animis confirmabat, spondens a Deo opem, hortans ut ponerent metum; habere enim illos inter se medium ipsum Dominum suum (2): quæ verba statim per agmina reliqui Sacerdotes repetebant. Hæc omnia forte colore aliquo Rabbinico fucata sunt; sed diffitendum utique non est, hanc obtinuisse disciplinam, quam Moyses sancivit: quamquam ejus exempla nulla in præliis Israelitarum narrantur, quod hanc rem scribendam esse sacer Historicus non censuerit.

Contendunt Judæi (3), hæc omnia non obtinuisse nisi in bellis sponte, & nullo Dei speciali mandato susceptis; in bellis enim præcepto Dei gerendis, uti quæ adversus Chananæos, & Amalecitas, nemo se subducere permittebatur. Sed hujus exceptionis ne vestigium quidem apud Moysem. Addunt Rabbini, postquam ea, quæ hic narrantur, edicta fuerant, stetisse post agmen strenuissimos e minoribus Ducibus, armatos securi vel falce, ut crura præciderent iis, qui fugam tentassent. Hæc Rabbinicum olent.

℣. 3. NON PERTIMESCAT COR VESTRUM . . . . NOLITE CEDERE. Hebræus ad literam (4): *Ne mollescat cor vestrum*, ne conteratur, ne tenerum fiat, *ne turbemini*, ne animo cadatis, ne præcipites vos agatis, ne pede moveamini.

℣. 4. DEUS VESTER IN MEDIO VESTRI EST. Censent Rabbini, Arcam deferri in aciem consuevisse; quod tamen pro consueto more obtinuisse non credimus. In his omnibus prodit se Deus tanquam unicum Regem, & unicum supremum Principem populi sui, nihil est autem quod magis aperte exhibeat admirabilem Theocratiam, seu regimen plane divinum, quam hæ Leges, jubentes omnia nomine & authoritate Dei, ejusque ministrorum geri.

℣. 5. DUCES. In Deuteronomio 1. 15. detegere conati sumus genuinam significationem vocis Soterim. Hebræus fert tantum (5), Soterim edixisse populo: *Quis est homo, qui ædificavit domum novam &c.* Non satis constat, utrum hi Soterim præfecti essent exercitus, an meri præcones, a quibus supremorum Ducum jussa palam pronunciarentur. Facile tamen erant castrorum, vel aciei Præfecti.

QUI ÆDIFICAVIT DOMUM NOVAM ET NON DEDICAVIT EAM; idest, & non habitavit. Hebræus (6): *Et non initiavit eam*, nondum incoluit. Cum herus aliquis novam domum habitaturus intrabat, solemni convivio amicos excepisse fertur (7). Legimus in Libro Nehemiæ (8), in dedicatione muri Jerosolymæ undique accitos fuisse Levitas, ut Festum Dedicationis quam maxima pompa, atque gaudii & gratiarum actionis significationibus, musicis simul vocibus numerisque obstrepentibus, celebraretur. Pro dedicatione privatarum ædium scriptus videtur Psalmus XXIX. cui titulus præfixus est: *Psalmus Cantici in dedicatione Domus*: nihil autem in toto eo Psalmo occurrit, quod jubeat ipsum referri ad dedicationem Templi, quod sæpe honoris prærogativa quadam *Domus* appellatur.

Tradit Josephus, neminem cogi posse ad bellum proficisci, nisi absoluto saltem anno postquam novam domum incoluit. Eamdem sententiam tuentur Rabbini (9), ex eo petitam, quod infra XXIV. 5. novus conjux ad arma non cogitur, nisi postquam integro anno cum sponsa conjuge manserit: eodem igitur privilegio & conditorem novæ domus frui censent. Addunt Doctores illi (10), eodem pariter jure donari cæteros, qui vel pretio emptam, vel jure aliquo legitimo hæreditatis, vel muneris possessam domum tenent: nisi forte pretio exacto ad annum locaverint; perinde enim tunc habentur, ac si integro anno incoluerint.

[1] Maimonid. ex Talmud apud Fag. [2] Vers. 4. [3] Maimonid. apud Grot. & ad ℣. 7. & Drus. ad ℣. 6. & Fag. hic. Vide & Schikardi jus Reg. c. 5. [4] אל ירך לבבכם . . . . . ואל תחפזו Septuag. Μὴ ἐκλυέσθω ἡ καρδία ὑμῶν μηδὲ θραύεσθε. [5] ודברו השטרים אל העם לאמר וגו [6] ולא חנכו Septuag. Καὶ οὐκ ἐνεκαίνισεν αὐτήν. [7] Jansen. hic. [8] 2. Esdr. XII. 27. *In dedicatione autem muri Jerusalem requisierunt Levitas de omnibus locis suis, ut adducerent eos in Jerusalem, & facerent dedicationem & lætitiam, in actione gratiarum, & cantico, cymbalis, psalteriis & cytharis.* [9] Grot. Fag. ex Maimonid. [10] Apud Selden. l. 3. de Synedriis c. 13. art. 1. & 2.

Jonathan Paraphrastes ita Textum hunc reddidit: *Quis est vir, qui ædificavit novam domum, & non fixit in postibus ejus* membranas Legis verbis inscriptas; de quibus egimus (1)?

Veteres Græci inter mala gravia illud habebant gravissimum, si domum imperfectam, seu novam sponsam deserere cogerentur, ad bellum profecturi. De Protesilao animadvertit Homerus (2), illum ad obsidionem Trojæ uxore desolata, domoque imperfecta relictis profectum esse.

℣. 6. Plantavit vineam, et necdum fecit eam esse communem. Novarum arborum ac vinearum fructus tribus prioribus a satione annis impuros habitos fuisse, ignorat nemo; fructus illi in arbore negligebantur. Qui demum quarto anno provenissent, Domini erant; ipsique vel ejus Ministris offerebantur. Tum dominus pro arbitrio, non secus ac cæteris bonis suis, iis fructibus utebatur. Vineæ tunc earumque fructus inter communes vulgaresque res recensebantur, quod attinet ad impuritatem trium priorum annorum, & quarti sanctitatem. Jonathan & Rabbinorum nonnulli vertunt: *Quis vir plantavit vineam, & non redemit eam?* Idest, primos ejus fructus; quos sibi Deus reservavit, tanquam bonorum omnium & regionis Israelitarum Domino, non solvit? Septuaginta (3): *Et non epulatus est ex ea?* idest, amicis fructuum partem dono non dedit? Facile olim mos erat; ut cum *herus* primas vindemias colligeret, significationes quasdam gaudii cum amicis daret. Idem privilegium porrigitur ad eos omnes, qui arbores fructiferas vel plantaverint, vel inseverint, quas arbores sive emerint, sive alia ratione comparaverint (4).

℣. 7. Qui despondit uxorem et non accepit eam. Solemne erat Hebræis, ut desponsa jam puella diu in domo patris relinqueretur, antequam sponsus domum duceret, matrimonium impleturus. Ducebatur autem Sponsa in viri domum solemni ritu & plurima gaudii significatione, plerumque vespere, vel etiam nocte, uti non uno Scripturæ testimonio demonstratur (5). Quamdiu vero puella in domo patris manebat, sponsa appellabatur; ac si quid probri admisisset, perinde ac adulterium puniebatur (6). Iniquus corruptor puellæ alteri desponsæ, morte pœnas dabat; idemque supplicium manebat corruptam, siquidem vitium illi inductum fuisset in Urbe (7). Porro hujusmodi sponsalia, non secus ac connubia, nonnisi dato repudii libello abrumpebantur.

Docent Rabbini (8), annum saltem concedi puellis desponsis, antequam in domum sponsi transferantur, ducta anni supputatione a die, qua in uxores postulatæ sunt: nunquam autem licere illis in domum sponsi venire, nisi duodecim ætatis annos exegerint, ac pubertatem attigerint. Si puella in sponsam requisita XII. ætatis annos absolverit, triginta solum diebus expectare tenetur (9). Quo privilegio fruebantur, qui connubium celebraverant, ne scilicet in prælium proficisci cogerentur; eodem pariter donabantur Sponsi, si Josephum audias (10). Sed Philo (11) nonnisi iis concedit, qui virginem duxerint; negat vero ducentibus viduam, vel repudiatam. Insuper novi conjuges eximebantur a tributis & vectigalibus; nullum illis onus agendi excubias per priorem conjugii annum imponebatur. Sancit hoc Moyses inferius XXIV. 5. *Nec ei quicquam necessitatis injungetur publice*. Cæterum exemptio illa, ne cogerentur ad bellum, tantummodo in expeditionibus sponte susceptis ad commodum publicum servabatur, non in iis, quæ Deus imperasset, inquiunt Rabbini (12). Qui vero ea fruebantur, nullum illis onus supererat eorum omnium, quæ ad exercitum pertinebant; non arma ferre, non commeatus sufficere, non vias restaurare, non excubias agere, non onus quodcumque ferre jubebantur.

℣. 8. Quis est homo formidolosus? Quicumque animo & virtute destituuntur, majorem ipsi sociis formidinem, atque hostibus opem ferunt, quam strenui milites virtutem suis, ac damnum inimicis. Fertur (13) Alexander Magnus omnes remisisse, quibus non satis esset animi & virtutis, ut expeditiones suas sequerentur. Docent Rabbini, milites illos formidolosos cogi ad ferendas aquas & commeatus exercitui necessarios, vias instruendas, castraque præparanda.

℣. 9. Unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit. Cum ex agmine recepissent sese ii, quibus præliandum non erat, tunc in prælium acies instruebantur. Textus Hebræus fert tantum (14): *Visitabunt* [recensebunt] *Principes exercituum in capite populi*. Septuaginta (15): *Constituent principes exercitus duces populi*. In eumdem sensum reddi posset Hebræus, neglectis Massoretarum punctis: serius tamen quam par esset, eligerentur Principes & Duces, qui agmini imperarent; nisi forte reputemus, ponere Moysem, omnia hæc commodo tempore in generali totius populi cœtu fieri, & cum nullus erat Princeps designatus, qui jam imperaret.

℣. 10. Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Utrum universalis ea lex est, atque adversus omnes æque hostes servanda, etiam in Chananæos? Committuntur inter se Scriptores Commentariorum. Defendunt quidam (16), minime oportuisse vel bellum indicare, vel pacem offerre populis anathemati devotis & a Deo damnatis; nullo ritu, nulla indulgentia cum illis agendum fuisse. Cum pleno & absoluto anathemate, nullis definito limitibus, jussi a Deo essent (17), latamque ab illo sententiam exequerentur Hebræi, ultionem ejus certis coercere limitibus nefas erat. Quæ tandem sentitur oppositio inter Versiculos 10. 11. 12. 13. 14. hujus capitis, cum quatuor aliis proxime sequentibus, demonstrat, magnum plane discrimen constituere Deum inter gentes a Chanaanitide remotas, & Chananæo. Jubet enim primum omnium offerri prioribus illis pacem, & siquidem illæ pervicacius in armis perseverent, viros omnes esse cædendos, qui in Hebræorum manus devenerint, sed prædam, fœminas, ac pueros esse servandos.

Chananæi vero ne uno quidem verbo indicat velle se ut prius oblata pace invitentur. Cruento illos bello jubet exagitari, trucidari omnes, quotquot in vivis degunt, fœminas, pueros, bruta. Interdicit illorum fœdera (18), connubia. Denique quid apertius, quam quod legitur ℣. 15. Cum enim dixerit Moyses, invitandas esse ad pacem Urbes,

[1] Deuteron. VI. 9. & XI. 20. [2] Homer. Iliad. B.
Τοῦ δὲ καὶ ἀμφιδρυφὴς ἄλοχος Φυλάκῃ ἐλέλειπτο,
Καὶ δόμος ἡμιτελής.
[3] Καὶ οὐκ εὐφράνθη ἐξ αὐτοῦ. Hebraice. ולא חללו *Et non profanavit eam*. Author Vulgatæ velut explicationis loco addidit: *De qua vesci omnibus liceat*. [4] Vide Schikard. jus Reg. c. 5. [5] Matth. XXV. 1. & seq. [6] Genes. XXXVIII. 24 Judic. XIV. 15. Levit. XXI. 9. Matth. 1. 18. [7] Deuteron. XXII. 23. 24. [8] Vide Selden. Uxor Hebraic. l. 2. c. 1. & 5. [9] Vide infra ad cap. XXV. 5. [10] Joseph. Antiq. l. 4. c. 8. [11] Philo lib. Περὶ ἀνδρείας. [12] Uxor Hebr. l. 1. c. 3. Vide supra ℣. 2. [13] Arrian. l. 7. Quint. Curt. lib. 10. apud Grot. [14] ופקדו שרי צבאות בראש העם [15] Καὶ καταστήσουσιν ἄρχοντας τῆς στρατιᾶς προηγουμένους τοῦ λαοῦ. [16] Vide Jonathan, & Jarchi. Lyran. Menoch. Jansen. Muis, Ger. [17] Exod. XXIII. 32. 33. Deuter. VII. 1. 2. [18] Exod. XXIII. 32. *Non inibis cum eis fœdus*. Ita & XXXIV. 15. *Ne ineas pactum cum hominibus regionis illius*. . . ℣. 16. *Nec uxorem de filiabus eorum accipies*. Ita & Num. VII. 2. 3.

Urbes, quarum obsidio statuta est, postquam præscripserit, qua ratione cum illis agendum, demum claudit: *Sic facies cunctis civitatibus, quæ a te procul valde sunt, & non sunt de his Uebibus, quas in possessionem accepturus es. De his autem civitatibus, quæ dabuntue tibi, nullam permittes vivere, &c.* Cum nossent Gabaonitæ, nullam sibi veniam sperandam esse, dolo malo illud obtinuerunt, quod precibus non impetrassent; cumque se castris obtulissent, responsum illis est: *Ne forte in terra, quæ nobis forte debetur, habitetis, & non possimus fœdus inire vobiscum.* Josue ix. 4.

Hisce autem rationibus fulcitur contraria opinio, statuens, Legem, quæ pacem offerri jubet, communem esse, omnibus æqua faventem hostibus, ne exceptis quidem Chananæis. Gemarra Hierosolymitana (1) docet, Josue undique per reginnem proposuisse tres conditiones, fugam, pacem, bellum. Gergesæos electa fuga in Africam sese recepisse; Gabaonitas pacem & fœdus; unum ac triginta Reges Chananæorum, bellum maluisse. Maimonides & Moyses Cotzi pronunciant nunquam licitum esse bellum, nisi proposita pacis conditione. Hanc opinionem Grotius tuetur (2). Reputat ille, eas sanctiones, quæ excidium Chananæis indicunt, iis conditionibus adstringi, nisi statim illi invitati se dedidarint. Probat id exemplo Rahab ejusque familiæ, quibus Israelitæ pepercerunt; & Gabaonitarum, qui agniti etiam, adhuc tamen in fidem certis conditionibus admissi sunt. Tandem Salomon (3) reliquias Chananæorum subdidit, nec tamen ulla se religione tangi credidit, nisi illos deleret. Ipsi pariter Israelitæ coram Josue Chananæorum nonnullos in regione sua gravissimis conditionibus degere permiserunt. Si Deus omnes illas gentes, nulla excepta, subdit anathemati, id utique ab illo imperatum reputandum est, quod nosceret pravas animorum habitudinem & pervicaciam, qua obstinatum potius bellum mallent, quam implorare clementiam victorum, earumque conditionum, quas Israelitæ imperassent, jugum subire. Exponit id Josue (4) disertissima: *Domini sententia fuerat, ut indurarentur corda, & pugnarent contra Israel & caderent ac perirent.* Potuissent igitur clementiam sibi aliquam promereri, nisi animum obfirmassent in malo, ac terga dare Idololatriæ voluissent: tum cervicem submisissant legi naturali; nec solvere tributa recusassent. Has enim solas conditiones ab illis exigere datum erat Hebræis; nec alias imperavit Josue Gabaonitis statim ac Chananæos esse intellexit: quæcumque præterea illis injunxit, ea in pœnam fraudis imposuit.

Constituta hæc opinio, his principiis magis magisque confirmatur: *Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos solu regni cupiditate conterere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est* (5)? An igitur iniquitatem hanc seu probare censendus erit Deus, seu præcipere? Quid est profecto quod sibi homines proponunt cum bellum parant, nisi ut pacem quærant, vel restituant, vel turbantes illam coërceant? *Non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur*, ait S. Augustinus (6). *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas; ut liberet Deus a necessitate, & conservet in pace.*

His tamen commode reponitur, aperte nimis exhibere Scripturam discrimen a se constitutum inter bella, quæ cum populis anathemati devotis gerenda erant, & quæ remotioribus gentibus: quo discrimine planissime demonstratur, leges utique varias pro variis hisce expeditionibus Deum constituisse. Nonne idem discrimen ultro & contrariæ sententiæ assertores fatentur, cum agnoscant pervicaciam Chananæorum impedimento illis fuisse, ne offerendis sibi conditionibus proficerent; offerendis, inquam, nisi pervicacius in armis perstitissent? Non hic quæritur quid agendum fuerit, siquidem illi saniora consilia elegissent: id tantum inquiritur, quid re ipsa factum sit; ac utrum lex jubens proponi pacis conditiones gentibus, quibuscum bellum decretum erat, eadem & ad Chananæos pertineret. Nobis contraria sedet opinio; & quæcumque in Moyse & Josue legimus bella, nihil tale unquam illis propositum fuisse indicant: quin potius hostili penitus severitate in illos sævitum, nihil illis veniæ concessum; quæ in aliis bellis non omitterentur. Iniquitas vero, cujus arma in gentes alienas nobisque non noxias illata damnantur, facile cum S. Augustino diluitur (7). *Hoc genus belli sine dubitatione justum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas, & qui novit quid cuique fieri debeat, in quo exercitus non tam author belli, quam minister judicandus est.*

Subdimus modo rationes, quæ inducere poterant Israelitas ad movenda sive in exteras gentes, sive in fratres suos arma. Datum erat illis, ut urbem Israeliticam invaderent, apostasiæ vel Idolorum cultus ream, sive quæ crimen aliquod tueretur, quemadmodum Tribus Beniamin olim abominabile Gabaitarum facinus (8) patrocinata est; vel demum quæ defectionem in regionem induxisset: hæc enim ratio fuit, cur obsideretur Abela (9), quod recepisset Sebam filium Bochri, qui contrarias Davidi partes tuebatur. Fas erat alienos armis impetere ob ulciscendam injuriam Regi illatam, uti cum Rex Ammonitarum media barba præcidit Legatos Davidis (10); sive ut populus, qui jugum Regis excusserat, iterum subderetur, uti cum Rex Moab a Regibus Juda defecit (11); sive ut reciperentur ea, quæ prius Judæorum erant; sive ut occuparetur atque coerceretur hostis, vel ut socius aliquis defenderetur, sive ut hostium fœderatus dissiparetur, vel tandem tyrannus expelleretur. In omnibus hisce expeditionibus ea servanda erant; quæ in Lege hic præscripta sunt: offerendæ pacis conditiones, indicendum bellum, gerendumque latis hic legibus non neglectis. Cum vero Deus ipsa expeditiones imperaret, ipsius erat pariter & conditiones præscribere.

℣. 11. Serviet tibi sub tributo. Ex belli legibus (12) licet subdere tributo devictas gentes, non modo ad reparandos belli sumptus, sed ut pariter victori in posterum securitas præstetur; ita enim victor prævenit defectiones, cum vires adimat hostibus ne cervicem relevent; magisque devictæ regionis possessionem sibi confirmat; ac siquidem nova ille moliatur, facilius atque commodius resistat. Porro tributa illa solvi consueverant sive grega, sive annona. Reges Moab (13) solvebant quotannis Regibus Juda centies millium arietum & totidem ovium tributum. Constat utique, tributi etiam nomine habitum fuisse personale aliquod servitium a populis in Principes suos repensum. Jussi sunt Gabaonitæ aquam & ligna in Domum Æterni (14) comportare. Hiram tributi specie quadam Salomoni cxx. auri talenta solvebat (15). Reliquias Chananæorum & Amorrhæorum, quas subegerat, operam suam præstare coegerat Salomon ædificiis, quæ moliebatur (16).

℣. 12. Oppugnabis eam. Veteri traditione receptum tenent Hebræi Doctores (17), in bello quod Madianitis illatum est, superstite adhuc Moy-

[1] Gemar. ad titul. schebiit c. 2. Vide Selden. de jure nat. & gent. l. 6. c. 13. [2] De jure belli & pac. l. 2. c. 13. [3] 3. Reg. 1x. 2. & 2. Paral. viii. 7. [4] Josue xi. 20. [5] Aug. l. 4. de civ. c. 6. [6] Aug. Ep. 189. ad Bonifac. o. 6. nov. edit. [7] Aug. in Josue q. 10. [8] Jud. xx. [9] 2. Reg. xx. 15. [10] 2. Reg. x. 4. [11] 4. Reg. iii. 5. [12] Grot. de jure belli & pac. l. 3. c. 19. art. 6. [13] 4. Reg. iii. 4. [14] Josue ix. 23. [15] 3. Reg. ix. 15. [16] 2. Par. viii. 8. [17] Maimon. Halac Malac c. 6. & Mos. Cotzi, ex lib. Ziphri, præcept. affirmat. 118.

Moyse (1), urbem Madian non arcta undique obsidione cinctam fuisse, sed ita vallatam, ut pars ejus aliqua libera relinqueretur iis, qui recipere se in tutum voluissent. Id autem, inquiunt illi, deinceps tanquam lege sanctum in urbium obsidionibus mansit. Sed ne vestigium unquam hujus rei in Scriptura deprehendimus.

℣. 14. Absque mulieribus, et infantibus, jumentis. Lata sunt hæc tantum de exteris urbibus, neque e numero earum, quæ anathemati devotæ fuerant. In illis enim vivens quodcumque neci tradebatur ℣. 16. Communes belli leges sanciunt, ne ferrum adhibeatur, nisi in eos, qui ad resistendum armaque ferenda sunt apti. Debilior ætas, & sexus ab ultione victoris homines subducunt. Recensendi sunt inter eos & servi, quod electione careant, & libertate; senes, quod sint imbecilles, nisi forte iis authoribus & susceptum sit bellum, & foveatur. *Cum captivis, & fœminis bellum gerere non soleo*, ajebat Alexander (2): *Armatus sit oportet quem oderim.*

℣. 16. Nullum omnino permittes vivere. Expressius Hebræus (3): *Non vivificabis omne spirans*, vivum non relinques. Quæcumque spirant, omnia trucidabis, viros, fœminas, pueros, bruta. Hujus Legis præcepto censent Rabbini (4) vetitum esse conditiones cum iis agere, qui statim sese non subdidissent. Sed alii (5) malunt, Legem hanc permittere, non præcipere, ut gentes illæ omnes tradantur neci, quæ imperata facere, Idola deserere, atque in proselytos domicilii transire recusarint. Nihil autem legenti Scripturam occurrit, quod postremam hanc expositionem Rabbinorum, atque alia temperamenta, quibus moderantur eas Leges, tueatur. Josephus (6) nulla exceptione illas coercet; nec sane, nisi iniquissimum esset fœminas, & pueros neci tradere, cum interim adultis jam viris venia concediur, admittunturque iisdem conditionibus, quibus hostes Judæorum reliqui, nulli anathemati Dei jussu subjecti.

℣. 17. Hethæum. Nomen Gergesæorum, quod hic exhibent Textus Samaritanus & Septuaginta, in Hebræo non legitur.

℣. 19. Quoniam lignum est, et non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum. Perspicuus est admodum sensus & facilis, atque suffragatores habet Chaldæum, Septuaginta, Josephum (7), Philonem (8), & optimos quosque Interpretes. Eumdem etiam commode admittit Textus Hebræus, ita ferens ad literam (9): *Quoniam homo agri est lignum ad egrediendum coram te in angustiis.* Hæc autem non una ratione exponuntur: Arbores ceu homines auxilio vobis erunt ad urgendam facilius obsidionem; fructus enim suos vobis conferent, & sexcenta alia vobis præstabunt commoda, quæ sine illis frustra desideraretis. Aliter. *Arbor agri est homo*, id est, alit hominem nutritque, ut si arbor deesset, homo non viveret. Eodem sensu Moyses alibi (10) ait, mercedem opifici solutam esse *animam ejus*, vel, ut habet Vulgata, *sustentare animam ejus*. Aliter: Non cædetis arbores fructiferas, quoniam *arbores agri* [arbores sylvestres] *vobis præstabunt materiam ad parandam obsidionem*. Succidite ad arbitrium arbores sylvestres, ideo vobis oblatas, ut obsidentibus vobis sint commodo; sed parcite fructiferis. Posterior hic sensus pronus est maxime; nullumque ego offendi Interpretem, qui satis observarit discrimen inter arborem fructiferam domesticamque, & arborem agri, vel sylvestrem. Hac tamen phrasi utitur sæpe Scriptura, ut steriles arbores significet: e. g. in Isaia LV. 12. legimus, montes & colles ingeminaturos laudes & *ligna regionis* plausura manu. Comparat Ezechiel XXXI. 3. Assyrium immani cedro, quam ait superasse universa ligna regionis. Fatemur equidem, arbores agrorum accipi etiam pro fructiferis: sed cum fructiferis opponuntur, credimus eo nomine designari arbores sylvestres & steriles, in agris crescentes, distinctas plane ab arboribus nemorum, de quibus hic sermo non est. Vulgata & Septuaginta legerunt Hebræum cum interrogatione, quæ vim totam negationis infert.

Authores Hebræi censent, legem hanc porrigi ad ea oportere, quæ bellum gerentibus non officiunt, uti ædificia, frumenta, aquas, & cætera, quorum esse potest usus in bello. Porro id sanctissime celeberrimi plures belli Duces observarunt. Pythagoras succidi vel lædi arbores fructiferas vetat (11). In bellis rite peractis, salva sunt omnia colonis, opificibus & agricolis, qui arma non ferunt, & auxilio sunt plurimo exercitibus. In singularibus quibusdam rerum eventibus mandavit Deus, ut in hostili terra arbores cæderentur, e. g. in bello Moabitico (12): exceptiones vero sunt legibus generalibus additæ, nec Deus ad leges ullas communes redigitur (13). In omnibus his tanquam certum ponitur, hæc omnia in usus hostium Regni non cedere; tunc enim integrum est Dei sive illis uti adversus hostes, sive hostium illorum usibus auferre.

℣. 20. Instrue machinas. Hebræus בנית מצור על העיר. *Ædificabis munitiones adversus urbem*. Vox *Matzur* æque usurpatur de munitionibus Urbis, ac de armamentis, quæ ad illam capiendam urgentur. Porro solemne erat tunc obsidentibus Urbem, ut illam cingerent ducto circum vallo, vel munitione, ut nemini exitus pateret, externæ opes prohiberentur; & clausus in Urbe populus, externorum auxiliorum spe destitutus, & fame vexatus, ad deditionem coactus veniret. Fossæ, muri, aggeres, ductum sudibus vallum, ambitu suo Urbem mediam excipientia, communi nomine *Matzur* appellabantur: hæc autem omnia absque ope arborum agri parari non poterant. Hebræus significaturus Urbem obsessam, *clausam* dicit. Agens Jesus Christus de postrema Urbis Jerosolymæ obsidione, prænunciat (14) futurum ut *circumdent eam inimici ejus vallo, & circumdent eam, & coangustent eam undique*. Vim hujus oraculi totam explevisse Titum, aperte constat ex Josepho (15): tridui enim opere murum circumduxit Urbi, cujus defensioni per data intervalla tredecim munitiones adjecit. Ingens agri spatium viduatum est arboribus, aptam ingentibus illis operibus materiam suppeditantibus. Leguntur in Scriptura historiæ obsidionum Samariæ per Benadad Regem Syriæ (16), ac per Reges Assyriorum (17), obsidiones Jerosolymæ (18), ac Tyri (19) per Nabuchodonosorem. In omnibus hisce obsidionibus fossa & muro ambiebatur Urbs, struebantur aggeres in commodum aggressorum; inter aggeres statuebantur sagittarii, qui ab eversis mœnibus hostes removerent. Hæc obsidionum disciplina adusque postrema sæcula perseveravit.

[1] Num. XXXI. [2] Curt. l. 5. [3] לא תחיה כל נשמה Septuag. Οὐ ζωγρήσετε πᾶν ἐμπνέον. [4] Selden. l. 6. c. 16. de jure nat. & gent. [5] Maimonid. & Micotzi. [6] Joseph. Antiq. l. 4. c. 8. [7] Joseph. Antiq. loco citato. [8] Philo de Creat. [9] כי האדם עץ השדה לבא מפניך במצור [10] Deuter. XXIV. 15. Vide Vat. Malv. Gerard. [11] Ἡμερον φυτὸν, ἐγκαρπον μήτε ἐλαύνειν, μήτε φθείρειν. Apud Jamblic. [12] 4. Reg. III. 19. [13] Vide Grot. de jure belli & pac. l. 3. c. 11. art. 11. & c. 12. art. 2. [14] Luc. XIX. 43. [15] De bello Jud. l. 5. c. 31. [16] 4. Reg. VI. 24. [17] 4. Reg. XVII. 5. [18] 4. Reg. XXV. [19] Ezech. XXVI. 7. 8.

CA-

C A P U T XXI.

Expiatio necis incerto authore patratæ. Leges de connubio cum fœmina in bello captæ: de jure primorum natu: de filio immorigero & nequam: de cadaveribus in patibulo suspensis,

℣. 1. QUando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est ti-
bi, hominis cadaver occisi, & ignorabitur cædis reus, 2. Egredientur
majores natu, & judices tui, & metientur a loco cadaveris singularum
per circuitum spatia civitatum: 3. Et quam viciniorem cæteris esse perspexerint,
seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum, nec ter-
ram scidit vomere: 4. Et ducent eam ad vallem asperam, atque saxosam, quæ num-
quam arata est, nec sementem recepit: & cædent in ea cervices vitulæ: 5. Acce-
dentque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus, ut ministrent ei,
& benedicant in nomine ejus, & ad verbum eorum, omne negotium, & quidquid
mundum, vel immundum est, judicetur. 6. Et venient majores natu civitatis illius
ad interfectum, lavabuntque manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est,
7. Et dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt. 8.
Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti, Domine, & ne reputes sanguinem
innocentem in medio populi tui Israel: Et auferetur ab eis reatus sanguinis: 9. Tu
autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris, quod præcepit
Dominus. 10. Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos
Dominus Deus tuus in manu tua, captivosque duxeris, 11. Et videris in numero
captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, voluerisque habere uxorem, 12.
Introduces eam in domum tuam: quæ radet cæsariem, & circumcidet ungues, 13.
deponet vestem, in qua capta est: sedensque in domo tua, flebit patrem, & matrem
suam uno mense: & postea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, & erit uxor tua.
14. Si autem postea non sederit animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere po-
teris pecunia, nec opprimere per potentiam: quia humiliasti eam. 15. Si habuerit
homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos,
& fuerit filius odiosæ primogenitus, 16. Volueritque substantiam inter filios suos di-
videre: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ;
17. Sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his, quæ habuerit cun-
cta duplicia: iste est enim principium liberorum ejus, & huic debentur primogenita.
18. Si genuerit homo filium contumacem, & protervum, qui non audiat patris, aut
matris imperium, & coercitus obedire contempserit: 19. Apprehendent eum, & du-
cent ad seniores civitatis illius, & portam judicii, 20. Dicentque ad eos: Filius
noster iste protervus, & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessatio-
nibus vacat, & luxuriæ, atque conviviis: 21. Lapidibus eum obruet populus civi-
tatis, & morietur, ut auferatis malum de medio vestri, & universus Israël audiens
pertimescat. 22. Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudi-
catus morti appensus fuerit in patibulo: 23. Non permanebit cadaver ejus in li-
gno, sed in eadem die sepelietur: quia maledictus a Deo est, quod pendet in li-
gno: nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi
in possessionem.

℣. 1. QUANDO INVENTUM FUERIT HOMINIS CADAVER OCCISI. Quæcumque hic sancita sunt de homine neci tradito in agro, exhibent quid tunc de homicidio homines censerent; quis horror ejus criminis; quis timor ne ejus ultio malum a Deo in universam regionem provocaret; & quæ sordes induci censerentur in eam regionem, quæ effuso sanguine polluta esset, nisi expiaretur, vel saltem suso interfectoris sanguine ultio expeteretur. Doctores Hebræi huic axiomati inhærentes, Leges, quæ pœnam inferunt, odiosas esse semper, ac pro viribus restringendas, *Odia sunt restringenda*, censent, ea, quæ hic sanciuntur, proroganda non esse ad hominem, quem aquis mersum vel suspensum, vel in arena sepultum quis detegit; neque cum vicinior urbs Ethnicorum est; tunc enim Ethnicis authoribus commissum crimen reputandum est. Vigioti alia frivola subdunt; quin & subtiles sunt adeo, ut operose disquirant, utrum distantiam locorum dimetiri oporteat a naso, an ab umbilico cadaveris (1).

[1] Selden. de Synedr. l. 3. c. 7.

℣. 2. Egaedientur majores natu, et judicas tui. Quinam Seniorea isti & Judices? Tradit Josephus (1), si post inquisitum diligenter authorem criminis delator appareat nemo, Magistratus proximarum Urbium convenire cum Senatu ad consulendum, quænam inter Urbes illas propinquior habeatur; quæ vero propior censetur, hanc cogi emere vitulam, de qua statim. Sed ex Rabbinorum sententia judicium hujus rei reservabatur Sanhedrio, e cujus consessu quinque Patres missi ad locum sese conferebant, rem totam cum Judicibus proximorum locorum expensuri: illi vero statim lata sententia qua urbem propinquiorem declararent, Jerosolymam revertebantur, peragendæ expiationis cura senatui propinquioris urbis relicta. Sunt qui distinguant Majores natu a Judicibus; priori enim nomine designari ajunt Seniores Urbis, quos Rabbini appellant, *Seniores fori*, quibus nullus erat in judicio locus: Judices autem ii erant, qui pro Tribunali ante Urbis portas sedebant. Maluerim ego tamen utrumque hoc nomen de judicibus vel Senatu proximarum Urbium explicare.

Et metientur, cum etiam aperte constet, quæ urbium maxime propinqua sit, ajunt suo more Rabbini. Tunc mensura adhibenda erat, cum ambiguitas aliqua intercederet. Minora fortasse loca circum jacentia negligebantur, habita solummodo urbium & quidem non minimarum ratione, in quibus suus esset senatus & Judices saltem trea & viginti, inquiunt Hebræi. Si forte apud Turcas homicidium, seu furtum alicubi acciderit, ratio reddenda est ab incolis ejus loci, cur suppetias non tulerint ei, qui eorum auxilio indigebat. Lex illa pendet ex alia mandante ultionem sanguinis exigi. Vide des Breves pag. 252. Hæc parum abludunt ab iis, quæ Moyses hic mandat.

℣. 3. Tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum; trimula non majorem, inquiunt Rabbini. Id autem quandoque servabant Profani, ne victimas, quæ jugum passæ fuissent, offerrent; nondum enim domitæ jugo hostiæ meliores & gratiores Diis censebantur. Rejiciendi victimam apud Ægyptios unam hanc esse causam tradit Chæremon (2), si jugo collum subjecisset, & quodammodo consecrata fuisset labori. Homerus in Odyssæa Γ, v. 382.

Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἦνιν, εὐρυμέτωπον,
Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.
Tibi autem sacrificabo bovem legitimam, lata fronte,
Indomitam, quam nullus sub jugum duxit vir.

℣. 4. Ducent eam ad vallem asperam atque saxosam. Voces Originalis significant æque *Urbem desertam*, vel *accessu difficilem*, vel *torrentem rapidam*; quem posteriorem sensum retinendum maluerim. Hebræum enim *Ethan* nunquam fere usurpatur nisi de loco accessu difficili, uti de cautibus montium (3), aquis rapidis ac violentis (4); & *Nachal* de vallibus & torrentibus accipitur. Porro cadaver vitulæ in profluentem conjectum fuisse videtur, postquam Seniores manus suas super illam lavissent. Ita in primo Iliadis Homericæ libro legimus, scrobem fodi, vel projici in mare consuevisse cadavera victimarum maledictionis, quæ immolatæ sunt onustæ maledictionibus in eos, qui fidem in fœdere obstrictam fregissent.

Quæ nunquam arata est, nec sementem accepit. Nunquam hæc de torrente, sed de agro circa illum, vel de ejus ripa intelligantur. Ducetur vitula in locum torrenti proximum, nulla cultura vel semente exercitatum; vel, juxta recentiores Interpretes (5), ubi nunquam humus arabitur, nec jacietur semen. Locus ubi vitula immolata erit, incultus perpetuo manebit neglectus, tanquam immundus & maledictus.

Et cædent in ea cervices vitulæ. Icta in cervice, & non in gutture, uti pro more consueto victimarum: nervus cervicis præcidebatur; utrum vero & cervix ipsa, ignoro. Ita cum victima illa agebatur, tanquam cum ipso interfectore; translati enim in caput suum criminis pœnas sanguine suo luebat. Jam alibi sæpius animadversum est, illud fuisse potissimum sacrorum cruentorum propositum. Nec aliud facile innuebant Ægyptii (6), cum hostiæ immolandæ cornibus sigillum imprimerent, hominem exhibens in genua, manibus post tergum vinctis, ea corporis habitudine, qua quis lethalem ictum expectaret.

℣. 5. Accedentque Sacerdotes filii Levi. Aderant igitur toti huic cæremoniæ Sacerdotes, Judices, & Senes urbis propinquioris cum populo circumjacentium regionum. Porro totus hic populi concursus & apparatus eo, quo & cætera omnia, spectabat, ut scilicet major homicidii horror ingereretur, & criminis author detegeretur: facile enim ibi præsertim, quo plurium e variis regionibus populorum concursus fit, sermones miscentur; vel alios alii de re gesta interrogant, singuli autem in mentem revocant quæ norunt: ex quo fit, ut ex variis simul collectis circumstantiis color aliquis rei appareat. Affirmat Josephus (7) nullum non lapidem moveri, ut interfector inveniatur; præmiis allici homines, ut ejus indicium aliquod ferant. Addit, Sacerdotes cum Senatu simul eam cæremoniam peragere, & pronunciare verba, quæ infra recitantur. Sed ex doctrina Rabbinorum, Judices lotis super victimam manibus pronunciabant verba ℣. 7. *Manus nostræ non effuderant sanguinem hunc, nec oculi viderunt:* tum accedentes Sacerdotes prosequebantur ea, quæ hic ℣. 8. *Propitius esto populo tuo Israel, Domine.*

Similes quasdam expiationum formulas offendimus apud Veteres. Atheniensium Lex ita hac de re sanciverat (8): *Qui in municipiis desiderantur, quos nemo sustulerit; eos indicet Tribunus cognatis, ut tollant & sepeliant, & populus eo die lustretur, quo die quis desideratus fuerit . . . Quod si post Tribuni denunciationem cognati non sustulerint: Tribunus tollendum cadaver curet & sepeliendum, & lustrandum eo die populum.* Lege constituerat Draco, ut qua die denunciabatur cædes alicujus, ignoto authore, totus populus lustraretur (9).

Ad verbum eorum omne negotium . . . judicetur. Ex hoc Textu intelligimus, quanta esset Sacerdotum authoritas in rebus omnibus tum civilibus, tum criminalibus, iis maxime in quibus judicium de immunditia vel munditia legali ferendum est. Vide quæ disseruimus supra, xvii. 9. 10. 11. 12. Hebræus (10): *Ad os eorum erit omnis disceptatio, & omnis plaga.* Ex eorum sententia judicium feretur. Chaldæus & Codices quidem Septuaginta postremam hanc vocem definiunt ad lepram, de qua judicium ferendum erat a Sacerdotibus: sed præstat generice de vulneribus omnibus & plagis, vel etiam de interfectore intelligere. Authoritatem Sacerdotum pro viribus contrahunt Rabbini, ut latior relinquatur locus fieri prorsus Sanhedrii potestati. Contendunt Tribunalia singularum Urbium sæcularia causas egisse de rebus omnibus qua civilibus qua criminalibus; qua in re nemo illis refragatur: in rebus vero Religionis gravioribus judicium a Sanhedrio expectandum; adeout Sacerdotum authoritas, con-

[1] Joseph. Antiq. l. 4. c. 8. Ita & Abenezra. [2] Δεδαμασμένα, ὡς τὰ κατειργασμένα τοῖς πόνοις. Vide Grot. hic. [3] Vide Num. xxiv. 21. & Prov. xiii. 15. & Jerem. xlix. 10. [4] Psal. lxxiii. 15. Amos v. 24. Exod. xiv. 27. [5] Ita Rabb. & alii plures. Hebræus אשר לא יעבד בו ולא יזרע [6] Plutarch. de Iside. [7] Joseph. Antiq. l. 4. c. 8. [8] Orat. Demosthen. advers. Macartat. [9] Apud Grot. ad ℣. 8. [10] על פיהם יהיה כל ריב וכל נגע

contracta undique, pauca atque levissima Religionis negotia administret. Denique pronunciant, in hac expiationis causa pro nece clam patrata nullas fuisse Sacerdotum partes, nisi ut adessent iis precibus recitandis, quæ hic ℣. 8. leguntur.

℣. 6. Lavabunt manus suas. Hac cæremonia profitebantur, nulla se macula sceleris illius aspergi, seque pœnam ejus in caput victimæ transferre. Lavare manus innocentiæ argumentum erat apud Judæos (1). Forte ut eorum usui, ac moribus deferret Pilatus, pronunciata in Jesum Christum sententia, lavit manus (2), eo indicio designaturus, totam se injustæ damnationis pœnam transfundere in illos; si enim justum morti adjudicavit, id a se concessum scirent ipsorum clamoribus & accusationi. Nihil tale apud Profanos occurrit: illud tantum apud illos obtinuisse scimus, ut lustrarent se vel marina aqua loti, vel suffitu sese purgantes (3). Achilles (4) postquam lustrari Græcos obsidionem Trojæ urgentes jussisset, instrumenta lustrationis illius tanquam immunda in mare projecit. Asterius, teste Timalchida (5), fulmine tactus fuit in pœnam violati contactu manuum non lotarum altaris Jovis.

℣. 7. Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc. Onerant se quodammodo Magistratus culpa malorum, quæ in viis publicis committuntur, si quid forte sinistri Itinerantibus contingat, improvida ipsorum cura, quorum est consulere publicæ securitati, quæ jure gentium imperatur.

℣. 9. Tu autem alienus eris ab innocentis cruore. Apertissimo hoc argumento demonstrabis, abhorrere te ab effusione sanguinis illius innocentis. Hebræus (6): *Et tu extingues sanguinem innocentem de medio tui*. Opprimes vocem hujus sanguinis, quæ alte instrepit auribus Domini. Vide Genesim iv. 10.

Figuram cernere licet in hoc Sacrificio pro interfectore occulto, figuram, inquam, Jesu Christi, divinæ & purissimæ illius hostiæ, quæ nunquam jugum peccati passa est, quæque nihilominus mortem oppetiit pro crimine, quod non solum ab ea penitus est alienum, quippe quæ ne minima quidem culpa peccati tangi potuit; sed & iis ipsis utcumque alienum, pro quibus obiit: cum primum mortalium parentis crimen in universam ejus posteritatem ita transfusum sit, ut omnes licet macula ejus fœdentur, reipsa tamen nemo se ejus authorem & conscium sentiat.

℣. 10. Si egressus fueris ad pugnam. Quos vero in hostes? Non quidem gentes, quas Deus perii bello jusserat, ac penitus nulla veniæ spe destrui, inquiunt Rabbini, & Commentariorum Scriptores plerique: ejusmodi enim in bellis parcere fœminis, easque uxores ducere, etiam mutata Religione, vetitum erat. Idem autem fas erat, cum bella susciperentur spontanea, & a Deo nulla lege imperata. Rationes sententiæ huic faventes & contrarias præcedenti capite exposuimus. Persuasum habemus, mulieres illas, siquidem religionem mutassent, cujuscumque tandem essent regionis, in conjuges adsciscere omnibus licuisse. Quare hæc lex exceptio est addita legibus, quæ connubia cum alienigenis fœminis vetant (7); sicut & alteri jubenti mulieres omnes Chananæas neci tradi (8): quæ quidem lex in iis fœminis implebatur, nisi ejurata religione sua ad Judæos transissent, uti cum Rahab servatum est.

℣. 11. Et videris in numero captivorum mulierem pulchram. Sive virginem sive nuptam mulierem illam fas erat militi Israelitico eam ducere uxorem (9), cum primum ejus connubium ceu solutum reputaretur voluntate Victoris, in cujus illa potestatem transierat. Hæc autem omnia indulgentia quadam pervivaci animo Judæorum permissa sunt; hujus enim rei injustitiam vel ipsi pariter Rabbini utcumque cognoscunt, cum mulieres in bello capere perinde habeant ac furtum (10). Sed alii certant plane immerito, nullum esse verum connubium inter Paganos; quare Ethnici uxorem sibi adsciscere citra adulterium licere.

Et adamaveris eam. Honesto hoc verborum involucro celari credunt Judæi actionem, quam revelari apertius non patitur pudor (11). Libertatem hanc tolerat lex; seu potius, cum mentem suam in ea re non exprimat Legislator, mos & traditio Judæorum id dandum censuit ardori primo victorum. Sed & ipsæ pariter Ethnicæ gentes, vel saltem inter illas sapientissimæ quæque alte id improbarunt damnaruntque, uti exemplis nonnullis celeberrimorum Ducum productis Grotius demonstrat (12). Scitum est inter omnes, quanta cautione erga captivas suas Alexander magnus sese gesserit. Tradit Plutarchus, exilio proscripsisse Romanos Torquatum quemdam, reum violatæ puellæ in bello captæ. Soli duro corde Judæi id committere poterant, ut toleraretur apud illos injustum adeo & probrosum scelus, cujus crimen sola ratio nullo etiam illustrata religionis lumine demonstrare valuisset.

℣. 12. Radet cæsariem, uti solet in luctibus. Moris erat, ut in luctibus viri cæsariem barbamque promissam gererent, tonderentur fœminæ, eo se præcipuo ornamento spoliantes (13). In luctibus contraria omnia servantur iis, quæ in prosperis rebus obtinent. Relinquunt fœminæ ea, quibus antea maxime ornari affectabant. Minitantur sæpe Prophetæ (14) futurum, ut nationes ad calvitium redigantur: *In cunctis capitibus calvitium*.

Circumcidat ungues. Hebræus & Interpretum plerique ajunt, Textum originalem ferentem ad literam ועשתה את צפרניה, *Faciet sibi ungues*, significare: Intonsos ungues gerere, eo indicio plus doloris, ac neglectus eorum, quæ amorem sibi concilient, demonstrans. Constat, inquiunt illi, ungues gerere non reformatos rusticitatis esse indicium & cultus pene neglecti, uti sexcentis Græcorum & Latinorum vetustis exemplis probatur (15).

Nos tamen malumus cum Septuaginta (16), Vulgata, Philone (17), Origene (18), S. Clemente Alexandrino (19), S. Hieronymo (20) aliisque tum Veteribus, tum Recentioribus (21) fateri, imperatum hic a lege, ut fœminæ ungues sibi

(1) Vide Psal. xxv. 6 & lxxii. 13. 14. (2) Matth. xxvii. 24. (3) Theocrit. Idyl.
(4) Homer. Iliad. A.
Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον.
(5) Natal. Mythol. lib. 1. cap. 10. & 14.
Χερσὶν ἀνίπτοισι ῥέξας Διὸς ὄψατο βωμὸν
Τοὔνεκα μὶν πυρόεντι πατὴρ κατέφλεξε κεραυνῷ.
(6) ואתה תבער הדם הנקי מקרבך (7) Exod. xxxiv. 15. Deut. vi. 16. (8) Deut. xx. 16. 17.
(9) Joseph. lib. 4. c. 8. Antiq. 312 & Rabb. (10) Gemar. Babyl. ad tit. Sanhedrin. c. 7. (11) Talmud. Mos. Gerund. Maimonid. alii omnes apud Grot. *Primum congressum indulget licentia militari, ac juri victoriæ, si forte ea satiatus abstineat se ab ea Hebræus: secundum congressum non permittit, nisi solemniter conjux facta sit*. Vide & Selden. lib. 5. c. 13. de jure nat. & gent. (12) Lib. 3. de jure belli & pac. c. 4. art. 19.
(13) Vide Bonfr. hic. (14) Isai. xv. 23. xxii. 12. Jerem. xlvii. 5. xlviii. 37. Ezech. vii. 18. xxvii. 31. Amos viii. 10. Mich. i. 16. (15) Theophrast. Περὶ δυσχερείας. δυσχερὴς τοιοῦτός τις ἐστὶ . . . τοὺς ὄνυχας μεγάλους φορῶν. Horat. . . . . *Vacuum tonsoris in umbra*, *Purgantem leniter ungues*.
(16) Περιονυχιεῖς αὐτήν. (17) Philo, lib. Περὶ φιλανθρωπίας. Περιελεῖν ὄνυχας. (18) Homil. 7. in Levit. (19) Clem. Alex. lib. 1. Strom. & lib 2. (20) Hieron. ad Damas. lib. 4. pag. 103, nov. edit. (21) Vatab. Oleast. Cajet. Pagnin. Syr. Bonfr. Rab. Eliezer in Talmud &c.

sibi præcidant, quod tunc doloris ritus esset & significatio. In hunc sensum Hebræa phrasis nos deducit; *facere* enim sibi ungues prono sensu significat ungues sibi præcidere, uti facere sibi barbam & comam est crines & barbam radere. Ita legimus (1) de Miphibosetho: *Et non feceram mustacem*, seu *barbam suam*, toto eo tempore, quo David Jerosolyma exulavit; idest, pro consueto more barbam non raserat. Porro vetustis illis hominibus alia, ac nostris hodie, placebant. Pulchrum erat illis & elegans, idemque augere studebant, quod nos hodie deridiculo traducimus, aptumque deformando homini reputamus. Fœminæ Americanæ prolixos ungues amant, nobilitatis apud illas & venustatis indicium. Apud Sinas magnis unguibus distinguitur sinistra manus; eos vero in luctu cædunt (2). Ibi autem soli inter omnes viri amplissimi ungues nutriunt; ac tandem fœminarum ungues purpureo colore tingere non uno in loco per Orientem obtinet. Mauritanis (3) nitidi dentes, & ungues grandiores placebant. Cur igitur & Moysis ætate elegantiæ, & cultus portio esse non potuerint ungues, & cæsaries promissa? in his enim omnibus usus, & hominum opinio valet. Porro usus grandiores ungues gerendi duobus ab hinc seculis Europæos etiam non latuit. Ex Horatio discimus Romanos grandes ungulas gessisse; ita enim de homine in officina tonsoria agente scribit: *purgantem leniter ungues*. Inter cadavera occisorum juxta Nancium, Ducem Burgundiæ cognitum fuisse tradunt Historici (4) ex grandibus, quos ferebat, unguibus, & majoribus quam alius quisquam tum in ejus aula, tum alibi. Olim in maritimis itineribus (5) id servabatur, ut ne quis sibi ungues, vel cæsariem nisi urgente tempestate, cæderet; tunc enim indicium illud doloris assumebatur (6).

Huic fluctus vivo radicitus abstulit ungues.

In connubiis illis celebrandis hosce ritus servatos esse, ex Judæis Doctoribus discimus (7). Si fœmina captiva inter Proselytos justitiæ nomen dare, & ad Judaica Sacra transire voluisset, primum omnium baptismate tingebatur; tum mensis saltem spatio permittebatur luctum agere necessariorum suorum, quos deserebat, & quos forte in bello amiserat. Eo evoluto tempore, duo saltem menses addebantur libertatis ante connubium, ut scilicet, inquiunt Doctores, agnosci posset quo parente editus esset fœtus, qui forte post connubium nasceretur, utrum ex priore viro, an ex Israelita. Si vero inter Proselytos domicilii admitti tantum postulabat, ut ejurata Idololatria, subderet se tantum juri naturali; tunc nefas erat domino, sive illam ducere in conjugem, sive interficere, seu captivæ loco sibi retinere: manumittenda erat in pœnam injuriæ corpori illius illatæ post victoriam: *Quia humiliasti eam*. Si tandem mulier illa pervicacius resisteret, nolens jungi seu Proselytis justitiæ, seu domicilii, ac post anni spatium concessum sibi ad deliberandum a cœpto consilio minime recessisset, nulla spe veniæ interficiebatur. At sanctiones istæ omnes ne tenui quidem vestigio apparent sive apud Moysem, sive apud Veteres Judæos Scriptores, sed tantum Rabbinis Authoribus asseruntur: quare fidei sunt incertissimæ.

℣. 14. Nec opprimere per potentiam, quia humiliasti eam. Animadvertimus jam, dictum hoc exponere Hebræos de iis, quæ a victore gravia inferebantur mulieri captivæ, antequam cæsariem, & ungues illa sibi præcideret: nobis tamen explicandum videtur de iis, quæ hanc luctus cæremoniam consequuntur. Si militem acceptæ in uxorem fœminæ pœnituerit, nullo servato ritu eam dimittere permittitur; sed liberam illam remittat oportet, nec audeat potentia sua miseram opprimere, postquam voluptatem suam in illa explevit: manumittenda est, veluti in præmium injuriæ ipsi illatæ. Nullo majori argumento discimus quam imbecilli essent virtute Israelitæ, quam ex data ipsis libertate assumendi, & ad arbitrium dimittendi fœminam in bello captam. Id autem concessit Moyses, ut majus malum evitaret, sævitiem nempe, qua neci misera tradi potuisset, & intemperantiam, qua libidinem suam brutales homines explevissent.

℣. 15. Si habuerit homo uxores duas. Polygamiam nullibi quidem Moyses permittit, sed non uno in loco tolerare se illam significat. Mos, Patriarcharum exemplum, Legis tolerantia, & feritas Judæorum id tunc excusabat, quod in Lege Evangelica tanquam repugnans primæ connubii institutioni, & consilio Dei Creatoris, abrogatum est.

℣. 16. Volueritque substantiam inter filios suos dividere. Adempta hisce videtur libertas decernendi de bonis suis in favorem filii, quem inter cæteros maxime dilexerint. Constituit enim, ut qui major est natu, fruatur omnibus juri primoris natu conjunctis prærogativis, tunc etiam cum patris affectus in alios filios e matre inter cæteras uxores charissima natos ferretur. Id cautionis adhibendum sibi censuit, ut præveniret dissidia in familia ex pluribus uxoribus collecta; certatim enim singulæ illæ uxores conantur in suas partes trahere patrem familias, ut filio suo præ ceteris faveat: qua in re nihil intentatum relinquunt, quod dictet seu dolus malus, seu malum æmulationis in æquales mulieres studium. Legimus in Scriptura, Jacobum primoris natu prærogativas omnes contulisse in Josephum, quamquam multis fratribus ætate minorem (8). David Regni successorem Salomonem designavit (9), quamquam Adonia fratre suo minorem. Sed Jacob vivebat ante legem; & Salomoni successionem Deus ipse decreverat. Quare generali legum sanctioni exemplis hisce nihil officitur. In hoc argumentum plura docent Hebræi (10) Doctores, quæ hic præteriisse pigeret. Nefas est patri, cum bene valet, hæreditate privare quemquam ex filiis suis vel legitimis hæredibus, nisi post latam Judicis sententiam. Si vero morbo periclitetur, supremæ voluntatis suæ etiam non scripta declaratio vim habet legis, dummodo tamen hæredem instituat aliquem, cui legis sanctio non obsistat; si enim elegerit e. g. hominem non Israelitam, irritum est Testamentum. Porro supremæ illæ tabulæ, quemadmodum & judicialia omnia, per diem condendæ erant; quam in rem laudant illud Ecclesiastici XXXIII. 24. *In die consummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui, distribue hæreditatem tuam.* Docent insuper, patrem adhuc superstitem, ægrotum vel sanum, potiri jure distribuendi bona sua largiendique pro arbitrio, atque ita privandi filios hæreditate; integrum pariter esse illi muneris nomine successionem in unum ex filiis devolvere, cæteris fratribus exclusis. Tunc vero hæres debitas fratribus suis portiones non retinet, nisi jure quodam tutoris, a quo proinde necessaria fratribus suppeditanda sunt: anno autem Jubilæo bona illa ad fratres suos vel ad hæredes redire.

Legitur in Libro, *Bereschit Rabba*, posteros Ismaelis litem indixisse Israelitis coram Alexandro Ma-

(1) 2. Reg. XIX. 24 ולא עשה שפמו (2) Hist. Sinic. lib. 3. cap. 1. (3) Strabo l. 17. p. 785. (4) Chroniq. de Louis XI. pag. 316. (5) Petron. Satyr. *Audio non licere cuiquam mortalium in nave neque ungues, neque capillos deponere, nisi cum Pelago ventus irascitur.* (6) Propert. l. 3. (7) Vide Selden. de jure nat. & gent. l. 5. c. 13. Vide Schikard. jus Reg. cap. 5. Theor. 17. (8) Gen. XLIX. 25. & 1. Par. v. 2. Primogenita reputata sunt Joseph. (9) 3. Reg. 1. 17. 18. (10) Selden de success. in bona cap. 24. Vide & Grot. hic.

Magno, repetentes portionem sibi debitam tanquam hæredibus Ismaelis, Abrahami primogeniti. Sed Israelitarum patronum demonstrasse, juris esse patrisfamilias e bonis suis ad arbitrium voluntatis decernere: Abrahamum declarasse Isaacum legitimum hæredem suum, cum muneribus tantum aliquibus concubinas donasset; quare immerito queri Ismaelitas. Tota hæc tamen veteris jurisprudentiæ œconomia, a Rabbinis exposita, in iis, quæ de Testamentis & successionibus hæreditariis sunt, sanctioni Mosaicæ hic narratæ palam repugnare mihi videtur.

℣. 17. Dabit ei de his, quæ habuerit, cuncta duplicia. Quæ potissima sunt primorum natu privilegia, antequam in Lege determinarentur, moribus & consuetudine recepta fuisse censemus. Studium, quo Jacob jus primogeniti, fratri Esau ex nascendi ordine debitum, usurpare conabatur, satis demonstrat, non minimi olim jus illud fuisse æstimatum. Attigimus jam in Exodo, quæ potissimum essent ea privilegia; tum & demonstravimus, ea, quæ de Sacerdotio primoribus natu collato ferunt, difficultate non carere. Post Moysem, jus Primogeniti in hoc versabatur (1). Duplicem hæreditatis portionem inter cæteros fratres obtinebat, id est, duplum quam singuli. Si pater e. gr. sex filios reliquisset, totum as hæreditarium in septem æquales portiones distribuebatur, e quibus duæ cedebant primogenito, reliquæ vero singulæ singulis fratribus. Si major natu decessisset liberis relictis, jus illud in filios & hæredes transibat. Filiabus privilegium illud commune non erat, licet fratres vel sorores ætate superarent. Porro duplici hæreditatis portione auctus idcirco fertur primogenitus, quod cogeretur sumptus majores in Sacrificia & convivia solemnia erogare (2).

E bonis maternis nihil jure primogeniti debebatur uni præ alteris; neque ex iis, quæ pater decedens adhuc non possedisset. Quod patri post obitum obtingere potuisset, distribuebatur ex æquo inter omnes hæredes; ita enim in Lege sancitum est: *Dabit ei de his, quæ habuerit, cuncta duplicia.* Sicut autem duplici portione donabatur, ita & onerabatur duplo majoribus oneribus ac debitis, ut volunt Rabbini quidam; neque enim in ea re satis illi conveniunt. Credita patris quamquam immobili pignore firmata, vulgo *hypothecata*, non tamen inter ea censentur, quæ actu possidet; neque navis adhuc in mari fluctuans; sed pignora & pecunia ex pignore soluta inter ea censentur, quorum duplex portio primogenito debebatur. Hæc Rabbinorum doctrina.

Scriptores Commentariorum quidam ajunt, primogenito duplum tribuendum fuisse e tota hæreditate, adeout totum as in duas æquas partes divideretur, quarum una cederet primogenito, reliqua inter fratres, quotquot illi essent, distribueretur. Sed narrata primo loco sententia communiori suffragio probatur. Jus idem primoris natu spectasse creditur Elisæus, cum sibi postulavit ab Elia *duplicem spiritum* ejus (3). Cum enim ille maximus esset inter discipulos ejus Prophetæ, atque inter spiritales ejus filios primus, optabat sibi a patre suo duplicem supra cæteros fratres hæreditatis portionem; spiritus Prophetiæ duplum præ cæteris filiis Prophetarum.

Principium liberorum, Hebræis: ראשית אונו, *Principum roboris ejus*; juventæ ipsius primus conatus. Vide Genesim XLIX. 3.

℣. 18. Si genuerit homo filium contumacem. Docent Hebræi (4), pueros impares esse injuriæ in Deum inferendæ, neque legis præcepto submitti, nisi cum tredecim annorum ætatem egerint. Tunc illos appellant *filios præceptorum* בר מצוה, quorum jussionibus si repugnaverint, pœnas divinas pariter & humanas in Lege præscriptas incurrant. Si quid vero mali ante illam ætatem patratum sit, totum patri imputatur, ejusque pœnam pater luit. Cum igitur adolescens aliquis ætatem illam agit, pater coacto cœtu decem Judæorum, palam explicat, filium suum legitimam ætatem explevisse; se vero non defuisse muneri suo, instituendi nempe illum in Legis præceptis & moribus populi sui; callere illum formulam benedictionum, & precum quotidianarum: se proinde asserere illum in libertatem, neque in posterum se reum periculo suo futurum criminum a filio patrandorum. Tum brevem orationem recitat, agens Deo grates, quod ejus munere solutus sit a peccatis filii sui, rogatque, ut suo favore filium prosequatur, quo ille diu in exercitio bonorum operum Deo serviat. Juvat hæc non ignorare, ut intelligantur explicationes, quas Legi hic latæ assignant Rabbini.

℣. 19. Ducent ad seniores. Seniorum nomen de Judicibus Hebræi interpretantur. Majorum Urbium duo erant tribunalia, alterum e tribus Judicibus; alterum e tribus & viginti. Filius contumax statuebatur primo coram tribus, quorum sententia flagris damnabatur. Si ad crimen rediisset, producebatur coram viginti tribus Judicibus, a quibus lapidum supplicio multabatur. Porro ab utroque parente filium exhiberi Moyses voluit. Unus sine altero facile iniquo animi æstu eo adigi posset (5); sed uterque ut conspirent pravitate quadam animi in necem filii sui, vix fieri potest.

Temperamentis pro more suo admotis, severitatem hujus legis moderari Rabbini studuerunt (6). Negant, ea lege comprehendi puellas, orphanos, & pueros ætate tredecim annorum minores. Cæteros nonnisi spatio trium mensium illi submitti ajunt. Opus esse, ut reus de crimine antea moneatur, concesso etiam tempore resipiscendi. Lapidum supplicio non subdi, si immorigerum avo, vel aviæ tantum sese præbeat. Inepta omnia, quæ in hanc legem excogitarunt, referre hic piget. Docet Josephus (7), parentes filii contumacis manum suam reo imposuisse, tum vero præsentes omnes in lapides ruisse. Nec ea de re sententiam Judicis opperiri necesse erat. Veteres Græcorum Leges, quæ parentibus jus sanguinis dabant in filios, libertatem hanc nulla cautione coercebant; neque enim quidquam humanius aut æquius excogitari posse censuerunt, quam patris in filii errores animadversionem (8).

Jam alibi animadvertimus, nullam in parricidas legem a Moyse latam fuisse; sed quanta severitate crimen illud puniturus fuisset, inde argumentum capere licet, quod tam gravia statuat in filios pervicaces supplicia. Veteres Romanorum Leges (9) jubebant aquis mergi parricidas culeo insutos; sed successu temporis huic supplicio gravius aliquid accessit. Lege Pompeja (10) imperabatur, ut parricidæ prius lacerati *virgis sanguineis*, quæ scilicet aculei armabantur, insuerentur culeo una cum cane, simia, gallo, & vipera. Ita vero clausi imponebantur plaustro a bobus atris vecto, tum in mare, vel in profluentem, juxta

(1) Selden. de success. in bona c. 5. 6. & 8. (2) Grot. hic. (3) 4. Reg. 11. 9. (4) Buxtorf. Synagog. Jud. cap. 3. (5) Theodoret. qu. 20. in Deut. (6) Vide Selden. de Synedr. & Grot. (7) Joseph. Antiq. l. 16. c. 17. (8) Sopater apud Grot. Ὁ νόμος τοῦτο εἰδὼς ὡς εἰκότως οὐ γένοιτ' ἂν δικαστὴς ὁ πατὴρ, τοῦτο προστάττει. (9) Cicero, l. 2. de Inventione. *Si quis parentes occiderit, aut verberaverit, ei damnato obvolvatur os folliculo lupino, solea lignea pedibus inducantur, & in carcerem ducatur, ibi sit tantisper, dum paretur culeus, in quem conjectus, in flumen præcipitetur.* (10) Lex Pompei. Justinian. tit. de public. judic. §. Alia deinde. *Si confessus fuerit, virgis sanguineis verberetur, deinde culeo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, vipera & simia, deinde in mare profundum culeus jactetur.*

juxta locorum situm, projiciebantur. Innuere videtur Salomon (1), filios, parentibus injurios, suspendi palo vel cruci, atque ibi in cibum avium relinqui: *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.*

℣. 22. Et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo. In patibulum agebatur, utrum ut eo supplicio perimeretur, an post mortem, ad ludibrium, quæ Rabbinorum est sententia? Late hoc expenditur in Dissertatione de suppliciis veterum Hebræorum.

℣. 23. Non permanebit cadaver ejus in ligno, sed eadem die sepelietur; quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno. Id plerumque servabatur, ne ultra diem negligerentur suspensa sive patibulo sive cruci reorum cadavera; perinde enim illa habebantur atque abominandum aliquid oculis Dei, quo tota late regio contaminaretur: quare statim subditur: *Nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem*. Ea insidebat menti populi illius idea, aspectu scilicet mortui corporis domum, urbem, regionem vitiari; quare id solicite curabant, ut telluri actutum mandaretur. Vitium illud appellatur *Maledictio Dei*, קללת אלהים תלוי quasi scilicet res esset in immensum odiosa, abominatio, quæ nulla verborum vi exprimitur. Usurpari solet Urbs magna coram Deo, homo nequam coram Domino, puer coram Deo pulcher, crimen quod horrori est coram Domino; quibus phrasibus significatur magnum aliquid, iniquitas & pulchritudo insignis, & consueto major. Eodem sensu legimus in Scriptura, repudiatam fœminam horrori esse coram Domino, ut exprimatur, illam a marito, qui eamdem repudiavit, perinde esse respiciendam atque objectum aliquod horroris & abominationis. Sunt qui dictum ita exponant: Non relinquentur corpora reorum in cruce; illud enim hominum genus horrori est coram Deo. Huic supplicio subdebantur insigniter scelesti, blasphemi, & Idololatræ, inquiunt Rabbini (2). Nullæ preces fundebantur pro iis, qui in cruce suspensi relinquebantur; vel saltem nullæ pro iis preces palam & in Synagoga, quæ tamen defunctis cæteris indulgebantur, spatio undecim mensium ab eorum decessu. Removeatur ab oculis summæ majestatis spectaculum hoc odiosum & abominabile. Hunc sensum prætulit Chaldæus: *Non manebit cadaver ejus in patibulo, sed sepelies eum in die illa, quia pro eo quod peccavit coram Deo, suspensus est*. Eumdem & Syriacus: *Nam qui blasphemaverit Deum, suspendetur*. Symmachus (3), & Arabs: *Sepeli eum in eadem die, eo quod blasphemaverit contra Deum.*

Alii exponunt de genere mortis ac de ipso eodem supplicio, quod abominandum est maxime ac nunquam satis detestandum. Eadem ipsa die cadaver hoc sepulturæ mandetur; id enim supplicii genus abominabile est coram Deo; mors est infamis & ignominiosa. Cave ne illa peremptus reus ultra diem maneat super terram, ne aspectu illius diutius regio tota contaminetur (4): removeatur statim ab oculis hominum, fugiat ab aspectu æque & a mente.

Contrariam interpretationem alii sequuntur (5): Ne homo ad imaginem Dei formatus diu in tanta ignominia relinquatur; ejus enim probrum & nota in Deum ipsum quodammodo recidit: horret ille hoc spectaculum, nec permittit miseri hominis cadaveri insultari; satis enim ille tantæ ignominiæ pœnam subiit. Ne contaminetur terra, relicto cadavere insepulto; ne eius corruptio fluat in terram; quæ miseratione quadam illius tangitur. Arguens Homerus inhumanitatem Achillis, raptantis post currum suum interfecti Hectoris cadaver, scribit (6) illum ea raptatione insultasse telluri.

Tandem eruditi quidam Interpretes (7) planius exponunt: Ne miseri corpus ultra diem relinquatur in patibulo; supplicio enim suo Deo & Legi satisfecit: ne ultio urgeatur adhuc, ne privetur honore sepulturæ, Homo ille, seu potius cadaver, *maledictio Dei*, idest indignationis & maledictionis illius pœnam tulit: ita habendus est tanquam victima, severitati & justitiæ illius immolata; parcendum igitur est illi, & miseratione aliqua excipiendus: *Res sacra miser.*

Inter gravissimas curas hanc semper potissimam habuerunt Hebræi, ut mortuorum sepulturam curarent, quo honore nec ipsos pariter scelestos sui ipsorum interfectores privabant (8). Solemne erat Ægyptiis & Phœnicibus cadavera in cruce relinquere, ut in saniem fluerent: quam inhumanitatem lex Dei detestatur. Occultum alium sensum hujus Textus revelavit Apostolus (9), ipsum referens ad probrosum illud supplicium, quo Jesus Christus sublatus est: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Fidem Septuaginta secutus est Apostolus in hac sententia recitanda, addens, *omnis* & *ligno*, quæ duo in Hebræo non leguntur: sed in eo discrepat ab Hebræo & Septuaginta, quod omittit *a Deo*, quæ verba in utroque illo Textu recurrunt. Serviendum non censuit verbis, sed Scripturæ sensum retinuit, quemadmodum sæpe ab illo servatum fuisse animadvertit S. Hieronym. (10). Idem sanctus Interpres post Tertullianum (11) observat, in Lege diris non devoveri indiscriminatim omnes qui pendent in patibulo, sed qui eo supplicii genere criminum suorum pœnam luunt. Cum autem Jesus Christus supplicium pateretur, non ut crimina sua expiaret, neque enim crimini obnoxius erat, sed sponte se huic submiserit, ut & nos periculo liberaret, & justitiæ Patris sui satisfaceret; jure meritoque reputamus, eodem tempore, quo sese patri exhibere voluit tanquam maledictorum illius scopum, reipsa tamen carum fuisse & dilectum patri suo caput, Servatorem; & benedictionem populorum; Mediatorem, qui nos restituit reconciliatque, promerens nobis gratiam adoptionis. Ut Deum merito criminum & patris nostri & nostrorum nobis iratum placaret, Jesus Christus sanguinem suum in cruce effudit; quare ejus mors extinctio est mortis, ac peccati abolitio, & sacrificium quo Deo litatum est. *Injuria Domini nostra gloria est; ille mortuus est ut nos viveremus*. Tandem maledictum illud, quod in se assumpsit sponte Dei Filius, benedictionum omnium, quibus Deus terram nostram irrigavit, fons est & origo.

Docent Rabbini animas eorum, quorum corpora exhumata jacent, excludi e loco, ubi cæterorum animæ degunt, sed vagari illas erratico more in terras quoadusque corpora sepultura non donentur. Hæc pariter opinio apud Græcos, Romanosque cernitur.

Nec ripas datur horrendas, & rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quiescant

C A-

(1) Prov. xxx. 17. (2) Hebr. apud Munst. Fag. Grot. (3) Apud Hieron. in Epist. ad Galat. cap. III. ℣. 13. (4) Est. Bonfr. Munst. Jansen. (5) Tostat. Menoch. Hieron. in Epist. ad Galat. III. 13. *Hæc verba, (hunc locum quem nunc expendimus) Ebion ille Hæresiarches semichristianus & semijudæus ita interpretatus est: Ὅτι ὕβρις Θεοῦ ὁ κρεμάμενος, idest, quia injuria Dei est suspensus. Memini me in altercatione Jasonis & Papisci, quæ Græco sermone conscripta est, ita reperisse: Λοιδορία Θεοῦ ὁ κρεμάμενος, idest, maledictio Dei qui appensus est.* (6) Homer. Iliad. 24. Κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων. (7) Vat. Malv. Grot. Lyr. (8) Joseph. de bello l. 3. c. 25. (9) Galat. III. 13. (10) Hieron. in Ep. ad Galat. l. 2. (11) Tertull. advers. Judæos c. 10.

CAPUT XXII.

Dilectio proximi : reducendum illi vel restituendum quidquid amisit vel ab eo aberravit; Ne vestes mutentur ad personam celandam . Cautio ne capiatur mater cum pullis in nido ; ne tectum sine lorica relinquatur ; ne feratur in vinea ; ne ad arandum bos asino jungatur ; ne vestes e lana simul & lino contextæ gerantur . Sanctio ferendi ansulas ad quatuor pallii latera . Quid agendum , cum maritus vitiatum uxorem suam sese deprehendisse affirmat . Pœna mortis in adulteros : varia animadvertendi ratio in eos, qui oppigneratam vel non oppigneratam puellam in urbe seu in agro oppresserint .

℣. 1. NON videbis bovem fratris tui , aut ovem errantem , & præteribis : sed reduces fratri tuo. 2. Etiamsi non est propinquus frater tuus , nec nosti eum , duces in domum tuam , & erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat. 3. Similiter facies de asino , & de vestimento , & de omni re fratris tui, quæ perierit : si inveneris eam , ne negligas quasi alienam. 4. Si videris asinum fratris tui, aut bovem cecidisse in via, non despicies , sed sublevabis cum eo. 5. Non induetur mulier veste virili , nec vir utetur veste fœminea : abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc. 6. Si ambulans per viam, in arbore , vel in terra nidum avis inveneris , & matrem pullis , vel ovis desuper incubantem : non tenebis eam cum filiis: 7. Sed abire patieris, captos tenens filios : ut bene sit tibi , & longo vivas tempore . 8. Cum ædificaveris domum novam , facies murum tecti per circuitum : ne effundatur sanguis in domo tua , & sis reus labente alio , & in præceps ruente . 9. Non feres vineam tuam altero semine : ne & sementis quam sevisti , & quæ nascuntur ex vinea , pariter sanctificentur . 10. Non arabis in bove simul, & asino. 11. Non indueris vestimento , quod ex lana, linoque contextum est. 12. Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris. 13. Si duxerit vir uxorem, & postea odio habuerit eam, 14. Quæsieritque occasiones , quibus dimittat eam , objiciens ei nomen pessimum , & dixerit : Uxorem hanc accepi , & ingressus ad eam non inveni virginem: 15. Tollent eam pater, & mater ejus, & ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis , qui in porta sunt: 16. Et dicet pater : Filiam meam dedi huic uxorem : quam quia odit, 17. Imponit ei nomen pessimum , ut dicat : Non inveni filiam tuam virginem , & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ . Expandet vestimentum coram senioribus civitatis: 18. Apprehendentque senes urbis illius virum, & verberabunt illum, 19. Condemnantes insuper centum siclis argenti , quos dabit patri puellæ: quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel : habebitque eam uxorem , & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ. 20. Quod si verum est, quod objicit , & non est in puella inventa virginitas: 21. Ejicient eam extra fores domus patris sui , & lapidibus obruent viri civitatis illius , & morietur : quoniam fecit nefas in Israel , ut fornicaretur in domo patris sui: & auferes malum de medio tui. 22. Si dormierit vir cum uxore alterius , uterque morietur, ideft, adulter , & adultera . Et auferes malum de Israel . 23. Si puellam virginem desponderit vir , & invenerit eam aliquis in civitate , & concubuerit cum ea , 24. Educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur : puella , quia non clamavit, cum esset in civitate : vir , quia humiliavit uxorem proximi sui . Et auferes malum de medio tui, 25. Sin autem in agro repererit vir puellam , quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea , ipse morietur solus . 26. Puella nihil patietur, nec est rea mortis : quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum , & occidit animam ejus, ita & puella perpessa est. 27. Sola erat in agro : clamavit, & nullus affuit , qui liberaret eam . 28. Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum ; & apprehendens concubuerit cum illa , & res ad judicium venerit : 29. Dabit , qui dormivit cum ea , patri puellæ quinquaginta siclos argenti , & habebit eam uxorem , quia humiliavit illam : non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. 30. Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum ejus.

℣. 1.

℣. 1. BOVEM FRATRIS TUI. Nomine *bovis*, quod hic exempli gratia adductum est, censetur gregis genus omne, & quæcumque demum ad alterum pertinere possunt, uti ℣. 3. designatur. Ita pariter nomine fratris omnes quotquot sunt status hominum comprehenduntur; necessarius, civis, exterus, homo quicumque, & ipse pariter adversarius; uti infra, ℣. 2. & in Textu parallelo Exodi XXIII. 4. exponitur, atque uti Jesus Christus per se declarat *Luc.* x. 30. *& seqq.*

ET PRÆTERIBIS. Hebræus והתעלמת מהם *Non abscondes te ab eis*, ne videas. Non dissimulabis, non te geres perinde ac homo, qui negligit, & non curat: reduces illa ad dominum suum.

℣. 2. ETIAMSI NON EST PROPINQUUS. ואם לא קרוב אחיך. Id commode exponitur de loci vel sanguinis propinquitate: licet vir ille ædibus tibi non esset propinquus, sed loci remotioris incola, ne tamen desueris, quin apud te reducas aberrantem ovem, ac tandem hero suo restituas: nec expectes ut repetat illam; nec tibi illam vindices tanquam casu inventam & derelictam.

℣. 3. DE OMNI RE FRATRIS TUI QUÆ PERIERIT, NE NEGLIGAS QUASI ALIENAM. Hebræus (1): *De omni amissione fratris sui, non poteris abscondere eam;* vel, *abscondere te*, Ne dissimiles tanquam si nihil inveneris. Juvat hic regulas aliquas de rebus inventis assignare. Scitum est, ea quæ domino carent, ea quæ a domino amissa & derelicta sunt, quorum dominium & jus omne dominus vel aperte vel tacite a se ablegavit, primo occupanti cedere. Quæ vero res tantum casu amittuntur, nec tamen jus in illas dominus a se abdicavit, quas repetiturus censetur, has ad inventorem non pertinere tam certum est quam quid aliud. Quod quis rem aliquam invenerit, id non satis propterea juris illi vindicat, ut eam ille in se transferat (a). Natura utique reclamante id committimus, ut ditescamus malis & jactura aliorum, ait Cicero. Id igitur statuit hic Moyses, ut qui rem aliquam invenerit, non celet, neque invenisse se neget, sed sponte proferat, ac domino restituat.

Hanc legem, quemadmodum & cæteras, pravis expositionibus Rabbini corruperunt (3). Docent illi, Judæum, siquid invenerit e rebus alterius Judæi, restitutionem debere, nisi forte rei illius dominus de illa recuperanda desperaverit, atque ita jus suum in illam veluti abjecerit. Si vero Ethnici, Christiani, vel Judæi prævaricatoris & contemptoris Divinæ Legis aliquid invenerit, nulla obligatione ad ejus restitutionem teneri. Ad hæc, sedulo distinguendum censent inter res, quæ certis indiciis agnoscuntur, & eas, quæ indicia nulla præ se gerunt. Hæ cedunt inventori, quippe quæ derelictæ ab hero censentur. Illæ vero palam publicabantur in uno e suburbiis Jerosolymæ, ubi edito in lapide, veluti pulpito, stans præco publicabat. Is vero lapis certus erat ac immobilis, appellabaturque אבן טועים *Lapis errantium*. Ibi vero elata voce pronunciabatur: *Quis amisit equum, vestem, vel aliud?* Post tertiam vel quartam denunciationem, si herus non prodiret, res illa inter derelictas adjudicabatur, manebatque inventori.

Apud Cumæos lege sanctum erat, ut vicinus restitueret vicino suo quidquid amiserat, veluti si vicinus ille amissam rem sive furto subduxisset, sive incuria sua non prohibuisset, ne alter furaretur. Scite Hesiodus (4) pronunciat difficile quidquam amitti, si nemo sit vicinus impius.

℣. 4. NON DESPICIES, SED SUBLEVABIS CUM EO. Hebræus (5); *Non te abscondes ab eis: sublevando sublevabis cum eo.* Eadem recurrit vox quæ ℣. 1. reddita est, *Non præteribis*, ℣. 3. *Ne negligas*. Hanc legem exposuimus in Exodo XXIII. 4. 5.

℣. 5. NON INDUETUR MULIER VESTE VIRILI, NEC VIR UTETUR VESTE FEMINEA. Non uno sensu lex hæc exponitur. Sunt qui ad literam accipiendam censeant; honestati enim & decori repugnat, virum muliebriter ac mulierem viriliter velari. Hæc vestium mutatio ordini naturali adversatur, imperanti, ut vir a fœmina distinguatur. *Mulier cum veste etiam pudorem exuit*; & vir palliatus muliebriter, impune & sine probri nota se se in ea loca feret, unde propriis indutus vestibus arceretur. Scitum est inter omnes, quantam probri invidiam apud honestissimos quosque incurrerit olim Romæ Clodius, qui muliebri veste indutus furtim inter Matronas Romanas, Festum Bonæ Deæ celebrantes, fuit.

Malunt alii, eo potissimum spectasse Moysem, ut removeret superstitiones & scelera, quibus festa Deorum quorumdam celebrabantur. Observat S. Ambrosius (6), in Templis quibusdam Paganorum, *assumere viros vestem muliebrem, gestumque fœmineum, sacrum fuisse putatum*. Innuit facile Festa Bacchi, quæ viri fœmineis vestibus celebrabant, uti ex Luciano constat (7). Eodem pariter ritu festa Veneris & Martis agebantur; Veneris enim diebus sacris viri muliebriter velabantur; Martis vero, mulieres viriliter (8). In Oriente viri plerumque sacra Lunæ operabantur palla muliebri induti, ac fœminæ vicissim palliatæ, ideo scilicet quod astrum illud utriusque sexus appellaretur, & indiscriminatim sub nomine Dei vel Deæ coleretur. Eodem ritu sacra oblata fuisse Veneri Cypriæ, testis est Servius (9).

Josephus (10), Chaldæus, & docti plures Interpretes (11) censent, vetari hic a lege viris, ne muliebres vestes sumant; fœminis vero, ne armis virorum instruantur, misceanturque inter copias armatæ. Olim in Oriente fœminæ bellum gerentes spectatæ sunt. Semiramidis nomen victoriis suis celebratur; eaque jubente, subjectos illi populos iisdem ac illam vestibus indutos fuisse compertum est (12). Nec minor est Amazonum fama. Historia, seu potius fabula, narrat copiarum Bacchi partem non infimam ex fœminis constitutam fuisse. Ista afferri possunt pro hac sententia, quæ Legislatorem id velle ait, ut removeat a militia fœminas, & a muliebribus negotiis viros. Huic expositioni Hebræus non modice favet, ita enim sonat ad literam (13): *Non erit vas* [seu instrumentum] *viri super fœminam, neque induet vir vestimentum fœminæ.*

Albericus Gentilis, Jurisconsultus magni nominis putavit, Moysem honesta hac verborum periphrasi damnasse scelus abominabile, quod si nomine suo indicaret, metuebat, ne plus nimio in ejus cognitionem homines induceret. Scelus hoc abominandum perspicuis sane verbis alicubi in Libris ejus damnatur (14): nec aliud facile indicavit obscuris illis verbis Author Sapientiæ XIV. 26. *Nativitatis immutatio*. Et Apostolus apertius exponit in Epistola ad Romanos I. 26. 27. Hujus criminis rei morte a Legislatore damnantur. Majus sane aliquid quam simplicem vestium mutatio-

(1) לא תוכל להתע לם (2) Vide Grot. de jure belli & pac. l. 2. c. 10. (3) Selden. de jure nat. & gent. l. 6. c. 4. (4) Hesiodi opera & dies, v. 348. (5) והתעלמת מהם וגו׳ (6) Ambros. Ep. 29. secund. class. nov. edit. (7) Lucian. Μᾶον τῶν ἄλλων γυναικεῖα ἐνδύονται ἐν ταῖς Διονυσίαις. (8) Maimonid. apud Grot. & Jul. Firmic. c. 4. (9) Servius in Æneid. 2. *Est in Cypro simulachrum barbatæ Veneris, corpore & veste muliebri, cum sceptro & natura virili, quod ἀφρόδιτον vocant, cui viri in veste muliebri, & mulieres in veste virili sacrificant.* (10) Joseph. Antiq. l. 4. cap. 8. (11) August. qu. 32. Lyran. Mun. Fag. Vatab. (12) Justin. lib. 1. (13) לא יהיה כלי גבר על אשה ולא ילבש גבר שמלת אשה (14) Levit. XVIII. 22. & XX. 13. *Qui dormierit cum masculo, coitu fœmineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur.*

tionem significare Moyses videtur, cum addat: *Abominabilis enim apud Deum est, qui facit hoc.*

℣. 6. Non teneais eam cum filiis. Facile intelligimus, symbolicam esse hanc legem, & eo spectare, ut populus humanitatis sensa in æqualis naturæ homines admittat, quam humanitatem & in bruta vult exerceri. Quæ diuturnioris vitæ addita est promissio iis, qui legis hujus sanctioni paruerint, satis demonstrat, altius spectari, quam quo litera tendit. Porro in Scriptura (1) *capere* vel *occidere matrem cum filiis* sævissimæ crudelitatis est argumentum.

Guillelmus Episcopus Parisiensis (2) censet, Moysem removere voluisse Israelitas a maleficiis, quorum arte opprimebatur mater in nido, seu cum pullis, seu cum ovis suis, quod conferre plurimum reputabatur fœcunditati & felicitati familiæ. Superstitiosi alii venditant, matrem cum pullis vel ovis in nido deprehendere boni esse ominis argumentum: cavendum esse tamen, ne quis seu nidum seu quidquid in illo continetur, attingat, nisi velit prosperitatem suam omnem evertere. Vide S. Thomam (3), qui hæc refert.

His tamen nequidquam prohibemur, quin legem hanc naturali & literali sensu exponamus. Curam enim & studium Legislatoris illud meretur, ut animantium serventur species, & multiplicationi rerum vitæ utilium consulatur, prohibeaturque ne illæ destruantur. Quare capi quidem pullos sinit, sed ita, ut libera mater relinquatur. Phocilides Poeta monet, ne simul omnes e nido pulli capiantur:

Μηδέ τις ὄρνιθας καλιῆς ἅμα πάντας ἑλέσθω,
Μητέρα δ' ἐκπρολίπῃ, ἵν' ἔχῃς πάλι τῆσδε νεοττούς.
Neque quis aves e nido simul omnes auferat,
Sed matrem dimittat, ut rursum habeas ex ea pullos.

℣. 8. Facies murum tecti per circuitum. Ædium tecta per Judæam arcæ complanatæ erant, ambiebanturque circum cancellis quibusdam, vel lorica murorum, cujus mensura definita erat ad tres pedes & medium circiter; qua cautione prohibebantur lapsus, cum domorum tecta illa plurimum frequentarentur, nec raro accideret, ut ibi & cœnarent & dormirent (4). Samuel in tecto domus suæ Saulem constituit (5). Inambulans David in tecto Regiarum ædium (6) Bersabee prospexit. Rex Ochozias e superiori tecto ruit (7). Vitio Judæis vertitur, quod in tectis domorum militiæ Cœli sacrificaverint (8). Rahab exploratores Judæos in tecto domus suæ & aggesta desuper palea occuluit (9). Tandem Jesus Christus (10) futurum prædicit Discipulis suis, ut ea quæ tunc in auribus illorum ipse docebat, super tecta prædicarentur. Quæ originalis voces מעקה לגגך redduntur a Vulgata *murus tecti*, eas vertunt Septuaginta στεφάνην τῷ δώματι, *coronam*; & Chaldæus תיקא לאגרך *theca*, quæ vox est ex Græcis, apud quos interdum significat illud, quod circa sepulchrum ponitur. Sonat etiam Arcam; ac Munsterus animadvertit, quemadmodum Arca quatuor parietibus constituitur, ita pariter & tecta claustro quodam esse undique sepienda. Censet Steuchus, sancire hic Moysem, ut cum domus aliqua ædificatur, tabulatum aliquod apponatur, nequid forte ex alto cadens prætereuntes lædat; vel forte ut dispositis circa ædificium sudibus prohibeatur accessus, ne cui, quæ inter ædificandum cadunt, noceant. Sed prior sensus planior est, & fere omnium Interpretum suffragio probatur.

℣. 9. Non seres vineam tuam altero semine. Vox Hebræa (11), quæ hic redditur *altero semine*, diversorum seminum mixturam significare potest, ut interpretantur hic Septuaginta (12) & Syriacus. Eadem recurrit in Levitico, xix. 19. ubi Deus vetat, ne diversis seminibus idem ager feratur, ne juga diversi generis animalium jungantur, ne eadem textura ex lana linoque constet. Perpetuo ibi utitur Scriptura voce *Celaim*, quæ hic pariter legitur.

Ne et sementis quam sevisti, et quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur. Accipi hæc possent tanquam minitando dicta, & veluti pœna in eos ferenda, qui diverso semine agrum violassent. Si hoc commiseritis, messis vestra & vinum sanctificabuntur, ut usui Templi cedant, & vobis auferantur. Alii ita exponendum Textum censent: Ne feras agrum tuum & vineas tuas rebus diversis, ne ea varietate nimiaque copia (13) fructuum humus succo nimium destituatur, evadatque tanquam immunda, ut rebus deinceps producendis sit impar. Seu potius: Ne feras vineas tuas diverso semine; hæc enim mixtio fructuum, frumentorum & uvarum sanctificata est & Domino cedit; quare vestris proventibus carebitis. Cum enim fructuum usus omnis vobis interdicatur, nisi oblatis prius Domino primitiis; nec liceat vobis omnes eas primitias simul offerre, quod diversis temporibus maturescant, frustra vobis erit plantatio omnis & satio (14). Si enim e. g. offeretis primitias frumenti, & non uvarum, primitiæ vestræ & ager erunt simul & semel munda & immunda; munda quidem ex frumento, de quo rite solvistis primitias; immunda vero ex uvis adhuc immaturis. Atque ita demum fiet, ut parvi lucri gratia totum amittatis.

Censet Maimonides (15), sanctionem hanc latam esse adversus superstitiones Zabiorum, quos ferunt agros suos hordeo & aridis uvis sevisse in honorem Cereris & Bacchi. Ne ambigens quidem censet Guillelmus Parisiensis (16), præter literalem rationem hujus legis, quæ heri commodis servit, aliam fuisse pariter, deductam e cultu superstitioso Cereris & Bacchi, quæ duo Numina messium & vindemiarum habebantur. Cum sæpe ambo illa cultum haberent conjunctum, neque pariter disjungebantur ea, quæ illis consecrata erant, quæque tanquam utriusque largitiones habebantur. Commode ad hanc legem ea referuntur, quæ antea de proposito Legislatoris adduximus, his nempe symbolicis legibus removendum censuisse populum suum a criminibus, quæ ipsi pariter naturæ repugnant.

℣. 10. Non arabis in bove simul et asino, seu bove & equo simul, quod inæquales sint inter se viribus & cursu. Qui de re agraria scripserunt Authores (17), animadvertunt, nihil magis officere conservationi animalium, quorum est usus in agricultura, quam si jungantur simul magnitudine & robore inæqualia. Sunt qui credant, ideo vetuisse Moysem, ne bos & asinus eodem sub jugo conjungantur, quod bos purum sit animal, asinus impurum, quemadmodum in Lege exprimitur. Constat utique, asinum recenseri inter immunda (18); sed incertum est, utrum equus purus sit, an impurus: quare ratio ista labitur. Reputant alii, his verbis interdici commixtionem equi cum asina ad mulorum generationem; eamdemque esse Legem, quæ in Levitico xix. 19. aliis verbis eodem sensu lata est: *Jumen-*

Ii

(1) Genes. xxxii. 11. & Osee x. 14. (2) Guillel. Paris. lib. de legib. cap. 4. (3) D. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 6. ad 8. (4) Hieron. Ep. 135. ad Suniam & Fretell. (5) 1. Reg. ix. 25. (6) 2. Reg. xi. 2. (7) 4. Reg. 1. 2. (8) Jerem. xix. 13. Sophon. 1. 5. (9) Josue ii. 6. (10) Matth. x. 27. (11) לא תזרע כרמך כלאים (12) Οὐ κατασπερεῖς τὸν ἀμπελῶνά σου διάφορον. (13) Theodoret. qu. 23. & Jansen. &c ad Levit. xix. 19. (14) Vide Ludovic. de Dieu. (15) More Neboch part. 3. cap. 37. (16) De legib. cap. 13. (17) Columel. l. 6. cap. 2. *Custodiendum est ne in corporatione, vel statura, vel viribus, impar cum valentiore jungatur, nam utraque res inferiori celeriter affert exitium.* (18) Exod. xiii. 13.

mentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Hunc sensum interdum tribuunt verbo *arare* (1). Symbolicam significationem hujus legis revelavit Apostolus (2): *Nolite jugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate?* Commode etiam juxta Patres nonnullos (3) in hunc sensum redditur: Ne ministerio Ecclesiæ destinetis virum sapientem & zelo Dei animatum cum debili & imprudente, ne destruat alter quod alter ædificat, ne debilior validiorem impediat.

℣. 11. Non indueris vestimento quod ex lana linoque contextum est. Hæc Lex eodem fere sensu, ac præcedens, exponitur. Vide quæ congessimus in Leviticum xix. 19.

℣. 12. Funiculos in fimbriis facies. De ansulis ad quatuor angulos pallii Judæorum egimus in Numeris xv. 38.

℣. 14. Quæsieritque occasiones. Hebræus ad literam (4): *Et si imposuerit illi occasiones verborum* [vel emendicatos prætextus, causationes] *& eduxerit adversus eam nomen malum*, ad invidiam ei creandam, ut calumniandi detur ansa, ut odium in illam suum expleat, atque ita demum fiat, ut sine dote remittat, vel prætextum aliquem captet eam repudiandi. Sed numquid non alias obtendere potuisset causas eam repudiandi, siquidem voluisset? Unum hoc satis fuisset ad propositum, juxta nonnullos Hebræos, quod illa minus sibi placeret, vel quivis alius prætextus, qui maritum nullius pœnæ discrimini objiceret, nec accusationis probationem exigeret. Quare censent (5), hoc strui a marito, ut permitteretur miseram repudiare, etiam tota dote non soluta. Addunt, pro L. siclis maritum solvere non cogi nisi xxv. siquidem juratus affirmet, vitiatam se illam deprehendisse, nec fœmina contrarium probare posset: hæc tamen omnia tunc locum habebant solummodo, cum de capite causa non ageretur, & cum maritus in uxorem suam causam non urgebat, ut convicta lapidaretur, sed ut tantum a reddenda dote eximeretur.

Non inveni eam virginem. Indicia virginitatis in illa non deprehendi (6). Vide proxime sequentem versiculum. Limitationibus plane multis legem hanc coercuere Rabbini (7), quas hic afferendas censemus. Negant, fas esse puellam minus quam duodennem, & duodecim annis cum dimidio majorem, eo nomine accusari, quod indicia virginitatis non habuerit. Ad hæc, ejus legis sanctioni submitti tantum docet puellas Israeliticas, & quæ sponte se corrumpi passæ sunt eo medio tempore, quo sponsalia a nuptiis distant; plurimum enim inter illa temporis intercessisse, jam alibi animadvertimus. Quod causas hujusmodi agebat Tribunal, illud erat e tribus ac viginti Judicibus vel Senioribus urbis collectum. Mulier rea & testes illi faventes audiebantur, quin & comparabantur cum testibus, quos accusator produxerat. Si mulier judicio convicta esset, ante fores paternarum ædium lapidibus conficiebatur: filia Sacerdotis viva cremabatur (8). Si vero causa mulieris melior judicata esset, maritus flagris, mulctaque c. siclorum patri puellæ solvenda damnabatur: testes vero lapidibus interficiebantur.

Præcipuum argumentum, quo parentes filiam suam purgarent, erant virginitatis indicia, si quæ exhibuissent. Sed Hebræorum Doctores tradunt, nihil aliud fere productum fuisse quam testes, faciles matronas, virginitati puellæ faventes. Nec sane Philo (9) & Josephus indicant, prolatum fuisse coram Judicibus quidquam, quod pudorem læderet. Medicorum & Anatomistarum nostræ ætatis peritissimi vel silent, vel apertissime negant quæcumque proferri solent, ut hæc agendi ratio excusetur, eaque propugnentur quæ illam invexerunt. Sapiens non obscure ait, nulla esse virginitatis indicia satis certa (10): *Quartum penitus ignoro .... Viam viri in adolescentia*; Hebræus *In adolescentula*. Coitus viri cum virgine nullis indiciis agnoscitur. Inspectiones illas Matronarum ad indaganda seu corruptionis, seu virginitatis indicia alte improbat S. Ambrosius (11), sententiam peritissimorum inter Medicos in eam rem urgens: *Quid, quod etiam ipsi Archiatri dicunt, non satis liquido comprehendi inspectionis fidem, & ipsis medicinæ vetustis doctoribus id sententiæ fuisse? Nos quoque usu hoc cognovimus, inter obstetrices obortam varietatem, & quæstionem excitatam, ut plus disputatum sit de ea quæ inspiciendam se præbuerit, quam de ea quæ non fuerit inspecta.*

Siquid est, quod huic opinioni faveat apud Hebræos, scilicet ex inspectione sanguinis certum & consuetum virginitatis indicium exhiberi, illud utique ducitur ex ætate, qua nuptui puellæ tradebantur; nupsisse enim feruntur anno ætatis duodecimo. Mulierum etiam illarum temperamentum & regionis natura in eam rem facile contulerunt. Nec ambigendi ratio est ulla, quemadmodum dubitarunt nonnulli, utrum indicia, de quibus Moyses, fuerint communia: alioqui enim quanto discrimini non patuissent parentes, ipsæque nuptæ? Neque illis subscribam, qui ad miraculum confugiunt. Afferunt Itinerantes, hodie pariter argumenta exhiberi ejus rei in puellis, quæ nuptui traduntur in Africa, Syria, Arabia, Perside, Italia, Hispania. Vide Ricaut hist. Eccles. Græcæ pag. 434. 435. D'Arvieux mores Arabum cap. 27. notat apud eas gentes custodiri diligentes strophiolum & indusium novæ nuptæ sanguine fœdatum post consummationem matrimonii, & ante indusium illud a fœminis nuptialibus choreas usque ad vesperum ludi.

Igitur Commentariorum Scriptores Catholici (12) Legem hanc vulgo exponunt prono, & obvio sensu, quem Textus Mosaicus primo offert legenti; reputant enim, parentes puellæ sedulo servasse ea, quæ virginitatem ejus probarent. Doctores etiam quidam Judæi (13) affirmant, ipsam nuptiarum noctem amicos sponsi egisse in excubiis pro foribus nuptialis conclavis; mane vero exhibuisse matri sponsæ virginitatis ipsius argumenta. Franciscus Valesius (14) aliique plures ajunt, ea, quæ hica Moyse traduntur, contingere plerumque puellis, non tamen omnibus, & necessario, cum primum accedunt ad maritos. Medici Persarum hodie pariter observant, sanguinem, qui virginitatis est argumentum, eumque a menstruis fœminarum erogationibus distinguunt (15). Joannes Leo (16), aliique nonnulli narrant, hodie pariter in Africa non dissimilem ferme morem obtinere. Avicennas, & Arabes cæteri, ac Latinorum nonnulli indicia virginitatis agnoverunt. Tertullianus (17) sanguinem, de quo hic Moyses, illum fuisse ait, quo demonstrabatur nubilis ætas puellæ, quæ menstruo sexus incommodo jam laborare cœpisset. Ante illam ætatem nefas erat, & erudelitatis genus quoddam puellam elocare marito: *Penes Israel illicitum est ad virum tradere, nisi post contestatam san-*

(1) Judic. xiv. 18. *Si non arassetis in vitula mea*. (2) 2. Cor. vi. 14. (3) Basil. in 1. Isai. Aug. contra Faust. l. 6. c. 9. Gregor. Mag. l. 1. Moral. c. 16. (4) ושם לה עלילות דברים והוציא עליה שם רע (5) Maimon. More Neboch p. 3. & Selden. Uxor Hebr. l. 3. (6) בתולים Septuag. [illegible] (7) Vide Selden. Uxor Hebr. l. 3. c. 1. &c. (8) Levitic. xxi. 9. Joseph. Antiq. l. 4. cap. 8. (9) Philo de special. legib. (10) Prov. xxx. 19. (11) Ambros. lib. 8. Epist. 54. ad Syagrium. (12) Vide Lyran. Oleast. Menoch. Bonfr. Tirin. Jans. &c. (13) Mos. Nachman. apud Fag. (14) Francisc. Vales. de sacra Philosoph. c. 25. (15) Vide Scriptorem Persam a Cardinio versum t. 2. p. 362. (16) Joan. Leo descript. Africæ l. 3. c. 34. (17) Tertull. de velandis virginib. c. 11.

sanguine maturitatem. Ita ante hunc indicem acerba res est. Sed de lubricis hisce satis (1).

℣. 15. Tollent eam pater, et mater ejus. Senioribus urbis signa virginitatis exhibebunt. Sistendam esse puellam coram Judicibus, non exprimit Textus Hebræus, sed tantum documenta virginitatis illius a patre coram Judicibus proferenda. Totus narrationis contextus in eam persuasionem inducit, puellam accusatam non sisti coram Tribunali; & ℣. 21. innuitur, toto eo tempore, quo causa agitabatur, illam in domo seu patris, seu potius sponsi detentam fuisse. Sententia Judicis in illam pronunciata, eam extra fores domus patris sui ejicient, ac lapidibus obruent, ait Moyses. Animadversum est, patrem, vel ejus loco necessarios, vel tutores puellæ causam ejus defendisse in Judicio, quod scilicet coram publico Tribunali prodire mulieribus facile interdictum esset (2).

℣. 18. Et verberabunt illum, vel damnabunt verberibus. Tradit Josephus (3), flagrorum ictibus novem ac triginta illum puniri; flagris cæsum affirmat etiam Philo (4); additque, si fœmina apud illum deinceps manere recusasset, integrum id habuisse. Textus Hebræus ויסרו אתו, & Septuaginta, Καὶ παιδεύσουσιν αὐτὸν, accipi etiam possent de simplici verborum reprehensione, qua ille castigaretur.

℣. 19. Centum siclis. Quinquaginta exprimit Josephus. Cum enim id totum molitus fuisse vir crederetur, ut eximeret se ab onere solvendi quinquaginta siclos in dotem puellæ, quam accusaverat; Lex duplo graviore mulcta illum condemnabat. Animadvertit hic S. Augustinus (5), minorem Legis hujus sanctitatem. Capitale supplicium decernit fœminæ, siquidem rea criminis teneatur; innocentis vero illius iniquum accusatorem flagris tantum subjicit: licet in cæteris rerum eventibus falsi testes, vel delatores punirentur seu morte, seu pœna talionis. Probant hæc pariter, fœminarum apud Hebræos conditionem paulo superiorem, ac ancillarum habitam fuisse.

℣. 21. Ejicient extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent. Hebræus (6): *Et educent puellam ad ostium domus patris sui, & lapidabunt*, minime exprimens, utrum ipsa in ædibus patris, an sponsi esset. Adulteræ pœna mulctabatur, quod ipsa post sponsalia corrumpi se passa fuisse crederetur. Si illi vitium illatum fuisset ante oppignerationem, pro L. siclis, dos ad XXV. redigebatur; si vero illatam sibi vim post oppignerationem jurata affirmasset, integra illi dos L. siclorum asserebatur. Ita exponunt Rabbini; nec male illi quidem, uti videntur. Narrat Æschines (7), patrem quemdam Athenis, ut puniret filiam suam, quæ corruptorem admiserat ante nuptias, clausisse illam una cum equo in domo quadam derelicta, quo scilicet equus fame coactus miseram devoraret.

℣. 22. Uterque morietur. Vir adulter, utcumque res contigisset, elisis faucibus interficiebatur; mulier vero, si generis esset Sacerdotalis, sive illa oppignerata esset, sive nupta, igne absumebatur. Reliquæ ex Israele fœminæ oppigneratæ lapidibus conficiebantur, nuptæ laqueo præfocabantur: hæc omnia Rabbini.

℣. 25. Ipse morietur solus. Philo (8), & post illum Commentariorum Scriptores quidam reputant, ponere hic Moysem, puellam in urbe oppressam injuriæ consensisse; non eam item, cui in agro vis illata est. Forte tamen contrarium accidere potuit; qua in re cautionis multum a Judicibus adhibendum erat. Lex providet ea, quæ frequentius accidunt.

℣. 29. Dabit quinquaginta siclos, et habebit eam uxorem. Persimilem Legem habes in Exodo XXII. 16. Statuit ibi Moyses, malum seductorem puellæ, qui blanditiis illam, vel dolo malo cepit, soluta illi dote ad nuptias cum illa cogi oportere; hic vero agit pariter de iniquo puellæ seductore, cogendumque edicit ad puellæ ipsius nuptias, & ad dotem L. siclorum patri ejus solvendam. Hanc Legem pro more coercent Rabbini (9). I. Qui puellam oppressisset in agro, vel remoto in loco, vim intulisse censebatur; sponte vero crimini consensisse puella, siquidem id contigisset in Urbe, nisi argumentis contrarium evinceretur. II. Si vir consentiebat nuptiis, & pater assentiretur, nulla erat mulcta L. siclorum patri solvenda, sed tantum pro more dos puellæ assignanda erat. III. Si pater, vel puella nuptias recusarent corruptoris, soluta mulcta L. siclorum patri, corruptor liberabatur. IV. Si Judicum sententia vir ducere puellam cogebatur, ac sententiæ puella, & pater sese submisissent, tunc assumenda erat ea conjux, quocumque vitio & incommodo ea laboraret, omni repudii spe sublata: præterea mulctam L. siclorum patri, sed non dotem puellæ, solvebat: si pater jam decessisset, mulcta cedebat filiæ. Docent insuper Rabbini, virum, si cui forte incesto facinori subdi coactus fuisset, ad omnem Legis severitatem pœnas luisse; quamquam vi oppressa puella nulli pœnæ ex Judicum sententia submittebatur: & generatim quæcumque illata vi commissa fuissent, per Leges non puniebantur. Definiunt enim, viro ad mortem usque resistendum esse, ut id injuriæ evitet.

[1] Vide Severin. Pinæum de notis virginit. expresse. [2] Vide Fag. hic. [3] Joseph. l. 4. cap. 8. [4] Philo de special. legib. [5] Aug. qu. 33. in Deuter. [6] והוציאו את הנער אל פתח בית אביה וסקלוה [7] Æschin. orat. in Timarch. [8] Philo de special. legib. [9] Vide Selden. Uxor Hebr. l. 1. c. 16.

C A P U T XXIII.

Quinam a cœtu Domini excluderentur. Munditiés castrorum Israeliticorum. Mancipium, quod in Hebræorum ditionem sese receperit. De meretricibus. Cautio ne oblationes illarum accipiantur. Fœnora interdicta. Vota. Fas est uvas e vinea colligere, secum auferre nefas.

℣. 1. NON intrabit eunuchus, attritis, vel amputatis testiculis, & abscisso veretro, ecclesiam Domini. 2. Non ingredietur mamzer, hoc est, de scorto natus, in ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem. 3. Ammonites, & Moa-

& Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini, in æternum: 4. Quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via, quando egressi estis de Ægypto: & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, ut malediceret tibi: 5. Et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eo quod diligeret te. 6. Non facies cum eis pacem, nec quæres eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum. 7. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est: nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus. 8. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in ecclesiam Domini. 9. Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. 10. Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, 11. Et non revertetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua: & post solis occasum regredietur in castra. 12. Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, 13. Gerens paxillum in baltheo. Cumque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies 14. Quo relevatus es (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, & tradat tibi inimicos tuos) & sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te. 15. Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit, 16. Habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, & in una urbium tuarum requiescet: ne contristes eum. 17. Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. 18. Non offeres mercedem prostibuli: nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est, quod voveris: quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum. 19. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, 20. Sed alieno. Fratri autem tuo absque usura, id, quo indiget, commodabis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris possidendam. 21. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. 22. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. 23. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es. 24. Ingressus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit; foras autem ne efferas tecum. 25. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres: falce autem non metes.

℣. 1. EUNUCHUS. Tria Eunuchorum genera ponit Author Vulgatæ, & Hebræus (1); duo vero Septuaginta (2), & Chaldæus (3) distinguunt. De Eunuchis, vitium id a natura referentibus, neque agit hic Scriptura, nec illos a cœtu Domini excludit. Ex hoc Textu intelligimus, evitandi morem in Oriente jam inde ab antiquissima ætate obtinuisse, quem e Persis, vel Assyriis acceptum ferunt (4). Sunt qui Semiramidem primam omnium eam injuriam intulisse naturæ affirment (5).

NON INTRABIT ECCLESIAM DOMINI. Hæc loquendi phrasis varie in Scriptura usurpatur. Exprimit interdum aditum in Templum Domini, uti apud Jeremiam (6): *Vidit gentes ingressas Sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam*. Re ipsa autem Philo (7) censuit, Eunuchis nefas esse ingredi in atrium Templi cum cæteris Israelitis. Alibi vero *ingredi in Ecclesiam Domini* est excipi in societatem, & Religionem Hebræorum, dato nomine inter Proselytos, uti cum Deus imperat (8): *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam*, [Ecclesiam] *circumcidetur prius omne masculinum ejus*. Quod autem hunc sensum ab eo, quem versamus, Textu excludit, illud est, nimirum non eunuchos tantum, sed & Ammonitas pariter ac Moabitas ab Ecclesia hac Domini amotos fuisse. Numquid tamen proinde prohibentur gentes illæ, ne relictis Numinibus sese ad Dominum veræ Religionis professione convertant?

Sunt (9) qui credant, hac lege sancitum esse, ne Eunuchi connubia celebrent cum mulieribus Israeliticis; contendunt enim, Eunuchos olim conjugia celebrasse, quod probant exemplo Putipharis (10): sed exemplum illud non satis propositum evincit, cum Putiphar liberos genuerit. Tandem Interpretum plures (11) censent, prohibere Deum, ne Eunuchi assumantur ad regimen & Magistratus. Consessus Judicum appellatur in Scriptura (12) *Synagoga Deorum: Deus stetit in Synagoga Deorum*. Eunuchorum ingenium in sævitiem ferri censetur (13): quare clavum regiminis apte moderari non possent.

Mea

(1) לא יבא פצוע דכא וכרות שפכה בקהל יהוה (2) Θλαδίας καὶ ἀποκεκομμένος. (3) מסיך ורמחבל Paulus Ægineta tres modos assignat faciendi eunuchos. Quidam fiebant excisione testium; quidam veretri etiam cum testium amputatione, qui mingebant per fistulam æream; quidam fiebant testium attritione. Ea vero erat, puero in balnea demisso paulatim testiculos atterere, usquedum, velut dissipati, evanescerent; atque ita contorquere, ut vena quæ alimentum illis defert, velut nodo intercipereiur, atque ita illi tabescerent. (4) Herodot. l. 6. & 8. (5) Ammian. l. 14. (6) Jerem. Lament. 1. 10. (7) Philo de victim. offerentib. (8) Exod. xii. 48. Vide & Levit. xxii. 18. Num. ix. 19. (9) Lyran. Rab. Salom. Fag. Vat. Rasi, Abenezra, Abarbanel, &c. (10) Genes. xxxvii. 36. Vide Grot. ad ℣. 2. (11) Tirin. Bonfr. Cor. Muis, Jun. (12) Psalm. lxxxi. 1. (13) *Adde quod eunuchus nulla pietate moveatur*.

Mea tamen sententia hæc lex perinde accipienda est atque cautio, ne homines in Israele evirentur, neve id hominum genus in populum inducatur, quod communia habeat cum illo jura & prærogativas. Non quasi scilicet Eunuchis ostium claudatur salutis, vel illi a vera fide excludantur, sed quod iis, qui genus perennare nequeunt, externa illa privilegia negentur, quæ ad populum Dei pertinent. Indicat Isaias LVI. 1. *Eunuchis* quibusdam, *qui tenuerint fœdus Dei, Deum illis daturum in domo sua locum*. Fateor equidem respicere potissimum Prophetam Eunuchos illos novi Fœderis (1), qui castitatis professione veluti sese eviraturi erant; sed æque fatendum est, in Veteri Lege Eunuchis viam salutis patuisse per fidem, & obedientiam Divinæ legi præstitam, quamquam nullum habebant locum in Republica Judaica, nec in jura & privilegia populi Dei transibant. Apud alias pariter gentes Eunuchi profani habebantur, & jure civium indigni: *Hi nullas meriti vittas semperque profani*, ait Claudianus (2). Successu vero temporis humiles res suas adeo provexerunt, ut vel ad primas Imperii dignitates pervenirent. Id vero indignissimum & monstro simile reputatum est.

Omnia cesserunt Eunucho consule monstra.

℣. 2. Mamzer, hoc est, de scorto natus. Author Vulgatæ conservandum hic censuit nomen ממזר *mamzer*, addita statim explicatione, quod scilicet sit filius e scorto natus. Septuaginta vero eam vocem tanquam e duabus compositam accepere: Οὐκ εἰσελεύσεται ἐκ πόρνης εἰς ἐκκλησίαν, *Non ingredietur e scorto in Ecclesiam*. Tria Mamzerim genera a Rabbinis distinguuntur (3); primum est eorum, qui nati sunt ex connubio Legibus vetito, & inter gradus prohibitos contracto. Secundum eorum, quos generat criminalis coitus, & a judicibus extremo supplicio puniendus, cujusmodi filii adulterini reputantur. Tertii tandem generis nascuntur ex incesto commercio, & sub pœna remotionis a populo Dei prohibito. Distinguunt etiam inter Mamzerim certos, & Mamzerim ambiguos. Illi quidem certi appellantur, quorum est ex noto vitio parentum natalis vitiatus, & nemine ambigente illi quidem ab Ecclesia Domini arcebantur. Alii vero ambigui dicti sunt, quorum ambiguum esset in parentibus vitium: nec illi quidem juxta Legis rigorem removeri poterant ab Ecclesia; sed removebantur nihilo secius a Scribis, metu ne forte inter illos Mamzer aliquis certus gliseeret (4), Hæc Rabbinorum de voce Hebræa *Mamzer* interpretatio. Verum Septuaginta, Vulgata, Arabs, & Interpretum nostratum plerique nomen *Mamzer* de filio scorti dictum accipiunt, nec aliud exhibet jus Canonicum, sedulo nothorum omnium genera distinguens.

Mamzeribus scortum, sed Mœcha nothis dedit ortum.
Ut seges a spica, sic spuriue est ab amica.
Dant naturales, quæ nobis sunt speciales.

Tandem Interpretes plurimi nomen *Mamzer* pro illegitimis omnibus filiis, ex vitiato concubitu natis, quacumque tandem ratione vitium illud inductum sit, accipiunt. Solemne erat Atheniensibus, ut nothos removerent a sacrificando intra Urbem, sed tantum intra Cinosargum admitterent, quod gymnasium erat Herculi dicatum, cum Deus ille legitimos omnino natales non habuerit (5). In Ecclesia Christiana nothus omnis ab Ordinibus sacris rejicitur.

Persuasum est aliis (6), vocem *Mamzer* alienigenam potius significare, quam nothum, cum exempla quædam suppetant in Scriptura nothorum, qui non modo in populo Dei recensiti sunt, sed & gravissima munera gesserunt. Phares & Zaram filii Thamaris, antiquiores illi quidem sunt Lege; sed quamvis e vitiato coitu nati, adhuc tamen magnam nominis dignitatem in Israele tuebantur. Jephte, e prostituta natus, Israelem judicavit (7). De certa significatione vocis *Mamzer* minus constar, cum bis tantummodo in Scriptura occurrat, nullumque ferat indicium ad certam aliquam significationem determinandam. Nihil autem prohibet apud me, quin hic & in Zacharia IX. 6. de alienigena accipiatur. Cavet Deus, ne alienigena, quamdiu primam religionem suam retinuerit, accenseatur populo, ejusque jure, ac privilegiis fruatur. Non uno Scripturæ loco idem præceptum occurrit; quæque deinceps sequuntur, generali huic Legi posita limitatio esse videntur. Præscribuntur enim decem generationes, idest, diuturnum temporis spatium alienigenis post conversionem, ut tandem jure electi populi donentur: sed Idumæi & Ægyptii post tres elapsas generationes tantum admittuntur.

Usque ad decimam generationem. Patebat illis tandem aditus in Ecclesiam Domini undecima generatione (8). Docti plures Interpretes (9) putant, verba hæc, *Usque ad decimam generationem*, perinde valere ac in perpetuum. Nunquam illi in Ecclesiam Domini admittentur, uti cum judices Areopagitæ remittebant virum & fœminam causam suam coram se agentes, jussos post centum annos redire (10). Sed quæ oppositio inter hunc versiculum & proxime sequentem animadvertitur, eo nos deducit, ut credamus, decimam generationem vel juxta vim nominis, vel saltem pro diuturno temporis tractu accipiendam esse. Ita enim versiculus ille: *Idumæi & Ægyptii tertia generatione intrabunt in Ecclesiam Dei*.

℣. 3. Ammonites, et Moabites, ab Ecclesia Dei perpetuo excludentur. Ut quid hoc? Num eo beneficio indigniores sunt Idumæis & Ægyptiis, quorum primi transitum rogantibus per regiones suas Israelitis denegarunt (11); alii vero durissimo servitutis jugo presserunt, filios eorum extinxere, & adusque Mare rubrum persecuti sunt? Num indigna hæc in populum innocentem illata, majori tamen venia digna sunt, quam Ammonitarum negligentia, qui occurrere Hebræis, fessos itinere commeatibus recreaturi non studuerunt; seu Moabitarum peccato, qui accitum Balaamum induxerunt, ut diris populum devoveret? Reponimus, Ammonitas & Moabitas invidiam ferre ortus impurissimi & probrosissimi, utpote qui nati sunt ex concubitu filiarum cum patre; sed & ipsos pariter vitium animi summum, & obstinationem dignam supplicio exhibuisse erga Israelitas: quamvis enim cum Israelitis illis necessitudinis vinculo jungebantur; quamvis Abraham e præsenti discrimine Sodomæ Lothum ejusque familiam eripuit; quamvis norant Israelitas a Deo jussos fuisse, amicos illos non hostes habere: adhuc tamen bellum illis indicere ausi sunt (12), Ad hæc, ambæ illæ gentes communi consilio (13) ariolum acciverant, ut si quidem fieri posset, mala omnia evocarent in capita Israelitarum, a quibus hostile nihil experti fuerant. Neque hæc satis; sed & tentarunt incautos perducere in Idololatriam; & scortationem, atque ita animæ illorum exitium parare: quod crimen est utique majus, quam si insidiæ perdendo corpori struantur. Denique, injuria Ammonitarum & Moabitarum in Israelem omne virus nequitiæ exercebat: mala in illos struunt non provocati, & mera voluntate nocendi: non illos agit ad ultionem metus, non

(1) Math. XIX. 12. (2) Claudian. in Europ. l. 1. (3) Vide Selden. de jure nat. & gent. l. 5. c. 12. & de successione in bona cap. 3. (4) Heb. in Munst. (5) Casaub. in Athen. l. 6. c. 6. (6) Oleast. (7) Judic. XI. 1. *Filius mulieris meretricis*. (8) Bonfr. Menoch. (9) Vatab. Fag. Ger. (10) Aul. Gell. l. 12. c. 7. ex Valer. Max. l. 8. (11) Num. XX. 18. (12) Deuteron. II. 9. (13) 2. Esdr. 12. 1. 2.

rerum suarum studium, non defendendi sese necessitas, non spes vincendi. Ex his scelus eorum quammaxime augebatur, & odium plane malignum veniam omnem excludebat.

Sed Achior Ammonites (1), Ruth Moabitis (2), nonne in Ecclesiam Dei recepti sunt? Achior ad Judaica sacra transivit, ac Ruth juncta est in uxorem Booz. Fatemur quidem, Achiorem Judaicam religionem professum fuisse; sed admissum illum pariter in communionem prærogativæ populi Dei, nullo Scripturæ testimonio discimus. Ad Ruth quod attinet, creditur (3) hæc Lex non mulieres, sed viros tantum respicere. Datum erat Israelitis uxores accipere ex omnibus per orbem gentibus, modo non ex Chananæis, si tamen illæ idololatriam ejurarent (4). Cæterum leges illæ adusque captivitatem Babylonicam perseverarunt, tamdiu scilicet, quamdiu tabularum genealogicarum fides sancte apud Judæos servata est.

℣. 4. Quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor. Hebræus addit: *Ex urbe Petor.*

℣. 6. Non facies cum eis pacem. Hostium loco semper illos habebis, nunquam in Rempublicam tuam ita illos excipies, ut æquo jure tecum fruantur. Legimus quidem, Davidem res habuisse cum Rege Ammonitarum compositas (5), illud vero idcirco, quod Princeps ille magnopere ei Regi deberet ob plura beneficia, cum e Saulis favore excidit: cæterum non agebatur de fœdere ac societate gentis cum gente, sed de amicitia Regis cum Rege, seu potius privati cum privato, quæ nulla lege interdicebatur. Quin nec bello gentes illas affligi vult Deus; & Jephte ac David non prius infesta arma moverunt, quam cum gravibus de causis adigerentur. Hebræorum quidam Textum hunc ita reddunt: *Non postulabitis ab eis pacem;* ad fœdus illos & amicitiam non hortabimini, sed nec oblatam ab illis recusabitis (6).

Septuaginta (7): *Non loquemini pacifica illis, neque utilia illis*, Hebræus ad literam (8): *Non requiretis nec pacem eorum, nec bonum eorum.* Mutua se opera juvabant Israelitæ, defendebant, protegebant; sed non item eodem charitatis præcepto obligabantur erga alias gentes, easque præsertim, quas Deus punire statuerat, atque ut hostium loco haberet, populo suo mandaverat. Non præcipit ille quidem, ut odium in eas gentes foveatur; Deus enim nihil iniquum jubet; sed jubere tamen vicissim potest, & mandat semper, ut crimen odio prosequamur, vitium & obstinationem animi ingrati detestemur. Non permittit ille quidem, ut injuria gentibus illis & infesta arma inferantur; sed statuit, ut nec amicorum loco a populo suo, nec hostium palam habeatur. Nihil fœderis cum illis, sed & belli pariter nihil.

℣. 8. Qui nati fuerint ex eis (Idumæis scilicet atque Ægyptiis), tertia generatione intrabunt in Ecclesiam Domini. Ex filio illius, qui transiverit ad Judaismum, nepotes assumentur in Ecclesiam Dei, & de jure populi participabunt, ut cæteris originem ex Israelitis referentes. Potientur jure Civitatis, ut cives habeantur tum in connubiis, tum in publicis muneribus, tum cæteris Reipublicæ prærogativis. Docent Rabbini, interdicta esse conjugia cum muliere ex Idumæa vel Ægyptia matre nata, quæ ad Proselytos justitiæ transisset, nisi tertia demum generatione: quare Judæo prohiberi connubium illud, nisi cum nepte fœminæ ad fidem conversæ. Malunt tamen alii, Hebræis permitti conjugium cum Ægyptia vel Idumæa, non tamen vicissim fas illi esse, ut filios cum mulieribus illis sociarent. Unicum opinionis hujus argumentum nuptiæ sunt Salomonis cum filia Regis Ægypti. Revocandum est in memoriam, Rabbinos explicare verba illa, *Ingredi in Ecclesiam Domini*, de connubio Hebræi cum extera muliere, vel de extero cum muliere Israelitica; quare si negotium illis facessit Lex arctis adeo limitibus adstricta, nihil est quod miremur. Animadvertere juvat, quanta cura Deus grati animi ac liberalitatis sensa populo suo insinuare conetur, cum jubeat recenseri inter populum Ægyptios & Idumæos, in præmium tum sanguinis conjunctionis cum Esau, tum hospitalitatis veterumque Ægypti in familiam Jacobi beneficiorum, neglectis injuriis illis & persecutione, quas ex utriusque populi nequitia populus passus fuerat.

℣. 9. Custodies te ab omni re mala, ab omni scilicet vi, furto, oppressione, injuriis, licentia, libertate, quæ malæ sunt militiæ appendices. At hic in mentem revocanda sunt (9) quæ Deus statuit de fœminis in bello captis. Scitum est inter omnes, quibus institutionibus S. Joannes Baptista milites formaret (10).

℣. 10. Qui nocturno pollutus est somnio, egredietur extra castra. In Numeris v. 2. animadvertimus, Doctores Judæos castra trifariam dividere, ut sint castra Tabernaculi, castra Levitarum, & castra Israelis. Censent autem, illum, cum impurum aliquid obrepserit per quietem noctis, e castris Tabernaculi & Levitarum quidem, sed non e castris Israelis excludi: quod sane non leviter ex Scriptura adstrui videtur. Hic tamen castra pro toto trium castrorum complexu accipimus. Legis hujus rationem exhibet ℣. 14. Deus, qui præsens adest castris, hoc sibi obsequium exigit & expostulat. Ex quo recte inferri posse videtur, Arcam Dei in exercitum deferri consuevisse. Vide quæ disseruimus ad Num. xxxi. 6.

℣. 13. Gerens paxillum in baltheo. Interpretum plerique vertunt Hebræum (11): *Gerens super arma tua paxillum:* sed nulla ratione mihi quidem probatur, vocem *Asen* arma significare; exprimit enim plerumque aures vel stateram. Quare ita commode redditur Hebræus: *Gerens semper paxillum super stateram tuam*, vel, *cum statera tua*. Consueverant facile Hebræi appensam cingulo ferre stateram, qua pondus argenti, quod dabant recipiebantque, metirentur, quemadmodum hodie pariter obtinet apud Sinenses & Armenos. Ex aliquibus Scripturæ Textibus demonstratur, præsto semper habuisse Judæos pondera, adeoque & stateram. *Non habebis in sacculo tuo diversa pondera, maius & minus* (12). Stateras etiam ferebant Chananæi, sed dolosas: *Chanaan in manu ejus statera dolosa* (13).

Josephus (14), & post illum Porphyrius (15) affirmant, Essenios præsto semper habuisse apud se paxillum, quo utebantur ad excavandam pede altam fossam, in qua alvi fœces deponerent, quas cum egererent, tegebant se undique vestibus, metu ne rei immundæ aspectu majestas Numinis intuentis offenderetur. Addit, religiosos illos homines vitam adeo frugi ducere, ut nonnisi semel singulis septem diebus ventrem exonerent. Quæ hic Moyses præcipit Judæis, hæc in castris suis hodie pariter Turcæ observant (16).

℣. 15. Non trades servum domino suo, cum ad te perfugerit. Jus ipsum naturæ mandat, ut eos excipiamus tueamurque, qui perfugium apud nos quærunt. Legibus ipsis datum est servis quando-

(1) Judith xiv. 6. *Relicto gentilitatis ritu, credidit Deo ... & appositus est ad populum Israel.* (2) Ruth i. 4. & iv. 10. (3) Ita Fag. Vat. Grot. Drus. (4) Vide ad Deut. xxi. 13. (5) 2. Reg. x. 2. (6) Vide Grot. de jure belli & pac. l. 2. c. 15. art. 9. (7) Οὐ προσαγορεύσεις εἰρηνικὰ αὐτοῖς, καὶ συμφέροντα αὐτοῖς. (8) לא תדרש שלמם וטבתם (9) Deut. xxi. 10. 11. (10) Luc. iii. 14. (11) ויתד תהיה לך על אזנך 70. Πάσσαλος ἔσται σοι ἐπὶ τῆς ζώνης σου. Legisse videatur אזור *cingulum* pro אזן, quos sequitur Vulgata. (12) Deuter. xxv. 13. (13) Osee xii. 7. (14) Joseph de bello Jud. lib. 2. cap. 7. (15) Porphyr. l. 4. de abstin. (16) Busbeq. Ep. 3.

doque, ut fugiant ab heris. Statuunt igitur illæ tanquam certum, fas esse fugitivos illos recipere, ne inutilem libertatem concessisse videantur. Quin & ipsis pariter interfectoribus perfugium & rutela dabatur. Iniquum esse docet Philo (1), si hero restituatur servus, qui asylum apud nos quætit: laborandum est potius, ut cum hero ipso reconcilietur, vel saltem heri illius lucro alteri vendatur. Si tunc meliorem dominum nacturum se certo sibi spondere non potest, saltem fugitivus ille certus est, malum non dubium se vitare, & ab ira prioris domini sese subducere. Libertatem hanc fugiendi herum suum in servo coercent Rabbini (2). Demunt etiam aliquid ex jure, quo servus illo potitur, fruendi apud alium asylo; adeout cogatur alter favorem illi præstare, ne in priorem dominum incidat. Docent igitur illi, eo jure potiti servos, qui se ipsos pretio vendiderunt, vel qui ab extera regione vel ex Ethnico hero venientes sese in Chanaanitidem recipiebant, ut Judaicam religionem profiterentur. Circumcisionis Sacramentum, quo initiabantur, character erat inviolabilis & libertatis insigne. Sunt qui credant, e publico ærario solutum fuisse hero pretium servi fugitivi, ut damnum amissi repararetur. Ita Judæa Regio erat asyli & libertatis pro iis, qui Idololatriæ vale dicebant. Privilegio hoc tamen non fruebantur servi, sive qui in pœnam criminis adjudicati erant servituti, sive qui serviebant ad compensandum furtum, vel debitum, cui restituendo impares essent, vel quos Judicum sententia servitute damnaverat (3).

Alio sensus Hebræus hujus Textus commode redditur (4): *Non claudes servum hero suo, qui servus eruerit se apud te a cum domino suo*; quibus verbis innui videtur, cavendum esse, ne retineatur servus, sive claudatur domi, ne hero restituatur, Reipsa quidem iniquum esset maxime, servum alienum retinere: quæque libertas hic servis data est, si lex priore sensu accipiatur, incommodis sane plurimis viam aperit latissimam. Quare Interpretes omnes plurimis limitationibus & exceptionibus illam coercere nituntur. Verum proxime succedens versiculus ad priorem expositionem, Vulgatæ cohærentem, nos ducit.

℣. 17. Non erit meretrix de filiabus Israel, Hinc utique non recte inferas, scelus hoc a Lege prohibitum, ante Legem permissum fuisse, quod visum est Rabbinis quamplurimis, ac post illos (5), authoribus Christianis nonnullis. Scortationis probrum & crimen vel ipsi profani agnoverant (6).

Vox originalis לא תהיה קדשה significat, juxta plures Interpretes (7), non simplicem meretricem, sed *fœminam consecratam* cultui Numinis alicujus. Ex vetere historia constat, voto sæpe & consecratione certum puellarum numerum turpissimo Numini addici consuevisse (8). Id sceleris late per totum ferme Orientem inundabat, cujus crebra pariter vestigia sub Regnis impiorum Principum Juda & Israelis in Scriptura deprehenduntur (9). Sed præter infames hasce fœminas, quæ in honorem Numinum sese prostituebant, aliæ erant pariter, quæ in Scriptura *Zona* appellantur.

Ex testimonio tum Librorum sacrorum, tum Josephi & Philonis constat, meretrices maximo semper numero fuisse in Israele, minusque sancte hac in re legibus Moysis fuisse obtemperatum. Tradit Philo (10), fas fuisse prostitutis hisce ducere privatum Judæum, modo malam artem deseruissent. Contrarium tamen affirmat Josephus (11). Hic fortasse narrat ea, quæ mos in Judæa ferebat, Philo, quæ in Ægypto. Idem pariter Philo alibi (12) docet, meretricium profitentes fœminas lapidibus ex Lege damnari: qua tamen in re falli cum constat; nulli enim corporis pœnæ prostitutas subdit Legislator, sed fœminas tantum adulteras.

Nec scortator de filiis Israel. Non male opinamur, significari hic in Scriptura victimas infames portentosæ libidinis, quam natura horret. Vox originalis לא יהיה קדש sonat ad literam: *Non erit consecratus*, facile Numini alicui turpissimo. Abominanda hæc velut eluvione quadam inundasse in Israele sub illis Principibus Juda & Israelis, qui Legis Dei jugum excusserant, narrante Scriptura discimus. Scortatores ejusmodi appellantur in Regum Libris *effœminati* (13). *Sed effœminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium*.

Onkelos Paraphrastes novam plane expositionem Textui huic tribuit: *Non erit mulier de filiabus Israel uxor viro servo; neque accipiet vir de filiis Israel uxorem ancillam*. Id autem intelligunt Rabbini de servis Ethnicis, quibus nulla erant legitima & vera connubia cum fœmina Israelitide, quod scilicet servus necessaria plane libertate careret.

In versiculi hujus versione Septuaginta cum Vulgata congruunt: sed Codices illorum nonnulli additionem quamdam exhibent, quæ negocium facessit Interpretibus (14): *Non erit ferens mysteria* [Numinum Profanorum] *inter filias Israel; & non erit initiatus omni genere voti, inter filios Israel*. Legem hanc obiter attigit Philo (15), exposuitque tantum de iis, qui sese initiandos Numinum mysteriis tradebant. Theodoretus (16) interpretatur de ministris seu Sacerdotibus profanorum rituum, tum de iis, qui mysteriorum Profanorum consecrationem admittunt. Criticorum quidam suspicantur, repetitionem esse versiculi 17. quæ in Textum irrepserit: ad versiculum sequentem pertinere alii arbitrantur. Illud constat, additionem hanc esse vetustissimam, qua exponenda Patres inter se committuntur. Tertullianus (17) ita vertit: *Non erit vectigal pendens e filiis Israel*. Nec desunt qui (18) hoc fundamento nixos Judæos credant, cum Jesum Christum interrogarunt, utrum fas esset tributum Cæsari solvere, an non. Ut vero solicitudo nimia rem hanc indagandi tota præcidatur, præstat inhærere Vulgatæ, Hebræo, & iis Septuaginta codicibus, quæ hanc additionem silent.

℣. 18. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini. Optimi quique Interpretes (19) canis nomine indicari hic censent ipsa eadem flagitia, de quibus nos in præcedenti versiculo. Merito autem capita hæc impudentissima canis nota traducuntur. Cavet Lex, ne offeratur in Templo Domini flagitiosum illud lucrum, quod ex abominandæ artis exercitio utri-
usque

(1) Philo lib. de humanitate. (2) Ita Chaldæi, Paraphrast. & Rabb. & alii. (3) Vide Grot. l. 3. c. 7. §. 8. de jure belli & pacis. (4) לא תסגיר עבד אל אדניו אשר ינצל אליך מעם אדניו (5) Maimonid. More Neboc part. 3. c. 49. & alii plures apud Selden. de jure nat. & gent. l. 5. c. 4. & Marsham. can. Ægypt. p. 173. Vide & Comment. nostr. ad Genes. xxxviii. 16. (6) Musonius. Τὸ γὰρ μὴ νόμιμον μόνον [illegible] τι ἀσχημονεῖ τοῦ συνουσιῶν τρόπου. αἰσχρὸς δὲ καὶ [illegible] μάλα τοῦ [illegible] αὐτοῦ. (7) Bonfr. Grot. Ainsv. &c. (8) Athenæ. l. 13. cap. 5. (9) 4. Reg. xxiii. 7. (10) Philo l. 2. de Monarchia pag. 846. (11) Lib. 4. Antiq. c. 8. (12) Philo de special. legib. præcepto 6. & 7. Ὡς λύμην ὄντα τῆς ζημίας, καὶ κοινοῦ μιάσματος καταλευέσθω. (13) 3. Reg. xiv. 24. xv. 12. xxii. 47. & 4. Reg. xxiii. 7. (14) Οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ, καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος πρὸς πᾶσαν εὐχὴν, ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. (15) Philo lib. de victim. offerentib. pag. 856. (16) Theodoret. Interrog. 25. in Deut. (17) Tertull. lib. de pudicitia cap. 9. (18) Vide Casaub. in Baron. Exercitat. 2. §. 19. & Grot. hic. (19) Menoch. Bonfr. Piscat. Jun. Gerard. &c.

usque sexus scorta sibi comparant. Id maxime cavet Deus, ne sacer sibi populus gentium Palæstinæ finitimarum flagitia adoptet; apud illas enim turpissima quæque pars Religionis erant; & pretium infamis artis in æraria sacra Numinum vel Dæmonum impudicitiæ inferebatur. Vix in mentem inducere possumus, falsam ullam religionis speciem cum mala vitiorum libertate conjunctam eo usque homines deducere potuisse, nisi totius antiquitatis testimonio certum id firmaretur (1). Ipsi pariter Israelitæ non semper adeo se continuerunt, quin ad portentosum illum cultum raperentur. Deus per Michæam I. 7. minitatur destructurum se Idola Samariæ: *Quia de mercedibus meretricis congregata sunt, usque ad mercedem meretricis revertentur*. Salomon in Proverbiis XIX. 13. juxta Versionem Septuaginta: *Non pura vota de mercede meretricis*.

Josephus (2) & Castalio ita Textum exponunt. *Ex mercede meretricis non est sacrificandum. Similiter si quis mercedem pro admissura canis venatici vel pastoralis acceperit, nec inde quidem Deo sacrificare licitum est*. Nomine meretricis designari hic censent Rabbini (3) fœminam, cui turpe est commercium cum viro, quocum jungi connubio vetatur, sive quod vir Ethnicus sit, sive quod sanguine sibi conjunctus. Docent igitur, nefas esse offerre Deo pretium ex crimine illo relatum, sive quod exigitur ex cane vendito; sanctionem enim de cane ad literam accipiunt. Tradit Maimonides, mulierem prostitutam, si quid receperit in pretium flagitii, ad offerendam rem illam Deo non admitti: eamdem tamen e manu alterius recipi, ut Domino offeratur. Verum, ait, si flagitium suum pecunia vendiderit, eaque pecunia emerit seu vitulum, seu arietem, nihil illud obstat, quominus hæc e manu ipsius accipiantur, Domino offerenda.

Sed neque Josephus (4), neque Philo (5) exceptiones illas unquam agnoverunt: pronunciant enim illi, sacrificia omnia & munera meretricis Templo offerenda penitus rejici, non ideo scilicet quod pecunia illa cæteris pecuniis impurior sit, sed quod horrori sit crimen, ex quo parta est. Ex hac fortasse Lege analogia quadam intulerunt Judæi, nefas esse in sacrum ærarium inferre *pretium sanguinis* (6), seu venditi hominis lucrum. Munera publici peccatoris, nulla recipiebat olim vetus Ecclesia, ne in pauperes quidem eroganda; nullam pariter pecuniam ex iniquo lucro acquisitam. S. Afra (7) meretrix Augustæ Vindelicorum, largitiones suas ab egenis rejici ajebat. Apud ipsos pariter Profanos lucrum infame horrori erat. Alexander Severus lata Lege, teste Lampridio in ejus vita, *Lenonum, meretricum, & exoletorum vectigal in sacrum ærarium inferri vetuit*. Demosthenes (8) docet, homines impuros ab ingressu Templi Lege interdici.

Interpretum quidam ajunt, nomen canis hic ad literam accipiendum esse: quam sententiam plurimis tuetur & confirmat Bochartus. Primum animadvertit, Legislatores in scribendis legibus typicas locutiones vitare: tum demonstrat, apud Ægyptios maxime observari canem ut sacrum in tota regione animal (9): *Oppida tota canem venerantur*. Plures etiam gentes belluam illam immolabant. Sapæi, gens circa montem Hæmum, sacrificio canum Hecati litabant. Ovidius:

Exta canum Triviæ vidi libare Sapæos.

E canibus etiam sacra fiebant in Samothracia, Lacedæmonia, & Caria, tunc maxime cum sacrificia expiationis exigerentur. Græci omnes lustrabantur circumducto ei, qui lustrabatur, cane (10). Offerri in sacrificium canes innuere videtur Isaias LXVI. 3. verbis illis: *Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi excerebret* [immolet] *canem*. Argumentorum ejusmodi vim expendendam Lectori relinquimus.

S. Augustinus (11) aliique nonnulli censent, prohibere Deum, ne primogenita canum pretio redimantur; quæ exceptio est Legis (12) statuentis redimi pretio primogenita omnia animalium, quæ a sacrificiis Dei arcebantur, ut asini, suis, &c. Sed cur Deus permittens primogenitum asini ove mutari (13), cur, inquam, de cane id non permiserit? Ideo facile quod canis animal esset vile adeo, ut collatum pro illo pretium minimum esset atque impar, sive ut per se Domino offerretur, sive ut ex illo apta sacrificio victima emeretur. Hæc ad sententiam hanc defendendam succurrunt: nostra tamen opinione, ea, quæ prior adducta est, præferenda cæteris videtur.

℣. 19. NON FŒNERABIS FRATRI TUO AD USURAM .... (℣. 20.) SED ALIENO. Tolerat Deus in populo suo fœnera, ab exteris exigenda, idest, a Chananæis, aliisque gentibus, quas hostium loco haberi jubet. *Cui enim*, ait S. Ambrosius (14), *jure inferuntur arma, huic legitime indicantur usuræ .... Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere*. Axioma tamen istud est, quod nimis urgendum non censerem; neque enim belli leges fœnus in hostem licitum efficiunt, quamquam fas est privare illos bonis, quæ in nostrum exitium illi convertunt. Præstat igitur reputare, Deum, bonorum omnium ab hominibus possessorum dominum, transtulisse in Hebræos jus illud suum in bona Paganorum: quare & copiam illis dedisse, ut artibus illis, cæteroqui per se illicitis, eadem ad se bona converterent. Quibus ita constitutis, non aliena invadunt, sed sua repetunt, ac data fœnoris via ad res suas obtinendas se conferunt. Vel tandem Deus duro corde Judæis indulgendum fœnus de exteris censet. Indigna hæc tamen lucrandi ars nunquam non in Veteri Testamento reprobatur, & Filius Dei in Evangelio totum id revocat, quod in Veteri Lege relaxatum in gratiam fœnorum videbatur. Vide quæ contulimus in Exod. XXII. 25.

℣. 21. CUM VOTUM VOVERIS. Vide quæ de votis disseruimus in Numer. XXX. 2.

℣. 24. FORAS AUTEM NE EFFERAS TECUM. Hebr. ואל כליך לא תתן *Et in vase tuo non dabis*, in tua cistula, in tuo canistro. Chaldæus, Arabs, Varablus explicant de iis, qui vindemiam exercent, quibus fas est expleri uvis, dummodo plenos iis canistros ad proprias ædes non deferant. Sed plerique interpretantur de transeuntibus & advenis, quibus sitim levare fas est uva, quam in via offendant. Affirmat pariter Josephus (15), copiam dari sive incolis regionis, sive exteris iter habentibus decerpendi fructus & uvas in hortis vel vineis; quin eos, qui verecundia quadam sese continent, invitandos esse alliciendosque ut reficiantur; eos vero, qui humanitatis officio huic defuerint, XXXIX. virgæ ictibus puniri.

(1) Vide Baruch. VI. 42. Herodot. l. 1. & 2. Lucian. de Dea Syr. Euseb. Præpar. l. 4. cap. 6. Aug. de civit. l. 4. cap. 10. Justin. l. 18. c. 5. Strabo l. 8. & 12. Athen. l. 13. c. 6. (2) Joseph. Antiq. l. 4. cap. 8. Ἐπὶ ὀχείᾳ κυνός. (3) Apud Selden. de jure nat. & gent. l. 5. cap. 4. (4) Joseph. loco citato. (5) Philo l. x. de Monarch. (6) Matth. XXVII. 6. (7) In ejus vita. (8) Demosth. contra Androtion. Οὐ τὸ σῶμα ἡταιρηκότας ... οἱ νόμοι ... τὰ ἱερὰ ... (9) Juvenal. Satyr. 15. (10) Vide Boch. de animal. part. 1. l. 2. c. 56. (11) August. qu. 38. in Deut. Ita & Lyr. Cajet. Tost. Fag. Vatab. Jansen. (12) Num. XVIII. 15. *Omne animal quod immundum est, redimi facies*. (13) Exod. XIII. 13. *Primogenitum asini mutabis ove*. (14) Ambros. de Tobia cap. 15. nov. edit. (15) Joseph. Antiq. l. 4. cap. 8.

CAPUT XXIV.

Leges de divortiis. Privilegia recentium sponsorum. Pignora ab egentibus debitoribus accepta. De plagio. De operariis diurnis. Omnibus jus dicundum pro merito. Relinquenda egenis, quæ supersunt in agris & vineis post messem & vindemiam.

℣. 1. SI acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. 2. Cumque egressa alterum maritum duxerit, 3. Et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit: 4. Non poterit prior maritus recipere eam in uxorem: quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino Deo: ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam. 5. Cum acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis injungetur publicæ, sed vacabit absque culpa domi suæ, ut uno anno lætetur cum uxore sua. 6. Non accipies loco pignoris inferiorem, & superiorem molam: quia animam suam opposuit tibi. 7. Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, & vendito eo acceperit pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui. 8. Observa diligenter, ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcumque docuerint te Sacerdotes Levitici generis juxta id, quod præcepi eis, & imple solicite. 9. Mementote, quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ in via, cum egrederemini de Ægypto. 10. Cum repetes a proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas. 11. Sed stabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit. 12. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, 13. Sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, & habeas justitiam coram Domino Deo tuo. 14. Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est: 15. Sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum. 16. Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur. 17. Non pervertes judicium advenæ, & pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. 18. Memento, quod servieris in Ægypto, & eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcirco præcipio tibi, ut facias hanc rem. 19. Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reverteris, ut tollas illum: sed advenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. 20. Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris, ut colligas: sed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ. 21. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ, pupilli, ac viduæ. 22. Memento, quod tu servieris in Ægypto, & idcirco præcipio tibi, ut facias hanc rem.

℣. 1. PROPTER ALIQUAM FŒDITATEM. Hebræus ad literam עֶרְוַת דָּבָר, *nuditatem verbi*, vel quid nudum, probrosum, ignominiosum, turpe. LXX. Ἄσχημον πρᾶγμα, rem turpem. Tertullianus (1) legebat: *Si in ea inventum fuerit negocium impudicum*. Docti plures interpretes (2) reputant, Moysem divortia tantum permittere vel causa adulterii, vel criminum paris gravitatis, ex quibus incoomodum aliquod in filios oriri potest, vel in maritum infamia; uti si mulier lepra affecta esset, vel morbo aliquo in alios facile transfundendo laboraret; aut si moribus esset iniquis, ex quo mala contagio filiis timeretur. Sterilitas etiam justa erat causa repudii. Quid Rabbioi ea de re senseriot, qui mores obtinuerint in populo, in Dissertatione nostra de divortiis fuse prosecuti sumus.

Jesus Christus (3) ultro fateri videtur, Moysem tolerasse divortium *quacumque ex causa*; interrogantibus enim Pharisæis, *Si liceret homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa*, respondit tantum: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos?* Nonne multo brevius respondere potuisset, frustra interrogari se, utrum fas esset viro uxorem dimittere *quacumque ex causa*, cum Moyses libellum repudii ex causa tantum probri alicujus, & flagitii dari permisisset? Com tamen Pharisæi tunc Legem

(1) Testull. advers. Marcion. lib. 4. (2) Lyr. Dens. Est. Menoch. Bonfr. Tir. (3) Matth. XIX. 3. Confer & Matth. v. 31. 32.

gem hic narratam non attulissent, qua erat prudentia Christus, cum illis certandum sibi non esse censuit, reddito ad normam Textus hujus Mosaici responso, de cujus loci sensu lis erat inter Judæos: quare respondet illis tantum, divortium prohiberi penitus, una excepta causa adulterii alterutrius ex conjugibus; quam sententiam suam confirmat altero Scripturæ testimonio ad propositum aptissimo.

Ad hanc Legem tunc spectasse videtur, cum post confirmatam insolubilem Matrimonii Legem, adducto Dei Creatoris consilio, exceptionem adulterii apposuit, qua scilicet exceptione repudium in eo eventu permittitur; tum & revocat permissionem nova nectendi connubia post divortium, quæ duro corde Judæis indulgentia quadam permissa fuerant. Animadvertere etiam licet, Jesum Christum in Matthæo v. 31. cum Legem hanc recitavit, limitationem hanc, *Propter aliquam fœditatem*, siluisse. Nec exprimunt etiam illam Pharisæi in Marco x. 2. cum a Jesu Christo interrogantur, quæ de divortiis a Moyse mandata sint. Ex his utique suspicamur, libertatem in divortia adeo late sese explicuisse, ut limitatio ista penitus negligeretur.

Scribet libellum repudii. Divortium quidem Lex non præcipit; sed mandat, ut siquis statuerit repudium, libellum mittat ad uxorem, quo ejus honori consulat; aliud illa sibi connubium quærat, ac possit dotem exigere, quæ post divortium restituebatur. Sunt qui in libello describendas velint repudii causas; sed alii contrarium malunt. Nec sane rei natura postulabat, ut in publico scripto exprimerentur causæ illæ, quæ occultæ erant interdum, nec semper honori mulieris consentaneæ. Formulæ illæ literarum repudii, quæ leguntur apud Rabbinos, non iisdem verbis apud omnes recitantur. Damus hic unam ex Munstero: *In quarta Sabbathi, vigesima mensis Sivan* (Maji), *anno quinquies millesimo ducentesimo nonagesimo tertio a creatione mundi, hic & in hac civitate, ego Jacob sic cognominatus, filius R. Izhac, volui ex animo, atque citra ullam coactionem dimisi & ejeci hanc, quæ hactenus fuit uxor mea, filiam illius Rabbi; & concedo ei licentiam & potestatem, ut pro libito suo vadat quo voluerit, ducique possit ab omni viro, nec eam quisquam probibere præsumat. In cujus rei testimonium dedi ei libellum repudii, & schedam dimissionis, atque signaculum divortii, juxta constitutionem Moysis*. In alia formula apud Schikardum (1) bis luculentis verbis tanquam aliquid formulæ necessarium additur, divortium illud celebratum fuisse ad amnem, sive ad fontem, sive in loco alio publico.

Conditionum ad valorem literarum repudii requisitarum molestam seriem Doctores Hebræi retexunt. Exarandæ sunt eæ literæ a Scriba coram pluribus doctis Rabbinis, in membrana, in qua ductæ ad normam lineæ non ultra duodecim sint, & quadratis probe characteribus. Plura etiam servanda edicunt de apicibus literarum, ratione scribendi, & nominibus utriusque conjugis. Cavendum, ne Scriba, Rabbini, & duo testes necessitudine aliqua cum alterutro conjungantur. Adesse necessario debebant saltem decem, & præterea duo testes, qui libellum signarent, & duo alii qui tempus adscriberent (2). Jus repudii hodie pariter vindicant sibi Judæi: quo autem ritu rem totam præstent, apud Buxtorfium (3) legimus. De divortio Persarum vide iter e Moschovia in Persidem t. 1. p. 590. de Moschovitis t. 2. pag. 220.

℣. 4. Quia polluta est, et abominabilis facta est. Ex his verbis ea interlucent, quæ Jesus Christus in Evangelio plane revelavit; nimirum eam indulgentiam in divortia, & post divortium libertatem nova conjugia nectendi, ante obitum prioris viri, merum esse adulterium, quod Deus in feritate Judæorum censuit esse tolerandum. Si enim hæc mulier nihil præstat iniquum, permissa sibi libertate utens, cur igitur polluta est & abominabilis coram Domino? Forte reponeretur, pollutam esse illam, si priorem virum spectes, cui nefas est illam recipere in thorum, sicuti nefas est rem pollutam tangere. Qui enim repudiatam iterum admittit, vel eo argumento demonstrat inique se illam prius repudiasse, vel animi sui passiones ad arbitrium non regere, vel saltem levitate quadam animi, & inconstantia agi: hæc autem omnia virum non decent. Domitianus (4) *Equitem Romanum ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen intenderat, ex Judicum albo erasit*. Apud Turcas horrori est maritus, qui scissum matrimonium cum fœmina iterum sarcit (5).

Sed quo pacto impuram illam Lex pronunciat *coram Domino*, si a priori viro dimissa sibi alterum adsciverit? Reponi posset, juxta vim Hebræi (6), non fœminam quidem abominationi esse, sed rem ipsam, connubium, & factum illud viri, qui pristinam uxorem recipit, postquam alteram duxit. Hoc est utique, quod summo est horrori coram Deo: hoc autem sensu hic Textus vulgo exponitur. Reputavit Grotius, integrum fuisse marito repudiatam uxorem iterum sibi recipere, modo post repudium illa sibi alterum virum non quæsisset. Sed ex Rabbinorum doctrina, nefas erat repudiatæ nubere alteri viro, nisi post tres menses a repudio; nefas etiam priori viro repudiatam illam iterum admittere, si illa ad nova vota transisset, etiam altero hoc marito defuncto. Tunc enim per repudium videretur non dimissa, sed alteri commodata uxor: quod utique abominandum est maxime, cujus vel externam speciem tollere, visum est Legislatori (7).

In Levitico xxi. 7. Deus vetat Sacerdotibus, ne repudiatas illas ducant; quas & in eodem censu ac meretrices, & prostitutas habet. Reputabatur maritus ad extremum illud divortii decretum actus fuisse moribus pravis, perversisque uxoris: quique facilis nimium uxorem violatæ fidei ream adhuc habebat, non secus ac demens & impius putabatur (8): *Qui tenet adulteram, stultus est & impius*. Quæ etiam persuasio sedit nonnullis ex Patribus, arbitrantibus teneri maritum abjicere sponsam, quæ sanctam conjugalem fidem non sancte servavit. Verum longissime abest Apostolus ab imperando divortio; quin potius author est maritis, ut parcant uxoribus etiam adulteris (9): *Præcipio uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*.

Peccare facias terram; ne terram polluas, ne super caput tuum & super illam tanti flagitii pœnam inducas; ne reum te tanti sceleris constituas.

℣. 5. Nuper uxorem. Hebræus אשה חדשה *Novam nuptam*. Seu virginem ducat, seu viduam, privilegio novorum Sponsorum fruetur: non ita tamen, si fœminam rejectam resumpserit (10).

Vacabit absque culpa domi suæ. Hebræus ad literem (11): *Immuuis erit in domo sua*; vel: *Innocens erit in domum suam*. Vel, si quietus & pacificus manserit in domo sua, non ideo prævaricationis & desidiæ accusabitur: manebit tranquillus, ejusque domui nulla publica vectigalia imponen-

(1) Schikard. de jure Reg. c. 3. Theor. 9. (2) Vide Selden. Uxor Hebr. l. 3. c. 24. 25. (3) Buxtorf. Synag. Iud. c. 69. (4) Sueton. in Domit. cap. 8. (5) Sire de Ioinville, Hist. de S. Louis pag. 72. (6) כי תועבה לפני יהוה (7) Menoch. Cornel. Grot. Vide & Chrysost. hom. 19. 10. 5. (8) Prov. xvIII. 22. Vide dicta ad Iudic. xIx. 1. (9) 1. Cor. vII. 11. (10) Rab. Salom. Vide Drus. (11) נקי יהיה לביתו Septuag. Ἀθῷος ἔσαι ἐν τῷ οἴκῳ αὐτῦ.

nentur. Novorum Sponsorum jura habes descripta Capite xx. 7.

℣. 6. Inferiorem et superiorem molam, Textus Hebræus ad literam (1): *Non accipiet pignus duas molas, & catillum*, superiorem scilicet partem molæ. Ne in pignus retineas pistrinum nec molas (2): frustra enim relinqueres molas hero pistrini, si instrumenta vel quibus torquentur, vel quibus armantur, retineas. Aliter cum Vatablo: *Non accipies duas molas; neque accipies molam superiorem*, quæ minus necessaria est, & minoris est usui. Ferunt, omnium vetustissimam autem molendi segetes (3) eam fuisse, ut tostum frumentum tunderent in pila: *Et torrere parant flammis, & frangere saxo*. Excepit hunc usus molendi. Inter mala hoc maximum rebantur servi, si agerentur ad molas torquendas, ut e Scriptura, & Profanis constat. Affirmat Plinius, sua ætate alicubi obtinuisse, ut molæ aquarum impetu versarentur. Alibi tamen vetus mos perseverabat. *Major pars Italiæ rudo utitur pilo, rotis etiam, quas aqua verset, obiter & molat* (4). Palladius etiam apud Pignorium de Servis monet: *Si aquæ copia patiatur fusuram balnearum suscipiant pistrina, ut ibi formatis aquariis molis sive animalium, vel hominum labore frumenta frangant*.

Sive autem oblivione, sive negligentia hominum contigerit, sexto sæculo id artis vel penitus latuisse, vel raro admodum obtinuisse videtur, cum Procopius tanquam rem aliquam novam narret, Belisarium Gothorum copiis Romæ obsessum, artem excogitasse frangendi triticum ope molarum aquariarum. Morem vertendi molas manu hodie pariter noscunt varia in Archipelago & Oriente loca. Eumdem vulgo olim obtinuisse non unus Scripturæ locus insinuat. Quæ vero scripsi de more aquas derivandi ad versandas molas sexto demum sæculo vel plane deperdito, vel rarissime usitato oscitanti mihi irrepserunt. Procopio enim auctore cum Gothi aquas ad versandas molas destinatas ex urbe Roma divertissent, alias ejusmodi machinas Belisarius intra urbem struxit, quæ dein familiarissime obtinuerunt.

Paraphrastæ ambo, Jonathan nempe & Hierosolymitanus, longe alio diverso sensu, quam reliqui omnes, Textum hunc interpretantur. *Non erit vir ligans Sponsos & Sponsas incantationibus, quia animam, quæ ex illis exitura est, ille perdit*.

Animam suam opposuit tibi. Privato cuique suæ erant molæ, & suum pistrinum; si utroque privetur, privatur instrumentis, quibus nutriatur & vivat. Equidem miseris auferre, quæ illis sunt, perinde est ac si vita ipsa priventur. Χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι; *opes enim sunt anima miseris mortalibus*, ait Hesiodus, *Opera & Dies*, v. 686.

℣. 7. Sollicitans fratrem suum. Hebr. איש גנב נפש *Vir furans animam*, qui ingenuos homines rapit, ut vendat in servos. Vide quæ de hac re contulimus in Exod. xxi. 16.

℣. 8. Ne incurras plagam lepræ. Discrimen omne perniciosi hujus morbi sedulo evita; si vero casu illum contrahas, cave ne quid negligas eorum, quæ tibi a Sacerdotibus præscribentur (5). Sunt qui sententiam ita exponant: Omnia servato, quæ de lepra tibi præcepi; ne permittas leprosum vivere in medio Israelitarum. Vel potius cave, ne incommodum hoc in te inducas marito prævaricationis. Apud Septuaginta ne verbum quidem de lepra in hoc versiculo legitur.

℣. 10. Non ingredieris domum ejus. Liberum illi permitte, ut tradat quæcumque voluerit: quid enim refert ad te, dummodo valorem mutui res tradita æquet? Si quis aliquid amisisset, jus habebat apud Athenienses & Romanos in vicinas ingrediendi ædes, rem suam quæsiturus; sed ingrediebatur unico tectus indusio, & parvo tantum linteo præcinctus (6).

℣. 12. Non pernoctabit apud te pignus. Hebræus & Septuaginta: *Non dormies in pignore ejus*, in veste quæ est ejus pignus. Cubitum non ibis, antequam vestem restituas. Idem pro portione valebat, si quid Creditor in pignus accepisset, quo indigeret obæratus per diem; retinebat enim noctu, & die restituebat: uti ex. gr. si in pignus datum esset artis illius instrumentum, vel quid simile, quod Legum omnium beneficio reservatum est. Sed cur mane singulorum dierum exigerentur pignora, vespere restituenda? Ut scilicet & creditori occasio daretur exercendi misericordiam; & moneretur obæratus, ne quid negligeret ad æs alienum restituendum, ait S. Augustinus (7). Docent Rabbini, debita illa, quorum pignus exigebatur quotidie, Anni Sabbathici privilegio non extingui (8). Non uno Proverbiorum Textu repugnare Moysi Salomon videtur (9): monet enim ut exigantur ab eo pignora, qui vadem alteri se præbuit; hortaturque serio, ne unquam pro ære alterius spondeamus. Nicolaus Damascenus tradit, apud gentes quasdam nullum jus reddi creditoribus in obæratos; uti nulla est judicialis actio in eos, qui beneficiis vitio animi ingrati respondent. Docet Appianus (10), a Persis argui obæratos; æs enim alienum ducit homines in necessitatem fraudis & mendacii. Ælianus (11) & Strabo (12) observant, apud Indos causas obæratorum in judicium non deferri; quod scilicet cuique necessaria cautione prævidendum sit, ut intelligat cuinam homini, pecuniam suam & merces credat. Sanxerat pariter Charondas (13), a nemine intentandam esse debitori suo litem; quod Platoni etiam & Aristoteli probatum fuit.

℣. 14. Non negabis mercedem, Hebræus: לא תעשק שכיר *Non inferes vim aut fraudem*. Vide quæ disseruimus in Levit. xix. 13.

℣. 15. Ex eo sustentat animam suam. Hebr. אליו נשה את נפשו *Id sustentat animam ejus*, ex eo alitur; seu potius animam illius spe aliqua ablata id unum levat. LXX. Ἐν αὐτῷ ἔχει τὴν ἐλπίδα, *In eo habet spem*; alioqui in desperationem miser prolaberetur.

℣. 16. Non occidentur patres pro filiis. Mentem nostram exposuimus in Legem, quæ huic plane contraria videtur, relatam in Exod. xx. 5. qua Deus pronunciat mulctaturum se iniquitatem patrum in filiis, ad tertiam & quartam generationem. Deus, utpote summus vitæ hominum Dominus, alias sibi regulas præscribere valet, quam quas constituit Judicibus populi sui, quorum est authoritas in homines definita, precario accepta, & Dei imperio subdita. Sensum alium huic Legi vindicant Rabbini (14): Parentes non accipientur testes in filios, nec filii in parentes: quod tamen longe a genuino Textus sensu distare videtur.

℣. 19. Oblitus manipulum reliqueris. Dicta hæc accipienda sunt de omnibus fructibus ruris, & manipulis agrorum. Oblitum autem haberi id tantum volunt Rabbini, quod dominum pariter ac messores fugit, non quod alterutros tantum. O impiam cavillationem!

C A-

(1) לא יחבל רחים ורכב 70. Οὐκ ἐνεχυράσεις μύλον, οὐδὲ ἐπιμύλιον. (2) Malvend. (3) Servius in Æneid. 1. *Apud majores nostros molarum non erat usus: frumenta torrebant, & ea in pilas missa pinsebant; & hoc erat genus molendi; unde & pinsores dicti sunt, qui nunc pistores vocantur.* (4) Plin. lib. 18. c. 10. (5) Vide Levit. xiii. xiv. (6) Leges Atticæ, iii. 5. Φωρᾶν φώρατα γυμνὸν, χιτωνίσκον ἔχοντα ἢ ζωστὸν εἰσιέναι εἰς τὰς οἰκίας ἐπὶ τὸ φωρᾶσαι, &c. (7) Aug. q. 41. in Deut. (8) Munst. Clar. (9) Prov. xx. 16. xxvii. 13. xxii. 26. (10) Appian. Civil. l. 1. (11) Ælian. Var. hist. lib. 4. (12) Strabo l. 15. (13) Vide Stobæum de Legib. (14) Onkelos, & Rab. Salom.

CAPUT XXV.

In reis puniendis flagrorum ictus ultra XL. ne infligantur. Bovis triturantis os ne alligetur: fratris defuncti sine liberis frater alius superstes viduam ducat. Pondera & mensura iniqua damnantur. Amalecitarum excidium imperatur.

℣. 1. SI fuerit causa inter aliquos, & interpellaverint judices: quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis. 2. Sin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis: prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus: 3. Ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant: ne fęde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. 4. Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas. 5. Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui: 6. Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel. 7. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, & interpellabit majores natu, dicetque: Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel: nec me in conjugem sumere. 8. Statimque accersiri eum facient, & interrogabunt. Si responderit: Nolo eam uxorem accipere: 9. Accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui: 10. Et vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalceati. 11. Si habuerint inter se jurgium viri duo, & unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum, & apprehenderit verenda ejus: 12. Abscindes manum illius, nec flecteris super eam ulla misericordia. 13. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus: 14. Nec erit in domo tua modius major, & minor. 15. Pondus habebis justum, & verum, & modius æqualis, & verus erit tibi: ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. 16. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam. 17. Memento, quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Ægypto. 18. Quomodo occurrerit tibi: & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame, & labore confectus, & non timuerit Deum. 19. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subjecerit cunctas per circuitum nationes, in Terra, quam tibi pollicitus est: delebis nomen ejus sub cœlo. Cave, ne obliviscaris.

℣. 2. PROSTERNENT, ET CORAM SE FACIENT VERBERARI. Docent Hebræi Doctores (1), in omnibus iis, in quibus Lex pœnam excidii minitatur, nulla mortis mentione, idest, cum ita solum sese explicat: Qui hoc fecerit, exterminabitur de populo suo; tum Judices cognita causa, reum flagrorum animadversioni subjicere. Ut autem, inquiunt, jure huic supplicio subjici possit, prius monendus est de crimine, quo scilicet resipiscat: opus est pariter, ut actione peccaverit, non verbo tantum & cogitatione; ac tandem ut a duobus testibus saltem accusetur.

Reputat Grotius, reos vinctos fuisse columnæ adeo humili, ut incurvi offerre se flagris cogerentur; malunt tamen alii (2), illos humistratos cædi consuevisse; & Buxtorfio (3) teste, hodie pariter in Germania Judæi humi strati in dorso cæduntur XXXIX. flagrorum ictibus; quæ exomologesis est diei Expiationis solemnis, ad veniam criminum a Deo impetrandam. Vide nostram Dissertationem de Suppliciis veterum Hebręorum.

PRO MENSURA PECCATI ERIT ET PLAGARUM MODUS. Nonnihil turbatus est Hebræus: ita vero sonat cum præcedentibus conjunctus (4): *Prosternere faciet eum judex, & cædere faciet eum coram se, ad sufficientiam peccati ipsius in numero*; idest, pro mensura delicti referet ictus, vel tot recipiet, quot Judices mandaverint, vel numerum in Lege præscriptum; vel tandem cædetur numeratis ictibus, ut non permirtatur voluntati tortoris. Commode etiam hæc cum sequentibus junguntur in hanc sententiam: Judex cædi illum jubebit coram se pro criminis mensura usque ad XL. ictus. Ad hunc usque ictuum numerum perveniri poterit, sed plerumque non excedetur. Ne vero excedatur, Judæi ictuum numerum ad XXXIX. definierunt. Sex simul ictibus cædebantur terga, cum interim simul tribus tunderetur pectus inter mamillas. Ferulæ Lictorum forma pariter & magnitudo describitur; sed temere prorsus omnia, & sola Rabbinorum authotitate freta.

℣. 3. QUADRAGENARIUM NUMERUM NON EXCEDANT. Gro-

(1) Vide Selden. lib. 2. de Synedriis c. 13. & Grot. hic. (2) Munest. Fag. Drus. (1) Buxtorf. Synagog. Jud. cap. 20. (4) ארבעים יכנו ℣. 1. והכהו לפניו כדי רשעתו במספר Septuag. Κατὰ τὴν ἀσέβειαν αὐτοῦ ἀριθμῷ μαστιγώσουσιν αὐτόν. ℣. 3. Τεσσαράκοντα ὁ μαστιγώσουσι.

Grotius, aliique nonnulli censent, in hac sententia reddenda tres adfuisse Judices, quorum unus sententiam legebat, alter numerabat ictus, tertius vero mandabat lictori, ut cæderet. Rabbinismum hæc sapiunt, neque enim nisi unum Judicem Moyses hic indicat. In vulgaribus delictis numerus ictuum quadragenarius nunquam superabatur; sæpe tamen aliquid de illo remittebatur, si hominis imbecillitas exposceret (1).

Ne foede laceratus &c. Hebræus ad literam (2): *Ne forte pudore perfundatur frater tuus coram te*; vel: *Ne vilescat frater tuus in oculis tuis*; ne minoris illum æstimes, ne animadversioni subjectum contemnas. Ex hoc Textu philosophantur Judæi, flagrorum pœnam nihil ignominiosum apud se referre.

℣. 4. Non ligabis os bovis terentis. In Judæa, Ægypto, Italia, Hispania, & Oriente, post messem, frumentum pedibus teritur. Paratur autem area probe pavita solidataque, in qua manipuli alter contra alterum stant, erectis aristis, & in rotundum circa arborem dispositi: tum immissi boves vel equi super illos discurrere in gyrum coguntur, ut e stipula granum excutiatur. Id autem per maximum diei æstum fit. Vespere adventante, excussa grana ligneis ventilabris jactantur; vento autem exsufflata stipula, triticum pondere suo in aream cadit. Moris autem est os boum, dum fruges terunt, vinculo aliquo stringere, ne segetes depascant; eamdemque ob caussam alii (3) rictum illorum bovino stercore liniunt. Obtinuit ex eo more proverbium apud Suidam: *Bos in strue*; quo emblemate designatur avarus in copia bonorum suorum egens.

Prohibet Moyses genus hoc crudelitatis. Jubet enim liberum relinqui os boum laborantium, ut laboris sui fructum percipiant: iniquum enim est, ait Josephus (4), parva hac mercede laborum suorum privare benefica hæc animalia, quorum laboribus nobis frumenta comparamus. Lata autem hac lege insinuantur humanitatis officia in famulos cæterosque opifices. Tandem docet Apostolus (5), Deum, cum hanc legem sanxit, minus boves, homines maxime spectasse: id enim voluit, ut quisque ex arte sua viveret; & Evangelii ministri ab iis, quos instituebant, id acciperent, quo nutrirentur. Sunt qui sanctionem hanc ad literam accipiant (6) de iis, qui nimiis laboribus opprimunt boves pretio conductos ad trituram. Extendenda est autem hæc lex ad animalia quæcumque similibus operibus impenduntur. Latiorem Textus hujus expositionem vide apud Bochartum (7).

℣. 5. Quando habitaverint fratres simul. Sancit Moyses, ut frater ejus, qui orbatus liberis decessit, viduam ejus superstitem ducat: quæ exceptio est Legis (8) vetantis connubia inter fratres & sorores, & inter fratrem viri cum viri illius uxore. Fama est, Ægyptios (9) putasse neque verum matrimonium, neque ullum necessitudinis vinculum alligasse illis, qui liberos e matrimonio nullos genuerant. Quibus constitutis, nullum erat absurdum, cum frater alterius fratris defuncti sine liberis uxorem superstitem duceret. Ex Legislatoris verbis innuitur, Legem hanc primo valuisse tantum pro fratribus, qui apud patrem simul habitabant, uti de filiis Juda legimus in Genesi XXXVIII. 8. idest, qui simul erant in eadem vel domo, vel urbe. Sed usus tandem porrexit Legem ad necessarios etiam remotiores, dummodo in Judæa habitarent, & communi hæreditate fruerentur, uti exemplo Ruth demonstratum est.

Hæc Rabbinorum ea de re doctrina (10). Preceptum ducendi viduam uxorem fratris defuncti absque liberis, eos tantum fratres ligat, qui communem utrumque parentem habuerunt, non fratres ex alterutro tantum parente communi natos. Inter fratres vero unum majorem natu defuncti respicit, & illum etiam nonnisi cum nondum duxerit uxorem; si enim sociam habet uxorem, integrum illi est seu viduam fratris sui ducere, seu relinquere. Pseudo-Justinus (11) contrarium docet. Si defuncti seu filius, seu filia adoptivi vel spurii superessent, si nepos vel neptis, superstitis fratris obligatio peribat. Ita illi arctissimis quam fieri potest limitibus coercent Legem opinione sua odiosam. Noemi verbis illis suis ad Ruth (12) innuere videtur, filios suos omnes, non eos tantum quos tunc forte habere posset, sed siquos deinceps genuisset, sanctioni hujus Legis ducendi viduam ex fratre relictam subinittendos fuisse.

Porro connubium illud viduæ cum fratre viri sui nullo solemni ritu, & vi tantum Legis præcipientis, celebrandum erat; seu potius jungendi erant duo illi, sed non lege connubii, cum Lex jubeat viduam liberis orbatam veluti uxorem fratris mariti sui defuncti haberi. Attamen moribus inductum erat, ut frater uxorem illam duceret coram duobus testibus, & argentea quadam moneta illi soluta, addita nuptiali benedictione, ac tabulis, quibus dotis securitas assereretur. Apud Judæos hodie (13) lex ista cessavit, imo ab ipsa eversione Templi & exilio a Terra Sancta jacuit. Affirmat Fagius, cessasse post captivitatem Babylonicam, quod hæreditates omnes confusio turbasset. Jubebant Athenienses (14), propinquiores necessarios mulierum parentibus orbarum illas ducere in uxores, dote pariter destinata; quam illis legem idem ferme consilium ac Mosaicam illam dictavit. Tartaris datum est, quamquam nulla lege præceptum, viduas ex fratre relictas ducere in uxores. Apud Circassos nota est circumcisio, sicut nec insuetus mos, ut frater ducat viduam fratris sui, ex quo nulli liberi suscepti sunt, ut nomen defuncti superstitis opera reviviscat. Vide Itiner. Moschov. tom. 2. p. 68.

℣. 6. Primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit. Josephus (15) aliique nonnulli id totum planius interpretantur, rati filium natu majorem inter mares ex eo connubio natum defuncti nomen gessisse. In eamdem sententiam S. Augustinus concessit: demum vero agnovit (16), id plane necessarium non fuisse; quod exemplo Ruth (17) didicit, cujus filius ex Booz natus appellatus est *Obed*, non de nomine prioris viri defuncti, *Mahalon*. Textus Hebræus habet (18): *Et erit primogenitus, quem pariet, stabit super nomine fratris ejus*; idest, habebitur hæres fratris illius; nomen ejus, familiam, & hæreditatem obtinebit. Nomen interdum perinde valet ac successio; ita filiæ Salphaad Moysem convenientes, ita de patre suo loquuntur (19): *Cur tollitur nomen illius de familia sua?* Cur nullam hæreditatem possidebit?

℣. 7. Sin autem noluerit. Frater superstes nulla quidem Lege ad eas nuptias adigi poterat: sed si pium hoc fratri officium reddere noluisset, opprobrii notam in Israele incurrebat; quandoque tamen nulla probri nota recusans inurebatur (20); ex. gr. si vidua uxor, cur vir ejus obiit,

(1) Maimonid. Malach. Sanhedr. c. 17. (2) ונקלה אחיך לעיניך Septuag. Ἀσχημονήσει. (3) Ælian. var. hist. l. 4. c. 25. (4) Antiq. l. 4. c. 8. Ita & Theodoret. hic. (5) 1. Cor. IX. 7. 8. 9. (6) Fonseca apud Delrium, adag. sacr. (7) Bochart. de animal. sacr. part. 1. c. 30. 32. & 40. (8) Levit. XVIII. 16. (9) Cod. Justin. l. 5. tit. 6. leg. 8. (10) Vide Selden. de successione in bona c. 14. & Uxor Heb. l. 1. c. 14. (11) Quæst. ad Orthod. qu. 132. (12) Ruth. I. 13. (13) Cunæus de Rep. Heb. l. 1. c. 7. & Buxtorf. de Synag. Jud. c. 30. (14) Demosthen. orat. 2. cont. Stephan. & in Macartat. & Terent. Phormio. (15) Joseph. Antiq. l. 4. c. 2. Author libri Siphri. (16) Aug. Retract. l. 2. c. 12. (17) Ruth. IV. 17. (18) והיה הבכור אשר תלד יקום על שם אחיו (19) Num. XXVII. 3. (20) Vide Selden. Uxor Hebr.

fœtum gerebat: si defunctus ille plures uxores sine liberis reliquisset; tunc enim satis erat, si frater vel unam tantum duceret, vel unam recusaret, ut uxoribus reliquis plena esset libertas nubendi cui maxime voluissent. Si Rabbinos audiamus, renunciandum erat huic matrimonio coram tribus Judicibus, natis ex utroque parente Judæo, adhibitis etiam duobus testibus. Vidua & frater mariti offerebant se Tribunali jejuni. Interrogabatur mulier, utrum tres menses intercessissent saltem ab obitu viri; hoc enim temporis spatium dabatur, quo palam fieret utrum e marito defuncto concepisset. Tunc Judices virum rogabant, num fœminam illam ducere vellet. Si recusaret ille; fœmina ter verba hæc pronunciabat: *Frater mariti mei recusat suscitare in Israele nomen fratris sui, & accipere me in uxorem*. Simul autem illa calceum dextri pedis viro detrahebat, expuebatque in terram coram illo, palam, ut Judices probe intuerentur: ita vero homini exprobrabat: *Sic fiat viro, qui non ædificat domum fratris sui; vocabitur nomen ejus in Israel, Domus discalceati*. Continuo autem Judices & totus simul cœtus ter clamabat: *Calceus exutus est*.

Tum omnia scriptis tabulis mandabantur: tabulæ autem illæ appellabantur: *Libellus calcei exuti*. Hæc autem formula recitatur in Gemarra Jerosolymitana, brevior utique quam quæ in Rabbinis legitur. *In consessu N. N. &c. exuit calceum illa N. illi N. filio N. coram nobis, scilicet coram nobis adduxit illa illum, & solvit calceum pedis ejus dextri, & expuit coram nobis sputum quod a nobis cernebatur, in terram; & dixit: Sic fiat viro qui non ædificat domum fratris sui*. Hæc Doctores Hebræi.

Cæremonia illa calceum exuendi symbolo quodam designabat renunciationem fratris erga hæreditatem & jura alterius fratris defuncti & cum vidua ejus uxore connubium. Sicut enim possessionis susceptæ argumentum erat, cum quis porrecto pede vestigium in solo imprimeret; ita pariter exui calceo contrarium significabat. Scitum est, in Scriptura nudipedium insigne esse demissionis, pœnitudinis, luctus, servitutis. Mancipia nudis pedibus semper fere incedebant. Qui detrahi sibi calceum sinebat, indicia hæc omnia servitutis sponte subibat; quin & in hac re & notam ignominiæ incurrebat. Veteres Indi, Persæ, Ægyptii visum per quietem noctis sandalium designare fœminam autumabant (1). Hoc erat igitur indicium rejecti connubii, si quis demi sibi sandalia pateretur. Apud Turcas cum fœmina petit separari se a viro ex causis, quas exprimi vetat pudor, sistit se coram Judicibus; & detractos coram illis calceos inversos ponit (2).

℣. 9. Spuetque in faciem illius. Ex Rabbinis & Interpretibus quidam (3) censent, expuisse illam tantummodo coram viro, sed in terram; ita enim Hebræum reddunt: *Expuet in faciem ejus*, idest, coram facie illius; sed expressius in vulgata sensus & pronior est, & a Josepho in historia Ruth retinetur (4). Expuere in faciem alicujus, maximi contemptus significatio est (5).

Qui non ædificat domum fratris sui. Stylo Scripturæ ædificare domum fratris sui est sæpe liberos illi suscitare (6). Florens liberis familia bene ædificata domus appellatur.

℣. 12. Aascindes manum illius. Fœminam illam manus abscissione mulctabis, nec illi parces. Censent tamen Hebræi, integrum illi fuisse pœnam illam redimere pretio; Legem hanc ita exponentes, quemadmodum Legem talionis interpretantur (7). Ex illis quidam (8) ad sensum plane remotissimum Textum hunc distrahunt. Fas erit, inquiunt, uxori manum ejus præcidere, qui maritum suum aggreditur; nihil intentatum relinquet, ut illum defendat; cujus saluti si aliter consuli non possit, ea præstare per Doctores illos licet, quæ alioqui vetantur ℣. 11. Quid est Legis sensum corrumpere, si hoc est exponere?

Nec flecteris super eam ulla misericordia. In Hebtæo nihil legitur de fœmina; fert enim ad literam: *Non parcet oculus tuus*. Verum Septuaginta & Vitlgata id suppleverunt, quod sermonis contextus apertissime postulat.

℣. 13. Diversa pondera. Justum & injustum, leve & grave. Hebræus ad literam: *Non feres lapidem & lapidem*. Pondera in Scriptura lapides appellantur (9), quod olim loco ponderum Veteres uterentur lapidibus: quæ deinde loquendi phrasis adhuc perseveravit, postquam pondera plumbea vel ænea invecta sunt. Scriptum etiam legitur (10) *lapis plumbi*, pro pondere plumbi.

℣. 17. Memento quæ fecerit tibi Amalec. Vide Exodum XVII. 14. Quæ tamen circumstantia hic ℣. 18. expressa est, in Exodo desideratur.

(1) Achmet. Oniricr. c. 229. (2) Busbeq. ep. 3. *Id Judici abominandæ Veneris indicium est*. (3) Jun. Tremel. Rab. Salom. Ainsv. (4) Joseph. Antiq. l. 5. c. 11. Legendum, πτύσει εἰς τὸ πρόσωπον, pro τύψει, ut legitur. (5) Num. XII. 14. Isai. L. 6. Matth. XXVI. 67. & XXVII. 30. (6) Vide Genes. 16. 16. & Exod. 1. 21. (7) Munster. (8) Rabb. apud Grot. (9) Mich. VI. 11. Prov. XX. 10. & 23. & XVI. 11. (10) Zach. IV. 10. & V. 8.

CAPUT XXVI.

Ritus in oblatione primitiarum ex fructibus.

℣. 1. Cumque intraveris Terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est pos-
sidendam, & obtinueris eam, atque habitaveris in ea: 2. Tolles de cun-
ctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Do-
minus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus: 3. Accedesque ad sacerdo-
tem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: profiteor hodie coram Domino Deo
tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam
nobis. 4. Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini
Dei tui: 5. Et loqueris in conspectu Domini Dei tui: Syrus persequebatur patrem
meum, qui descendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus est in paucissimo numero:
crevitque in gentem magnam, ac robustam, & infinitæ multitudinis. 6. Affixerunt-

que

que nos Ægyptii, & persecuti sunt, imponentes onera gravissima. 7. Et clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum: qui exaudivit nos, & respexit humilitatem nostram, & laborem, atque angustiam: 8. Et eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pavore, in signis, atque portentis: 9. Et introduxit ad locum istum, & tradidit nobis terram lacte, & melle manantem. 10. Et ideirco nunc offero primitias frugum Terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eam in conspectu Domini Dei tui, & adorato Domino Deo tuo. 11. Et epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi, & domui tuæ, tu, & Levites, & advena, qui teeum est. 12. Quando compleveris decimam eunctarum frugum tuarum, anno deeimarum tertio, dabit Levitæ, & advenæ, & pupillo, & viduæ, ut eomedant intra portas tuas, & saturentur: 13. Loquerisque in eonspectu Domini Dei tui: Abstuli quod sanctificatum est de domo mea, & dedi illud Levitæ, & advenæ, & pupillo, ac viduæ, sicut jussisti mihi: non præterivi mandata tua, nec oblitus sum imperii tui. 14. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei, & feci omnia, sieut præcepisti mihi. 15. Respice de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, & benedic populo tuo Israel, & terræ, quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris, terræ lacte, & melle mananti. 16. Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, ut facias mandata hæc, atque judieia: & eustodias, & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. 17. Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, & ambules in viis ejus, & custodias eæremonias illius, & mandata, atque judieia, & obedias ejus imperio. 18. Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, & custodias omnia præcepta illius: 19. Et faeiat te excelsiorem eunctis gentibus, quas ereavit, in laudem, & nomen, & gloriam suam: ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est.

℣. 2. TOLLES DE CUNCTIS FRUGIBUS TUIS PRIMITIAS. Quidquid e terra satum proveniebat, servabaturque in usum & cibum consuetum, primitiarum & decimarum Legi subdebatur. Herbæ pariter, quæ nascebantur in hortis, & quarum vel caulis vel semen tecondebatur, ipsam eamdem legem ac fructus agri subibant, juxta plures Rabbinos; quibus tamen alii plures, & Scriptores Commentariorum quidam repugnant. Vide S. Matthæum XXIII. 23. Nefas erat tangere quidquam de agro suo ac de fructibus, in privatum usum convertendum, nisi prius solutis primitiis, tum oblationibus, ac tandem decima. Verba Legis ad literam nonnisi pro terra Chanaanitidis obligabant, sed præceptum illud prorogarunt Hebræi ad regiones Syrorum & ditionem Og & Sehon trans Jordanem. Nec primitiæ omnes in ipsa specie Templo solvebantur. Censet Scaliget (1) offerendas esse tantum spicas, uvas, oleas; addunt alii ficus, prunas, dactylos, mala Armeniaca. Primitiæ hordei dabantur festo Paschatis (2); frumenti, festo Pentecostes (3); & vicissim aliorum fructuum cum maturescerent, ita ut ea oblatio nec Pentecostem præcederet, nec ultra Templi Dedicationem differretur. Non minus quam sexagesima fructuum, nec magis quam quadragesima solvebatut. Suis quisque humeris, concinnis canistris contentas, seorsum singulorum fructuum decimas deferebat. Ipse pariter Rex Legis hujus præcepto subdebatur, onerabarque se pia sarcina, cum pervenisset ad montem cui Templum insidebat (4).

Cum decimarum vectores ad altare pervenissent, intertogabantur a Sacerdore tunc ministrante, quid ferrent. Reponebat quisque: *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua juravit Patribus nostris, ut daret eam nobis*: deponensque simul eanistrum suum in

manibus Sacerdotis, addebat: *Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus est*; & cætera quæ recitantur ℣℣. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11. Tum offerebantur sacrificia pacifica ad convivium instruendum cum familia, egenis, & orphanis. Interim vero canebant Sacerdotes Psalmum: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me*. Succedebat oblatio *teramah*, quam simul exhibebant Sacerdos & Laicus offerens, motu agitationis, idest, elevantes demittentesque, ad dexteram & ad sinistram commoventes. Oblatio ista triticum non erat suis aristis elausum, nec uvæ, vel oleæ integræ; sed triticum excussum, vinum & oleum. E tota messe seu vindemia non minus dabatur quam sexagesima, nec ultra quadragesimam. Persoluta rite primitiarum oblatione *terumah*, decimæ Levitis pendebantur.

Non satis in hoc capite distinguitur ab oblatione primitiarum oblatio *terumah*, de qua Rabbini: quin nec nomen ipsum *terumah* hic occurtit; ac tandem nullibi apud Moysem satis aperte oblatio eadem exprimitur. Quare id datum nobis arbitramur, ut banc rejiciamus in censum apocryphorum, quæ a Rabbinis venditantur. Deus nihil exigebat a populo suo, nisi ptimitias & decimas: decimas fuisse ex ipsis oleribus hortorum, nullo satis aperto documento intelligimus.

℣. 5. LOQUERIS. Hebtæus: וענתה ואמרה *Respondebis*. Indicant hæc, Sacerdotem aliquid interrogasse, nti jam supra animadvetsum est.

SYRUS PERSEQUEBATUR PATREM MEUM. Sytum hunc Jacobi persequutorem non alium designare censent Intetpretum plerique (5), quam socerum ejus Labanum, qui malis plurimis viro irrogatis, illum coegit e Mesopotamia in Chanaanitidem regredi, unde venit denique in Ægyptum. Alii vero dictum de Jacobo ipso accipiunt (6),

[1] Vide Scaliger. in Critiris sacris, ad hoc caput; & Amama ibid. [2] Levit. II. 14. & XXIII. 10. [3] Levit. XXIII. 15. & Num. XXVIII. 26. & Deuter. XVI. 9. [4] Vide Outram. de sacrific. l. 1. c. 8. [5] Lyr. Titin. Oleast. Menorh. Munst. Jans. Fag. Cajet. Onkelos, & Rabb. plerique. [6] Drus. Grot. Vat. Mont. Jun. &c.

Hebræum ita reddentes (s): *Pater meus Syrus erat pauper*, miser ac ad extremas vitæ angustias redactus, *qui descendit in Ægyptum*; ac si diceret: Pater meus Syrus pauperculus, & Aramæus misser, ut extremas mortis angustias & ipse & familia declinaret, in Ægyptum descendit. Igitur si regionem hanc ego possideo, bonum hoc mihi ex Dei beneficio, non e paterna hæreditate provenit. Sed numquid Jacob Aramæus? nonne in Chanaanitide natus est? Reponitur, Patriarcham illum xx. annos egisse in Mesopotamia, quæ in Scriptura nomine Syriæ, vel Aram censetur: inde & mater ejus, & Abraham avus originem referebant: ibi pariter genuit filios, ejusque familia non distinguebatur nisi sub nomine Hebræorum, vel gentium e Transeuphratæis: hæc autem satis esse, ut Syrus, vel Aramæus appellaretur.

Maluerim ego tamen sequi versionem Septuaginta, ferentem (a): *Syriam pater meus reliquit, & descendit in Ægyptum*. Sensus est hic pronior æque ac planior; durum enim ac detortum aliquid in illis agnosco: *Pater meus Aramæus erat, in vitæ discrimine, qui descendit in Ægyptum*. Nec satis etiam intelligo, quid causæ dederit Labanus, ut Jacob in Ægyptum veniret.

ỷ. 8. In ingenti pavore. Reddi potest Hebræus במורא גדל *Miris visionibus*, vel prodigiis stupendis, ut habent Septuaginta: Ἐν ὁράμασι μεγάλοις, *In visionibus magnis*.

ỷ. 11. Epulaberis. Agebantur convivia illa, de quibus ad Caput xii. 7. in loco a Domino sibi destinato. Strabone libro x. teste, apud Græcos, Barbarósque nunquam cessavit mos inter læta convivia, & gaudii significationes sacrificia operandi, cum putarent jucundis hisce abstrahi animum a terrestribus, & inquietis, & ad rerum Divinarum cognitionem utcumque elevari. Concentus, harmonie, musica, quæ Festa illa commendabant, anticipatum quemdam Divinitatis saporem libabant. Rudis ille Hebræorum populus impar erat, qui ad mere spiritales voluptates, quibus spiritus sine corporis participatione gaudet, invitaretur.

ỷ. 12. Anno decimarum tertio dabis Levitæ. Decimarum duo genera quotannis indicta fuisse Hebræis in Levitico xxvii. 30. animadvertimus. Primæ solvebantur Levitis (3); secundæ (4) vel in ipsa specie conferebantur Jerosolymam, vel si iter longum aut difficile esset, vendebantur, & pretium transferebatur Jerosolymam, quo emerentur carnes, panes, oleum in usum convivii, cum familia, & Levitis instituendi. Tandem tertio quoque anno, quod hic sancitum est, quin quisque in Urbem sanctam veniret, permittebatur in sua Urbe religiosa ejusmodi convivia peragere, & decimas, ut optimum judicabat, inter pauperes loci distribuere.

ỷ. 13. Abstuli quod sanctificatum est de domo mea. Hebræus ad literam (5): *Combussi sanctificata, quæ erant in domo mea*. Phrasis hæc, *combussi*, exprimit quanta cura excuteretur domus, ne quid remaneret eorum, quæ Domino sanctificanda erant. Ut enim ignis purgat, & nihil relinquit; ita ego pariter nihil eorum, quæ Domini sunt, retinui.

ỷ. 14. Non comedi ex eis in luctu meo. Nefas, luctu perseverante, quidquam sacrum attingere; quidquid autem forte tangeretur, maculam contrahebat: *Sacrificia eorum* [polluta sunt] *quasi panis lugentium*, ait Osee ix. 4. Alii vero (6) ita exponunt: Nihil ex eis comedi, quacumque stimulatus necessitate; quamquam premente paupertate, nihil quidquam tetigi. Aliis (7) alius sensus probatur: Convivia hæc religiosa, & oblationes non invitus exsolvi; pauperem, & orphanum libenti animo invitavi. Sed nulla ex his interpretationibus satis prona nobis videtur. Nunquam fas erat usurpare quidquam de primitiis, seu in luctu, seu alio quocumque tempore; & qui oblationem tunc ferebat, ipso utique actu in nullum alium usum rem illam se convertisse demonstrabat. *Luctum* vero pro paupertate, & inopia usurpari, stylum planum, & simplicem Legum dedecet. Tandem inusitata est etiam phrasis non dare aliquid *in luctu*, pro, dare libenter.

Autumat Spencerus (8), hac professione sua Israelitas detestari cultum Isidis, quem lugubri ritu, maxime per messis tempus, Ægyptii præstabant. Diodorus Siculus libro 1. *Per id tempus Ægyptii, oblatis prioribus messium aristis, prope manipulos sedent, querulisque clamoribus Isidem vocant*. Circa eamdem anni tempestatem agebantur Festa Adonidis, cujus funus amaro fletu lugebant (9). Non dissimili ritu mortis, & sepulturæ Osiridis memoria celebrabatur: fletus tunc, pectoris tunsiones, incisiones carnis, capitis abrasiones, luti & pulveris conspersiones (10). Eadem sacra disciplina apud Phœnices (11), tellurem exutam, & quodammodo senescentem collectis fructibus lugentes. Has facile superstitiones rescindere Moyses volebat. Isidem agnoscebant Ægyptii inventricem fructuum, & segetum; quarum rerum primitias illi consecrabant, numen ejus invocabant, suasque cum illa lacrymas pro funere chari Adonidis miscebant. Vicissim Hebræi oblationes suas ad Templum Domini laturi adventabant, profitentes, ejus largitione habere se terram illam; ejus proinde primitias reddere; e quibus nihil se impendisse testabantur in luctu superstitioso Isidis, & in funeribus Osiridis, atque Adonidis, quem *mortuum* per contemptum appellabant. *Nec expendi ex hoc quidquam in re funebri*. Hebræus (12): *Neque dedi ex ea mortuo*.

Nec separavi ea in qualibet immunditia; in loco scilicet immundo, vel ad usus profanos, vel tempore immunditiæ meæ, vel tandem non destinavi ad cultum rei immundæ, Dei illius spurcissimi Osiridis, vel Adonidis, quem immundum per derisionem appellabant (13). Hebræus ad literam (14): *Neque combussi in immundo* loco; vel: *Non separavi in immundum*, ad rem immundam. Jam supra ỷ. 13. animadvertimus, vocem comburere poni pro, summo studio perscrutari.

ỷ. 17. Dominum elegisti hodie ut sit tibi Deus . . . . [ỷ. 18.] et Dominus elegit te hodie ut sis ei populus. Postrema Moysis ad populum concio perinde habebatur ac mutua innovatio fœderis Domini cum Israele, & Israelis cum Domino; quare verissime affirmare poterat, Deum hac ipsa die selegisse sibi Israelem in populum suum (15); & vicissim populum in Deum suum illum agnovisse. Sunt, qui ita exponant: Recordare selegisse te Dominum eadem ipsa die, qua Dominus te accipere dignatus est (16). Nunquam e mente excidat dies illa solemnis ex fœdere mutuo inter Dominum, & te composito. Interpretes

(s) ארמי אבד אבי וירד מצרימה (a) Συρίαν ἀπέβαλεν ὁ πατήρ μου, [alias ἀπέλιπεν] καὶ κατέβη εἰς Αἴγυπτον. (3) Num. xviii. 21. (4) Deuter. xiv. 22. 23. Tob. 1. 7. Levit. xxvii. 30. 31. 32. &c. (5) בערתי הקדש מן הבית Septuag. Ἐξεκάθαρα τὰ ἅγια ἐκ τῆς οἰκίας μου. (6) Vat. Fag. Munst. Est. Tirin. (7) Jun. Ger. Pisc. (8) Spencer. de legib. Hebræor. ritual. lib. 2. cap. 24. §. 1. (9) Ammian. Marcell. l. 22. *Evenerat iisdem diebus Adonia ritu veteri celebrari .... quod in adultis flore sectarum indicium est frugum*. (10) Julius Firmicus, de errore profanarum relig. (11) Euseb. Præpar. l. 1. c. 9. Vide & Macrob. l. 1. c. 21. (12) ולא נתתי ממנו למת (13) Vide Deuteronom. xxix. 17. *Vidistis abominationem & sordes*; idest, *Idola eorum*, &c. (14) ולא בערתי ממנו בטמא Septuag. Οὐκ ἐκάρπωσα ἀπ' αὐτῶν εἰς ἀκάθαρτον. (15) Vide Vers. 9. cap. xxvii. (16) Vide Exod. xix. 10.

pretes quidam (1) vertunt Hebræum (2): *Dominum exaltasti hodie, & Dominus exaltavit te*. Alii: vos renunciari jussistis Domino, vos illum deinceps in Deum vestrum habituros; & ille vicissim vobis respondet, accipere se vos in populum suum. Utrimque fides oppignerata est.

℣. 19. FACIETQUE TE EXCELSIOREM CUNCTIS GENTIBUS .... IN LAUDEM, ET NOMEN, ET GLORIAM SUAM. Textus Hebræus, Septuagintæ, Chaldæus, & Interpretum plerique exponunt: Id cogitat Deus, ut reddat vos gentem omnium, quotquot condidit, maxime illustrem gloria, fama nominis, & laude,

CAPUT XXVII.

Monumentum trans Jordanem erigendum, in quo verba Legis describenda sunt. Qui ritus serventur in imprecandis maledictis in vertice Garizim, & benedictionibus in monte Hebal,

℣. 1. PRæcepit autem Moyses, & Seniores Israel, populo, dicentes: Custodite omne mandatum, quod præcipio vobis hodie. 2. Cumque transieritis Jordanem, in terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, & calce levigabis eos: 3. Ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus, Jordane transmisso: ut introeas terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte & melle manantem, sicut juravit patribus tuis. 4. Quando ergo transieritis Jordadem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, & levigabis eos calce. 5. Et ædificabis ibi Altare Domino Deo tuo, de lapidibus quos ferrum non tetigit, 6. Et de saxis informibus & impolitis: & offeres super eo holocausta Domino Deo tuo. 7. Et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo. 8. Et scribes super lapides omnia verba legis hujus plane & lucide. 9. Dixeruntque Moyses & Sacerdotes Levitici generis, ad omnem Israelem: Attende, & audi, Israel: hodie factus es populus Domini Dei tui: 10. Audies vocem ejus, & facies mandata atque justitias, quas ego præcipio tibi. 11. Præcepitque Moyses populo in die illo, dicens: 12. Hi stabunt ad benedicendum populo, super montem Garizim, Jordane transmisso: Simeon, Levi, Judas, Issachar, Joseph & Benjamin. 13. Et e regione isti stabunt, ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad & Aser, & Zabulon, Dan & Nephtali. 14. Et pronunciabunt Levitæ, dicentque ad omnes viros Israel, excelsa voce: 15. Maledictus homo qui facit sculptile & conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito. Et respondebit omnis populus, & dicet: Amen. 16. Maledictus qui non honorat patrem suum & matrem; & dicet omnis populus: Amen. 17. Maledictus qui transfert terminos proximi sui; & dicet omnis populus: Amen. 18. Maledictus qui errare facit cœcum in itinere, & dicet omnis populus: Amen. 19. Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli, & viduæ, & dicet omnis populus: Amen. 20. Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, & revelat operimentum lectuli ejus; & dicet omnis populus: Amen. 21. Maledictus qui dormit cum omni jumento; & dicet omnis populus: Amen. 22. Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ; & dicet omnis populus: Amen. 23. Maledictus qui dormit cum socru sua; & dicet omnis populus: Amen. 24. Maledictus qui clam percusserit proximum suum, & dicet omnis populus: Amen. 25. Maledictus, qui dormit cum uxore proximi sui. Et dicet omnis populus: Amen. 26. Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis; & dicet omnis populus: Amen. 27. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit; & dicet omnis populus: Amen.

℣. 1. MOYSES ET SENIORES ISRAEL. Legimus ℣. 9. Moysem & Sacerdotes e Tribu Levi ad populum verba fecisse; creduntur autem Sacerdotes (3) ex ore Moysis excepisse, quæ communicarent Senioribus & Principibus Tribuum, a quibus in omnem populum spargerentur. Cum tamen Moyses concionem haberet ad universum populum, omnesque loquentem auscultarent, uti jam animadvertimus superius, I. 1. & v. 1. reputaverim ego, potius loquenti Moysi in medio

(1) Pagn. Vat. Oleast. Fag. &c.
(2) אמרת היום להיות לך לאלהים...ויהוה האמירך היום להיות לו לעם
(3) Grot. hic, Fag. ad ℣. 9.

medio Sacerdotum & Seniorum applausisse omnes, seseque ipsi adjungentes declarasse populo, optime facturum illum, si Moysis jussionibus per omnia obsequeretur; claudentes, ejus dicta omnino esse implenda: ac tandem hortatos esse populum, ut in fide Domini perseveraret.

℣. 2. Eriges ingentes lapides; grandibus lapidibus monumentum. Cum autem lapides illi rudes essent, eus idcirco calce vel luto liniri opus erat, ut descripta verba Legis continerent. Non satis convenit inter doctos, utrum lapides ii, vel hoc monumentum ipsum idem sint Altare, de quo in ℣. 5. immolationi victimarum pacificarum destinatum, ex quibus convivium universo populo institueretur. Nulla necessitate cogimur distinguere duo hæc monumenta, quin & decuisse maxime arbitramur, ut in eo ipso Altari, in quo verba Legis descripta erant, in Legum illarum confirmationem sanguis hostiarum effunderetur. Sunt qui monumentum illud efformatum credant e duplici ingenti lapide; alii e quatuor, alii e duodecim: sed præstat reputemus, erectum fuisse monumentum, quod Altaris loco esset, e rudibus ingentibus lapidibus, adeo editum, ut in memoriam posteritatis esse posset; ac solidum adeo, ut diuturni temporis injuriæ resisteret: ingens denique, quantum opus erat ut descripta ferret pacta fœderis Dei cum Israele.

℣. 3. Omnia verba Legis hujus; idest, juxta nonnullos, Leges Moysis omnes, vel tantum Decalogum (1), vel ea quæ recitantur in Exodo xx. xxi. xxii. xxiii. vel, juxta alios (2), Deuteronomium, idest, prolixam illam concionem Moysis ad populum in campestribus Moab, & alia, quæ sequentibus capitibus continentur, scilicet xxix. xxx. xxxi. xxxii. xxxiii. Nulla vero necessitas exigebat, ut describerentur pariter priores versiculi capitis i. & caput postremum, quæ pure historica sunt. Josue mandata hæc impleturus (3), describi curavit in Altari a se erecto *Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel*. Arbitratur Josephus (4), duo latera Altaris, vel monumenti erecti a Josue, inscriptas obtulisse tantum maledictiones ac benedictiones, in monte Hebal, & Garizim pronunciatas. Equidem in illis tota Moysis Lex per epitomen continebatur; eamdemque opinionem optimi plures Interpretes sequuntur (5). Integrum relinquimus Lectori, ut in quam sententiam maluerit, omnes æque probabiles, inclinet.

℣. 4. Hebal. Samaritanus legit *Garizim* pro *Hebal*.

℣. 6. De saxis informibus et impolitis. Hebræus ad literam: אבנים שלמות, *Lapides integritatis*, lapides integros, rudes, nulla arte expolitos. Ita & Septuaginta: Λίθους ὁλοκλήρους, *lapides integros*. Vide etiam Exod. 20. 25. & 1. Esdr. v. 8. Vulgaris opinio tenet lapides sectos nescio quid labis ex ferro contrahere; quare sacris ædificiis multo honestius impendi lapides rudes creduntur. Cum Vespasianus, referente Tacito, statuisset Capitolii igne absumpti reparationem, censuerunt aruspices in fundamentis molis illius nec lapides, nec aliud quidquam aliis jam usibus adhibitum collocandum esse. *Saxum ingens traxere; passimque injecta fundamentis argenti aurique stirpe, & metallorum permixtæ nullis fornacibus victæ, sed ut gignuntur, prædixere aruspices ne temeraretur opus saxo auroque in aliud destinato.*

℣. 8. Scribes plane et lucide. Hebræus: באר היטב Scribes *declarando bene*: quod commode accipitur sive de iis, quæ scribenda erant, ut plana essent & aperta, addita nempe obscurarum vocum expositione, sive de stylo perspicuo, quo digererentur, sive de charactere correcto, distincto, lectu facili. Rabbinorum quidam censent, Josue, nequid mandatis hisce deesset, Legem septuaginta variis idiomatibus descripsisse, quo scilicet ab omnibus per orbem gentibus legeretur. Quam commode, Deus bone!

℣. 12. Hi stabunt ad benedicendum.... Simeon et Levi &c. Filiis Rachelis & Liæ, quæ duæ erant matresfamilias, uxores Jacobi; munus amplissimum & maxime honorificum concedit Moyses, ut scilicet benedictiones in monte Garizim precentur: vicissim autem filiis duarum ancillarum, Zelphæ & Balæ, quibus jungit Rubenum filium Liæ, merito criminis sui ex jure primoris natu lapsum, & Zabulonem inter filios Liæ postremum; his, inquam, præcipit odiosum illud, ut maledicta in monte Hebal contorqueant. Hęc autem ita executioni hoc ritu mandata censentur (6). Eæ Tribus, quarum munus erat, ut post benedictiones responderent *Amen*, constituerunt se in vertice Garizim; ac vicissim monti Hebal insederunt cæteræ, quæ maledictis inclamaturæ erant. Tum Sacerdotes cum Arca, comitantibus Levitis, inter duos montes, in valle, ad eorum radices steterunt; inde versi ad Garizim pronunciabant e. g. *Benedictus homo, qui non facit sculptile & conflatile*: statimque excipiebant sex Tribus in Garizim stantes: *Amen*. Versi dein Sacerdotes ad Montem Hebal, inclamabant: *Maledictus homo qui facit sculptile & conflatile*: excipiebant Tribus ejusdem montis: *Amen*.

Rem gestam habes descriptam apud Josue viii. 33. Cum Moyses præcipit, ut sex ex uno latere Tribus stent in monte *ad benedicendum*, & aliæ sex in alio *ad maledicendum*, dicta ejus accipienda sunt, uti jam supra exposuimus, eo consilio stetisse, ut responderent, *Amen*, Levitis maledicta vel benedictiones inclamantibus. Quæ vero leguntur in hoc versiculo, Tribum scilicet Levi una cum aliis quinque in monte Garizim sese continuisse; quæ repugnare videntur versiculo 14. ferenti, a Levitis pronuncianda fuisse maledicta; tum & iis, quæ in Josue narrata sunt, Sacerdotes scilicet ferentes Arcam continuisse sese medios inter duo agmina, ut maledictiones vel benedictiones pronunciarent: hæc, inquam, ita conciliantur. Reipsa quidem Sacerdotes, Levitis nonnullis comitantibus, inter Hebal & Garizim medios sese continuerunt; sed reliqua Tribus Levi una cum cæteris quinque montem Garizim tenebat (7). Alii vero (8) arbitrantur, in ℣. 12. Tribum Josephi in geminas Tribus distingui, nempe in Ephraim & Manasse: Levi autem hic recenseri tantum juxta ordinem suum. Satis enim expressum est ℣. 14. hujus capitis, & in Josue, quid muneris ab ea Tribu in hac cæremonia præstandum esset. Josephus aliter id exponit (9): narrat enim, bifariam diviso agmine, sex Tribus in unum montem, & sex alias in alterum secessisse: Sacerdotes autem & Levitas, alios quidem prioribus, alios posterioribus accessisse. His autem constitutis, quæ pars montem Garizim tenebat, rogabat Dominum benedictione eos donaret, qui legibus ipsius pie obsecuturi essent: inclamabant alii in vertice Hebal siti, & suo vicissim ordine pronunciabant in illos pariter benedictiones; quibus & paribus votis alii respondebant. Deinde maledicta in prævaricatores Legis utrique eodem ordine imprecati sunt.

℣. 15. Ponetque illud in abscondito. Idololatriam in abscondito Moyses hic damnat. Quæ palam in aperto committitur, Judicum & Magistratuum animadversioni ita obnoxia est, ut eque ac atrocissima alia crimina diris hic inulta puniatur. Ut intelligant Israelitæ, flagitia ista quamvis in occulto commissa, adhuc tamen Dei ocu-

los

(1) Lyr. & Var. Grot. & Mas. ad Josue viii. 32. (2) Bonfr. Ger. (3) Josue viii. 30.
(4) Joseph. Antiq. l. 4. c. 8. (5) Masius, &c. (6) Vide Fag. & Vatab. (7) Ita Bonfrer.
(8) Rabb. Salom. Vat. (9) Joseph. Antiq. l. 4. cap. 8.

los non latere, & nefarios hosce homines extrema in se omnia provocare; licet hominum manus forte evitent.

Amen. Hebræa hæc vox sonat *vere*: usurpatur autem seu ad rem aliquam affirmandam, seu significandam alicujus rei approbationem vel desiderium.

℣. 16. Qui non honorat patrem suum. Hebræus: מקלה אביו *Maledicens patri*, qui patrem verbis injuriis lacessit. Septuaginta: Ἀτιμάζων πατέρα: *Qui spernit patrem*, qui contemnit, vel qui indigne illum habet, illique insultat. Crimen hoc in lucem solemque productum capitale erat (1).

℣. 17. Qui transieret terminos, contra præceptum latum in Deuteronomio xix. 14. Primum, qui terminis agros definierit, Cainum fuisse docent Rabbini. Veteres Græci limites agrorum suorum signabant positis columnis, insculpta gerentibus nomina possessoris, illiusque, cui hæreditas oppignerata erat (2). Totum pariter Thraciæ solum columnis divisum erat (3).

℣. 18. Qui errare facit cæcum in itinere. Vide quæ disseruimus in Levitico xix. 14. Targum Jerosolymitanum id explicat de iis, qui iter habent, quos in dolosum iter immittere nefas est. Hanc interpretationem probat Grotius, laudatque versiculum hunc Diphili:

. . . . . . Ἀγνοεῖς ἐν ταῖς ἀραῖς
Ὅτι ἐστὶν, ἐὰν μὴ φράσῃ ὀρθὴν ὁδόν.
. . . . . . *Inscius in maledictis*
Quia est, si quis non indicet rectam viam.

Alii vero interpretantur de pravis consultoribus, qui in malas res & consilia rudes inducunt.

℣. 23. Cum socru sua. Exemplaria quædam Septuaginta: Μετὰ τῆς νυμφῆς, *cum nuru sua*.

℣. 24. Qui clam percusserit proximum suum. Interfectores occulti, grassatores, vel proditores; maledici, calumniatores. In nonnullis Latinis Codicibus hæc addita leguntur: *Maledictus, qui dormit cum uxore proximi: & dicet omnis populus: Amen.*

℣. 25. Qui accipit munera; vel Judices, vel testes, vel cæteri judiciales ministri, sive ut innocens morte damnetur, sive ut absolvatur reus.

℣. 26. In sermonibus legis hujus. Septuaginta, Textus Samaritanus, & S. Paulus ad Galatas iii. 10. legunt: *In omnibus verbis, &c.* Quod facile respicit tantum potissima Legis præcepta in postremis versiculis hujus Capitis recitata.

(1) Levit. xx. 9. *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur.* (2) Pollux lib. 3. cap. 9.
(3) Xenophon de expeditione Cyri Junioris.

CAPUT XXVIII.

Fausta ab iis speranda, qui dicto legum Divinarum fuerint audientes. Mala in Prævaricatores.

℣. 1. Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias, atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra. 2. Venientque super te universæ benedictiones istæ, & apprehendent te; si tamen præcepta ejus audieris. 3. Benedictus tu in civitate, & benedictus in agro. 4. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ovium tuarum. 5. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. 6. Benedictus eris tu ingrediens, & egrediens. 7. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo; per unam viam venient contra te, & per septem fugient a facie tua. 8. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum. Benedicetque tibi in terra, quam acceperis. 9. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut juravit tibi; si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaveris in viis ejus. 10. Videbuntque omnes terrarum populi, quod nomen Domini invocatum sit super te, & timebunt te. 11. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, & fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret tibi. 12. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo: benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, & ipse a nullo fœnus accipies. 13. Constituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris semper supra, & non subter; si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & custodieris, & feceris, 14. Ac non declinaveris ab eis, nec ad dexteram, nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos. 15. Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, & facias omnia mandata ejus, & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. 16. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. 17. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. 18. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum. 19. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. 20. Mittet Dominus super te famem,

famem, & esuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies: donec conterat te, & perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me. 21. Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam. 22. Percutiat te Dominus egestate, febri, & frigore, ardore, & æstu, & aere corrupto, ac rubigine, & persequatur, donec pereas. 23. Sit cælum, quod supra te est, æneum, & terra, quam calcas, ferrea. 24. Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, & de cœlo descendat super te cinis, donec conteraris. 25. Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos, per unam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terræ. 26. Sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cœli, & bestiis terræ: & non sit, qui abigat. 27. Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, & partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque, & prurigine: ita ut curari nequeas. 28. Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis, 29. Et palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas, qui liberet te. 30. Uxorem accipias, & alius dormiat cum ea. Domum ædifices, & non habites in ea. Plantes vineam, & non vindemies eam. 31. Bos tuus immoletur coram te, & non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, & non reddatur tibi. Oves tuæ dentur inimicis tuis, & non sit, qui te adjuvet. 32. Filii tui, & filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, & deficientibus ad conspectum eorum tota die, & non sit fortitudo in manu tua. 33. Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos, comedat populus, quem ignoras: & sis semper calumniam sustinens, & oppressus cunctis diebus, 34. Et stupens ad terrorem eorum, quæ videbunt oculi tui. 35. Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus, & in suris, sanarique non possis a planta pedis usque ad verticem tuum. 36. Ducet te Dominus, & regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras tu, & patres tui: & servies ibi diis alienis, ligno, & lapidi. 37. Et eris perditus in proverbium, ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus. 38. Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis: quia locustæ devorabunt omnia. 39. Vineam plantabis, & fodies: & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vastabitur vermibus. 40. Olivas habebis in omnibus terminis tuis, & non ungeris oleo: quia defluent, & peribunt. 41. Filios generabis, & filias, & non frueris eis: quoniam ducentur in captivitatem. 42. Omnes arbores tuas, & fruges terræ tuæ rubigo consumet: 43. Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, & eris inferior. 44. Ipse fœnerabat tibi, & tu non fœnerabis ei. Ipse erit in caput, & tu eris in caudam. 45. Et venient super te omnes maledictiones istæ, & persequentes apprehendent te, donec intereas: quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servasti mandata ejus, & cæremonias, quas præcepit tibi. 46. Et erunt in te signa, atque prodigia, & in semine tuo usque in sempiternum: 47. Eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia, propter rerum omnium abundantiam: 48. Servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria: & ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat. 49. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu: cujus linguam intelligere non possis: 50. Gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli, 51. Et devoret fructum jumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ, donec intereas, & non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum, & greges ovium: donec te disperdat, 52. Et conterat in cunctis urbibus tuis, & destruantur muri tui firmi, atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus: 53. Et comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus in angustia, & vastitate, qua opprimet te hostis tuus. 54. Homo delicatus in te, & luxuriosus valde invidiabit fratri suo, & uxori, quæ cubat in sinu suo, 55. Ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet, eo quod nihil aliud habeat in obsidione, & penuria, qua vastaverint te inimici tui intra omnes portas tuas. 56. Tenera mulier, & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem, & teneritudinem nimiam, invi-

invidebit viro suo, qui cubat in sinu ejus, super filii, & filiæ carnibus, 57. Et illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum ejus, & super liberis, qui eadem hora nati sunt: comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione, & vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas. 58. Nisi custodieris, & feceris omnia verba legis hujus, quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueris nomen ejus gloriosum, & terribile, hoc est, Dominum Deum tuum; 59. Augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas, & perseverantes, infirmitates pessimas, & perpetuas. 60. Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, & adhærebunt tibi: 61. Insuper & universos languores, & plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat: 62. Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cœli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui. 63. Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos, atque subvertens, ut auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendam: 64. Disperget te Dominus in omnes populos, a summitate terræ usque ad terminos ejus: & servies ibi diis alienis, quos & tu ignoras, & patres tui, lignis, & lapidibus. 65. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore: 66. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ. 67. Mane dices: Quis mihi det vesperum? & vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea, quæ tu videbis oculis. 68. Reducet te Dominus classibus in Ægyptum per viam, de qua dixit tibi, ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos, & ancillas, & non erit, qui emat.

℣. 3. IN CIVITATE ET IN AGRO. Sive in Urbe commorans, sive in agro, sive munera publica gerens, sive privatis negotiis occupatus; denique in omnibus, quæ aggrediens sive externis, sive domesticis, benedictione cumulaberis.

℣. 4. BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI: posteri tui & filii benedicentur: idque maxime impletum constat in ortu filii Dei, quod nobis indicasse videtur Spiritus Sanctus, ita loquentem inducens cum B. Virgine S. Elizabetham (1): *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*

℣. 5. BENEDICTA HORREA TUA. Vox originalis טנאך (2) quæ hic horrea, redditur supra XXVI. 2. *Cartallum*; quem sensum hic & ubique Interpretum plerique intelligendum arbitrantur. Ex pluribus Scripturæ testimoniis constat, olim apud Veteres, panes in canistris conservatos fuisse; in canistris etiam appositos fuisse mensæ, ac semper præsto in canistro panes fuisse, juxta Altare Holocaustorum. Id ergo significat Moyses, homines Legi Divinæ obsequentes nunquam rebus vitæ necessariis destituendos esse; plenis semper canistris pane vel simila fruituros.

BENEDICTÆ RELIQUIÆ TUÆ. Ad literam: *Reliquiæ tuæ benedicentur*; nempe ea, quæ servabis, annona tua, fructus, segetes, vinum, oleum, & quidquid alendo homini reconditur. Sunt qui vertant: *Benedicta* משארתך (3) *mactræ tuæ*. Vide quæ disseruimus in Exodo XII, 34. ubi demonstrare conati sumus, hanc plane significationem Hebræum non admittere.

℣. 6. INGREDIERIS, ET EGREDIERIS. Exponunt nonnulli de negociis domesticis, ac de militaribus expeditionibus: præstat tamen accipere generatim de omnibus, quæ quis agenda suscipit, seu publica sint & communia, seu privata, semper & ubique.

℣. 7. CORRUENTES. Reddi posset Hebr. נגפים *Ad mortem percussos*, oppressos, dejectos. Septuaginta: *Συντετριμμένους*, *contritos*. Recurrit vox ista infra ℣. 25.

℣. 10. NOMEN DOMINI INVOCATUM SIT SUPER TE. Textus Septuaginta commode redditur: Ὄνομα Κυρίου ἐπικέκληταί σοι, *Nomen Domini invocatum est a te*. Sed prior interpretatio genuina videtur.

℣. 12. FŒNERABIS GENTIBUS MULTIS. Si hæc accipiantur de facultate Judæis data fœnerandi, habenda utique non sunt ceu benedictio, quæ de malo non fertur: sed ita rebus affluere, ut vel aliis concedi possint, atque ita concedi, uti Deus fieri sinit & jubet; hæc utique benedictio est, præsertim de gente, quæ dignitatem paupertatis Evangelicæ penitus non intelligebat.

℣. 13. IN CAPUT, ET NON IN CAUDAM. Alios habebis submissos, & tu nemini parebis. Similem phrasim habes in Isaia (4): *Disperdet Dominus ab Israel caput & caudam . . . longævus & honorabilis ipse est caput; & Propheta docens mendacium ipse est cauda.*

℣. 17. HORREUM TUUM ... RELIQUIÆ TUÆ. V. ℣. 5.

℣. 20. FAMEM ET ESURIEM, ET INCREPATIONEM. Hebræus varie redditur (5). Septuaginta (6): *Inopiam, famem, & pestem*. Alii: *Maledictum, turbas, destructionem*; vel potius angustias, amissionem, ruinam; aut tandem egestatem, agitationem, punitiones, vel reprehensiones.

℣. 21. PESTILENTIAM. Septuaginta sæpe vertunt Hebræum (7) *mortem* (8): *Dominus adjunget vobis mortem*. Maluerim ego accipere de morbo lethifero, cui nulla medendi spes, qui brevi ægrotum extinguit; qui corpori alte se insinuat: congruunt hæc omnia cum peste.

℣. 22. EGESTATE. Recentiores plures reddunt Hebræum שחפת Phthisi, macie, quæ ex morbo pulmonem depascente inducitur. Alii inflationem, tumorem, hydropisim. Vulgata fidem Septuaginta sequuta est. Syriacus, Animi excessu, stupore. Vox ista, & sequentes junguntur & hic, & in Levit. XXVI. 16.

Fri-

[1] Luc. I, 42. [2] 70. Ἀποθῆκαι. [3] 70. Ἐγκαταλείμματα. [4] Isai. IX. 14. Vide & XIX. 15. [5] המארה את המהומה ואת המגערת [6] Τὴν ἔνδειαν, καὶ τὴν ἐκλιμίαν, καὶ τὴν ἀνάλωσιν. [7] ידבק יהוה בך את הדבר [8] Προσκολλήσει εἰς τὸ θάνατον.

Frigore. Chaldæus, Syriacus, & Recentiores Interpretes contrario plane sensu reddunt æstum urentem, inflammationem. Vox Originalis דלקת hic tantum, neque alibi legitur.

Æstu. Hebræus חרב reddi potest *bellum*, *gladius*, *siccitas*. Primum sensum prætulerunt Septuaginta, Ἐν φόνῳ, Chaldæus, & Syriacus; sed Vulgata, & Docti plures Interpretes secundum maluerunt.

Aere corrupto. De genuino sensu vocis Originalis שדפון variant plurimum sententiæ. Reddunt quidam æstum, siccitatem, vel perniciem, quam perniciosi quidam venti arboribus, & messibus nocentes inducunt. LXX. Ἀνεμοφθορίᾳ.

Rubigine. Vox Originalis ירקון adamussim sonat id quod pallidum reddit. Id autem alii accipiunt de morbo, quo totum corpus pallescit: alii de nebula, quæ arboribus & messibus malum pallorem induit. LXX. Ὤχρᾳ.

℣. 23. Sit cœlum, quod supra te est, æneum. Phrasis hujus energiam Homerus utcumque imitatus est in Iliade P.

. . . . Σιδήρειος δ' ὀρυμαγδὸς
Χάλκεον οὐρανὸν ἷκε.
. . . . . *Ferreus autem strepitus*
Æreum ad Cœlum ibat.

Et Pindarus in Pythiis Ode x.

Ο χάλκεος οὐρανὸς οὔποτ' ἀμβατὸς αὐτοῖς.
Æreum Cœlum inaccessibile illis est.

℣. 24. Det imbrem terræ tuæ pulverem. Hebræus: *Dabit pro imbre terræ tuæ, arenam & pulverem*, quibus siccitas augeatur, corrumpanturque penitus ea, quibus obfuit calor; quæ terras tuas omnes steriles reddant.

℣. 25. Et dispergaris. Hebræus: והית לזעוה *Eris in tremorem*, in commotionem, in desolationem. Vel potius: Argumentum eris admirationis, & stuporis, ut qui in te incidat, commoveatur, conturbeturque; sive illudat tibi, quatiens caput. Hujus loci verus sensus ignoratur.

℣. 26. Sit cadaver tuum in escam cunctis volatilibus. Maximum hoc est mali genus, quod Deus minitari iis gentibus posset, quæ omnium malorum gravissimum illud reputabant sepultura carere, eamdemque hostibus negabant. Nihil gravius minitatur Deus impio Regi, quam, ut *asini* sepulturam illi prædicat (1), projiciendum scilicet in eloacam. Veterum Doctorum Hebræorum sententia est, Summum Sacerdotem, cui nefas erat ipsorum consanguineorum funeri adesse, negligere non posse cadaver, quod forte in via insepultum offendat. Qui gravissimorum criminum rei sceleris sui pœnas in cruce dederant, vespere deponebantur, ut sepulturæ mandarentur (2). Putabant veteres Christiani, ipsa vel sacra vasa vendi posse, ut sepulchro cadavera donarentur (3): *Non enim patiemur figuram & figmentum Dei feris ac volucribus in prædam jacere.*

℣. 27. Ulcere Ægypti, morbis in ea regione communibus, de quibus alibi (4) egimus. Vel: Malis, quibus Deus Ægyptum puniit, antequam Hebræi egrederentur.

Partem corporis, per quam stercora egeruntur. Hæmorrhoide, vel apostemate, aliisve ani morbis mulctabit.

Scabie et prurigine. Prima Originalis vox גרב aridam scabiem significare dicitur; altera בחרס scabiem sanie plenam. Incertum.

℣. 28. Amentia. Septuaginta: Παραπληξίᾳ, Animi excessu, vertigine, turbatione, stupore. Hebræum שגעון furorem potius, stultitiam, phrænesim sonat. Eadem voce significatur Saulis furor, eaque phrænesis, quam David coram Achis Rege simulavit (5).

℣. 29. Et palpes in meridie . . . Et non diriges vias tuas. Hæc verba præsentem Judæorum conditionem exhibent, cum neci tradito Jesu Christo, quamquam pleno lumine illustrata sint omnia Prophetarum vaticiniis, totaque Vetere Scriptura, prodigiis, doctrina morum ac vita Jesu Christi, Ecclesiæ ipsius erectione, angustiis, quibus undique premuntur, ut prospera nunquam fortuna fruantur, omnibus odio & contemptui habentur. Cæci sunt illi quidem adeo, ut plena jam die adhuc palpent.

℣. 32. Et non sit fortitudo in manu tua. Hebræus ad literam ואין לאל ידך, *Et non elevabitur ad Deum manus tua*; vel, Manus tuæ nihil poterunt penes Deum; nihil ab illo impetrare poteris. Targum Jerosolymitanum: Non erunt in manibus vestris opera bona, ut ejus clementiam flectatis.

℣. 34. Stupens ad terrorem eorum. Hebræus: *Et eris vesanus ad visionem oculorum tuorum, quam videbis.* Cum ante oculos tuos tot mala obversabuntur, & tot tantisque urgebimini, extra mentem abrepti in amentiam quamdam ruetis.

℣. 36. Ducet te . . . . . et regem tuum. Impleta est fides hujus oraculi, cum Nabuchodonosor primo Regem Joachim Babylonem duxit (6), deinde & Sedeciam (7) cum optimatibus & Præfectis Regionum, ac maxima populi parte.

Servies ibi Diis alienis. Israelitæ decem Tribuum hinc inde passim dispersi, sese populis Profanis miscuerunt, inter quos translati sunt; atque ab ea transmigratione nullibi unquam locorum tanquam populus a cæteris distinctus habiti fuere. Sed Tribum Juda, e qua proditurus erat Messias, nec cum cæteris confundi, nec in captivitate perseverare passus est Deus.

℣. 37. Eris perditus in proverbium, ac fabulam. Reddi potest Hebræus (8): *Eris in desolationem, in parabolam & in dicterium.* Vel: Eris argumentum admirationis, irrisionis, & fabulæ per orbem. Septuaginta (9): *Eris ænigmati*, ægre intelligent homines, quousque malorum deveneris: argumentum eris *parabolæ*, & *exempli*, ut venias in exemplum infelicissimorum: vel tandem; De te loquentur omnes per Orbem homines: adeo grandia erunt mala, quibus opprimeris.

℣. 38. Sementem multam jacies. Alio sensu reddi potest Hebræus: Ager tuus multum feret, spemque tibi præbebit messis uberrimæ: sed hanc depastam a locustis lugebis.

℣. 40. Defluent, et peribunt. Flores fructum non reddent, vel acerbæ non maturescent. Sunt qui reddant Hebræum ישל זיתך *Oleæ tuæ defluent*; alii: Oleæ tuæ excutientur, vel expolibuntur, aut evellentur. LXX. Ἐκρυήσεται ἡ ἐλαία σου, *Defluet oliva tua.*

℣. 42. Rubigo. Vox Originalis יירש הצלצל differt plane ab ea, quæ supra ℣. 22. reddita est *rubigo*. Interpretum plures dictum accipiunt de locusta, cui nomen *Zelzel* conciliavit sive nativum murmur, sive umbra, quam amat. Sunt qui exponendum malint de gryllo agri, vel cicada; quam posteriorem sententiam ego cæteris præferrem; I. Quod in Hebræo Scripturæ plura occurrunt locustarum genera, & ne unum quidem *Zelzel* appellatur. II. Etymologia vocis, & significatio optime congruit naturæ grylli, & cicadæ. Acute ambo, & importune strident, uti instrumentum illud, Hebraice *Zilzal* dictum: umbram amant, & recessum; nocent arboribus in ferventibus regionibus, ubi frequentissimi sunt.

℣. 43. Ascendet super te, eritque sublimior. Hebræus: *Ascendet super te superne superne, & tu descendes inferne inferne.* Autumarunt Patres

[1] Jerem. xxii. 19. [2] Num. xxv. 4. Deut. xxi. 23. [3] Lactant. l. 6. [4] Vide Exod. xv. 26. & Deut. vii. 15. & xxviii 60. [5] 1. Reg. xxi. 13. 14. 15. [6] 4. Reg. xxiv. 15. [7] 4. Reg. xxv. 7. [8] והיית לשמה למשל ולשנינה [9] Ἔσῃ ἐν αἰνίγματι, καὶ παραβολῇ, καὶ διηγήματι,

tres (1), oraculo hoc exprimi vocationem gentium ad fidem, & gloriosam eorum supra Judęos erectionem.

℣. 46. Erunt in te signa, atque prodigia; idest, grandes Divini furoris significationes. Vel potius: Omnia hæc, quæ prædixi, mala, summa erunt furoris mei argumenta: mala hæc omnia, quibus opprimeris, ea erunt, ut tanquam prodigia, vel effectus extraordinarii furoris mei habeantur. Ipsi equidem Hebræorum adversarii agnoverunt, Divinum esse aliquod, & irati Numinis excidium in eum populum, cum Deus eorum ministerio est usus, ut illos puniret. Quædam sunt mala, quæ perinde haberi solent ac appendices miseræ mortalium conditionis: sed gravia illa, quæ subire coacti sunt Hebræi, alia post alia, ab Assyriis, Chaldæis, Græcis, & Romanis, eos præferunt characteres, ut Numinis irati animadversiones agnoscantur.

℣. 47. Eo quod non servieris Domino . . . . . . propter rerum omnium abundantiam. Tot accepris a Deo beneficiis non ea utique rependistis, quæ Deus a vobis exigebat. Commode etiam ita redditur: Abusi estis tot bonis, quibus vos Deus cumulavit; dona ejus in ipsum convertistis, terga illi vertentes, cultumque negligentes. Exprimit hæc Moyses infra xxxi. 15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum* (2). Textus hic, quem exponimus, ita etiam ad literam redditur (3): *Propterea quod non servivisti Domino Deo tuo in gaudio cordis tui, eo quod omnium rerum copia afflueres.*

℣. 49. Gentem de longinquo . . . in similitudinem aquilæ volantis. Hic commode accipiuntur velut oraculo quodam prædici ea, quæ Judęis acciderunt vel a Chaldęis, vel a Romanis, vel ab utroque populo simul. Porro Chaldęi iisdem verbis atque his Mosaicis, in Jeremia (4) designantur. Ab Ezechiele (5) & Daniele (6) aquilæ comparantur. Romanorum insignia pictam aquilam ferebant. Victoriarum ejus gentis perniciтas, & grande illud Imperium commode sub aquilæ imagine exhiberi potuit.

℣. 50. Gentem procacissimam, quæ non deferat seni. Hebræus ad literam (7): *Gentem fortem facie, quæ non elevabit faciem senis.* LXX. (8): *Gentem impudentem facie, quæ non miratur faciem senis.* Dura Frons, frons ænea, obfirmare faciem, phrases sunt in Lingua sancta familiares, quibus significatur impudentia, audacia, obstinatio (9); interdum etiam in bonam partem usurpatæ sonant firmitatem, constantiam (10). *Elevare faciem alicujus* valet postulata concedere, excipere aliquem honeste, illi deferre. Congruunt hæc omnia Chaldæis, quos pessime excepisse Reges, Principes & viros amplissimos Judæorum, scimus.

℣. 51. Devoret fructum jumentorum tuorum. Idem de Chaldæis prædixit Jeremias v. 17. *Comedet gregem tuum, & armenta tua.*

Ac fruges terræ tuæ, donec intereas. Reddi potest Hebræus: Fructus terræ tuæ donec penitus disperdaris, עד השמדך, quoadusque te plane consumpserit. Nihil penitus in terra relinquet: quamdiu aliquid remanebit, non cessabit a vastando. Silent Septuaginta illud: *Donec intereas.*

℣. 53. Comedes fructum uteri tui. Inauditam crudelitatem! cujus tamen exempla apud Judęos suppetunt. Narrat Baruc II. 13. in eas angustias redactos fuisse, ut matres cogerent carnes filiorum & filiarum suarum vorare. Eadem Jeremias (11) fœminis Jerosolymitanis exprobrat. In historia Regum legimus, quo tempore Syri obsidione Samariam stringebant, coactas fœminas inter se convenisse, ut carnibus filiorum suorum vescerentur: quod ex illis una reipsa præstitit; altera vero filium suum occuluit, ut e laniena subduceret (12). Tradit Josephus Historicus (13), quo tempore Jerosolyma Romanorum obsidione premebatur, matrem quamdam pendentem ex ubere filium suum occidisse, & carnes innocentis vorasse. Hæc autem plus nimio oraculi hujus Mosaici fidem confirmant.

℣. 54. 55. Invidebit fratri suo . . . . . ne det eis; idest recusabit admittere illum ad crudele convivium. Hebræus: *Oculus ejus malignabit adversus fratrem suum, ne det ei &c.* Sibi recondet, nec alteri concedet impium hunc cibum, ut neque admittat fratrem suum in consortium: adeo sæva fames singulos coget. Huc spectasse videtur Historicus Judæus (14), scribens, in obsidione Jerosolymitana matres rapuisse filiis suis, uxores viris, filios parentibus dapes ipsas, quas ore jam manderent, neque parcentes rebus ipsis carissimis, ac maxime propinquis, certasse unumquemque, ut abriperet miseras ejusmodi ciborum reliquias, quibus detinerent debilem illum vitæ halitum, qui adhuc restabat.

℣. 57. Et illuvie secundarum . . . . et super liberis qui eadem hora nascentur. Vel ipsas res, a quibus natura maxime abhorret, & immundissimas spurcitias. Dictum accipi potest de infante, cum nascitur obvolutus secundinis, & spurcitie obsitus; de infante palmo manus nihilo majori, ut phrasi Jeremiæ utar (15). Sunt qui exponant tantum (16) de puero unius anni, bimulo: vel trimulo: quæ vero sequuntur de *filiis, quos peperit*; ita enim legitur in Hebræo, pro eo quod est in Vulgata, *liberis qua hora nati sunt*; interpretantur de pueris ætate illa majoribus. Sed Chaldæus, Septuaginta, Syriacus, & Interpretum plerique retinent sensum Vulgatæ, qui est optimus, & imaginem exhibet sævissimæ famis, cujus nullum exemplum apud gentes reliquas suppetat.

℣. 59. Augebit. Hebræus הפלא *distinguet, dividet*, Παραδοξάσει, *incredibiles faciet*, prodigiosas plagas, quas vobis infliget. Puniet vos insolita severitate, alia plane, quam in cæteros homines, in vos animadversione. Ita vos cædet, ut stupeant omnes, qui præsentes aderunt.

℣. 60. Afflictiones Ægypti. Vide ℣. 27.

℣. 65. Cor pavidum. Hebræus ad literam: לב רגז *Cor tremens*. Septuaginta: Καρδίαν ἀθυμοῦσαν, *Cor exanimatum*: vel, ex editione Nobilii, Καρδίαν ἑτέραν ἀπειθοῦσαν, *Cor extraneum incredulum*. Exhibent hæc omnia præsentem Judæorum statum, quo medii inter Christianos aliasque gentes, sed nunquam non pavidi, nunquam non inquieti versantur.

℣. 66.

[1] Origen. in Epist. ad Rom. l. 2. & Cyprian. contra Judæos lib. 1. cap. 21. & Theodoret. qu. 34. in Deut.
[2] Vide etiam Deut. xxxi. 20. *Cumque comederint & saturati, crassique fuerint, convertentur ad Deos alienos.*
[3] תחת אשר לא עבדת את יהוה ... בטוב לבב מרב כל [4] Jerem. v. 15. *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, gentem robustam, gentem antiquam, gentem cujus ignorabis linguam.* [5] Ezechiel xvii. 3. 12. *Aquila grandis magnarum alarum . . . . Venit ad Libanum, et tulit medullam cedri.* ℣. 12. *Nescitis quid ista significent; dic: Ecce venit Rex Babylonis in Jerusalem.* [6] Daniel vii. 4. *Prima bestia quasi leæna & alas habebat aquilæ:* [7] גוי עז פנים אשר לא ישא פנים לזקן [8] Ἔθνος ἀναιδὲς προσώπῳ, ὅστις οὐ θαυμάσει πρόσωπον πρεσβύτου. [9] Prov. vii. 13. Isai. xlviii. 4. [10] Ezechiel iii. 8. [11] Jerem. Thren. iv. *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos. Facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.* Vide etiam Thren. ii. 20. [12] 4. Reg. vi. 28. [13] Joseph de bello Jud. l. 7. c. 8. [14] Joseph de bello l. 6. cap. 11. [15] Jerem. Thren. ii. 20. *Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ?* [16] Vide Munst. Fag. Vatab.

℣. 66. Erit vita tua quasi pendens ante te. Imminenti vitæ discrimine semper terreberis: e tenui veluti filo vita hæc tua pendebit. Hanc phrasim altiore sensu accipientes veteres Patres (1), viderunt in illa mysterium Crucis & Jesu Christi, qui nostra est vita, quique ante Judæorum oculos crucifixus pependit. Ea vero quæ sequuntur, *Non credes vitæ tuæ*, idest, de vita nunquam eris securus, explicant de Judæorum incredulitate, renuentium aures præbere filio Dei, qui vitam & salutem mundo impartitur.

℣. 68. Reducet te Dominus classibus in Ægyptum. Capta Jerosolyma, tradit Josephus (2), translatos fuisse in Ægyptum Judæos captivos, qui ætatem xvii. annorum superabant; & ea ætate minores pretio venditos fuisse. Navibus ad eorum vecturam usos fuisse Romanos, Josephus quidem non prodit; sed cum Romana classis instructa staret in Mediterraneo, eo commodo usi non immerito censentur. Sed & ante illud tempus frequentes erant in Ægypto Judæi, qui post eversam regionem suam a Chaldæis (3), & post illud etiam tempus sub Regibus Syriæ, Alexandri Magni successoribus, eo migraverant (4).

Ibi venderis inimicis tuis . . . . . et non erit qui emat. Narrans Hegesippus (5) ea, quæ post excidium Jerosolymitanum acciderunt, de Judæis captivis ita scribit: *Plurimi venales, pauci emptores; quia Romani Judæos in servitutem dedignabantur, nec Judæi supererant, qui redimerent suos*. Affirmat Josephus (6) pretio venditos fuisse eos tantum, qui ætate xvii. annorum minores essent; fame enectos periisse duodecies mille eo brevi tempore, quo seligebantur segregabanturque, qui in Ægyptum ad opera publica transferendi, ab iis qui pretio empti in servitutem tradendi essent.

[1] Iren. l. 4. Tertull. contra Jud. c. 11. Cyprian. de Idol. vanit. Lactant. l. 4. c. 18. Cyrill. Catechef. 13. Athanas. l. 1. de Incarnat. S. Leo; August. contra Faust. l. 16. c. 22. [2] Joseph. de bello Jud. l. 7. c. 16. [3] Vide 4. Reg. xxv. 26. [4] Vide Hecatæum, Philon. in Flacc. Joseph. Antiq. l. xii. c. 2. & xiii. c. 4. 5. & xiv. 17. & xviii. 20. [5] Hegesippus, excidii Jerosol. l. 5. c. 47. [6] Joseph. de bello l. 7. cap. 16.

CAPUT XXIX.

Novum fœdus Deum inter & Israelem componitur; in fœderis violatores minæ.

℣. 1. HÆC sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moysi, ut feriret cum
filiis Israel in terra Moab: præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in
Horeb. 2. Vocavitque Moyses omnem Israel, & dixit ad eos: Vos vidistis univer-
sa, quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus servis
ejus, universæque terræ illius, 3. Tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, si-
gna illa, portentaque ingentia. 4. Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, &
oculos videntes, & aures, quæ possunt audire, usque in præsentem diem. 5. Addu-
xit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec cal-
ceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. 6. Panem non comedistis, vi-
num, & siceram non bibistis: ut sciretis, quia ego sum Dominus Deus vester. 7.
Et venistis ad hunc locum: egressusque est Sehon rex Hesebon, & Og rex Basan,
occurrentes nobis ad pugnam, & percussimus eos. 8. Et tulimus terram eorum, ac
tradidimus possidendam Ruben, & Gad, & dimidiæ tribui Manasse. 9. Custodite er-
go verba pacti hujus, & implete eas, ut intelligatis universa, quæ facitis. 10. Vos
statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, principes vestri, & tribus, ac majo-
res natu, atque doctores, omnis populus Israel. 11. Liberi, & uxores vestræ, &
advena, qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, & his, qui com-
portant aquas: 12. Ut transeas in fœdere Domini Dei tui, & in jurejurando, quod
hodie Dominus Deus tuus percutit tecum: 13. Ut suscitet te sibi in populum, &
ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi, & sicut juravit patribus tuis, Abraham,
Isaac, & Jacob. 14. Nec vobis solis ego boc fœdus ferio, & hæc juramenta con-
firmo, 15. Sed cunctis præsentibus, & absentibus. 16. Vos enim nostis, quo mo-
do habitaverimus in terra Ægypti, & quo modo transierimus per medium nationum,
quas transeuntes 17. Vidistis abominationes, & sordes, idest, idola eorum, lignum,
& lapidem, argentum, & aurum, quæ colebant. 18. Ne forte sit inter vos vir, aut
mulier, familia, aut tribus, cujus cor aversum est hodie a Domino Deo nostro: ut
vadat, & serviat diis illarum gentium, & sit inter vos radix germinans fel, & ama-
ritudinem. 19. Cumque audierit verba juramenti bujus, benedicat sibi in corde suo,
dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in pravitate cordis mei, & absumat ebria sitien-
tem, 20. Et Dominus non ignoscat ei: sed tunc quam maxime furor ejus fumet,
& zelus contra hominem illum, & sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta
sunt

ſunt in hoc volumine: & deleat Dominus nomen ejus ſub cœlo, 21. Et conſumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Iſrael, juxta maledictiones, quæ in libro legis hujus, ac fœderis continentur. 22. Dicetque ſequens generatio, & filii, qui naſcentur deinceps, & peregrini, qui de longe venerint, videntes plagas Terræ illius, & infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus, 23. Sulphure, & ſalis ardore comburens, ita ut ultra non ſeratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum ſubverſionis Sodomæ, & Gomorrhæ, Adamæ, & Seboim, quas ſubvertit Dominus in ira, & furore ſuo. 24. Et dicent omnes gentes: quare ſic fecit Dominus Terræ huic? quæ eſt hæc ira furoris ejus immenſa? 25. Et reſpondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terra Ægypti: 26. Et ſervierunt diis alienis, & adoraverunt eos, quos neſciebant, & quibus non fuerant attributi: 27. Idcirco iratus eſt furor Domini contra Terram iſtam, ut induceret ſuper eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine ſcripta ſunt: 28. Et ejecit eos de terra ſua in ira, & in furore, & in indignatione maxima, projecitque in terram alienam, ſicut hodie comprobatur. 29. Abſcondita, Domino Deo noſtro: quæ manifeſta ſunt, nobis, & filiis noſtris uſque in ſempiternum, ut faciamus univerſa verba legis hujus,

℣. 1. HÆC SUNT VERBA FŒDERIS. Hiſce verbis Moyſes orationem ſuam claudit. Innovatum eſt tunc quodammodo fœdus, olim ſancitum in Sinai; cujus tamen innovationis ſolemnis cæremonia dilata eſt uſque poſt tranſitum Jordanis (1). Sancita hic a Moyſe Joſue implevit, id perficiens, quod Moyſes tantum cœperat: quibus veluti indicabatur Jeſus Chriſtus, a quo ſuprema manus novo Fœderi imponenda erat, cujus fœderis cætera, quæ in Veteri Teſtamento præceſſerunt, nonniſi typi erant & crepundia.

℣. 3. TENTATIONES MAGNAS. Plagas Ægypti, quas plerique ex Iſraelitis, quibuſcum Moyſes verba faciebat, teſtes oculati ſpectaverant. Commode etiam exponitur de animadverſionibus, quibus Deus ſubjecit Hebræos in Deſerto, & quibus pariter Deus ipſe periculum de populo ſuo fecit.

℣. 4. NON DEDIT VOBIS DOMINUS COR INTELLIGENS. Si Deus mentes eorum intelligentia non illuſtraſſet, ſi ideo officio ſuo defuiſſent, quod Deus non ſatis voluntatem illis ſuam demonſtraſſet, *nullo modo increpans & arguens Moyſes hoc diceret, niſi ad eorum quoque culpam pertinere intelligi vellet: ne quiſquam ſe ex hoc excuſabilem putet; ſimul enim oſtendit & ſine adjutorio Dei eos intelligere & obedire non poſſe . . . Et tamen ſi adjutorium Dei deſit, non ideo excuſabile eſſe hominis vitium. Quoniam judicia Dei, quamvis occulta, tamen juſta ſunt*. Ita in hunc locum philoſophatur S. Auguſtinus *qu. 50. in Deuter.*

Sunt qui ita vertendum cenſeant: Hucuſque cor intelligens non habuiſtis, quare nec comprehendere valuiſtis viss ejus, & conſilia Dei ſuper vos; modo vero ante oculos veſtros obverſabitur impleta fides promiſſionum, quæ Patribus veſtris præſtitæ ſunt: quare ſpes omnis & fides in Deo collocanda eſt. Alii interrogatione addita ita Hebræum interpretantur: Nonne Deus cor intelligens conceſſit vobis, ut cognoſceretis, & oculos, ut ea intueremini, quæ vobis indicat? Poſterior hic ſenſus penitus evertit ideam, quam impii de Deo habent, quaſi ſcilicet impoſſibilia exigat, & neceſſariis in eam rem mediis denegatis ea præcipiat, quæ executioni mandari non poſſint.

℣. 5. NON SUNT ATTRITA. Vide Deuteronomium VIII. 4.

℣. 6. PANEM NON COMEDISTIS, In cibum nempe quotidianum & familiarem; pane enim uſos fuiſſe illos interdum, negaverit nemo. Unde enim præſto eſſet vinum, quo large ſeſe in dedicatione vituli aurei perfudere (2); & ſimila in dedicatione Tabernaculi & in Sacrificiis, quæ in Deſerto operabantur, oblata? Vix enim negari poteſt, oblata fuiſſe ſaltem interdum ſacrificia, etiamſi hoc ponamus, Legis cæremonialia ſanctiones in Deſerto non omnino viguiſſe. Lege quæ in hanc rem diſſeruimus in Deuteronomio VIII. 4.

℣. 9. UT INTELLIGATIS. Hebræum למען תשכילו uſurpari ſolet de ſecundo eventu & rerum proſperitate: *Ut proſperemini in omnibus, quæ facturi eſtis.*

℣. 10. DOCTORES. Hebræus שטרים *Soterim*. Septuaginta: Γραμματοεισαγωγεῖς. Vide quæ in hanc vocem contulimus in Deuteronomio I. 15.

℣. 11. EXCEPTIS LIGNORUM CÆSORIBUS, AT HIS QUI COMPORTANT AQUAS. Duplicem interpretationem admittit Vulgata. Primam: *Exceptis lignorum cæſoribus*, ideſt, iis excluſis, in cœtum non admiſſis; ſecundam: *Præter hos*; iis non computatis, quamvis præſentes adeſſent. Nemo unus vel ex infimis populi eſt, qui præſens hic non adſit. Vel contrario ſenſu: Convenimus hic omnes ad innovandum fœdus cum Domino. Iſraelitæ omnes convenerunt, nemine excepto; ſed nullam hic partem habet ſervus Ægyptius & cæterarum gentium, qui cædendis lignis, & comportandis aquis in exercitu deſtinantur. Ad hanc poſtremam interpretationem vis originalis nos deducit; ſonat enim ad literam (3): *Pubes veſtra, uxores veſtræ, peregrinus tuus, qui eſt in medio caſtrorum tuorum, a cæſore lignorum tuorum uſque ad haurientem aquas tuas.*

℣. 12. UT TRANSEAS IN FŒDERE; ideſt, ut admittaris in fœdus Domini. Interpretum plures (4) cenſent, Moyſem præ oculis habuiſſe ſolemnem olim in ſanciendis fœderibus morem, ut fœderati utrique per media corpora victimarum cæſarum, ſectarumque tranſirent. Cujus rei exemplum in fœdere Abrahami cum Domino apparet (5).

IN JUREJURANDO. Reddi poteſt Hebræum באלתו quemadmodum & Septuaginta interpretati ſunt: ἐν ταῖς ἀραῖς, *In maledictis*: imprecandi enim formula expreſſit Moyſes in capitibus XXVII. & XXVIII. conditiones fœderis Dei cum Iſraelitis; eademque, quæ modo, vox in verſiculis 14. 19. hujus capitis recurrit.

℣. 15. PRÆSENTIBUS ET ABSENTIBUS. Nempe pro poſteris noſtris; nam ℣. 11. ſignificavit abfuiſſe neminem. Cum Deus fœdus cum Abrahamo ſtrinxit, in eam pariter ſocietatem accipere ſe dixit omnem ejus poſteritatem, quamquam liberis tunc Pa-

[1] Joſue VIII. 30. [2] Vide Aug. qu. 51. in Deuteron. [3] מחטב עציך עד שאב מימיך
[4] Hebr. Munſt. Fag. Vat. Menoch. [5] Geneſ. XV. 17. 18.

Patriarcha ille carebat (1). Hebræus: *Cum eo qui est nobiscum hodie coram Domino Deo nostro, & cum eo qui non est nobiscum hodie.*

℣. 17. ABOMINATIONES ET SORDES, IDEST IDOLA EORUM. Hebræus fert tantum (2): *Abominationes eorum & sordes eorum, lignum & lapidem.* Vox *Idola* expositionis gratia adjecta est. Septuaginta: *Abominationes eorum & Idola eorum, lignum & lapides.*

℣. 18. RADIX GERMINANS FEL ET AMARITUDINEM. Ne sit Israelita impius & infidelis, qui impiis tantum gestis clareat, quique se dedat Idololatriæ, atque furorem Dei in caput universi populi provocet. Vel: Nemo sit inter vos, qui filios habeat impios & effrænes: invigilet quisque vestrum filiis suis, revocetque in illorum memoriam, quæ hodie gesta sunt, ne forte contingat, ut ii fructus degenerent in malum, irritentque ingrato sapore suo, impietate scilicet, Dominum. Chaldæus: *Ne forte sit in vobis vir cogitans peccata aut superbiam.* Videsis *Hebr.* XII. 15. & *Act.* VIII. 13. ubi hic Textus laudatur.

Reddi potest Hebræus (3): *Ne sit inter vos radix producens caput*; Hebræus, *Rosch*, seu venenum, seu fel, seu *absinthium*, idest amaritudinem. Suspicantur quidam, duplici hac voce duo herbarum genera nobis incognita designari. Cui sententiæ favent plurimum Textus illi, in quibus hæc ipsa vox occurrit. Meminit Osee X. 4. *Rosch* in sulcis crescentis; recurritque sæpe in Scriptura (4) מֵי רֹאשׁ *aqua Rosch*. Exhibitum sibi in cibum *rosch*, ait Psalmista (5). Vox *Labana*, quæ secunda legitur in Originali, primæ illi plerumque jungitur (6): designare autem videtur quid amarissimum (7), sed cibo aptum. Minitatur Deus, coacturum se Israelitas prævaricatores vesci *labana*. Exprobrat Amos VI. 13. Judicibus Israelis, quod fructus æquitatis in *labana* commutassent. *Rosch* commode exponitur de *aconito*, herba, cui virus est præsentissimum, cujus culmen figuram exhibet galeæ, continetque semen maxime omnium virulentum. Vox altera *labana* non male accipitur pro colocyntide, quæ inter venena recensetur, cujus est fructus malo punico persimilis, & amaro sapore ingratissimus.

℣. 19. BENEDICAT SIBI IN CORDE SUO, DICENS; PAX ERIT MIHI, ET AMBULABO IN PRAVITATE CORDIS MEI, ET ABSUMAT EBRIA SITIENTEM. Postrema verba hujus Textus obscurissima sunt. Dabimus hic nonnullas e præcipuis interpretationibus, quæ illi vindicantur; quibus & conjecturas aliquas nostras adjiciemus. Hebræus ad literam (8): *Ut ebrietas consumat sitim*; vel, *ut quæ humida est, consumat aridam*; sive, *ut ebrietatem addat siti*. Tot hasce versiones infert unicum verbum *Sephot*, quod derivari potest sive a radice יסף, *addidit*, vel ex alia אסף, *consumpsit*. Priorem sensum sequutus videtur S. Hieronymus, reddit enim (9): *Ut assumat sitientem*, uti ferunt Manuscripta, legetuotque Interpretes ante correctionem Sixti V. qui in Textu Latinorum Bibliorum reponendum censuit: *Absumat ebria sitientem*, juxta vim secundæ significationis Hebræi *Sephot*, de qua hic egimus.

Hos autem varios sensus hujus sententiæ excerpsimus. Chaldæus: *Ne cogitet in corde suo, dicens: Pax erit mihi, quoniam in cogitatione cordis mei ego ambulabo, ut addantur ei peccata ignorantiæ peccatis superbiæ.* Septuaginta obscurioribus verbis (10): *Ne benedixerit in corde suo, dicens: Sancta mihi fiant, quoniam in errore cordis mei incedam, ut non simul perdat peccator eum, qui sine peccato est.* Minæ sunt Dei in peccatorem, qui permissum sibi credit ut vitam effrænem, ac pro voto cordis sui vivat. Prædicit illi Deus: Ne tibi blandiaris, ne forte in furore meo innocentem cum impio perdam, neve indignationem meam super omnem populum effundam, atque tui criminis pœnas totus orbis luat; impius quidem in æternum exitium, justus vero ut magis magisque purgetur.

Hæc phrasis, *qui bibit, absumat sitientem*, proverbium esse, & commode in hunc sensum teddi posse videtur: Ne sibi de impunitate impius blandiatur; neque rapi se a desiderio cordis sui sinat, reputans, vitam se acturum tranquillam, seque hilarem inter voluptates perseveraturum. Sobrios & temperantes arguunt ebriosi: probi ab improbis opprimuntur; & justi præda sunt impiorum. Contrario plane sensu, sed æquiore, quam quo hic impii loquuntur, pronunciavit Homerus Odyss. Θ. v. 329.

Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα· κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν.

Non bene succedunt mala opera: qui lentus incedit, celerem assequitur.

En aliam interpretationem: *Ne reputet peccator in corde suo: Felix ero: ibo in desideria cordis mei, sine solicitudine & anxietate; ut quod irrigatum est, aridum & siccum consumat.* Tristes curas meas mergam inundantibus voluptatibus: nihil mihi denegabo, ut vitæ amaritudinem temperem. Ita etiam commode exponitur: *Ne impius sibi blandiatur*, ne dedat se voluptati, *ut addat siti ebrietatem*. Ut levet se quodammodo præteritis molestiis, ut tandem erumpat ex angustiis, quas ducta in hoc deserto vita intulit; ne totum se tapiendum votis cordis sui permittat, cum in tegionem a Deo promissam pervenerit: ne quiete & ubertate rerum omnium in ea tegione illectus, ac recreatus, jugum Dei arrogantius excutiat, ne siti ebrietatem succedere sinat.

Grotius & Cornelius a Lapide ita reddendam sententiam censent: *Ne impius dicat in corde suo, fræna se laxaturum animo suo, ut conjungat ebrium sobrio*; impium scilicet innocenti, ne justum in crimen tum exemplo suo tum noxiis sermonibus trahat. Qui corruptus est, sanum alterum corrumpit; vitanda sunt quamvis levia malorum initia: pessima ex pravo exemplo timenda sunt.

℣. 20. FUROR EJUS FUMET. Hebræus ad literam יעשן אף יהוה *Fumet nasus Domini*. Iram in naribus constituere Hebræos, non uno Scripturæ testimonio (11) discimus. Persimiles phrases recurrunt interdum apud Græcos Latinosque. Theocritus Idyllio I:

Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

Et illi semper acerba bilis in naribus sedet.

Homerus impatientem Ulyssem se se prodendi Laerti patri suo describens, eadem phrasi utitur (12). Persius:

Disce: sed ira cadat naso, rugosaque sanna.

Plautus.

Fames & mora bilem in naso conciunt.

℣. 23. SULPHURE ET SALIS ARDORE COMBURENS. Salis nomine hic significarunt non sal, quo res condiuntur, sed sal nitri, sulphuris, asphalti, vel sal bitumine scatens, quod pro oleo in lucernis ardet. Meminit Herodotus (13) salis cujusdam, qui una cum oleo lucernis in Festis quibusdam Ægypti ponebatur; agitque Plinius (14) de bitumi-

[1] Genes. XV. 15. [2] שקוציהם ואת גלוליהם [3] שרש פרה ראש ולענה [4] Jerem. VIII. 13. IX. 15. XXIII. 15. [5] Psalm. LXVIII. 22. ויתנו בברותי ראש [6] Proverb. V. 4. [7] Jerem. IX. 15. & XXIII. 15. [8] למען ספות הרוה את הצמאה [9] Vide nov. edit. Oper. Hieron. pag. 234. Ita legunt Lyrano. Tost. Eugub. Sa, Cajet. & alii. [10] Καὶ ἐπιφημίσηται ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, λέγων, Ὅσιά μοι γένοιτο, ὅτι ἐν τῇ ἀποπλανήσει τῆς καρδίας μου πορεύσομαι, ἵνα μὴ συναπολέσῃ ὁ ἁμαρτωλὸς τὸν ἀναμάρτητον. [11] Psalm. XVII. 9. & 1. Reg. XXII. Job XLI. [12] Odyss. XXIV. v. 317.

Τοῦ δ' ὠρίνετο θυμός, ἀνὰ ῥῖνας δέ οἱ ἤδη
Δριμὺ μένος προὔτυψε, φίλον πατέρ' εἰσορόωντι.

[13] Herodot. l. 2. c. 62. [14] Plin. l. 2. c. 104. 105.

tumine, quod perinde ac oleum ardet. Sal inflammabile, quo siccitas terræ & sterilitas inducitur. Hinc mos obtinuit, ut sale seminarentur terræ maledicto devotæ, quas cultoribus destitui in perpetuum volebant. Abimelech sale seminavit solum urbis Sichem a se captæ & eversæ. Totam harum imprecationum vim sensisse Palestina post excidium Judæorum videtur; terra enim illa olim pinguis, beata, florens, nunc deserta ferme squalet; ac pristinæ fertilitatis vix quædam ambigua vestigia in raris aliquibus locis servat: reliqua omnia maledicti & derelicti soli specimen exhibent.

℣. 26. QUOS NESCIEBANT, ET QUIBUS NON FUERANT ATTRIBUTI. Diis quos nec ipsi norant, nec colebant, quorum in partem ipsi non cesserant. Innuere videtur, Deum permisisse quodammodo homines pluribus Dominis, Regibus, Diis; sibi vero uni servasse Israelem, ut Regnum suum sibi in illo constitueret, eumque haberet in populum suum, cultorem, famulum; quare perduellem illum ac perfidum Deo futurum, si alterum sibi Dominum, Deum & Regem compararet. Hebræus (1) duplicem sensum admittit. Primum: *Coluerunt Deos, quos ingnorabant, & qui nihil impertiti sunt eis*, quibus ipsi nullo accepto beneficio obstringebantur, cum vicissim Domino omnia deberent. Hunc sensum prætulerunt Chaldæus, Syriacus, & Interpretum plures. Aliter sensus est: *Adoraverunt Deos, quos ignorabant, & quibus Deus suus illos non attribuerat*. Superius IX. 24. animadvertimus, phrasim hanc, scire, vel agnoscere aliquem in suum, dominium exprimere; & ignotum esse Deo, vel minus illi cognitum, aut alienum, non esse ex ejus hæreditate, malorum omnium esse maximum.

℣. 29. ABSCONDITA DOMINO DEO NOSTRO, QUÆ MANIFESTA SUNT NOBIS, ET FILIIS NOSTRIS. Cum Moyses in superioribus quinque versiculis loquentes induxisset exteros populos, quos attonitos reddebant mala, quæ per ditionem Israeliticam inundaverant; resumpta orationis serie, demonstrat Israelitis, hæc omnia, quæ narravit atque prædixit, esse mysteria, Patribus suis abscondita; Deum vero, qua est clementia, revelari illa ministerio suo velle, ut metu tantorum malorum in officio contineantur.

Rabbini plures (2), quibus Commentatiorum Scriptores quidam suffragantur, ita dictum exponunt: Crimina occulta soli Deo punienda servantur; sed nota, & publica nostro judicio subjecta sunt: quare illorum ultio a nobis expetenda est. Sed quæ conjunctio hujus interpretationis cum præcedenti, & subsequenti orationis serie? Alii (3) magis prona interpretatione reddunt: *Secreta Domini Dei nostri revelata sunt nobis, & filiis nostris*. Privilegium est singulare nobis tantum inter cæteras gentes concessum (4); nullam autem prætendere possumus causationem, si tanto beneficio non respondemus integra fide, & in Leges, & mandata ejus obsequio. Hunc sensum commode admittere potest Hebræus (5).

---

(1) אלהים אשר לא ידעים ולא חלק להם (2) Abenezra, Hiscuni. Sa, &c. (3) Fag. Vat. Oleast. Grot. (4) Psalm. CXLVI. 20. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*. (5) הנסתרות ליהוה אלהינו והנגלות לנו

C A P U T. XXX.

Indulgebit Deus illis, qui ad se regredientur. Præcepta ejus impossibilia ne reputes. Bonum & malum, vita & mors ab ipso Deo nobis seligenda proponuntur.

℣. 1. CUM ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo: & ductus pœnitudine cordis tui
in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, 2. Et reversus
fueris ad eum, & obedieris ejus imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis
tuis, in toto corde tuo, & in tota anima tua: 3. Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis,
in quos te ante dispersit. 4. Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet
Dominus Deus tuus, 5. Et assumet, atque introducet in terram, quam possederunt
patres tui, & obtinebis eam: & benedicens tibi, majoris numeri te esse faciet, quam
fuerunt patres tui. 6. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis
tui; ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut
possis vivere. 7. Omnes autem maledictiones has convertet super inimicos tuos, &
eos, qui oderunt te, & persequuntur. 8. Tu autem reverteris, & audies vocem
Domini Dei tui: faciesque universa mandata, quæ ego præcipio tibi hodie: 9. Et
abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in sobole uteri tui, & in fructu jumentorum tuorum, in ubertate terræ tuæ, & in rerum omnium largitate. Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus
bonis, sicut gavisus est in patribus tuis: 10. Si tamen audieris vocem Domini Dei
tui, & custodieris præcepta ejus, & cæremonias, quæ in hac lege conscripta sunt,
& revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua. 11.
Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, 12. Nec in cœlo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cœlum ascen-

 dere,

dere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? 13. Neque trans mare positum: ut causeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre: ut possimus audire, & facere, quod præceptum est? 14. Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. 15. Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & e contrario mortem, & malum: 16. Ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & custodias mandata illius, ac cæremonias, atque judicia, & vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi in Terra, ad quam ingredieris possidendam. 17. Si autem aversum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris deos alienos, & servieris eis: 18. Prædico tibi hodie, quod pereas, & parvo tempore moreris in Terra, ad quam, Jordane transmisso, ingredieris possidendam. 19. Testes invoco hodie cœlum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum: 20. Et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhæreas (ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum) ut habites in terra, pro qua juravit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret eam illis.

℣. 3. REDUCET DOMINUS CAPTIVITATEM TUAM. Harum promissionum fidem Judæi implendam adhuc expectant; spondentque sibi futurum, ut Deus tandem malorum populi sui misertus, ab ea dispersione, qua per totam Orbis faciem dissipatur, illum denique revocet. In captivitate Babylonica, inquiunt illi, Israelitarum dispersio tanta utique non fuit, quanta hic exprimitur, *in universis gentibus*. Cum vero Dominus populum suum ab ea captivitate reduxit, Israelitas omnes utique non revocavit, nec eorum numerum multo magis quam antea fuerit, multiplicavit: non illis tunc dedit cor circumcisum, ut quod nunc se largiturum spondet. Alio igitur, quam ad captivitatem Babylonicam, spectat hic Moyses; quare ejus dicta de captivitate sunt, quæ tot jam sæculis perseverat, accipienda.

Sed libertas, quam illi frustra sibi blandientes expectant, alia erit plane, quam quæ mentibus illorum obversatur: opus est primo, ut errore suo agnito ad Jesum Christum accedant, eumque consecrent in Altari, quem antea interfecerunt in Cruce; ac tandem in ejus Ecclesiam ingrediantur: hæc autem omnia in exitu sæculorum implenda sunt, & *cum plenitudo gentium intraverit*, uti docet Apostolus (1). Tunc autem oraculo huic Mosaico fides integra constabit. Nec tamen hisce prohibemur credere, impletum illud fuisse re ipsa, soluta captivitate Babylonica, cum unum idemque vaticinium, etiam ad literam, ad varios futuros eventus referri possit. Id vero plane constat in oratione Nehemiæ, quam ad Deum porrexit, cum in Aula Regis Babylonis adhuc esset (2): *Memento verbi, quod mandasti Moysi servo tuo dicens: Cum transgressi fueritis, ego disperdam vos in omni populo; & si revertamini ad me ... etiam si adducti fueritis ad extrema Cœli, inde congregabo vos ... Et ipsi servi tui, & populus tuus &c.* Persuasum igitur habebat, minas illas Moysis in caput populi excussas fuisse: quare & sperabat a Deo tandem in regionem suam reducendos esse, juxta datam per eumdem Moysem fidem.

℣. 4. AD CARDINES CŒLI; ad extrema Mundi. Hebræus בקצה השמים *In extremo Cœlorum*. Septuaginta: *A summo Cœli ad summum Cœli*. Ab extremis terræ, quæ Cœlum contingere, & ab illo definiri videntur.

℣. 6. CIRCUMCIDET DOMINUS COR TUUM. Hæc omnia implenda integra fide sunt in conversione Judæorum ad Jesum Christum. Post reductum e captivitate Babylonica populum, minora vitia inter Judæos fuere, ejecta prorsus Numinum superstitione. Quæ quidam minor morum pravitas perfectioni quodammodo præludebat, quam Messias erat inducturus. Septuaginta: Περικαθαριεῖ Κύριος τὴν καρδίαν σου, *Purificabit Dominus cor tuum*. Chaldæus: *Auferet Dominus insipientiam cordis tui*.

℣. 9. REVERTETUR DOMINUS, UT GAUDEAT SUPER TE IN OMNIBUS BONIS. Hebræus ad literam (3): *Revertetur Dominus ad gaudendum de te in bonum*. Eadem in te clementia utetur, ac in patres tuos.

℣. 11. NON SUPRA TE EST, NEQUE PROCUL POSITUM. Verti potest Hebræus (4): *Præceptum hoc non est separatum a te*, non absconditum, neque tam arduum tamque mirabile, ut intelligentiam tuam superet, *neque longinquum est*. Septuaginta (5): *Neque supra modum grave est, neque longe a te est*. Hunc locum Sanctus Paulus (6) de Evangelica Lege explicat, eadem profecto, si rem spectes, ac Mosaica; non enim destructor Judaicæ Legis Christus, sed consummator fuit. Præcepta a Christo lata hominis vires, Divinæ gratiæ auxilio fretas, non superant. Neque gravius est ejus jugum quam humanitas ferat, neque majores humana virtute Leges, neque ignota nobis voluntas: non procul posita hæc sunt: ipse revelavit atque explicavit.

℣. 12. NEC IN CŒLO SITUM. Peculiari revelatione non indiges, ut ea noscas; vel, opus non est te operam Astrologiæ navare, Magorum Chaldæorumque instar, ut tua tuæque Religionis officia calleas (7). S. Paulus hunc locum recitans, addit (8): *Ne dixeris ... Quis descendet in abyssum?* quæ verba in Hebræo non leguntur. Profani, qui revelatione, veraque Dei notitia carebant, Dei cognitionem maxime arduam esse arbitrabantur: quique ex iis levem ejus imaginem animo concipiebant, populo præjudiciis, inanibusque imaginibus occupato explicare verebantur. Secus Judæi; quorum maxime rudes illud noverant, cujus in investigatione studia & vigiliæ Profanorum sapientum desudabant.

℣. 13. NEQUE TRANS MARE POSITUM. Longo tibi opus itinere non est, ut Legis tuæ notitiam acquiras; quemadmodum Ægyptii, Phœnices, tamque multi post illos Philosophi, diuturnis itineribus agitabantur, ut aliarum regionum Sapientes consulerent.

℣. 14. JUXTA TE EST SERMO VALDE, IN ORE TUO, ET IN CORDE TUO. Memoria tenes atque complecteris Dei tui præcepta (9); ore semper versas; sive

(1) Rom. xi. 25. (2) Esdr. 1. 8. (3) לשוש עליך לטוב (4) לא נפלאת הוא ממך ולא רחקה הוא (5) Οὐκ ὑπέρογκός ἐστι, οὐδὲ μακρὰν ἀπὸ σοῦ ἐστι. (6) Rom. x. 6. 7. 8. (7) [illegible] (8) Rom. x. 7. (9) Vide ℣. 19. sequentis Capitis, ubi eadem phrasis occurrit.

sive aliter: id noctu diuque auribus tuis insonat ac ingeritur; vel denique: Nihil tibi facilius est ac pronius, Dei ope comite, quam ut ea velis, dicas, agas, quæ ipse imperat. Septuaginta: *Est in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis, facere illud.*

℣. 15. Vitam et bonum, et e contrario, mortem et malum. Vel de bonis malisque moralibus, vel de bonis malisque vitæ intelligi possunt hæc verba. Idem aliis verbis repetit Moyses ℣. 19. *Proposui vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem*. Idest: Exhibui vobis eorum, qui Dominicis Legibus obtemperant, felicitatem, futuraque eorum, qui iis refragantur, infortunia. Maledicta præteritis tribus Capitibus narrata spectat. Vestrum est, inter bonum malumque seligere.

℣. 20. Ipse est enim vita tua. Vita hominis Deus est: vitam illi & corporis & animæ largitur & servat. Præter Deum neque felicitas, neque vita. Verti posset Hebræus הוא חייך, ut reddunt Septuaginta: Τῦτο ἡ ζωή σε, *Hoc est vita tua*. In eo sita est felicitas tua, ut Deum ames, illique obtemperes. Hac unica ratione mala a me prædicta evitas.

ÇAPUT XXXI.

Moyses CXX. annorum ætate senex Josue successorem sibi nuncupat, Legem tabulis mandat, & Sacerdotibus tradit. Jubet eam singulis septenniis coram populo legi, & ad Arcæ latus collocari, Canticum scribit a populo ediscendum.

℣. 1. Abiit itaque Moyses, & locutus est omnia verba hæc ad universum Israel, 2. Et dixit ad eos: Centum viginti annorum sum hodie, non possum ultra egredi, & ingredi, præsertim cum & Dominus dixerit mihi: Non transibis Jordanem istum. 3. Dominus ergo Deus tuus transibit ante te: ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, & possidebis eas: & Josue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus. 4. Facietque Dominus eis, sicut fecit Sehon, & Og regibus Amorrhæorum, & terræ eorum, delebitque eos. 5. Cum ergo & hos tradiderit vobis, similiter facietis eis, sicut præcepi vobis. 6. Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paveatis ad conspectum eorum: quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, & non dimittet, nec derelinquet te. 7. Vocavitque Moyses Josue, & dixit ei coram omni Israel: Confortare, & esto robustus: tu enim introduces populum istum in Terram, quam daturum se patribus eorum juravit Dominus, & tu eam Sorte divides. 8. Et Dominus, qui ductor est vester, ipse erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere, nec paveas. 9. Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis senioribus Israel. 10. Præcepitque eis, dicens: Post septem annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum, 11. Convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis, 12. Et in unum omni populo congregato, tam viris, quam mulieribus, parvulis, & advenis, qui sunt intra portas tuas: ut audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus. 13. Filii quoque eorum, qui nunc ignorant, ut audire possint, & timeant Dominum Deum suum cunctis diebus, quibus versantur in terra, ad quam vos, Jordane transmisso, pergitis obtinendam. 14. Et ait Dominus ad Moysen: Ecce prope sunt dies mortis tuæ: voca Josue, & state in tabernaculo testimonii, ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moyses, & Josue, & steterunt in tabernaculo testimonii, 15. Apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi. 16. Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in Terra, ad quam ingreditur, ut habitet in ea: ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. 17. Et irascetur furor meus contra eum in die illo: & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in devorationem: invenient eum omnia mala, & afflictiones, ita ut dicat in illo die: Vere, quia non est Deus mecum, invenerunt me hæc mala. 18. Ego autem abscondam, & celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala, quæ fecit, quia secutus est deos alienos. 19. Nunc itaque scribite vobis canticum istud, & docete filios Israel: ut memoriter teneant, & ore decantent, & sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel. 20. Introducam enim eum in terram, pro qua juravi patribus ejus, lacte, & melle manantem. Cumque comederint, & saturati, crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, & servient eis: detrahentque mi-

hi, & irritum facient pactum meum. 21. Postquam invenerint eum mala multa, &
afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio
ex ore seminis sui. Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie, antequam
introducam eum in terram, quam ei pollicitus sum. 22. Scripsit ergo Moyses can-
ticum, & docuit filios Israel. 23. Præcepitque Dominus Josue filio Nun, & ait: Con-
fortare, & esto robustus: tu enim introduces filios Israel in terram, quam pollicitus
sum, & ego ero tecum. 24. Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in vo-
lumine, atque complevit: 25. Præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Do-
mini, dicens: 26. Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Do-
mini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium. 27. Ego enim scio contentio-
nem tuam, & cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me, & ingrediente vo-
biscum, semper contentiose egistis contra Dominum: quanto magis cum mortuus fue-
ro? 28. Congregate ad me omnes majores natu per tribus vestras, atque doctores,
& loquar audientibus eis sermones istos, & invocabo contra eos cœlum, & terram.
29. Novi enim, quod post mortem meam inique agetis, & declinabitis cito de via,
quam præcepi vobis: & occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis
malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum. 30.
Locutus est ergo Moyses, audiente universo cœtu Israel, verba carminis hujus, &
ad finem usque complevit.

℣. 1. ABIIT MOYSES, ET LOCUTUS EST OMNIA VERBA HÆC. Accipi hæc possunt seu tanquam prædictorum conclusio: *Cessavit loqui ad Israel* (1), uti legunt Septuaginta (2): *Et consummavit Moyses loquens*; sive ut alterius orationis initium: *Venit iterum loqui ad eos*; seu denique, ut orationis ejus prosequutio: *Perrexit loqui*. Vel alio sensu: *Abiens dixit*, cœtum dimittens. Ita orationem clausit. Putat Josephus (3), id altera die ab habita concione ac oratione Moysis contigisse.

℣. 2. NON POSSUM ULTRA INGREDI ET EGREDI. Phrasis hæc Ducis (4) ac Imperatoris copias ducentis reducentisque munus exhibet. Consuetas etiam vitæ functiones exprimit (5). Ait hic Moyses, se deinceps populo non præfuturum, non ætatis quidem provectissimæ injuria, cum neque corporis neque animi robore in eam rem necessario destitueretur (6); sed Dei mandato, qui sibi edixerat fore, ut ipse Jordanem non trajiceret, atque Josue populum in Terram promissionis induceret: *Præsertim cum Dominus dixerit*. Planius Hebræus: *Et Dominus dixit ad me; Non transibis Jordanem istum*. Hæc omnis ratio est, cur vobis imperare, vosque ducere desinam.

℣. 7. SORTE DIVIDES. Hebræus & Chaldæus תנחילנה אותם *Hæreditare facies eam illos*.

℣. 9. SCRIPSIT MOYSES LEGEM HANC. Sunt (7) qui putent, scriptam jam antea Legem, quam in cœtum veniret, quemadmodum & Canticum sequenti Capite narratum. Ac profecto sequenti Capite ℣. 48., legimus, juberi Moysem a Deo montem ascendere eadem die, qua populum allocutus est. Ita neque ipse ea die scribere, neque populo scribendum dictare potuit Canticum, de quo agimus. Vide ℣℣. 19. 22. & 30. hujus Capitis.

LEGEM HANC, Pentateuchum, ajunt Judæi (8); vel potius Deuteronomium, usque ad hunc locum; seu denique Capita XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. hujus Libri. Duo ejus exempla scripsit Moyses; alterum prope Arcam condendum, alterum Sacerdotibus ab ipso Moyse traditum. Primum hic legimus, alterum ℣. 26. hujus capitis. Id tunc præstitum est, quod de Tabulis alicujus momenti fieri solet, quarum alterum exemplum tuto in loco seponitur, altero penes transigentes servato. Tredecim Legis Exemplaria Moysem scripsisse putant Rabbini; ac singulis Tribubus cum singula tradidisset, decimum tertium in Arca condidisse. Hæc quis probet?

TRADIDIT EAM SACERDOTIBUS . . . QUI PORTABANT ARCAM. Arcam vehere in profectionibus per desertum, consuetum erat Levitarum officium (9). Quandoque tamen, cum rei magnitudo id posceret, cum Arca exuta ac solemni ritu deferretur, Sacerdotes vehebant. Ita in prodigioso Jordanis transitu (10), Jerichuntis circuitione (11) cum in exercitum adversus Philisthæos (12), ac denique cum Jerosolymam translata est. Liber Legis Sacerdotum manibus creditus est, ut populum docerent. *Labia Sacerdotis custodient scientiam*, ait Malachias II. 7. *& legem requirent ex ore ejus*. Solemne erat olim apud ipsos etiam Profanos, ut Libros, quos sacros esse putabant, in Templis conderent, ac Sacerdotibus custodiendos crederent, quorum munus erat, ut eos scriberent ac tuerentur.

℣. 10. POST SEPTEM ANNOS. Hebræus (13): *In fine septem annorum*. Singulis annis Sabbathicis, anno ineunte, per Festos Tabernaculorum dies, publice Legis lectio habebatur, uti sequenti versiculo discimus. Anni Sabbathici observantia nonnisi acquisita, pacateque possessa Chananitide cœpit.

℣. 11. LEGES VERBA LEGIS HUJUS. Sacerdotes quidem generatim, at Pontificem potissimum alloqui videtur hic Moyses, imperatque ut Legem populo legat & explanet. Septuaginta in plurali legunt (14): *Legetis Legem*. Docet Josephus (15), munus fuisse Pontificis, Legis habere lectionem. Eamdem Esdras habuit in Templo post reditum (16). Communiter vero censetur id muneris ad Sacerdotes pertinuisse: alii tamen putant, ea verba, *Leges hanc legem*, ad Moysem ejusque in regimine Successores spectare. Asserunt hi, post Rabbinos (17), Regum Juda ætate, Regem ipsum in atrio Templi fœminis destinato Legem populo explanasse; eo autem præsertim in atrio idcirco, quod amplissimum esset, & ut lectio Legis

[1] וילך משה וידבר [2] Καὶ συνετέλεσε Μωυσῆς λαλῶν. [3] Joseph. Antiq. lib. 3. cap. 8.
[4] Vide Num. XXVII. 17. 1. Reg. XVIII. 13. 2. Reg. III. 25. [5] Deut. XXVIII. 7. Psal. CXX. ult.
[6] Deut. XXXIV. 7. [7] Vatab. Jans. [8] Hebræi apud Fag. [9] Num. III. IV.
[10] Josue III. 3. 6. 8. [11] Josue VI. 9. [12] 1. Reg. IV. 4. 5. [13] מקץ שבע השנים
[14] Ἀναγνώσεσθε. Heb. תקרא את התורה [15] Joseph. lib. 4. cap. 8. [16] 1. Esdr. VIII. 2.
[17] Rabb. apud Fag. Grot.

gis a fœminis perciperetur. Regem, pulpito ligneo conscenso, præcipua Deuteronomii loca perlegisse; eoque tempore Levitas Jerosolymam excurrentes tubæ clangore populum monuisse, ut se se sisterent Templo. Cum sub Josia Rege Sacerdotes Librum Legis invenissent, idem ipse *Rex ascendit Templum Domini, legitque cunctis audientibus verba Libri fœderis* (1).

℣. 12. Mulieribus, parvulis et advenis. Fœminæ puerique duodecim annis majores cœtibus aderant, quantum vires dabant, tribus præsertim maxime solemnibus anni Festis, Paschatis, Pentecostes, ac Tabernaculorum. Qui seu viri seu fœminæ postremo huic adesse non poterant, liberos mittebant, legem Domini audituros, ut eam quam maturrime discerent. Ipsi vel pusilli eo ducebantur, nisi longe abfuissent. Norat Legislator quanti esset, homines Reipublicæ membra futuros, ab infantia Dei notitiam, obsequium & amorem docere.

℣. 17. Abscondam faciem meam ab eo. Easdem minas sequenti versiculo & Capite xxxii. 20. repetit. Eademque phrasis quam frequentissime in Scriptura occurrit, qua Dei indignatio exprimatur. Opponitur alteri, *ostendere faciem suam, illuminare vultum suum super aliquem*, pro favere, amore prosequi. Avertamur quem odimus; os operimus, ne quem horrori habemus, aspiciamus: quos vero amamus, aperto hilarique ore excipimus.

℣. 19. Nunc itaque scribite. Imperat Moyses Sacerdotibus, ut Cantici, quod mox recitaturus est, quodque Israelitæ ab iis docendi sunt, exempla describant. Ita fore, ut eorum quæ mox dicantur, memoria non cadat; hoc enim Canticum quædam est Deuteronomii Epitome. Volunt nonnulli (2), Moysem ipsum & Josue juberi canticum scribere, ut populo discendum describendumque darent.

Ut memoriter teneant, et ore decantent. Hebræus tantum שִׂימָה בְפִיהֶם *Pone illud in ore ipsorum*; discant, recitent, canant, semper in ore habeant.

℣. 20. Detrahent mihi. De me veluti de impio, sævo, injusto, infirmo Numine, obloquentur. Hebræus: וְנִאֲצוּנִי, *Me contemnent, vel injuriis me lacessent, conviciabuntur mihi*. Septuaginta: Παροξυνοῦσί με, *Irritabunt me*.

℣. 21. Respondebit ei Canticum istud pro testimonio. Ipsum Canticum pro teste adversus ipsos stabit, arguet eos, eorumque perfidiam aperiet: vel potius, Mea erga illos gesta tuebitur, omnibusque hominibus ostendet, me nihil prætermisisse illorum quæ debui, eosque monuisse infortuniorum quæ imminent, si a me defecerint. Suæ ipsi damnationis causam secum ferent: satis fuerit illud perlegere, ut noscant.

℣. 23. Præcepit Dominus Josue. Septuaginta: *Et mandavit* (Moyses) *Josue.... Tu induces filios Israel in terram, quam juravit eis Dominus*. Non satis aperit Hebræus, quis Josue imperaverit; atque si præcedentibus jungas, Moyses jussisse videtur. ℣. 22. *Et scripsit Moyses canticum istud in die ipsa, & docuit illud filios Israel*. ℣. 23. *Et præcepit Josue filio Nun*. Statim vero personam mutat: *Quia tu introduces filios Israel in terram, quam juravi eis*. Postremis hisce verbis persuasus S. Hieronymus, addidit τὸ *Dominus* in Vulgata.

℣. 26. Ponite eum in latere Arcæ. Interpretes plerique (3) ajunt, collocatum esse ad latus Arcæ, sed extra ipsam, Canticum, & forte ipsum Deuteronomium. Arcam quidem semel clausam, a nemine unquam reclusam fuisse asserunt: quare si intus in ea Liber Legis claudebatur, nunquam futurum fuisse, ut inde educeretur: eductum autem illum constat sub Josia (4), cum Legis Liber inventus est, atque in ædes Regis delatus. Ajunt insuper, diserte Scripturam asserere, solas in Arca fuisse Tabulas Legis (5).

Paraphrastes vero Jonathan, & Grotius e contra certant, Librum hunc in Arca בְּקִסְפָּא, *in Capsa*, cum Tabulis, sed ad illarum latus, fuisse collocatum: nosque eamdem sententiam minime sequi veremur. Simillima huic phrasis in Libris Regum (6) occurrit; Philisthini enim ponunt *in capsellam, ad latus ejus*, icunculas aureas, quas finxere; ad latus nempe tabularum, quibus capsula componebatur, intus circum distribuerunt. Eadem ratione collocatus est Liber Legis, de quo agimus. Cum ille nonnisi aliquis tabellarum numerus esset, hæ commode intus in Arca circum illius parietes, secus lapideas Tabulas, collocari potuere. Quod ajunt, Arcam semel clausam nunquam reclusam fuisse, id quidem probatione indiget. Arcæ operculum neque illi adhærebat, neque clavis conjungebatur. Amoveri poterat, uti omnium fere illius ætatis, qua usus clavium pro arcis ignorabatur, cum illæ vinculis solummodo quibusdam clauderentur, uti alibi animadvertimus. Ac profecto Arcam reclusam fuisse hinc certe constat, quod S. Paulus (7) auream urnam manna plenam, floridamque Aaronis virgam sitam ibi fuisse doceat. Cum igitur legimus, nonnisi duas Tabulas lapideas in Arca fuisse; vel illud intelligendum est quod cum exceptione dicitur, vel dicendum, nihil aliud tum in Arca fuisse, cum Author Librorum Regum scriberet, ac cætera hinc alio fuisse translata. Mos quidem fœderum ac transactionum vetustissimus ferebat, ut duo tabularum exempla describerentur, quorum alterum clauso obsignatoque in loco reconderetur, alterum apertum staret, quo, cum res posceret, confugiendum esset (8). Moyses Legis autographum Dei manu exaratum in Arca condiderat (9): nunc vero ad latera Arcæ condi jubet, ut consulantur cum opus fuerit, Capita xxix. xxx. xxxi. hujus Libri, quibus fœderis in Horeb xxxix. ante annos initi renovatio continebatur. Hæ vero eædem sunt Tabulæ, in Templo deinde sub Josia (10) inventæ, uti constat ex minis ac maledictis, quæ Regem ac Ministros tantopere terruerunt.

℣. 27. Contentiose egitis contra Dominum. Hebræus (11): *Vos semper provocastis Dominum*.

℣. 30. Ad finem usque complevit. Probabilissimum est, Canticum hoc a Moyse jam antea paratum scriptumque, coram cœtu nunc fuisse perlectum.

(1) 4. Reg. xxiii. 2. (2) Vide Vatab. (3) Lyran. Tirin. Menoch. Bonfr. Nos etiam idem diximus post alios, in Exodo xxv. ℣. 10. (4) 4. Reg. xxii. 8. (5) 3. Reg. viii. 8. *In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses &c.* (6) 1. Reg. vi. *Posuerunt in capsellam, ad latus ejus.* (7) Hebr. ix. 4. (8) Jerem. xxxii. 12. 13. 14. (9) Exod. xxv. 16. (10) 4. Reg. xxii. 8. (11) ממרים היתם עם יהוה Septuag. Παραπικραίνοντες ἦτε τὰ πρὸς τὸν Θεόν.

C A.

CAPUT XXXII.

Supremum Moysis Canticum. Moyses montem Abarim scandit, unde Chananitidis prospectu fruitur.

℣. 1. Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei, 2. Concrescat ut pluvia doctrina mea; fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina. 3. Quia nomen Domini invocabo: date magnificentiam Deo nostro. 4. Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus, & rectus. 5. Peccaverunt ei, & non filii ejus in sordibus: generatio prava, atque perversa. 6. Hæccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te? 7. Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi: 8. Quando dividebat Altissimus gentes: quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. 9. Pars autem Domini, populus ejus: Jacob funiculus hæreditatis ejus. 10. Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis, circumduxit eum, & docuit: & custodivit quasi pupillam oculi sui. 11. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. 12. Dominus solus dux ejus fuit: & non erat cum eo Deus alienus. 13. Constituit eum super excelsam terram: ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. 14. Butyrum de armento, & lac de ovibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan: & hircos cum medulla tritici, & sanguinem uvæ biberet meracissimum. 15. Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo. 16. Provocaverunt eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt. 17. Immolaverunt dæmoniis, & non Deo, diis, quos ignorabant: novi, recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. 18. Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. 19. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est: quia provocaverunt eum filii sui, & filiæ. 20. Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum: generatio enim perversa est, & infideles filii. 21. Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis: & ego provocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. 22. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. 23. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. 24. Consumentur fame, & devorabunt eos aves morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium. 25. Foris vastabit eos gladius, & intus pavor, juvenem simul, ac virginem, lactentem cum homine sene. 26. Dixit: Ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. 27. Sed propter iram inimicorum distuli: ne forte superbirent hostes eorum, & dicerent: Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia. 28. Gens absque consilio est, & sine prudentia. 29. Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. 30. Quo modo persequatur unus mille, & duo fugent decem millia? nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos? 31. Non enim est Deus noster, ut dii eorum: & inimici nostri sunt judices. 32. De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis, & botri amarissimi, 33. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. 34. Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? 35. Mea est ultio, & ego non retribuam in tempore, ut labatur pes eorum: juxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora. 36. Judicabit Dominus populum suum, & in servis suis miserebitur: videbit, quod infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt. 37. Et dicet: Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? 38. De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum: surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. 39. Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me;

me: ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo, & non est, qui
de manu mea possit eruere: 40. Levabo ad cœlum manum meam, & dicam: Vivo
ego in æternum. 41. Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium ma-
nus mea: reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. 42. Ine-
briabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum,
& de captivitate nudati inimicorum capitis. 43. Laudate gentes populum ejus, quia
sanguinem servorum suorum ulciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorum, & pro-
pitius erit terræ populi sui. 44. Venit ergo Moyses, & locutus est omnia verba can-
tici hujus in auribus populi, ipse, & Josue filius Nun. 45. Complevitque omnes ser-
mones istos, loquens ad universum Israel. 46. Et dixit ad eos: Ponite corda vestra in
omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie: ut mandetis ea filiis vestris custodire, &
facere, & implere universa, quæ scripta sunt legis hujus: 47. Quia non incassum præ-
cepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent: quæ facientes longo perseveretis
tempore in terra, ad quam, Jordane transmisso, ingredimini possidendam. 48. Locu-
tusque est Dominus ad Moysen in eadem die, dicens: 49. Ascende in montem istum
Abarim, idest, transitum, in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Jericho:
& vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israel obtinendam, & morere in mon-
te. 50. Quem conscendens jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus
in monte Hor, & appositus populis suis. 51. Quia prævaricati estis contra me, in
medio filiorum Israel ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin: & non sanctificastis
me inter filios Israel. 52. E contra videbis terram, & non ingredieris in eam, quam
ego dabo filiis Israel.

℣. 1. AUDITE, CŒLI, QUÆ LOQUOR. Hebræus: *Audite, Cœli, & loquar.* Nihil unquam sublimius, neque rerum magnitudini aptius excogitatum est. Hac insolita phrasi erigitur statim Moyses, secumque auditorem in attentionem rapit. Cœlum Terramque, Angelos omnesque Creaturas eorum testes vocat, quæ dicturus est, testes scilicet immortales, cum ea, quæ mox loquetur, immortalem memoriam mereantur. Alibi etiam (1) Legislator eadem usus est phrasi, sed vi minori atque impetu. Hanc styli sublimit item Profani, Cœlum terramque testantes, imitati sunt. Virgilius *Æneid.* XII.

Esto nunc sol testis, & hæc mihi terra precanti.

℣. 2. CONCRESCAT UT PLUVIA DOCTRINA MEA; vel potius, ut exhalationes, quæ in aerem vectæ in nubes concrescunt, tum in pluviam collectæ cadunt. Vertunt Septuaginta (2): *Expectetur, ut pluvia, gravis sermo meus.* Chaldæus (3): *Suavis sit sicut pluvia doctrina mea.* Sermo pluviæ comparatur: nubibus ii, qui Dei verbum evangelizant (4). Minitatur Deus futurum, ut imbrem suum prohibeat, ne fluat (5). Sapiens *tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ* (6). Latina exemplaria non pauca ferunt: *Concrescat in pluviam doctrina mea.*

QUASI IMBER SUPER HERBAM, ET QUASI STILLÆ SUPER GRAMINA. Alia ratione redditur Hebræus (7): *Ut imber suavis super herbam, & ut pluvia vehemens super plantas*; vel plane contrario sensu: *Ut aqua turbinis super herbam, & ut aqua vehemens super herbam.* Hæc versionum varietas satis ostendit, Originalium vocum vim ignorari.

℣. 3. QUIA NOMEN DOMINI INVOCABO (8); vel ex Vatablo: *Celebrabo, cantabo nomen Domini.* Vel denique: Invoco nomen Domini, initio orationis meæ. Sive addendo hæc præcedentibus: Ut imber stillans super gramina sit eloquium meum, cum Dominum invoco.

DATE MAGNIFICENTIAM DEO NOSTRO, celebrate, admiramini Dei magnificentiam, laudate majestatem, præsentiam expavescite.

℣. 4. DEI PERFECTA SUNT OPERA. Quæ olim fecit, quæque facere pergit, perfecta sunt, nullaque labe arguenda. Summam Dei æquitatem ejusque operum præponit Moyses, ut inde vi majori in populi perfidiam invehatur. Hebræus ad literam הצור תמים פעלו *Lapis, perfecta opera ejus*, absque labe, vel vitio. Frequenter Deus *Lapis*, *Rupes* in Textu appellatur, ob ipsius celsitudinem ac robur, quod immutabilis sit & constans, refugium nostrum ac vis nostra (9); sive quod pater nostrum est, ac rupes, unde excisi sumus. Dicitur ℣. 18. *Lapidem, qui te genuit, dereliquisti.* Et in Isaia LI. 1. *Attendite ad petram, unde excisi estis.*

OMNES VIÆ EJUS JUDICIA. Sive puniat, sive remuneretur, erigat vel deprimat, æque justus est Deus, ac juste operatur. Nullus vobis de ejus gestis querendi locus est.

DEUS FIDELIS. Verti potest Hebræus אל אמונה *Deus veritas* est in verbis suis, fidelis in promissis, in operibus syncerus, constans in electione: non deserit nisi deserentem se. Quæ in fœdere cum vobis ac patribus vestris inito jubebantur, cuncta complevit, ac nunquam defuit.

℣. 5. PECCAVERUNT EI, ET NON FILII EJUS IN SORDIBUS. Qui filiorum Dei nomine indigne adeo gloriantur, sacrilegis suis sordibus, idolorum cultu in ipsum peccavere; quæ quidem Idola frequenter in Scriptura Deorum sordis & abominationum nomine traducuntur: quorum cultus prostitutio & immundities appellatur. Sua illos perfidia filiorum Dei nomine indignos fecit. Gesta Israelitarum in Deum gestis Dei in Israelitas Moyses opponit. En totum hujus Versiculi textum in Hebræo (10): *Corrupit se, ei qui non sunt filii ejus, macula ipsorum in generatione perversa, atque contorta.* Sive, ut a barbara constructione recedamus: *Generatio hæc corrupta est, filiorum Dei nomen & qualitatem amisit. Sordes illam suæ pravam perversamque gentem effecere.* Ita etiam reddi potest: *Sordes ejus corruperunt eam: non sunt populus, seu filii Dei: generatio prava atque fallax,*

(1) Vide Num. XV. 6. (2) *Προσδοκάσθω ὡς ὑετὸς τὸ ἀπόφθεγμά μου.* (3) Legit hic, uti & Septuaginta יצפה כמטר pro יערף Grot. (4) Isai. LV. 8. Judæ ℣. 12. (5) Isai. V. 6. Vide & Isai. LV. 10. 11. (6) Eccl. XXXIX. 6. (7) כשעירים עלי דשא וכרביבים עלי עשב (8) *Ὅτι ὄνομα Κυρίου ἐκάλεσα.* Hebr. כי שם יהוה אקרא (9) Psalm. LXI. 8. Deus auxilii mei. Hebr. Rupes fortitudinis meæ. (10) שחת לו לא בניו מומם דור עקש ופתלתל

lax, seu malæ fidei, sunt. Israel sponte dignitatem qualitatemque filiorum Dei abjecit: criminibus obvolutus est, quibus perversa maxime ac perfida natio fiunt: nullius est fidei,& æquitatis: fœdus Domino juratum violavit.

Septuaginta, Chaldæus, Syriacus, Arabs Textum aliter legisse videntur, ac nostra Biblia ferant (1): *Corruperunt se, non Dominum, filii qui coluerunt Idola*. Corruptio eorum in ipsis stetit. Vel: Ipsi quidem defuerunt debitæ Deo fidei, sed Dominus promissionibus suis non defuit. Septuaginta: *Peccaverunt, non ei, filii vituperabiles*. Ac si dicerent, ipsorum crimen in Deum verti non posse; seu potius, Sordes ipsorum in Deum nullo modo referri, cum nihilo minor idcirco, nihilo purior, nihilo sanctior sit. Ita S. Augustinus explicat (2).

℣. 6. Qui possedit te, et fecit, et creavit te. Hebræus ad literam (3): *Qui emit te, qui fecit te, qui firmavit te*. Ex Ægypto eduxit, ut servus e servitute redimitur: in populum suum te elegit: firmavit te, fortem reddidit, rexit, cum infirmus, pavens, ac nutans esses (4).

℣. 8. Quando dividebat Altissimus gentes, Persæ, Græci, & Jamblichus lib. 1. cap. 25. ajunt provincias orbis procurari a Diis & Angelis, singulas singulis commissas. Plato in Critica. *Dii quondam universæ terræ orbem sigillatim sortiti sunt in regiones singulas distributum. Cæterum judicii jurisque sortibus quisque ad votum suscipientes, curantesque amicorum singulas regiones habitandas disposuerunt. Hosque veluti greges ipsorum possessionesque & armenta nutrivere, quemadmodum in plagis pecora jumentaque pastores solent*. Confer Juliani Imperatoris Cæsares ad finem.

Constituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israel. Dicunt vulgo, Deum, cum regiones in varias gentes distribuit, ita regionem septem Chananæis nationibus concessam destinasse, ut his deletis, Israelitæ in ea regione sedes sibi sufficientes & commodas invenirent: adeout si amplior fuisset, impedimento, si minor, incommodo futura esset. Has igitur sedes Chananæis Dominus quodammodo solum ut custodibus dedit; eo enim consilio easdem illis permisit, ut olim Israelitarum essent. En continuam beneficiorum studiorumque Dei seriem erga Israelitas, antequam illi vel nascerentur. Opportune autem hic memoratur, cum Hebræi mox in eam regionem sunt ingressuri.

Septuaginta (5), plerisque Veterum comitantibus (6): *Quando dividebat Altissimus gentes, quando disseminabat filios Adam; constituit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei*. Putant illi, cuique populo, ac Provinciæ suum esse Angelum, eorum custodiæ destinatum, uti quisque nostrum suum habet Angelum custodem statim ac oritur, quousque moriatur: Israeliticæ autem gentis Deum ipsum esse custodem, ejusque curam Dei filio esse commissam. Id e versiculo sequenti ducebant: *Pars autem Domini, populus ejus*. Hanc opinionem firmant aliqui verbis Ecclesiastici xvii. 14. *In unamquamque gentem præposuit rectorem: & pars Dei, Israel, facta est*. Neque desunt, qui Angelos in populorum custodiam electos, numero esse septuaginta definiant, quo scilicet numero erat Jacobi familia, cum in Ægyptum venit. Eadem e sententia orta sunt septuaginta idiomata in confusione Babelis enumerata. Hæc vero sententia minimam fidem meretur, cum unicæ Septuaginta Versioni hæreat; quæ quidem Versio eo magis suspecta esse debet, quo ab Hebræo, Chaldæo, Vulgata, cæterisque vetustis Græcis Versionibus abest.

En novam hujus loci versionem, satis mea quidem sententia literalem, qua difficultates omnes in utraque explicatione supra narrata occurrentes auferuntur (7): *Cum Altissimus unicuique genti hæreditates suas distribuebat; cum separavit, ac dispersit filios Adam, & statuit illis terminos suos: tunc filii Israel pauci numero erant, cum Dominus elegit populum suum, & Jacob fuit funiculus hæreditatis ejus*. Frequenter narrat Scriptura, Deum suas unicuique genti hæreditates destinasse (8): *Fecit ex uno omne genus hominum*, ait S. Paulus in Actis, *inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum*. Profecto jure dici nequit, terram ad numerum filiorum Israelis fuisse distributam, etiamsi de sola Chananitide intelligatur. Certum enim est, Israelitas nunquam in totius sibi promissæ regionis dominium venisse; aliamque regionem æque Israelitis commodam futuram fuisse, atque Chananæorum. Neque minus verum est; brevissimo fuisse numero Israelitas, cum cæteræ nationes crescerent. Idque ego non dixerim de Babelicæ Turris ætate, qua Israelitæ nonnisi in genitoribus existebant, quemadmodum & innumeræ aliæ gentes, quas succedentium temporum series multiplicavit: ajo enim ipso eodem tempore, quo Dominus cum Abrahamo cæterisque Patriarchis fœdus inivit, Israelitas paucissimos numero fuisse, *Viros numeri*, vel, ut Hebræus habet, *in numero, ad numerum*. Hoc apertissime innuit Psalmus civ. 9. *Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes, quod disposuit ad Abraham, & juramenti sui ad Isaac, & statuit illud Jacob in præceptum, & Israel in testamentum æternum, dicens: Tibi dabo Terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ; cum essent numero brevi, paucissimi & incolæ ejus*. Idemque non uno in loco fatetur Moyses (9); uti cum imperat, ut Israelitæ coram Domino in primitiarum oblatione fateantur, patrem suum e Syria in Ægyptum paucis comitibus transmigrasse. Atque idem ipse Jacob, post Sichemitarum cædem, liberis suis exprobrat (10): *Summus viri numeri*; eadem plane phrasi ac in præsenti.

℣. 9. Jacob funiculus hæreditatis ejus. Jacob ejus hæreditas est. Jam alibi animadvertimus, Ægyptios uti consuevisse funibus, ut ingentia spatia dimetirentur. Author est Herodotus (11), in Ægypto superiori funem [*schœnum*] sexaginta stadiorum, passuum scilicet vii. m. ac dcc. fuisse mensuram; in inferiori vero, stadiorum triginta.

℣. 10. Invenit eum in terra deserta. Israelem Deus in Arabia invenit: ibi se illi videndum præbuit, cum eoque iniit fœdus. Populus erat sede, ope, patria, numine carens, certo exitio expositus, tum hostium causa, quibus cingebatur, tum regionis natura, quam peragrabat, ubi nonnisi mors iter habenti populo sperari potest. Hunc itaque populum ab omnibus destitutum, sui maxime egentem, Deus ex omnibus orbis gentibus idcirco eligit, ut quantum Deo debeat, apertius sentiat, acceptorumque beneficiorum memoria magis illum in officio fideque contineat. Ita Septuaginta & Chaldæus hunc locum vertunt (12): *Necessaria tribuit ei in deserto*, &c.

Circumduxit eum et docuit. Longo eo spatio, quo Israelitæ Desertum peragrarunt, formavit illos

---

(1) שחת לא לו בניו (2) August. qu. 55. (3) קניך הוא עשך ויכננך (4) Vulgata & Septuaginta vertunt ויכננך *Formavit te*, ἔπλασε. Legebant fortasse, יבנך (5) Ὡς διέσπειρεν υἱοὺς Ἀδὰμ, ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ. (6) Vide Origen. l. 12. de Principiis; & l. 5. contra Cels. pag. 249. & 250. Euseb. Demonstr. l. 4. c. 7. Aug. in Ps. 88. & 134. Hieron. Greg. Magn. alii. (7) בהנחל עליון גוים בהפרידו בני אדם יצב גבלות עמים למספר בני ישראל כי חלק יהוה עמו יעקב חבל נחלתו (8) Genes. xi. 5. Act. xvii. 26. (9) Deuter. xxvi. 5. (10) Genes. xxxiv. 30. (11) Herodot. l. 2. cap. 6. (12) ימצאהו בארץ מדבר Septuag. Αὐτάρκησεν αὐτὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ.

los Deus, docuit, Lege sua erudiit. Arduum vero fuisset illos eumdem in locum cogere, omnesque simul collectos videre, nisi inhospitam regionem tenuissent. Ea vero in solitudine minime arduum fuit sua illos officia docere, assiduoque illos usu imbuere. Neque ea parvi momenti res fuit, cum ea quæ in Ægypto didicerant, ex eorum animo obliteranda essent: profecto nonnisi quadraginta annorum opus illud esse poterat.

℣. 11. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos. Dicitur aquila, cum pullos suos volatui aptos viderit, super nidum stare, alisque plaudentem ad imitandum volandumque excitare; utque lassos viderit, dorso imponere ac ferre, ne venatores nisi per matris corpus natos vulnerent. Ardens Dei in populum amor hac similitudine explicatur. Parem in Exodo xix. 4. phrasim legimus, ubi Deus testatur, populum suum se veluti *super alas aquilarum* transtulisse. Vide le Spectacle de la Nature tom. 2. pag. 315, ubi non proletaria de hoc argumento.

Alius huic loco sensus congruit (1): *Ut aquila fingit nidum, cubat super pullos, expandit alas, assumit eos, & portat super alas:* ℣. 12. *Ita Dominus deduxit populum*, &c. Eadem videtur Chaldæi sententia.

℣. 12. Non erat cum eo Deus alienus. Alio Numine non indiguit. Revera Israelitæ quamplures aliena Numina in deserto coluere: hic tamen Moyses robur Dei populum suum tuentis commendat, cujus unius fuere ea prodigia, quibus populus fovebatur.

℣. 13. Constituit eum super excelsam terram. Vel ex Hebræo על במותי ארץ *super excelsa terræ*, In Palæstina, finitimisque regionibus edita loca, rupes & montes arcium loco habebantur. Qui eas occuparent, toti agro imperabant. Deus igitur populum super excelsa terræ statuit, arces nempe regionis illi tribuit. Sive, in edita regione populum collocat, in Chananitide, ubi alluviones minime formidantur. His verbis Ægyptum spectat, unde egrediebantur, planam regionem, ac in ipso æstatis fervore lxxx. diebus Nili alluvione occupatam.

Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Olei mellisque feracissima fuit Palæstina. Mel ibi apes in rupibus deponunt, ut alibi usuvenit (2): pinguem humum amat olea, & in locis acclivibus maxime provenit. Vestigia studii, quo Judæi montes suos colebant, adhuc supersunt, ex reliquiis murorum, quibus humum, ne rueret, sustinebant.

℣. 14. Butyrum de armento. Caput lactis intellige; usum enim butyri ignorabant (3).

Arietum filiorum Basan. Vertunt nonnulli (4): *Arietum pinguium*. Regio Basan feracissima pascuorum erat, trans Jordanem sita, ac in veteri Regis Og ditione.

Cum medulla tritici, optimo tritico. Vel ex Hebræo: *Cum adipe renum tritici*. Hac phrasi utitur frequenter Scriptura (5).

Et sanguinem uvæ biberet meracissimum. Vinum meracissimum. Jacob (6) Judam filium suum alloquens, ait *loturum illum pallium suum in sanguine uvæ*. Androcides ad Alexandrum vini plus quam par esset cupidum loquens, ait: *Vinum potaturus, Rex, memento te bibere sanguinem terræ* (7).

℣. 15. Incrassatus est dilectus Deo populus. Hebræus fert: וישמן ישרון *Impinguatus est ischuron*. *Ischuron* diminutiva ex Israel ac blandientis esse vox creditur, ut ea qua filii parentes compellant, ac parentes filios, cum hi vocibus imperfectis verba efferre incipiunt. Id Author Vulgatæ significare voluit, scribens: *Dilectus*. Eadem vox *Ischuron* in capite sequenti ℣. 5. & 26. ubi S. Hieronymus *rectissimum* vertit, & in Isaia xliv. 2. legitur.

Impinguatus, dilatatus dereliquit Deum. Hebræus (8): *Impinguatus es, adipe obductus es, dereliquit Dominum*. Prima vox, ex Æthiopia radice (9) verti posset: *Elevatus es*. Altera sæpe pro obductione, & obstinatione cordis, Divinorum incuria, & in proximum duritie usurpatur (10).

℣. 17. Dæmoniis et non Deo. Hebræus: לשדים לא אלה, *Vastatoribus*, sive *Agrestibus* (11).

Diis quos ignorabant, alienis, Ægyptiis, Moabiticis, Arabicis. Mallem vertere אלהים לא ידעום, *Diis, qui non noverunt eos*, qui nihil cum illis negotii vel rei habebant, ut eos tuerentur. Vide quæ diximus superius xxix. 26.

Novi recentesque venerunt. Hebræus, *De propinquo*. Nova Numina, recens obtrusa, quorum ne originem quidem norant, Deos finitimorum.

℣. 18. Domini Creatoris tui. Hebræus: אל מחללך *Dei laudantis te*, qui tuæ gloriæ argumentum est, tuæque felicitatis. Seu: Τῶ τρέφοντός σε, *nutrientis te*.

℣. 19. Ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii sui. Hebræus (12): *Et sprevit* [horrori habuit] *præ indignatione filios suos, & filias suas*. Eodem Vulgatæ & Septuaginta sensu intelligi potest: *Iratus est indignatione*, qua illum exacerbavere *filii sui & filiæ*.

℣. 20. Abscondam faciem meam ab eis. Os avertam ab eis, eorum preces non audiam, illos contemnam. Vide superius xxxi. 17. Ipsimet Judæi se a Deo reprobatos desertosque, tam multis in caput suum malis Romanorum bello ruentibus, agnovere (13).

Considerabo novissima eorum. Mala, quibus opprimentur, cernam; eorumque exitium ridebo (14): nulla miseratione tactus aspiciam. Septuaginta: *Ostendam quid erit eis in novissimis diebus*, Pœnam impietatis suæ experiantur, faciam.

℣. 21. Provocabo in eo qui non est populus. Malam in ipsis æmulationem excitabo, populum amans, quem nationis nomine compellare dedignaberis, hominum cœtum sine lege, sine religione, cui vel impiæ leges sunt, vel falsa religio. *Juris consociatio populum facit. Eo nomine indigna multitudo, quæ aut nullas aut malas habet leges* (15). His plane designantur Ethnici, barbari, Idolorum cultores, qui maxime contemptui Judæis erant. Hos vero elegit Deus, ut ex iis Ecclesiam suam efformaret (16). En æmulationis furorisque Judæorum a Deo reprobatorum caussam: claudunt aliis Cœlum, cujus ingressu ipsi prohibentur.

℣. 22. Ignis succensus est in furore meo. Numinis furor igne intelligitur, quo animas in Inferis detentas reprobasque punit, æternumque puniet. Sive bellum intellige, frequenter igni compa-

(1) כנשר יעיר קנו על גוזליו ירחף יפרש כנפו יקחהו ישאהו על אברתו (2) Homer. Iliad. B.
Ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἁδινάων,
Πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων.
(3) Vide ad Genes. xviii. (4) Ita Septuag. passim; sed hic, υἱῶν ταύρων. Vide Hieron. in Isai. liii. (5) Vide Psalm. lxxx. 17. cxlvii. 15. (6) Genes. xlix. 11. (7) Plin. l. 14. c. 15. (8) עבות כשית וישש אלוה (9) Ludov. de Dieu. (10) Vide Psalm. xvi. 10. Job. xv. 27. Psalm. lxxii. 7. (11) Vide nostr. Dissert. de Angelis, præfixam Comment. in Luc. & Levit. xvii. 7. & Psalm. xcv. 5. & cv. 37. & Baruc iv. 7. 35. (12) וינאץ מכעס בניו ובנתיו (13) Vide Joseph. l. 7. de bello c. 8. Καὶ γνώσεσθε ὅτι τὸ πάλαι φίλον αὐτῷ φῦλον Ἰουδαίων, ἀπολώλεκε [illegible]. (14) Prov. 1. 16. In interitu vestro ridebo. (15) Grot. hic. (16) Vide Rom. 1. 19. & Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 31. Origen. homil. 2. in Exod. & 1. in Psalm. 38. & Clem. l. 2. Stromat. & Theodoret. qu. 41. in Deut. &c.

comparatum. Ita cum *ignis de Esebon egressus* (1) dicitur, bellum significatur. Quo usque Chaldæi Romanique in bello Judaico sævitiæ devénerint, quove furore urbem everterint, deleverint, eruerint, satis constat. Sunt qui hoc in loco ignem intelligant, quo in sæculorum exitu orbis conflagraturus est. Eum spectasse videtur Moyses, quo urbes Sodoma & Gomorrha arsere.

℣. 23. Sagittas meas complebo in eis. Pharetram meam in caput eorum excutiam. Pestis, fames, bellum, morbi, mors, Domini tela nuncupantur.

℣. 24. Devorabunt eos aves morsu amarissimo. Insepulti relinquentur in avium cibum. Vide quæ diximus supra, xxvii. 26. Pascere aves ii potissimum dicuntur, qui in cruce pendent. *Non pasces in cruce corvos.* Narrat Josephus (2), in obsidione Jerosolymitana ingentem adeo Judæorum vim cruci fuisse affixam, ut & locus crucibus, & cruces corporibus deessent. Aliter vertitur Hebræus (3): *Comedentur a pruna* [ardenti morbo], & *amaris morbis*. Septuaginta (4): *Erunt in cibum avium, & affligentur nervorum contractione insanabili.* Chaldæus: *Comedentur ab avibus, & a malignis spiritibus vexabuntur.*

Dentes bestiarum immittam in eos. Uti olim leones in populum a Rege Assyriorum in Samaritidem translatum Deus immiserat (5); quibus vexati Levitas accersivere, a quibus Legem Dei docerentur.

℣. 26. Dixi: ubinam sunt? Hebræus: אמרתי אפאיהם, *Dixi, exterminabo*, dispergam, *Detrudam in angulos terræ.* Septuag. Διασπερῶ αὐτοὺς, *Disperdam eos.* Samaritanus legit אפיהם *Furor meus illos*, supple, *conteret*. Onkelos: *Residebit ira mea super eos.* Verterem potius: *Decreveram dispergere* &c. sed ℣. 27. *distuli.*

℣. 27. Propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent, ne malum eorum gaudium populi excidio pascam; vel, ne ansam eis præbeam in me obloquendi, meque levitatis, inconstantiæ, sævitiæ vel infirmitatis accusandi; seu, ne Diis suis tribuant, quod meæ est ultionis; sive, ne sibi ipsis adscribant, dicantque: *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia* (6). Quæ quidem verba superbiam, arrogantiam, impudentiamque loquentis ostendunt. Jam alibi animadvertimus, *elata manu peccare* idem esse ac impudenter superbeque peccare, nulla sacrorum habita ratione (7); Deo quodammodo insultare, & in Leges arroganter insurgere. Impia inscriptio Romæ legitur, ubi exhibentur duæ manus ad Cœlum erectæ, tanquam Deo minitantes, ipsumque arguentes iniquitatis, cum hac epigraphe:

Levo manus meas ad Deum
qui me innocentem sustulit.
quæ vixit ann. xx.
pos. procius.

℣. 28. Gens absque consilio ... ℣. 29. Utinam saperent! Plerique Interpretes (8) hoc de Judæorum hostibus explicant. Postquam dixit futurum fuisse, ut Deus populum suum perfidiæ suæ causa deleret, nisi veritus fuisset, ne hostes honorem ejus facinoris sibi adscriberent; invehitur in eos populos, quibus ministris usurus fuisset Deus, ut furorem suum in Israelem exprimeret: *Gens absque consilio, sine prudentia!* ita ne cæcutis, ut ignores non tui esse roboris, sed Domini dedentis illos tibi, atque deserentis, si unus ex tuis millenos ex illis fuget? Te tamen tua sors manet: sævitiam tuam iniquitatemque ulciscar, qua in populum meum usus es, mihi quidem perduellem, tibi vero minime iniquum, neque ex te talia promerentem. Optima omnium hæc explicatio videtur, spectato præsertim versiculo 36. ubi hæc invectiva clauditur. Omnia, quæ in populum suum gessisti, Dominus patienter tulit. At demum servos suos ulciscetur. Ita mutanda est versiculorum sequentium usque ad 36. expositio, eaque de Judæorum hostibus explicanda, quæ de ipsis Hebræis diximus.

Alii (9) ad Israelitas referunt; atque ita per paraphrasim vertunt: Populum hunc male de me meritum delessem, nisi vererer, ne hostium superbiam foverem. Popule insipiens, perduelles Hebræi, quousque tandem vestram amabitis cæcitatem, neque ea, quæ deinceps eventura sunt, metuetis? Qui fieri posset, ut millenos Israelitas unus hostis fugaret, nisi eos Deus deseruisset? Neque enim Diis ceterarum gentium similis Deus vester est. Ipsi hostes sciunt, quantum ejus robur sit; patrataque in Ægypto prodigia docuere. Vos tamen perniciosæ lethiferæque arbores estis, non secus ac Gomorrhæ ac Sodomæ vites, meri venenosi feraces. Omnia quidem supplicia, quæ minitor, penes me sunt, eaque in thesauris meis condita servo, quantocius promenda.

℣. 29. Novissima providerent! nossent, quæ supplicia eos a Deo maneant, qui ab ipso deficiunt, ejusque famulos vexant.

℣. 30. Quomodo persequatur unus mille? In bellis a Moyse narratis, in Amalecitas, Amorrhæos, Madianitas, Deus author victoriæ ubique apparet, desertaque ab eo pars adeo infirma est, ut unus hostis millenos fundat. Id centies Hebræi experti sunt; comite enim Deo nihil arduum sentiebant. Quod apertum adeo fuit, ut vel ipsis alienis gentibus constaret. Achior apud Juditham v. 17. ita Holofernem de illis alloquitur: *Non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit a cultu Domini Dei sui. Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium ... & ante hos annos cum recessissent a via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt præliis a multis nationibus, & plurimi eorum adducti sunt captivi in terram non suam .... Nunc ergo, mi Domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum: & ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subjugati erunt sub jugo potentiæ tuæ. Si vero non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis: quoniam Deus eorum defendet illos.* Perlege populi hujus historias, ut noveris, excidia æque ac victorias, servitutem ac libertatem illius prodigiorum loco habenda esse, cum Deus in iis manifestissimus appareat.

℣. 31. Inimici nostri sunt judices. Ægyptii omnes Divini furoris magnitudinem ignorare non poterant, cum apertissima ejus vestigia domi suæ vidissent. Erythræi prodigium neminem in Arabia latebat: Amalecitæ Dominicum furorem senserant: ubique terrarum norant (10), Dominum in medio populi esse, illum coram alloqui; ejusque nubem illum per diem ab æstu solis protegere. Chananæi omnes paulo antea victoriam de regione Sehon & Og viderant. Moabitæ ac Madianitæ inania carmina & maledicta in Hebræos experti fuerant: maximum denique omnes norant discrimen inter Profana Numina, Deumque Israelis. Confidenter itaque Moyses ad eos provocat.

℣. 32. De vinea sodomorum, vinea eorum. De Israelitarum hostibus loqui pergit, præsertim Chananæis. Vinea eorum est ex vitibus Sodomæ; surculi maledictæ radicis sunt: infamis ejus urbis crimina imitantur. Jam capite xxix. 18. dixerat He-

(1) Num. xxi. 28. (2) Joseph de Bello l. 6. c. 12. Καὶ διὰ τὸ πλῆθος, χώρα ἐνέλειπε τοῖς σταυροῖς, καὶ σταυροὶ τοῖς σώμασι. (3) ולחמי רשף וקטב מרירי (4) Βρώσει ὀρνέων, καὶ ὀπισθότονος ἀνίατος. (5) 4. Reg. xvii. 25. (6) Vide Exod. xxxii. 12. & Num. xiv. 13. (7) Num. xv. 30. *Anima quæ superbiam, (Heb. elata manu,) aliquid commiserit ..... peribit de populo suo.* (8) Vat. Tirin. Bonfr. Menoch. &c. (9) Cornel. Malvend. (10) Num. xiv. 13. 14. 15.

Hebræis Moyses, caverent, ne *esset inter eos radix germinans fel & amaritudinem*. Vetat, ne Chananæorum abominationes imitentur.

Uva eorum, uva fellis. Verti fortasse potest; *Uva eorum, uva ferens succum aconithi*. Vide quæ diximus in caput xxix. 18. Humus, in qua olim Sodoma & Gomorrha fuere, aliquos adhuc fructus ferebat, sed intus vitiatos, abeuntesque in cineres, statim ac aperiebantur (1). Sapore erant acri atque ingrato, qualem a solo bitumine acerrime scatente amaroque suppeditari fas erat.

℣. 33. Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis? Quæ in me, populumque meum gessistis, nonne omnia coram me sunt, mihique præsentia? Chananæos, ceterosque Israelis hostes alloquor. Crimina vestra mihi excidisse, vel impune abitura censetis, cum tamdiu illa dissimulem: at vano errore tenemini, quippe cum hæc in thesauris meis condita sint, eorumque ultionem, cum tempus feret, sim prolaturus.

℣. 35. Mea est ultio, et ego retribuam in tempore. Nemini ultionem meam persequendam committo: ipse persequar, qui sum Dominus. Studium, quo ultionem urgent homines accelerantque, illorum infirmitatis argumentum est ac secreta confessio. Verentur ne vel occasio desit, vel hostis elabatur. Deus nil tale metuit; reus enim inter Dei manus est ubique ac semper; ipsa eadem vita, quam illi non adimit, terribile est illius inexorabilis iræ indicium, cum infinitis illum suppliciis servet. Nil hominibus justis suavius accidere potest, quam quod Deus suas ipsorum injurias ulciscendas suscipiat. *Adeo satis idoneus patientiæ sequester Deus* (2), *Si injuriam deposueris penes eum, ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem? Ultio*, ait Seneca (3), *a contumelia non differt, nisi ordine*. Victum se fateatur necesse est, qui ulciscitur. Magnus animus injuria non frangitur. Si fortior te est, qui te læsit, ne te illi committito; si infirmior, parce.

Ut labatur pes eorum. Malim hæc jungere cum præcedentibus. Ita Septuaginta (4): *Retribuam in tempore, cum labetur pes eorum*. Vel proniore sensu: *Percutiam illos, cum vertetur pes eorum*. Tutos se esse censebunt: me tamen eorum exitio vigilare demonstrabo: vix pedem movebunt, illos ego profligabo.

℣. 36. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis miserebitur. Hebreus ad literam (5): *Judicabit Dominus populum suum, & in servis suis consolabitur*. Postrema hæc verba, ex constructionis vi, quam habent in Textu, sonant: *Servos suos ulciscetur*. Eorum adversarios puniet (6). Hoc sensu apud Authorem Libri secundi Macchabæorum vii. 6. legitur: *Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione Cantici declaravit Moyses: Et in servis suis consolabitur*. Claudit Moyses hanc in hostes Israelis invectivam hac sententia, Deum scilicet omnes furoris sui vires in eos exerturum, ac populi sui oppressionem vindicaturum.

Videbit quod infirmata sit manus. Jungi hæc possunt cum præcedentibus, ex Hebræi sensu כי אזלת יד: *Ulciscetur populum suum, cum manus eorum infirmata fuerit*. Frequenter hac phrasi gravissima paupertas innuitur. Ita (7): *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, ne accipias usuras ab eo*. Infirmitas etiam corporis, profligatio regionis, afflictio, oppressio (8).

Clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt. Illi ipsi, quibus tutissimæ esse res videbantur, in domibus suis, vel urbibus clausi, qui in arcibus, arduisque locis sese continuere, *clausi*, non secùs ac cæteri perierunt: ii pariter, qui ex acie fugerunt, saseque militum furori subduxere, qui sese captivos dediderunt, qui conditionibus accipiendi erant; omnes æque cæsi sunt: nemini parsum est: nulla cujusquam habita est ratio, neque sexus, neque ætatis, neque inermis, neque armati. Eadem phrasis frequenter in Scriptura occurrit (9), qua generalis cædes, bellum sævissimum describitur. Iisdem pene verbis Homerus canit (10), neque infantem in matris gremio, neque fugientem virum a cæde elabi.

Clausorum nomine intelligunt aliqui eos, qui domi suæ continentur, longe ab armis belloque, uti fœminæ, pueri, servi, senes, ægroti, ii qui ad sarcinas sunt; ac *residuos* eos esse volunt, qui fuga elabuntur, qui primum discrimen evitant, qui sese dedunt. Aliis prima vox sonat mancos, vulneratos, armis ineptos; altera, infimam plebem, despectissimos, qui bello indigni censentur. Sunt (11) qui *clausos* explicent *conjuges*; residuos, eos qui conjugio soluti sunt. Alii primam vocem de iis quæ in urbe sunt, alteram de iis quæ ruri, exponunt. Omnibus tamen certum est, hac phrasi, quæ proverbii loco est, universalem cædem indicari. Moyses igitur Deum populi sui misertum ait; ejusque hostes tum deleturum, cum Israelem vi ac injuriis pressum viderit.

℣. 38. Et bibebant vinum libaminum. Vinum in ara oblatum ad libationes. Hoc loco freti Judæi a Christianorum vino abhorrent, quos inter Ethnicos, Deique hostes numerant. Ethnici vina, quæ bibituri erant, etiam extra sacrificia, Diis libabant.

℣. 40. Vivo ego in æternum. Manum ad Cœlum elevat Deus, *perque semetipsum jurat, quoniam neminem habet, per quem juret, majorem*, ait Apostolus, *Hebr.* vi. 13.

℣. 41. Si acuero ut fulgur gladium meum. Hebreus ad literam: *Si semel acuam fulgur gladii mei*, ensem meum fulmineum, micantem, penetrantemque, ac fulminis velocitate præditum (12): *Fulmineus acta modo*.

℣. 42. Inebriabo sagittas meas sanguine. Egregiam phrasim, cui par nihil invenias, quæque plus quam addi posset, explicat. Ut integra hujus versiculi sententia eruatur, adde hæc verba, *Inebriabo sagittas meas sanguine*, illis, *De cruore occisorum. Inebriabo*, inquam, *sanguine interfectorum, captivorum, Principumque hostium, quos spoliavero*; vel, sanguine *capitis inimicorum nudati*. Tela mea in hostes jaculabor, quibus coronam auferam, quam sibi imposuerunt (13). Vel solum: *Jaculabor in caput hostium meorum*: nihil brachii mei robur impediet. Vel, sumpto toto versiculo (14): *Inebriabuntur sagittæ meæ sanguine, sanguine occisorum & captivorum; & gladius meus satiabitur cæde, capitis nudati & aperti inimicorum*.

(1) Joseph. de Bello lib. 5. cap. 5. Tacit. hist. l. 5. *Cuncta sponte edita, aut manu sata, sive herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vanescunt*. Vide & Solin. cap. 40.

(2) Tertull. de patientia cap. 15.

(3) Senec. de ira lib. 2. cap. 32.

(4) Ἀνταποδώσω ἐν ἡμέρᾳ ὅταν σφαλῇ ὁ ποὺς αὐτῶν.

(5) כי ידין יהוה עמו ועל עבדיו יתנחם

(6) Vide Psal. cxxxiv. 14.

(7) Levit. xxv. 35.

(8) Vide Isai. xxxv. 3. Confortate manus dissolutas. Jerem. xxiii. 14. Osee vii. 15. Eccli. xxv. 32.

(9) 3. Reg. xxi. 21. 4. Reg. ix. 8. & xiv. 26. 1. Macc. viii. 40. & xvi. 8. & 2. Macc. xii. 22.

(10) Iliad. Z. v. 57.

.... Μήτις ὑπεκφύγοι αἰπὺν ὄλεθρον,
.... Μηδ' ὅντινα γαστέρι μήτηρ
Κοῦρον ἐόντα φέροι, μηδ' ὃς φύγοι.

(11) Lud. de Dieu.

(12) Virgil. Æneid. 9.

(13) Ita Chald.

(14) אשכיר חצי מדם וחרבי תאכל בשר מדם חלל ושביה מראש פרעות אויב

℣. 43. Laudate, gentes, populum ejus. Postquam egit de ultione, ex hostibus suis a Deo exigenda, suppliciisque, quibus Israelitarum persecutores conterendi sunt, versa ad Ethnicos oratione, ita definit: Discite jam, Profani, populum hunc electum, gentem sanctam observandam esse ac celebrandam: mementote, hanc, derelictam licet ac destitutam videtis, Dei esse, atque Israelem nunquam fuisse reprobatum. Protecto Deus eum populum paterno semper amore complexus est, atque inter cæteras Profanas gentes commendavit: denique vero Israel suorum criminum merito reprobatus est ac rejectus, cum Jesum Christum Messiæ loco excipere abnuerit. Tanta nihilominus elementia Deus Israelitas fovet, ut in sæculorum exitu ipsos in misericordiæ suæ sinum sit recepturus, docturusque ad Ecclesiam, cum plenitudo gentium ingressa fuerit (1).

Septuaginta fusius explicant quam Hebræus: ita vero legunt: *Lætamini, Cœli, simul cum eo; & adorent eum omnes Angeli Dei. Lætamini, gentes, cum populo ejus: & confortentur in eo omnes filii Dei. Quoniam sanguinem filiorum suorum vindicabit.* Ex hoc Textu S. Paulus (2) recitat hæc verba: *Lætamini gentes cum plebe ejus*. Et alibi (3) hæc alia: *Adorent eum omnes Angeli*. Hic tamen locus forrasse ex Psalmo xcvi. 8. derivatus est, ubi legimus: *Adorent eum omnes Angeli ejus*; vel ex Hebræo: *Adorent eum omnes Dii ejus*.

Propitius erit terræ populi sui. Hebræus: וכפר ארמתו עמו *Expiabit terram suam populum suum*. Septuaginta: *Expurgabit terram populi sui*. Sordibus illam suis, ex populi sui crimine relatis, omnibusque abominationibus per Ethnicos ibi patratis purgabit: omnia expiabit, expetita de Judæis Ethnicisque ultione. Septuaginta in fine hujus versiculi addunt quæ sequuntur: *Scripsit Moyses canticum hoc in die illa: & docuit illud filios Israel*.

℣. 47. Sed ut singuli in eis viverent. Hebr. כי הוא חייכם *Quoniam hoc est vita vestra*. Si vos ea servaveritis, vitam in illis reperietis; sive, Lex ita vobis esse debet cordi, ut vita vestra est vobis. Legem servantibus vitam plerumque Deus pollicetur.

℣. 49. Abarim, idest, transituum. Vocis *Abarim* explicationem addit Author Vulgatæ, quæ vox Hebraice est *Transitus*. Alibi de montibus *Abarim* & *Nebo* actum est. In monte Nebo Moyses diem clausit.

[1] Rom. xi. 25. [2] Rom. xv. 10. [3] Hebr. i. 6.

CAPUT XXXIII.

Benedictiones Propheticæ, quas Moyses duodecim Tribubus Israelis impartitur.

℣. 1. HÆC est benedictio, qua benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israel ante
mortem suam. 2. Et ait: Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus
est nobis: apparuit de monte Pharan, cum eo Sanctorum millia. In dextera ejus
ignea lex. 3. Dilexit populos omnes, sancti in manu illius sunt: & qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. 4. Legem præcepit nobis Moyses
hæreditatem multitudinis Jacob. 5. Erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israel. 6. Vivat Ruben, & non moriatur, & sit parvus in numero. 7. Hæc est Judæ benedictio: Audi, Domine, vocem Judæ, & ad
populum suum introduc eum: manus ejus pugnabunt pro eo, & adjutor illius contra adversarios ejus erit. 8. Levi quoque ait: Perfectio tua, & doctrina tua, viro
sancto tuo, quem probasti in tentatione, & judicasti ad Aquas contradictionis. 9.
Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt,
10. Judicia tua, o Jacob, & legem tuam, o Israel: ponent thymiama in furore tuo,
& holocaustum super altare tuum. 11. Benedic Domine, fortitudini ejus, & opera
manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum ejus: & qui oderunt eum, non
consurgant. 12. Et Benjamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo:
quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. 13. Joseph
quoque ait: De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli, & rore, atque abysso subjacente. 14. De pomis fructuum solis, ac lunæ, 15. De vertice antiquorum
montium, de pomis collium æternorum: 16. Et de frugibus terræ, & de plenitudine ejus. Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, & super verticem nazaræi inter fratres suos. 17. Quasi primogeniti tauri pulchritudo
ejus, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos
terræ: hæ sunt multitudines Ephraim: & hæc millia Manasse. 18. Et Zabulon ait:
Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis. 19. Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas justitiæ. Qui inundationem maris quasi
lac sugent, & thesauros absconditos arenarum. 20. Et Gad ait: Benedictus in latitudine Gad: quasi leo requievit, cepitque brachium, & verticem. 21. Et vidit principa-

cipatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus: qui fuit cum principibus populi, & fecit justitias Domini, & judicium suum cum Israel. 22. Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan. 23. Et Nephtali dixit: Nephtali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini; mare, & meridiem possidebit. 24. Aser quoque ait: Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum, 25. Ferrum, & æs calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita & senectus tua. 26. Non est deus alius, ut Deus rectissimi: ascensor cœli auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes, 27. Habitaculum ejus sursum, & subter brachia sempiterna: ejiciet a facie tua inimicum, dicetque: Conterere: 28. Habitabit Israel confidenter, & solus. Oculus Jacob in terra frumenti, & vini, cœlique caligabunt rore. 29. Beatus es tu, Israel: quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino? scutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis,

℣. 1. HÆc est benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei. In benedictionibus hisce de se Moyses tanquam de tertio aliquo loquitur, atque ita scribit, ut Historicus ea referens, quæ a Moyse gesta sunt; unde facile suboritur in mente suspicio, num postrema hæc verba alterum habeant collectorem atque scriptorem. Sed reputandum est potius, Moysem id meditatum fuisse, ut relinqueret Israelitis supremas hasce veluti morientis patris tabulas, quas post obitum suum filii conservarent: quare ita loquitur, ac si jam decessisset. Licuit etiam animadvertere in oraculo Balaami (1) hoc sæpe eloquio uti Prophetas, cum ita se se gerant, ac si de tertio aliquo loquerentur; & in exordio vaticinii sui dignitatem, si quam habent, & munus suum aperire. Paria agit hic Moyses: ipse se appellat *hominem Dei*, ejus Prophetam (2), ministrum, Legatum, qui verbis ejus loquitur, res ejus prosequitur, ejusque authoritate cuncta agit ac decernit.

℣. 2. Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis. Supremis hisce tabulis suis ea præscribit Legislator, quæ gesta sunt in Sinai, cum Deus ibi Legem suam tulit, simulque fœdus cum Israele composuit. Meminit Sinai, Seir, & Pharan, tanquam locorum, ubi se Deus populo manifestum præbuit; sive quod Sinai portio sit montium Seir, & Pharan, sive quod innuat, Deum Israelitis sese revelasse non in Sinai tantum, sed & in itineris decursu in montibus Seir & Pharan; simul autem Dei Ipsius iter a Sinai usque ad Chanaanitidem describat, tamquam Herois alicujus iter, qui in fronte exercitus sui pergens totum late universum gloria nominis sui complet, ac undique hostes terrore virtutis suæ prosternit. In eumdem sensum Habacuc III. 3. *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan*. Hæc pariter recurrunt in Cantico Deboræ (3), & in Psalmo LXVII. 9. 10.

Et cum eo sanctorum millia. In verticem Sinai descendit, toto majestatis apparatu, atque Angelorum & Sanctorum satellitio comitante: seu potius, descendit in Sinai, ut multitudini innumeræ Sanctorum, idest, Israelitis omnibus, qui Sanctorum populus appellantur (4), sese manifestum exhiberet. Septuaginta longe aliter ac Versiones reliquæ, interpretati sunt: *Festinavit Dominus ex monte Pharan cum decem millibus in Cades: a dextris ejus Angeli cum eo*. Nihil illi de Lege ignea, de qua nobis modo agendum est.

In dextera ejus lignea lex: Lex ardens fulgensque, tamquam ignis. Vel, juxta Chaldæum: *Legem scriptam dedit nobis dextera ejus de medio ignis*. Hunc Textum ita ego verti vellim, juxta Hebræum (5): Dominus venit de Sinai, & de Seir exortus est super nos. Effulsit de monte Pharan, & cum illo multitudines. Sanctus, in manibus ejus ignis, & Lex, quam nobis tradidit. Sanctus hic usurpatur pro Domino, uti apud Habacuc: *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan*. Apud Moysem totamque Scripturam Deus se sanctum esse profitetur. Seraphim apud Isaiam VI. 3. coram eo clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Idem denique Propheta Deum *Sanctum Israel* nuncupat. Quibus familiaris est Scripturæ Prophetarumque phrasis, ii facile cognoscent, nostram loci hujus explicationem optime Linguæ sanctæ ingenio congruere.

℣. 3. Dilexit populos; omnes sancti in manu illius sunt. Dilectio hæc tanquam Divinitatis attributum generice intelligi potest, quæ cum Creatrix omnium sit, omnes amat, Sanctorumque, amicorum, ac servorum suorum curam gerit peculiarem. Malumus tamen cum Chaldæo optimisque Interpretibus (6), de Israelitis interpretari. Populum suum, *Gentem sanctam* (7), *multitudinem sanctorum* (8) Dominus omni amoris nisu prosequitur. In manibus alicujus esse, significat curam, protectionem, ac providentiam peculiarem. *Justorum animæ in manu Dei sunt*, ait Sapiens (9), *& non tanget illos tormentum mortis*.

Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ejus. Qui ejus discipuli sunt, qui ejus doctrinam audiunt, intelligentia Legis ejus implebuntur. Discipuli ad Magistrorum pedes sedebant. Testatur S. Paulus (10) se ad pedes Gamalielis Legem didicisse. Narrat Philo (11), inter Essenios, pueros in Synagogis ad pedes Magistrorum Legem docentium sedisse. Nostra adhuc ætate in Oriente Discipuli ad pedes magistrorum in Scholis sedent (12).

In pedibus alicujus esse, est, illi subesse, obtemperare. Ita intelligunt Septuaginta: *Omnes sanctificati sub manus tuas, & hi sub te sunt*. Hæc phrasis de illo etiam usurpatur qui sequitur, atque ab alio ducitur, uti in hoc Exodi loco XI. 8. *Egredere tu, & omnis populus qui subjectus est tibi*, Hebr. *Qui in pedibus tuis*, quem tu moderaris, quem ducis. Chaldæus: *Ducebantur sub nube tua, & proficiscebantur ad verbum tuum*. Denique, ad pedes alicujus stare, significat, prostratum esse, jacere coram eo.

℣. 4. Legem præcepit nobis Moyses. Hoc in po-

(1) Num. XXIV. 3. 4. (2) Vir Dei Prapheram significat, 1. Reg. II. 27. & IX. 6. (3) Judic. V. 4. & 5. (4) Num. XVI. 3. *Omnis multitudo sanctorum est*. (5) יהוה מסיני בא וזרח משעיר למו הופיע מהר פארן ואתה מרבבת קדש מימינו אש דת למו (6) Vatab. Oleast. Bonfr. Menoch. Tirin. Grot. &c. (7) Exod. XIX. 6. (8) Num. XVI. 3. Vide & Daniel. VII. 25. (9) Sap. III. 1. Vide & Psal. XC. 12. & Isai. XLIX. 16. (10) Act. XXII. 3. (11) Lib. de Nobilit. init. (12) Bellon. observ. l. 3. c. 12.

populi persona scripsit, ita sese gerens, ac si populus ipse loqueretur. Personarum mutatio in hac oratione frequentissima est. Verti possunt juxta Hebræum (1) vers. 3. 4. 5. in hunc sensum; *Qui congregat populos, in manu ejus omnes Sancti; inter pedes tuos sedent: accipient de eloquiis tuis Legem, quam præcepit Moyses nobis, hæreditatem cœtus Jacob. Et erit Rex, qui colliget Principes, & omnes Tribus.* Legem hic appellat *hæreditatem Jacob*, eodem sensu, quo Psalm. CVIII. 3. *Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum.* Reddi etiam potest idem locus: *Lex quam Moyses tradidit nobis, qui sumus hæreditas Jacob.*

℣. 5. ERIT APUD RECTISSIMUM REX, CONGREGATIS PRINCIPIBUS POPULI. Rex hic varie admodum accipitur. Sunt qui interpretentur Deum, qui Reges Israel statuit in fœdere, quod cum illis composuit: alii reddendum malunt de Moyse, qui Regis non quidem nomen, sed dignitatem omnem, authoritatemque sustinuit; alii de ipsa eadem Lege, quæ Regis locum in Israele tenebat. Sunt qui intelligant, tanquam rerum futurarum oraculum, de iis, quæ implenda erant, cum Hebræi Regem sibi crearent. Exponitur denique de Messia, qui regnaturus erat in Israele. Nobis autem persuadetur, Deum esse Regem, & Deum Jacob, ejusque Messiam verum esse Principem Israelis in spiritu. Idem pariter Deus Princeps est Ecclesiæ Christianæ æque ac Judaicæ: sed Jesus Christus novissimis tandem sæculis revelatus, agnoscitur potissimus ac peculiaris Princeps illius Ecclesiæ, quæ ejus nomine distinguitur; quæque ex omnibus gentibus coalescit, ac visibili Principi populi sui paret.

Hebræum ישרון *ischuron*, quod in Vulgata hic redditur, *rectissimus*, vel æquissimus, & a Septuaginta, Ἐν τῷ ἠγαπημένῳ ἄρχων, *In dilecto Princeps* significat, uti jam animadvertimus, Israelem. Addit Moyses, Regem illum *ischuron* vel Israelis, constituendum esse in cœtu Principum, & Tribuum Israelis, quoniam Israelitæ Dominum in Deum Regemque suum elegere, quo tempore in Sinai versabantur: in quam electionem totius populi in unum coacti consensus convenit; vel forte verbis hisce eo spectatum est, quod Deus Saulem Regem in medio Israelis in unum cœtum collecti creavit.

℣. 6. VIVAT RUBEN ET NON MORIATUR, ET SIT PARVUS IN NUMERO. Ruben maximus erat natu in familia Jacobi; sed ex jure suo cecidit ob crimen, paterno thoro violato, commissum. Cavet quidem Moyses, ne nimis aperte crimen filio exprobret; sed innuit, se indulgentia quadam paterna suum illi ordinem conservasse inter cæteras Tribus: *Vivat & non moriatur.* Excidat ex animo, si quidem fieri possit, injuria ab eo patri irrogata; sed nunquam florenti Tribu & populo in Israele satis valido fruatur. *Sit parvus in numero.* Refertur hoc ad verba, quæ ad illum effatus est Jacob, antequam diem clauderet (2): *Non crescas.*

Interpretum plures (3), cum Septuaginta nonnullis codicibus, contrario plane sensus Textum reddunt; *Vivat Ruben, & non moriatur*, & ἔστω πολὺς ἐν ἀριθμῷ, *non sit parvus in numero.* Supplent illi ac repetunt in secundo membro negationem quæ legitur in primo; est autem id Hebræorum stylo frequentissimum (4). Tribus Ruben populi frequentia utique inter minimas non censebatur, uti constat ex censu, qui sæpius in Scriptura occurrit. Superabat Tribum Gad, Manasse, Ephraim & Benjamin; recensebat enim XLVI. M. ac sexcentos armis idoneos milites, quo tempore prius lustrum, antequam moverentur e Sinai Castra, habitum est (5).

Simeon inter filios Jacobi secundus, in benedictionibus Moysis omittitur: cujus rei plures seu rationes seu conjecturæ afferuntur. Sunt qui credant, benedictiones ejus contineri inter benedictiones seu Rubeni, seu Levi, cui Simeon jungitur a Jacobo in Genesi XLIX. 5. vel Judæ, cum Simeon hæreditatem suam Tribui Judæ finitimam obtineret (6), lateque sese porrigeret, ac veluti in unum coalesceret cum Juda: ex quo factum est, ut duæ illæ familiæ arctissimo vinculo inter se conjungerentur (7). Contendunt alii, noluisse Moysem beneficium supremæ benedictionis Simeoni elargiri, quod injuriosi in Josephum consilii author fuisset, ac princeps conspirationis fratrum ipsius; qua venditionem seu necem innocentis moliti sunt. Æquius alii, mea quidem sententia, censent, omissionis hujus causam fuisse Simeonis murmur & Idololatriam. Crimen Zambri Principis ejus Tribus, quem Phinees una cum Scorto Madianitide occidit (8), argumento est, quousque filiorum Simeonis improbitas pervenisset: itemque ingens illud ejus Tribus decrementum (9), posteriori censu cum priori collato, suspicioni locum facit, ultionem divinam, quæ in Israelitas sæviit, maxime omnium Simeonitas, quippe qui criminis partem plurimam inter cæteros habuerant, affecisse.

℣. 7. AUDI, DOMINE, VOCEM JUDA. Peculiaris erat benedictio Principibus ac militibus collata, qua rogabatur Deus, ut eos exaudiret, exciperetque supplicum vota & sacrificia, ac bellicis eorum expeditionibus faveret. Constant hæc e Psal. XIX. qui concini solebat, & adhuc in Ecclesia recitatur, ad felicem armorum exitum impetrandum. In hunc sensum exposuit Onkelos: *Suscipe, Domine, orationem Judæ, cum egressus fuerit ad bellum, & ad populum ejus reducet eum in pace.* Hæc benedictio non obscurum vaticinium est Regni, quod Tribui Juda asserendum erat.

ET AD POPULUM SUUM INTRODUC EUM. Sunt qui illud *populum suum* explicent de Chananæis, quorum regionem Judas cum fratribus suis distributurus erat; sed contextus series eo nos ducit, ut de Israelitis interpretemur, quorum tutela fuit ac propugnaculum Judas. Spectasse Moyses videtur quæcumque ardua a Davide ferenda erant, antequam Regnum illud, quod Tribui suæ a Jacobo promissum fuerat, assequeretur (10): *Non auferetur sceptrum de Juda.* Monet igitur Legislator: *Ad populum suum introduc eum*; aditum illi liberum permitte; in Regem tuum excipe, o Israel; tu vero, Deus, ea remove, quæ illum ab eo Regno obtinendo remorentur. Commode etiam interpretatio Chaldæi, superius recitata, servari potest: *Ad populum ejus reducas eum in pace.*

MANUS EJUS PUGNABUNT PRO EO. Oraculi hujus veritatem historia sacra universa confirmat. Tribus Juda illustrem sese virtute sua nunquam non præbuit; nec raro bella gessit nullo comite, tanto vel majori etiam robore, quam quo cunctæ simul collectæ Tribus sustinuissent. Sub Othoniele (11) Deus Tribum Juda expeditioni, quæ in Chananæos parabatur, præfecit. Delato demum in eam Tribum Regno, totius gentis securitas & gloria in ea fuit. Sub Davide tandem ac Salomone totam fidem ingentium promissionum, quibus Deus patribus suis sese obstrinxerat, Hebræi impletam tenuere.

He-

(1) אף חבב עמים כל קדשיו בידך והם תכו לרגלך ישא מדברתיך תורה צוה לנו משה מורשה קהלת יעקב
(2) Genes. XLIX. 4. (3) Syr. Arab. Theodoret. qu. 42. in Deut. Vatab. Oleast. Pisc. Ainsv. Jun. &c.
(4) Vide Gen. II. 6. Psal. I. 5. IX. 19. XLIX. 8. & XCI. Prov. XXXI. 1. Isai. XXIII. 4. XLI. 28. & XXVIII. 17.
(5) Num. I. XI. & II. 11. (6) Josue XIX. 1. & 1. Par. IV. 42. (7) Judic. I. 3. (8) Num. XXV. 14. (9) Confer Num. I. 23. & XXVI. 14. In primo censu numero erant 59300. in altero 22000.
(10) Genes. XLIX. 10. (11) Exod. XXXVIII. 30.

Hebræum ita reddunt nonnulli (1): *Manus ejus pugnabunt sibi, & tu eris auxilium ejus contra hostes illius*. Nullius ope indigebit, ut se tueatur ac regat: omnia in Deo habebit, quibus sese defendat, hostesque profliget.

℣. 8. LEVI QUOQUE AIT: PERFECTIO TUA ET DOCTRINA TUA VIRO SANCTO TUO, QUEM PROBASTI IN TENTATIONE. Inter omnes convenit, verba illa, *Perfectio tua, & doctrina tua*, significare Urim & Thummim, quæ Summus Sacerdos in Rationali gerebat (2). Est *Urim* lumen & doctrina; & *Thummim* Perfectio, justitia, integritas. Id autem erat Summi Sacerdotis insigne, exprimens munus Judicis & Principis populi Dei, in iis quæ ad Religionem pertinebant. Aaron cæterique post ipsum Pontifices Aaronici peculiari unctione Domino consecrabantur: id autem exprimit Moyses iis verbis, *Viro sancto tuo*. Tandem non obscure Aaron exhibetur illis: *Quem probasti in tentatione, & judicasti ad Aquas contradictionis*. Quæ Statio *Tentationis* nomine noscitur, ea est, ubi Moyses aquas e silice eduxit in Raphidim, prope montem Horeb (3). Quæ fuerint in hac re Aaronis partes, Scriptura silente, ignoramus: probabiliter tamen opinamur, illum partes Domini ac gloriam adversus populi murmur defendisse. Aquas Contradictionis (4) nimium novimus e Moysis & Aaronis animi infirmitate, quæ ibi se prodidit, quæque utrique non raro in Scriptura, tanquam causa negati illis aditus in terram Promissionis, exprobratur. Reputandum igitur est, Deum probasse Aaronem in Tentatione ad Raphidim; ac Summum illum Sacerdotem in fide perseverasse: probasse iterum ad Aquas Contradictionis, ubi nonnihil nutavit. Sed ita res hic narratur, ut credam, *Tentationis* nomine innui solummodo Aquas Contradictionis; Moysem vero hic Divina Judicia venerari, quibus vir adeo justus, eaque dignitate instructus, Aaron scilicet, fidei infirmitati succumbere permissus est. *Tentatio* dicitur non id tantummodo, quod in Raphidim contigit; sed & cæteræ tentationes ac murmura eo nomine donantur, quibus Israelitæ in deserto sævierunt, *Tentaverunt me jam per decem vices* (5), ait Deus ad Moysem, murmur populi arguens.

℣. 9. QUI DIXIT PATRI SUO ET MATRI SUÆ: NESCIO VOS . . . HI CUSTODIERUNT ELOQUIUM TUUM. Imperat Deus, ut parentes observemus, morem illis geramus, eaque præstemus obsequia, quæ humanitas & religio a filiis petunt: cum vero res est de obsequio quod Deo impendendum est, ejusque cultu atque amore; cumque parentes id ex nobis exigunt, quod nostro in Deum obsequio adversatur: tunc arctissimo præcepto jubemur Deo potius quam hominibus obtemperare: pia est crudelitas a parentibus deficere, ut Deum sequamur. Minime tum carnis ac sanguinis, aut alicujus importunæ pietatis voci obediendum. Divinæ res rebus nostris omnibus præferendæ. Id optime noverunt Levitæ, cum post Vituli aurei adorationem, a Deo jussi (6), per media agmina debacchati obvios quosque, omnesque sacrilegi cultus participes interfecere. Inter cæteros micuit Phinees, interfecto Zambri (7), cujus exemplum plurimos Israelitarum in crimine confirmasset.

Chaldæus, cum asseclis aliquibus (8), ita explicat: Sacerdotes ac Levitas incorruptos æquissimosque in judiciis futuros; nullamque litigantium personarum rationem habituros, etiamsi pater ac mater, aut filii contenderint; eosque, si iniqua fuerit eorum causa, damnaturos. Alii de interdicta illis funerum præsentia interpretantur (9).

PACTUM TUUM SERVAVERUNT ℣. 10. JUDICIA TUA, O JACOB. Munus est Sacerdotum, non modo majori quam cæteros studio Legem Domini observare, sed & a populo servandam curare. Id aperte docet Hebræus: *Docebunt judicia tua Jacob, & Legem tuam Israel*. Jus Israeli dicent, eosque Legem Dominicam docebunt, Horum munerum primum sæpe in Scriptura exprimitur (10); sæpius alterum (11).

PONENT THYMIAMA IN FURORE TUO. Id innuere videtur, quod gessit Aaron, cum reo murmuris populo, ac sæviente divinitus immisso in populum igne, quo universus propemodum exercitus corripiebatur, Aaron cum thuribulo superveniens Dominum placavit (12). Chaldæus, Septuaginta, aliique Interpretes quidam reddunt (13): *Ponent thymiama coram te*. Ex præcipuis Sacerdotum muneribus illud fuisse constat, ut thura quotidie Altari mane ac vespere imponerent (14).

ET HOLOCAUSTUM SUPER ALTARE TUUM. Vox כליל *Kalil*, quæ hic *holocaustum* redditur, de holocaustis dicitur, de farinæ oblationibus, iisque omnibus, quæ tota cremabantur (15); animalium enim holocausta עוֹלָה appellantur.

℣. 11. BENEDIC, DOMINE, FORTITUDINI EJUS, ET OPERA MANUUM ILLIUS SUSCIPE. Benedic, remunerare, favore prosequere ejus virtutem, qua hostibus tuis objicitur, & impiorum arrogantiam coercet; atque oblationes ab eo tibi super Altare tuum relatas accipe. Alius Hebræo sensus aptari potest: Benedic, Domine, & auge opes ejus, oblataque ab eo Sacrificia excipe. Notum est, nullam Sacerdotibus ac Levitis in telluris Israeliticæ distributione partem contigisse, cum omnes eorum opes decimæ essent ac primitiæ, quas illis solvi vel jubebat Lex, vel hortabatur. Ut hæc omnia in Levitarum commodum benedictione sua confirmet Deus, Moyses orat.

℣. 12. ET BENIAMIN AIT: AMANTISSIMUS DOMINI HABITABIT CONFIDENTER IN EO. Vulgo hunc locum de Templo explicant, in sorte Beniamin ædificato. Cum urbs Jerosolyma ipsi termino insideret, quo Tribus Juda & Beniamin dividebantur (16), ad duas Tribus pertinebat; pars meridionalis, Judæ, septentrionalis, ubi Templum stabat, Beniamini erat. Hinc fit, ut eadem urbs Jerosolyma modo huic, modo alteri earum Tribuum adscribatur (17). Si hanc explicationem sequaris, sic redde: *Beniamin dilectus Domino, & Dominus habitabit confidenter in eo*, in ejus sorte & regione. Hæc tamen phrasis, *Dominus habitabit confidenter*, Deum dedecet, cum infinitam ejus majestatem, invictumque robur dejicere videatur. Habitare aliquo in loco confidenter vel populus dici poterit, vel homo, minime tamen Deus. Quare solummodo de Beniamino malim explicare, qui confidenter in sorte sua versabitur. Quæ sequuntur, hanc explicationem confirmant.

QUASI IN THALAMO, TOTA DIE MORABITUR, ET INTER HUMEROS [brachia] ILLIUS REQUIESCET. Hebræus ita verti potest: *Dilectus Domino habitabit in parte sua, fretus ope Domini, a quo operietur*, protegetur, defendetur, *omnibus diebus vitæ suæ, & requiescet super humeros illius*, vel *inter humeros illius*.

Si favere priori sententiæ velis, de Templo in sorte Beniamini condito, ita redditur, verso non-

(1) ידיו רב לו ועזר מצריו תהיה (2) Exod. xxviii. 30. (3) Exod. xvii. 6. (4) Num. xx. 13. (5) Numer. xiv. 22. Deuteronom. ix. 22. Psalm. xciv. 9. &c. (6) Exod. xxxii. 27. (7) Num. xxv. 7. (8) Vatab. (9) Levit. xxi. 10. 11. (10) Levit. x. 16. Exod. xxviii. 30. Deuter. xvii. 8. 9. & xix. 17. (11) Osee iv. 6. Malach. ii. 7. &c. (12) Num. xvi. 46 47. 48. (13) ישימו קטורה באפך Ἐπιθήσουσι θυμίαμα ἐνώπιόν σου. (14) Exod. xxx. 7. (15) Vide Levit. vi. 23. Deuteron. xiii. 16. & Judic. xx. 40. 1. Reg. vii. 9. Psalm. li. 21. (16) Josue xv. (17) Josue xv. 63. & Psalm. lxxvii. 68. tribuitur Judæ, & Judic. i. 21. Beniamino. Vide Ligfoot. Chorograph. in Matth. xxi.

nihil punctorum ordine (1): *Ait ad Beniamin: Dilectus es.* Dominus *in parte ejus habitat confidenter, illum tuetur omnibus diebus vitæ suæ, &* *illum* alis suis & *humeris suis tegit.*

ỳ. 14. DE POMIS FRUCTUUM SOLIS AC LUNÆ. Quos superiore versiculo fructus cœli dixit, hic *fructus solis & lunæ* nuncupat. Ex populi autem sententia loquitur, qui solem ac lunam duo esse generationis fructuum principia arbitratur: lunam, ut humorem, quo nutriantur, suppeditet (2), solem, ut calore foveat, atque ad maturitatem perducat (3). Solis & Lunæ influxibus plurima tribuebant Veteres, quæ a Religione, sanaque Philosophia, experientia comite, illis negantur: cumque Scriptura humano more loquitur, atque populi præjudiciis accommodato, illis quidem favere dicenda non est; cum nihil aliud velit, quam ut prona omnibus facilique loquendi ratione utatur. Nonnullis persuasum est (4), nomine *fructuum lunæ* fructus quosdam intelligi, qui nullo non anni tempore proveniunt, uti cucumeres, cucurbitæ, &c. *Solis* vero, fructus semel in anno provenientes, frumenta scilicet, uvas, aliosque. Chaldæus hoc sensu accepisse videtur: *Et faciet poma & fructus, quæ sol germinare facit; & faciet poma in principia mensium.* Hebræus ad literam (5): *De deliciis proventuum solis, & de deliciis proventuum lunarum.*

ỳ. 15. DE VERTICE ANTIQUORUM MONTIUM, id-est, de fructibus provenientibus in vertice montium antiquorum. Tribus Ephraim in tradita sibi hæreditate, montibus vini oleique feracibus fruebatur; Tribui etiam Manasse trans Jordanem fertile erat solum, ad radices montium Hermon, Galaad, & Sanir. Montes illos appellat Legislator antiquos & æternos, eadem phrasi, quæ pariter animadverti potuit in Genesi XLIX. 26. & occurrit alibi in Scriptura (6). In Joele III. 18. spondet Deus, id effecturum se, ut rivi lacte & melle fluant. Et Amos IX. 13. futurum promittit, ut omnes colles culturæ submittantur. Tandem in Jeremia III. 23. fatentur Judæi, colles suos nihil produxisse, quo tempore ipsi a fide in Deum suum recesserunt: *Mendaces erant colles;* quæ Hebræa est phrasis, exprimens agrum, agricolæ laboribus ingratum. Chaldæus *Benedictio Joseph erit de vertice montium primitiarum, & de bonis collium, quæ non deficiunt.*

ỳ. 16. DE FRUGIBUS TERRÆ, ET DE PLENITUDINE EJUS. Opponi hic videntur fructus terræ fructibus illis, de quibus in præcedentibus versiculis, Cœli, Solis & Lunæ; priores illi sunt facile fructus arborum; secundi frumenta, olera, radices. *Plenitudo terræ* designat agros cultos & fructibus divites (7); vel tantum terram late universam, & quidquid in illa continetur (8): uti plenitudo maris (9) est pelagus totum; *plenitudo sapientiæ* (10), omne quidquid haberi potest luminis & scientiæ; *plenitudo peccatorum* (11) totum quidquid committi potest peccati.

SUPER VERTICEM NAZARÆI, INTER FRATRES SUOS. Nomen Nazaræi accipi solet de viro, qui voto Deo nuncupato comam suam cædendam tradit, atque a vini potu abstinet, uti præscriptum est in Numeris VI. 18. &c. Sed Hebræum *Nezer* [לקדקד נזיר אחיו] sonat coronam vel separationem; & *Nesir* est qui corona illa ornatur, vel qui separatur & distinguitur. In aula Regum Orientis (12) *Nasir* vel *Nesir* Præfectus est a Rege secundus, œconomus Regius, ac Regii ærarii inspector. Ab ejus nutu pendent cæteri Aulæ Principes & Præfecti minores: curat ille regias mensas, custodes & proventus. Igitur Josephus munus *Nesir* agebat in Aula Regis Ægypti; quo illum titulo distinguit Jacob in Genesi XLIX. 26. & Summus Sacerdos *Nesir* Domus Dei appellatur in Levitico XXI. 12. Dictum hoc commode juxta utramque significationem de Josepho exponitur; ipse enim idemque separatus est, atque a cæteris fratribus distinctus, ac tandem gloria & honore decoratus: in universa ejus historia nihil magis elucet, quam insignia distinctionis illius tum super cæteros fratres ex patre accepta, tum super reliquum populum, a Rege Ægypti; hæc autem omnia appendices erant Divini erga illum studii, cum illum benedictionibus suis & beneficiis Deus prævenisset.

ỳ. 17. QUASI PRIMOGENITI TAURI PULCHRITUDO EJUS; seu potius, *quasi primogeniti vaccæ;* Hebræum enim שור *Schor* (13) utrumlibet commode significat, vaccam vel taurum. Vel, si mavis, ita Textum redde: *Pulchritudo ejus quasi taurorum pulcherrimi.* Vox *primogenitus* non raro significat eximium, & in omni quocumque perfectionum genere perfectissimum (14). De pulchritudine tauri grandia sentiebant Ægyptii. Narrat Ælianus (15), Mnevim Regem Ægypti imperasse, ut taurus tamquam pulcherrima pulchritudine superans consecraretur. Vide Bochartum (16). Autumant Interpretes, sub emblemate tauri designari Regnum decem Tribuum, quod maxime in Tribu Ephraim sedit; vel personam & dignitatem Josue, qui ad eam Tribum pertinebat. Tandem non male redditur Hebræus: *Primogenitus* Josephi *ita sit pulcher*, seu robustus, *ac taurus.* Ephraim pulchritudine & robore tauri donetur.

CORNUA RHINOCEROTIS CORNUA ILLIUS. Sunt cornua, stylo Scripturæ, gloriæ & roboris emblema. Cum Moyses Josephum tauro comparasset ob venustatem, similitudinem suam prosequens, robur illius ad tauri robur refert; cornua illi vindicat, non quidem tauri, sed rhinocerotis, quæ solidiora sunt, & ad penetrandum aptiora. Vide in Numeris XXXII. 22. quæ de hac bellua scripsimus.

IN IPSIS VENTILABIT GENTES. Ceu taurus robustus cornibus suis impetet, ut nihil illi resistat; adversa omnia ventilabit. Spectatur hic mos belluarum cornipetarum, quæ provocatæ in aerem cornibus tollunt, quidquid obvium occurrerit. Figura est autem hæc Scripturæ maxime familiaris (17); neque ignota Homero in Iliade B: [illegible]; nec Virgilio in Georgicis III.

Et tentat sese atque irasci in cornua discit,
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.

Apud veteres Patres nonnullos (19), Tauri pulchritudo, robur & dignitas primogeniti exprimit Jesum Christum, qui pulchritudine sua cæteros vincit; cujus robur tantum est, ut omnia ad sese trahat; cujus dignitas primogeniti Patris sui thesauros omnes Divinitatis atque Sapientiæ continet. Tauri hujus mystici cornua, quibus ille in altum omnes orbis nationes erigit, cruce Filii Dei significantur, cujus virtute imperium omne ever-

(1) לבנימין אמר ידיד יהוה ישכן לבטח עליו חפף עליו כל היום ובין כתפיו שכן (2) Plin. l. 2. cap. 101. *Lunæ fœmineum ac molle sidus atque nocturnum, solvere humorem & trahere, non auferre.* (3) Idem l. 2. cap. 100. *Solis ardore siccatur liquor*, &c. (4) Jun. Ainsv. Malv. Rab. Sal. alii in Munst. (5) ממגד תבואת שמש וממגד גרש ירחים (6) Job XV. 7. Prov. VIII. 25. Habac. III. 6. (7) Vide Genes. XXVII. 27. (8) Vide Psalm. XXIII. 1. XL. 12. Isai. XXXIV. 1. &c. (9) Paral. XVI. 32. Psalm. XCV. 11. XCVI. 7. (10) Eccli. I. 20. (11) 2. Macchab. VI. 14. (12) Chardin, voyage de Persa tom. 2. c. 5. p. 136. (13) Vide Exod. XXXIV. 19. Num. XVIII. 17. Deuter. XV. 19. Levit. XXII. 25. Judit VI. 25. Job XXI. 10. (14) Vide ad Exod. XII. 12. 29. (15) Ælian. l. 2. histor. c. 10. (16) Bochart. de animal. sacr. parte 1. l. 2. c. 9. (17) 3. Reg. XXII. 12. Psalm. XLIII. 6. Jerem. XXXII. 21. Zach. I. 19. & 1. Macchab. VII. 46. (18) Tertull. lib. contra Judæos. Ambros. de benedict. Patriarch. August. qu. ult. in Deuteron.

evertit, ac gentes undique universas in suas partes traxit,

Hæ sunt multitudines Ephraim. His aspergo benedictionibus florentem hanc Tribum: hæc Ephraimo imprecor. Cornua ista magnitudinem, robur, majestatem Tribuum Ephraimi & Manassis exhibent, quæ hominum numero efflorebunt.

℣. 18. Lætare Zabulon in exitu tuo; in itineribus, et in habitationibus tuis. Locorum situs Zabulonem illexit, ut commercia cum Sidoniis ac Tyriis agitaret, eorumque exemplo maria ad negotiationem excurreret. Ad eumdem Zabulonem ea referri creduntur, quæ proxime sequens versiculus habet: *Inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.* Constat profecto, hæreditatis hujus Tribus extremam unam oram Mediterraneo allui.

Et Issachar in tabernaculis suis. Zabuloni contraria plane studia tenuit Issachar; sese quietum intra regionem ac tentoria sua cohibuit: otium, & soli culturam maritimis Zabulonis itineribus prætulit. Confirmantur hæc Jacobi vaticinio, quod cum nostro hoc plane congruit (1): *Issachar, asinus fortis, accubans intra terminos. Vidit requiem, quod esset bona, & terra quod optima; & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.*

℣. 19. Populos vocabunt ad montem. Venient ad montem Sanctum, ubi Templum Domini construetur: solicitudine sua Jerosolymam se conferendi ad præcipua Festa celebranda, distinguentur, ac vicinos ut secum veniant, invitabunr. Hæc vulgaris est Textus hujus interpretatio: commode tamen, ut arbitror, referri posset ad ea, quæ in expeditione adversus Jabin sub Debora & Barac (2) gesta sunt. Deus nomine suo denunciari jussit Barac, ut Tribus Zabulonis & Nephthali ad montem Thabor cogeret, juxta torrentem Cison. Ex Cantico Deboræ intelligimus, in eadem expeditione Tribus Issacharis (3) & Zabulonis supra cæteras emicuisse; cumque prælium ad torrentem Cison commissum fuerit, qui torrens geminas illas Tribus superabat, minime ambigimus, potissimas fuisse utriusque illius Tribus in eo partes, neque aliis invitantibus cæteros Israelitas accitos fuisse ad montem Thabor, ut copiis *Jabin* a *Sisara* ductis sese adversarios opponerent. Victimas quidem ea occasione cæsas fuisse in monte sive ad Numinis opem impetrandam sive ad agendas pro relata victoria gratias, non prodit Scriptura; sed oblatas tamen reipsa & rei æquitas indicat, & confirmat (4) ætatis illius mos, cum maxime fœmina Propheris præsens adesset.

Inundationem maris, quasi lac, sugent. Tribus Zabulon & Issachar late se ad mare usque Mediterraneum porrigebant; ex quo ingens navigationi & commerciis commodum. Jacob in ea, quam Zabuloni impertiit, benedictione (5), habitaturum illum prædicit in litore maris, & juxta portum navigiorum, ditionemque suam ad Sidonem usque prorogaturum.

Et thesauros absconditos arenarum, idest, thesauros in navigatione latentes. Optime accipi hic potest nomen arenæ pro litore maris; quin & pro ipso eodem mari usurpatur, vel etiam pro thesauris in arena fluminum ac rivorum absconditis, qui divites aquas auro argentoque trahunt; vel de thesauris latentibus in arena amnis Beli, quæ in vitrum liquescit. Vulgo tamen intelligitur de metallis, quæ e montium visceribus effodiuntur. Sed jam alibi animadversum est, non facile demonstrari posse, Palæstinam metallorum fodinis abundare; neque desunt Viri doctissimi, qui ambigant, utrum ditio Issacharis ad mare pervenerit: nihil enim ea de re sive in Josue, sive in Josepho legitur. Quare hæc dicta ad unum Zabulonem referri oportet, cujus in hæreditaria portione arenæ vitreæ continebantur, ex quibus arenis hodie pariter ingens est in ea regione commercium. Jonathan, R. Salomon, aliique nonnulli putant, hic a Moyse indicari murices, uti & vitrum, ex quo specula atque alia vasa conficiuntur.

Constat utique, non longe a Tyro piscatu apprehendi murices, quorum celebre fuit nomen ex purpura. Commedant Veteres (6) arenam amnis Beli, fluentis duobus tantum stadiis a Ptolemaide. Monstratur prope hunc amnem, ait Josephus (7), sepulchrum Memnonis; nec longe ab eo monumento res plane mira spectaculum sui facit. Vallis est quædam, centum circiter cubitis porrecta, ubi arena vitrea colligitur: quamquam autem illa naves onerentur plures, adhuc tamen deficit nunquam, jacturamque suam reparat. Narrat Plinius (8), spatium esse D. passuum, secus litus maris, non longe ab amne Belo, quod per tot sæculorum seriem vitro aptam materiem nunquam non sufficit: asseritque Strabo (9), a Ptolemaide ad usque Tyrum arenam omnem, quæ litus maris occupat, vitreis operibus aptissimam esse. Casu autem, inquit ille, accidit, ut commodo illo mortales sibi consulerent; cum enim mercatores mare excurrentes forte sub olla nitrosum quemdam lapidem collocassent, idem ipse lapis igne candescens liquavit arenam ex eo litore desumptam, produxitque liquorem pellucidum, qui in vitrum coaluit. Græcum ὕαλος, *hyalos*, vitrum, etymon suum facile debet Hebræo חול, arena.

Septuaginta in ℣. 19. longe discrepaat ab Hebræo & Vulgata. *Gentes exterminabunt: & invocabitis illic* Dominum, *& sacrificabitis illic sacrificium justitiæ; quoniam divitias maris suges, & frueris copia habitantium maritima.*

℣. 20. Benedictus in latitudine Gad. Hebreus, Chaldeus & Septuaginta: *Benedictus dilatans Gad.* Pertinere hæc videntur ad Jephte, qui virtute sua pomœria Tribus Gad dilatavit (10). Legitur etiam historia quædam in I. Paralipomenon V. 18. &c. quæ non incongrue huc refertur; est autem bellum filiorum Ruben & Gad in Agarenos, ex quibus illi victoriam retulerunt. Huc etiam pertinent quæ sequuntur: *Quasi leo requievit, cœpitque brachium & verticem* prædæ.

℣. 21. Vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus. Hic Israelis Doctor ipse est Moyses, sepultus trans Jordanem, intra ditionem Tribus Gad. Sed non obscure constat, Legislatorem hunc in montibus Abarim obiisse, ad Tribum Ruben, non Gaditicam, pertinentibus. Quare de veritate hujus, communissimæ licet expositionis, ratio est ambigendi. Hebreus ad literam ita sonat (11): *Et vidit* seu elegit *principium sibi, quod ibi Legislator partem sibi posuit.* Tribus Gad & Ruben aspectu regionis illectæ, quam relata de Og & Sehon victoria acquisierant, eam sibi postularunt a Moyse, & facile obtinuerunt. Hunc sensum elegerunt Septuaginta (12). *Vidit primitiam suam*, vel exordium suum, *quia ibi divisa est terra principum collectorum cum ducibus populorum*; idest quia ibi divisa est terra inter Principes Ruben, Gad, & dimidiæ Manassis, terra, inquam, quæ olim Regibus Amorrheorum & Basan paruerat. Eumdem sensum retinuit Chaldæus, junxitque alteri, quem omnium primum nos proposuimus. *Et suscepit in principio partem suam, quoniam ibi in hæreditate sua Moyses scriba magnus, & Princeps Israel sepultus est.*

Ambigere me tamen plurimum fateor, num reipsa

(1) Vide Genes. XLIX. 15. (2) Jud. IV. 6. (3) Judic. V. 14. 15. (4) 1. Reg. XIII. 12.
(5) Genes. XLIX. 13. (6) Vide Plin. l. 5 c. 19. Strab. l. 12. (7) Joseph l. 2. c. 17. de bello Jud.
(8) Plin. lib. 36. c. 26. (9) Strab. l. 12. (10) Judic. XI. 33. (11) וירא ראשית לו כי שם חלקת מחקק ספון
(12) Καὶ εἶδεν ἀπαρχὴν αὐτοῦ, ὅτι ἐκεῖ ἐμερίσθη γῆ ἀρχόντων συνηγμένων.

ipsa Gad illud spectaverit, cum hæreditatem suam sibi postulavit; neque enim tunc norat, utrum Moyses diem clausurus esset ibi, ibidemque sepulturæ mandandus. Ægre in animum induxerim, Moysem eo potissimum nomine celebrasse Tribum Gad, quod sepulchrum suum intra illam contineretur. Absit hoc a modestia Legislatoris, oracula ista scribentis. Quare præferendam duco opinionem, quæ Textum solummodo explicat de solicitudine Gad, quæ primas relatas ex hostibus terras sibi postulavit. Commode redditur Hebræus: *Consideravit primitias sibi*. Primitias victoriarum illarum optavit.

Qui fuit cum principibus populi. Hæc omnia de Moyse exponuntur; sed non incommode etiam usurpantur de Gad, quæ ante cæteras Tribus, cum trajiciendus esset Jordanis, ad inferenda in regionem Chanaaniticam arma, processit. Atque ita factum est, ut ea Tribus coram Israele Leges Domini observaret, acceptaque ab illo mandata omnia, ea de re impleret. Vide Numeros XXXII, 27. 32. & Deuteronomium III. 18.

℣. 22. Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan. Regio utique Basanitica aliena erat a Tribu Dan; sed ea Tribus comparatur Leoni, qui insilit in regionem Basan, tanquam in prædam, eamdemque prædam quæsiturus longius excurrit. Samson vir erat Daniticus: quid illi contigerit, ignorat nemo, cum scilicet leonem interfecit (1), & in faucibus interfectæ belluæ aliquanto post favum mellis reperit; ex quo rei eventu ænigma confinxit, paranymphis die nuptiarum suarum solemni propositum. Aliud etiam legimus in Scriptura de viris ejusdem Tribus, qui arctas nimis sedes deseruerunt (2), & Urbem Lais ad oppositam oram Chanaanitidis sitam, occuparunt. Id forte præ oculis habuit Moyses, comparans Dan Leoni e Basan egredienti, prædam suam longe quæsituro.

℣. 23. Nephthali . . mare et meridiem possidebit. Nomine maris sine addito, designari solet in Scriptura seu Mediterraneum, seu Occidens; sed utrumque sensum Textus hic respuit, cum ditio Tribus Nephthali nec maritima esset, nec occidentalis terræ Promissionis. Definiebatur ad Orientem Jordane; ad Septentrionem, Libano; ad Occidentem Tribu Aser; ad meridiem portione quadam Zabulonis, & mari Genesareth. Hoc forsan mare designant ea verba Moysis, *Mare & Meridiem*. Eumdem sensum Chaldæus retinuit.

℣. 24. Benedictus in filiis Aser. Pulchra & florenti posteritate sit beatus. Ea Tribus inter florentissimas fuit, atque hominum numero in dies augebatur. In priori censu sub Moyse, numerabat XLI. M. & quingentos viros; in posteriori crevit ad LIII. M. Commode etiam in hunc sensum redditur Hebræus ברוך מבנים אשר *Aser benedictus est præ* cæteris *filiis*. Nomen Aser sonat felicitatem, & opulentiam. Felicem etiam regionem obtinuit; ejus enim solum opimum erat ac fertile. Lotorum oleo pedes suos prædicit hic Moyses; & Jacob in Genesi XLIX. 20. *Aser, pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus*. Galilæam, quæ portio erat Tribus Aser, describit Josephus (3), tanquam totius Palæstinæ eximiam & optimam: fructus omnis generis ferebat large, pluribusque non exiguis urbibus disseminabatur. Olei potissimum erat ferax (4), ex quo illud vere: *Tingat in oleo pedem suum*.

℣. 25. Ferrum et æs calceamentum ejus. Exprimitur hisce verbis bellicum ingenium Aseritarum; milites enim calceis seu ocreis æneis utebantur. De Gigante Goliath legas in 1. Regum XVII. 6. *Ocreas æreas habebat in cruribus*. Ære etiam ocreati erant Heroes in Trojæ obsidione; quare apud Homerum non semel donantur epitheto *ære-ocreatorum*, χαλκοκνήμιδες Ἀχαιοί. Ex stanno malleis durato Achillis ocreas Vulcanus conflavit (5). Antiochi exercitus *magna ex parte aureos clavos crepidis subjectos habuit*, ait Valerius Maximus. Luxus in aula Alexandri regnantis argumentum ex eo desumptum est, quod Agnon quidam calceos haberet clavis aureis munitos (6). Modestiora amabant Romani, apud quos calcei qua militum qua Ducum ferro erant non auro soleati (7): distribuebanturque militibus interdum xenia, quæ *clavaria* (8) appellabantur. David in Psalmo LXVII. 31. meminisse videtur eorum, quorum calcei argento ornabantur.

Nec milites tantum ocreas suas metallo muniebant: id etiam adoptarunt olim tenues quique agricolæ, quin & urbium incolæ, & viri etiam amplissimi. Luxus Persarum eo creverat, ut aurea sandalia apud illos gestarentur (9). Hodie pariter apud eosdem Persas calcei omnes sub talis ferrum habent; eamque inferioris calcei portionem, quæ totam pedis plantam regit, inspergunt minoribus clavis, ne cito deteratur. Empedocles Philosophus ære calceabatur (10); atque unius ex iis sandaliis, quod mons Ethna inter flammas evomuit, indicio palam factum est, virum illum ad comparandam inanis gloriæ famam in verticem illum sese præcipitem egisse. Abusus ætate sua obtinentis, ut scilicet ornamentis atque clavis pretiosis ditarentur soleæ, S. Clemens Alexandrinus (11) meminit. Eadem legas apud Plautum in Bacchidibus:

Sed Dives ne est istic Theotimus? Ch. etiam rogas?
Qui soccis habeat aurum suppactum solum.

Affirmat Bellonius (12), Orientales æque omnes, tenuiores & locupletes, vel fœminas ipsas Imperatoris Turcarum, ac Præfectorum uxores anteriorem faciem & talum solearum ferro tegere. Satis hæc arbitror esse, quibus veterem morem utendi metallis, ære scilicet, auro, argento, ferro in usum caligarum ostendamus.

Interpretes nonnulli (13) verba illa Mosaica typico sensu ita reddunt: Conteret pedibus, temnetque instrumenta omnia bellica, æs, ferrum. Aliis vero (14) persuasum est, phrasim illam Textus exprimere metallorum copiam, qua Tribum illam abundasse arbitrantur. Referunt hoc alii ad agriculturæ labores; quibus coacti incolæ ejus regionis calceos ære vel ferro muniebant.

Sunt tandem qui vertendum Hebræum censeant longe aliter ac sonat in Vulgata (15): *Vectes tui erunt ferrei & ænei: & nomen tuum æque ac dies vitæ tuæ permanebit*. Vel potius: *Et robur tuum dies vitæ tuæ æquabit*; vel tandem: *Et requies tua tamdiu perseverabit, quamdiu vixeris*; vel juxta alios; *Et dolores tui prorogabuntur per omnem vitam tuam*. Solemne est Orientalibus, ut itinerantium nostrorum narratione discimus, ligneis seris uti: optat Moyses, ut vectes Aser non lignei sint, sed ferrei & ænei. Animadvertit Scriptura (16), veluti novum aliquid ac insolitum, urbes per regionem Argob, Galaad & Basan fuisse sexaginta, quæ æneis vectibus munirentur. Asserit Josephus,

[1] Judic. XIV. 5. 14. [2] Jud. XVIII. [3] Joseph. de bello Jud. l. 3. c. 2. [4] Idem l. 2. c. 22.
[5] Iliad. Σ. v. 612. Τεῦξε δέ οἱ κνημῖδας ἑανοῦ κασσιτέροιο.
[6] Phylarch. & Agatharcides apud Athen. l. 12. c. 9. & Plin. l. 33. c. 3. [7] Joseph. de bello Jud. lib. 7. cap. 3. Τὰ γὰρ ὑποδήματα καταπεπαρμένα πυκνοῖς καὶ ὀξέσιν ἥλοις ἔχων, ὥσπερ τῶν ἄλλων στρατιωτῶν ἕκαστος. [8] Vide Casaub. Cal. Theopr. Περὶ ἀγροικίας. [9] Dionys. de situ orb.
Χρυσῷ δ' ἀμφὶ πόδεσσιν ἐϋσφίγξαντο πέδιλα
Τόσσον γὰρ σφισιν ὄλβος ἀπείριτος.
[10] Laert. l. 8. in vita Empedocl. [11] Clem. Pædag. l. 2. [12] Bellon. observ. l. 3. cap. 44.
[13] Jans. [14] Bonfr. Vat. Ainsv. [15] ברזל ונחשת מנעלך וכימיך דבאך [16] 3. Reg. IV. 13.

phus, plures fuisse urbes non exiguas, munitasque in Galilæa. Hæc afferre visum est, quibus versionem nostram prioris membri hujus versiculi confirmaremus.

Si membrum alterum hoc fere sensu reddatur, *Dolores tui per totam vitam tuam prorogabuntur*; tunc apte repugnamus, Aser, qui graves habebat finitimos Phœnices, quique se totum dederat agriculturæ, expositum fuisse crebris injuriis ac insultibus adversariorum. Si vero contrario sensu vertatur. *Fama nominis tui, robur, requies tua tamdiu permanebunt, quamdiu vixeris*; tunc utique Textus optandi sensu explicandus est: Utinam tanta fruaris felicitate, robore, tranquillitate, ut per omnes dies vitæ tuæ perseveret! quasi scilicet innuerentur his verbis infortunia ejus Tribus, quæ inter primas captivitatem Teglatphalassaris Regis Assyriæ experta est (1).

℣. 26. Deus rectissimi, ascensor cæli, Hebreus: *Deus Ischuron, qui ambulat super cælos, veluti super currum*. Vel Dominus, qui Deus tuus est, quique ex alto Cœlo ad opem tibi ferendam venit. Jam supra animadvertimus, *Ischuron* diminutivum esse Israelis, & in Scriptura non semel exhibetur Deus tanquam heros super nubes gradiens, super Cherubim sedens, quique currui suo ventos habet conjunctos (2).

Magnificentia ejus discurrunt nubes; vel nubes cursores illius, vel Legatos exhibent. Hebræus בגאותו שחקים *Nubes sunt in magnificentia ejus*. In nubibus sedet tanquam in throno; vel erigit sese super nubes, scandit enim per illas tanquam per gradus in Cœlum; & per nubes itidem ad opem nostram descendit. Persimili sensu Psalmus CIII. 3. ait: *Qui ponis nubes ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*.

℣. 27. Habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna. Dei potentia nullis limitibus stringitur, aut definitur. Quamquam in Cœlo est, ejus tamen brachia, robur, auxilium in terra mortales sentiunt. Reddi potest etiam Hebræus (3): *Protectio Domini coram, & ejus brachium æternum infra*. Tegit vos undique & protegit ab hostibus, qui coram occurrunt; & brachium suum supponit, ut vos regat a lapsu. Aliter: *Habitaculum ejus est ab æterno, & brachium ejus æternum ad hæc inferiora porrigitur*. Septuaginta (4): *Et teget te Dei principatus, & sub fortitudine eris brachiorum æternorum*. Chaldæus: *Habitaculum Dei ab initio, & in verbo ejus factum est sæculum*.

℣. 28. Habitabit Israel confidenter et solus. Pulsis Chananæis, solus manebit & securus in sua regione. Vide quæ disseruimus in Numeros XXIII. 9. Veterum Germanorum populi quidam honori sibi ducebant, quod soli & a cæteris segregati populis versarentur: fines autem regionis suæ per circuitum deprædabantur, ut majus ponerent inter se ac finitimos intervallum.

Oculus Jacob in terra frumenti et vini. Reddi posset Hebræus (5): *Fons Jacob in terra frumenti & vini*. Possidebit Jacob solum irriguum fontibus, & frumenti ac vini ferax (6). Seu potius: Israelitæ qui perinde sunt ac fons emergens ex Jacob (7), frumento & vino beatam regionem possidebunt.

Cæli caligabunt rore. Circumfusus Palæstinæ aer ita occupabitur nube pluviarum & roris, ut obtenebrescat. Chaldæus: *Cæli distillabunt rore*; quæ facile optima est Hebræi hujus Textus interpretatio (8).

℣. 29. Negabunt te inimici tui; seu datæ fidei deerunt, postquam jugum tuum subierint; eo excusso, adversum te cervices erigent; acceptis conditionibus non stabunt. Phrasis hæc, *Negabunt te inimici tui*, datæ fidei non stabunt, mentientur tibi (9), familiaris est Scripturæ (10); eumdemque sensum, quem hic, retinet. Alii vero dictum ita exponunt, Conatus inimicorum tuorum frustra erunt; in te mentientur.

Et tu eorum colla calcabis, in signum plenæ victoriæ, & hostis omnino submissi. Ita se gessit Josue in quinque illos Reges, quos bello captivos in Maceda (11) cepit. Phrasi hac non semel utitur Scriptura, sub pedibus dejectum habere aliquem, tamquam scabellum pedum, pedibus conculcare, ut exprimat victoris in victum hostem imperium atque dominium. Crebra suppetunt exempla Principum victorum, qui victos hostes suos ita impotenter ac superbe habuerunt. Tamerlanus utebatur Bajazeto Turcarum Imperatore tanquam scabello, ut facilis in equum sibi esset ascensus.

[1] 4. Reg. XV. 29. [2] Vide Psal. XVII. 11. [3] מענה אלהי קדם ומתחת זרעת עולם [4] Σκεπάσει σε Θεοῦ ἀρχὴ, καὶ ὑπὸ ἰσχὺν βραχιόνων ἀενάων. [5] עין יעקב כל ארץ דגן ותירוש [6] Septuag. Πηγὴ Ἰακὼβ ἐπὶ γῆς σίτου καὶ οἴνου. [7] Vide ad Num. XXIV. 7. [8] שמיו יערפו טל Vide Deut. XXXII. 2. [9] ויכחשו איביך לך [10] Vide Psal. XVII. 46. LXV. 3. & LXXX. 16. [11] Josue X. 24.

CAPUT XXXIV.

Obitus Moysis. Ejus sepulchrum latet. Succedit illi Josue. Elogium Moysis.

℣. 1. AScendit ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga contra Jericho: ostenditque ei Dominus omnem terram Ga-
laad usque Dan, 2. Et universum Nephthali, terramque Ephraim, & Manasse, &
omnem terram Juda usque ad mare novissimum, 3. Et australem partem, & lati-
tudinem campi Jericho civitatis palmarum usque Segor. 4. Dixitque Dominus ad
eum: Hæc est Terra, pro qua juravi Abraham, Isaac, & Jacob, dicens: Semini tuo
dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. 5. Mortuusque est ibi
Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino: 6. Et sepelivit eum in
valle Terræ Moab contra Phogor: & non cognovit homo sepulchrum ejus usque in
præsentem diem. 7. Moyses centum, & viginti annorum erat, quando mortuus est:
non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt. 8. Fleveruntque eum filii

Israel

Israel in campestribus Moab triginta diebus : & completi sunt dies planctus lugentium Moysen. 9. Josue vero filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israel, feceruntque, sicut præcepit Dominus Moysi. 10. Et non surrexit ultra propheta in Israel, sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, 11. In omnibus signis, atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in Terra Ægypti Pharaoni, & omnibus servis ejus, universæque terræ illius, 12. Et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israel.

℣. 1. ASCENDIT MOYSES . . . SUPER MONTEM NEBO, IN VERTICEM PHASGA. Montes Nebo & Phasga portiones erant montium Abarim, qui porrigebantur ex Oriente in occidentem, in regionem, quam olim Sehon Rex Amorrhæorum occupaverat. Vertex Phasga culmen erat facile in montibus illis omnium celsissimum, ac maxime propinquum castris Israelis, quæ tunc sita erant in campestribus Moab ad Jordanem, e regione Jerichuntis. E vertice illo Phasga Moyses totam illam regionem prospexit, quæ Israelitis submittenda erat, atque ibi tandem spiritum Deo reddidit.

Rabbini (1), quos Interpretum plures sequuntur, caput hoc totum alterius esse a Moyse authoris contendunt. Plura sunt etiam in ipso Textu, quæ aliena manu addita, & diu post Moysem scripta videntur, cujusmodi sunt e. g. quæ ibi leguntur de sede Tribubus Aser, Nephtali, Juda, Ephraim, destinata, quam certe eæ Tribus nonnisi aliquot annis post obitum Moysis possederunt. Ita pariter ea quæ leguntur de loco Mosaicæ sepulturæ, qui adhuc, ait Author, ignoratur; uti & elogium Moysis, cui par nullus Propheta surrexisse perhibetur; ac tandem ea quæ narrantur de luctu pro ejus funere, & reliqua, quæ sequuntur ejusdem capitis, alium utique a Moyse authorem flagitant. Tribuunt hæc Hebræi Josue; S. Hieronymus Esdræ. Josephus (2), Philo (3), Origenes (4) putavere, historiam obitus sui totam prophetico spiritu sibi exploratam Moysem ipsum scriptis mandasse; quam tamen opinionem Interpretes rejecerunt.

OMNEM TERRAM GALAAD USQUE DAN. Regio omnis transjordanica, ad septemtrionem porrecta est, si ab eo situ, quem tunc Moyses tenebat, spectetur. Ipsa eadem regio excurrebat secundum montes Galaad, qui latus ejus orientale definiebant, pertingebatque usque Dan, urbem fontibus Jordanis proximam. De hac urbe actum est in Genesi XIV. 24.

℣. 2. UNIVERSUM NEPHTHALI. Regio illa, quam Nephthali post obitum Moysis possedit, Libanum & Lacum Genesareth conjungebat. Meridionales magis erant sedes Ephraimi, Manassis & Judæ. Itaque Moyses oculis suis percurrit quidquid prospici poterat cis & trans Jordanem ad usque Mediterraneum, appellatum hic הים האחרון, *mare novissimum*, *mare Occidentale*, *mare posterius*. Jam alibi animadvertimus, Hebræos de locis agere pro situ, quem ipsi tenent, ut meridiem constituant ad dexteram, septemtrionem ad lævam, coram habeant orientem, post tergum occidentem.

℣. 3. AUSTRALEM PARTEM; totam nempe portionem meridionalem Palæstinæ, ab urbe Jerosolyma ad usque Idumæam, & Arabiam Petræam. Portio hæc interdum appellatur *Montes Juda*, ideo scilicet, quod montuosa esset regio, in ditione Tribus Juda.

LATITUDINEM CAMPI JERICHO, CIVITATIS PALMARUM, USQUE SEGOR. Jericho urbs erat in agro, proxima Jordani, e regione loci, quem tunc castra Israelitarum occupabant; Segor vero ad extremam oram meridionalem maris Mortui jacebat; Engaddi, quæ ipsissima creditur civitas palmarum, portionem tractus inter duas illas urbes tenebat; vel saltem de ejus situ versamur incerti. Constitui solet plerumque satis proxime ripæ occidentali Maris Mortui (5). Interpretum plures (6) arbitrantur, Civitatem palmarum eamdem esse ac Jericho: cujus tamen opinionis nulla idonea argumenta afferuntur; quod enim produci solet ex palmis, quibus vicina Jerichunti loca consita erant, hoc utique commune esse potest cæteris urbibus ejus regionis, quæ certe palmis non destituebantur.

℣. 5. MORTUUSQUE EST IBI MOYSES. Obiit anno Mundi MMDLIII. ætatis CXX. cum duxisset Israelem annis XL. Scribit Josephus (7), Moysem, postquam supremo amplexu Josue & Eleazarum excepit, cum adhuc illos alloqueretur, a nube repente superveniente raptum in vallem, ex oculis evanuisse. Hebræorum plures certant, vivum adhuc translatum fuisse in Cœlum, eodem, quo Enoch & Elias, beneficio: cujus opinionis vadem damus Librum Assumptionis Moysis ab illis compositum. Paraphrastes Chaldæus in Psalmum LXVIII. & in Caput I. ℣. 5. Cantici Canticorum affirmat, assumptum fuisse super Firmamentum. Cui translationi accommodat illum Psalmi locum: *Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem*. E Patribus etiam Ecclesiæ nonnulli persuasum habuisse videntur, virum hunc sanctissimum, quemadmodum & Enochum & Eliam, mortem evasisse; quod una cum illis Transfigurationis Jesu Christi testis adfuerit. S. Hilarius in Matthæum XX. 10. scribit: *Si quis conditionem & mortis & sepulturæ & sepulchri Moysi diligenter advertit, & secretam Scripturarum, secundum Apostoli authoritatem, cognitionem adeptus sit; intelliget, omnia ita esse tractata, ut Moyses potuerit jam videri*, nempe in Transfiguratione Domini. Hoc S. Doctoris testimonio juvatur opinio tuentium, ea omnia, quæ in Scriptura de obitu & sepultura Moysis narrantur, per allegoriam ac tropum accipi oportere. Sed idem S. Doctor alibi (8) satis luculenter mentem suam de Moysis decessu aperit; uti & perpendendum exhibet Lectoribus discrimen inter Legislatoris obitum, & Eliæ translationem (9).

S. Ambrosius libro 1. de Cain & Abel *cap.* 2. *n.* 8. multo validius tuetur sententiam, quæ Moysem in Cœlum transfert; *Non legimus de eo, sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est . . . unde & addit Scriptura quia nemo scit sepulturam ejus, usque in hodiernum diem, ut translationem magis quam interitum ejus intelligas*. Sed scite animadversum est, hic sanctum Scriptorem narrasse tantummodo Philonis (10) sententiam, cujus unicum erat propositum, ut ad allegoriam verteret quæcumque de obitu illo legimus, historico ac literali sensu neglecto. Sunt qui in patrocinium ejusdem

(1) Apud Munst. Vat. &c. (2) Joseph. Antiq. l. 4. cap. 9. (3) Philo lib. 3. de vita Mos. (4) Origen. l. 2. contra Cels. p. 95. (5) Vide Cellar. Geogr. l. 3. c. 13. (6) Malv. Ainsw. alii. (7) Joseph. Antiq. l. 4. c. 9. (8) Idem in Matth. c. 17. num. 2. (9) Vide notas in S. Hilarium pag. 709. & 710. noviss. editionis. (10) Philo de vita Mos.

dem opinionis afferant etiam eam S. Hieronymi sententiam in Amos VIII. *Cujus sepulturæ locus, quia in Cœlum ascenderat, non potuit inveniri.* Reliquus vero contextus demonstrat, agere illum de spirituali translatione, non do reali & corporea.

Nihilominus eadem opinio, de qua mox egimus, apertissime legitur apud S. Isidorum Hispalensem (1) & Rupertum Abbatem (2), qui plures ejus assertores fuisse affirmant. Docet Catharinus, Moysem raptum fuisse in Paradisum terrestrem. Sed illius mors ac sepultura nimis aperte exhibentur in Scriptura, cujus proinde verba multa ambiguitate eludi possunt. Ad auferendam suspicionem, quæ suboriri potest hominibus, de ejus in Cœlum translatione, scripta a Moyse credit Josephus quæcumque in supremo Deuteronomii Capite leguntur.

JUBENTE DOMINO. Hebræus ad literam על פי יהוה *super os Domini*. Chaldæus: *Per verbum Domini*; ad ejus imperium, quod illi dederat, præcipiens (3): *Ascende in montem istum, & morere in monte*. Vertunt nonnulli: *Mortuus est in osculo Domini*, converso ore ad os Dei sui, qui osculo animam servi sui excepit, inquiunt Hebræi.

℣. 6. ET SEPELIVIT EUM. Verba hæc prono sensu referuntur ad Deum, qui Angelorum ope Moysis cadaver tradidit sepulturæ; id autem docet vetus Judæorum æque & Christianorum Traditio, teste S. Epiphanio (4). Id muneris traditum fuisse S. Michaeli, docet S. Judas Apostolus (5); ipse enim S. Michael altercatus est cum Dæmone, rapere corpus Moysis conante, ut Israelitas in cultum hominis mortalis alliceret. Conditus est Legislator non in monte Phasga, sed in valle monti subjecta. Quæ vero de hac re leguntur in Epistola S. Judæ, ea fuse exponimus in Dissertatione de obitu Moysis, Commentariis in Epistolas Canonicas præfixa.

Censuerunt nonnulli (6), Josue & Eleazarum prosequutos esse Moysem in montem, ut supremum illum honorem viro impenderent. Malunt alii, Moysem secessisse nullo comite in specum, ubi decessit, & ubi pariter conditus est, jacens eodem situ, quo animam efflavit. Qua sententia admissa reddendum esset Hebræum ויקבר אתו *Et sepelivit se ipsum*. Author secundi Macchabæorum II. 4. innuere videtur, Jeremiam Prophetam cognitum habuisse specum, in quo Moyses jacebat: *Tabernaculum & Arcam jussit Propheta divino responso ad se facto comitari secum* (post captam a Nabuchodonosore Judæam) *asque quo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem. Et veniens ibi Jeremias, invenit locum speluncæ, & Tabernaculum, & Arcam, & Altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit*. Sed Textus hujus vis est utique minor, quam ut fulcire valeat opinionem plane singularem, & Priscis incognitam. Cedrenus (7), deceptus facile testimonio Josephi de nube, quæ Moysem obvolvit, adhuc cum Josue & Eleazaro loquentem, tradit, sua adhuc ætate spectari nubem, quæ locum sepulchri Mosaici tegit, prohibetque mortalium aspectum, ne quis huc usque situm sepulchri detegat.

℣. 7. NON CALIGAVIT OCULUS EJUS. Reddi potest Hebræus (8): *Oculus ejus non est obscuratus*, igneus ille oculorum fulgor non remisit. Alii: De ejus colore nihil decessit. Vivo enim colore micuit ita senex ut juvenis; ejus facies nulla ruga arata est. Eadem Hebræa vox, quæ oculum, exprimit etiam colorem, & *fontem*. Hic pro colore accipitur. Sunt qui explicent de splendore, quo vultus Moysis radiavit, & usque ad ejus obitum non evanuit.

NEC DENTES ILLIUS MOTI SUNT. Verti potest Hebræum ולא נס לחה *Vigor ejus*, seu vigor, optima corporis habitudo, *non dereliquit eum*. Cum senectus ori maciem, pallorem, rugas inducat, nullum ex his incommodis expertus est Moyses. Vertunt alii: *Genæ ejus non amiserunt virorem suum*, non exciderunt, neque rugis deformes evenere. Septuaginta: Οὐδὲ ἐφθάρη τὰ χελύνια αὐτοῦ, *Neque corruptæ sunt maxillæ ejus*. Chaldæus: *Neque immutatus est splendor faciei illius*.

℣. 8. TRIGINTA DIEBUS. Luctus est hic omnium maximus; vulgares enim luctus intra septem dies claudebantur. Vide quæ contulimus in Genesim L. 3.

℣. 10. NON SURREXIT ULTRA PROPHETA IN ISRAEL SICUT MOYSES. Nemo ullus Propheta in Israel iis privilegiis ornatus est, quibus Moyses, quacumque ex parte spectetur. Sed hic Propheta alterum sibi similem dandum esse spopondit, quem nos accepimus in Jesu Christo, Propheta utique Moysi per omnia majore. Describit hic Scriptura dotes, quibus Moyses inter cæteros Prophetas distinguebatur. Prima est honor, quod *illum Dominus nosset facie ad faciem*, II. prodigiis in Ægypto & in deserto coram universo Israele claruit. Prior illa prærogativa pluris certe, quam altera, æstimatur. Nosci a Deo, stylo Scripturæ, non est utique privilegium homini plane alienum, & obliquum: argumentum enim est quod hominem inter cæteros distingui cæterisque præferri demonstrat; signum amicitiæ est & amoris Dei singularis. Legimus Deum nosse populum suum, cognoscere vias Justorum, cognoscere Moysem ex nomine, & facie ad faciem, cognoscere gregem suum, & qui ad se pertinent. Vicissim autem adversariis edicit, se illos non cognoscere, avertere ab ipsis faciem, illos non intueri, ignorare, oblivisci.

Quod attinet ad prodigia, quæ Deus per Moysem operatus est, illa utique Divinitatis suæ argumenta præferunt non obscura; nihil enim illis vel sublimius, vel majus, vel certius. Coram duabus inimicis gentibus edita sunt, quæ proinde nolentes volentesque illorum veritati attestari coguntur. De Ægyptiis loquor, quos Deus ultioni submisit; his autem accedunt Hebræi, in quorum favorem Deus Ægyptios illos percussit; Hebræi, inquam, testes alii accedunt, miraculorum Moysis veritatem confirmantes. Hæc autem prodigia tanta authoritate ac celebritate patrata sunt, quantam unquam in aliis Sanctis ac Prophetis spectari contigit. Sunt autem prodigia non rara, temporanea, obscura, nec minimis de causis facta, nec momento durarunt. Ex iis enim quædam integro XL. annorum spatio perseverarunt, uti de manna & columna nubis constat. Quam mira series prodigiorum in plagis Ægypti! Quam grande argumentum in transitu maris Rubri! quot in uno opere miracula! Percurrat quis mente totum iter deserti; hic spectabit ingratum aquarum correctum; hic saporem deductam volitantium coturnicum turbam, ad populum in deserto alendum; modo aquas e silice expressas; modo integros exercitus suos; nunc hiscentem terram seditiosos absorbere.

Sed inter maxima Legislatoris prodigia, illud utique recensendum est, ingens Viri modestia, mentis demissio, vacuus auri cupiditate animus, æquitas, virtus, fides. Cum in se unum collegisset,

[1] Isidor. de vita & morte sanctorum, c. 25. [2] Rupert. in Deut. l. 2. c. 12. [3] Deut. XXXII. 49. [4] Epiphan. hæres. LV. & LXIV. [5] Epist. Judæ. ℣. 9. Eadem narratio legitur in vetulo Rabbinico Libro, quem Hebraice & Latine Gaulminius publicum fecit. [6] Quid. Hebr. in Munst. [7] Cedren. Compend. histor. l. 1. Ἐκ τότε ἕως καὶ μέχρι τοῦ νῦν φωτοειδὴς νεφέλη ἐπισκιάζει τὸν τόπον, [illegible], καὶ ἀποτειχίζουσα τὰς ὄψεις τῶν ὁρώντων ἵνα μὴ γινώσκωσιν αὐτοῦ τὸν τάφον εἰς τὸν αἰῶνα. [8] לא כהתה עינו Septuag. Οὐκ ἠμαυρώθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ.

gisset, Sacerdotis, Legislatoris, Regis, Judicis ac Prophetæ dignitatem; grandia hæc munera augustissime exequutus est. Quis unquam Propheta majoribus aliis privilegiis eit auctus? Quis Pontifex majori zelo, sanctitate, majestate; apta ad pertrahendum in obsequium ac honorem Divinitatis animos populi, uti & ad placandum precibus & sacrificiis Numen, ornatus est? Quis novit unquam Legum Conditorem, qui Moysem æquaret ingenio, sapientia, authoritate? Nonne ipse in se vivam & animatam Legem exhibuit, quamdiu inter mortales fuit? Quantam animi magnitudinem, quam illustrem scopum sibi præfixit? Quam justitiam & perspicuitatem in Legibus, sive illæ per se spectentur, sive cum aliis aliorum Legislatorum comparentur? Magni Principis munus omne Moyses implet: magna mens, magna authoritas viro inerat. Quibus autem artibus tantam dignitatem sibi peperit, quibus conservavit? Deus illum ad regimen populi sui destinavit: ille vicissim deprecari a se tantum munus etiam atque etiam conatur. In summa autem dignitate eamdem, quam privatus, servat animi æqualitatem, clementiam, mitissimum ingenium. Commoda populi sui unice præ oculis habuit, quomodo illum redderet feliciorem, meliorem, magis justum. Dignitatem suam ita sustinuit, ut nemini esset oneri; neque superbiam, neque opes sectatus.

Post Messiam neminem alium præ Moyse insigniori elogio Sacræ Scripturæ prosequuntur. Encomiastem illius ipse se non semal Spiritus Sanctus exhibuit. In altercatione Aaronis & Mariæ cum Sephora uxore Moysis, Deus meritum elatutus famuli sui, tanquam inter homines mitissimi, illos ita alloquutus est (1): *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei, & palam & per ænigmata & figuras Dominum videt* (2). *Dilectus Deo & hominibus Moyses, cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu Regum, & jussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne; audivit enim eum, & vocem ipsius, & induxit illum in nubem, & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ & disciplinæ*. Hactenus de Moyse Spiritus Sanctus.

Neque minus gloriosa de Legislatore Judæorum testatus est Filius Dei, cum decrevit, ut die Transfigurationis suæ præsens ille una cum Elia adesset (3): cumque in ejus Libris de se fieri sermonem asseruit (4). Reipsa quidem totum Moysis opus perpetuum est vaticinium Jesu Christi, ejus Ecclesiæ, & fidelium ipsi Christianorum. Vita SS. Patriarcharum, Leges & oracula Moysis totidem sunt typi & argumenta sanctæ nostræ Religionis. Intueri licet in Moyse latentem sub figuris Jesum Christum. Moyses ab exordio persecutione violentissimi Principis agitatus, & e discrimine, speciali Numinis providentia, ereptus, licet sæva Regis illius politica in contrarium niteretur; exhibet Servatorem Mundi, qui jam inde ab incunabulis Herodem inimicum sensit ac persecutorem, divinoque prodigio a periculo sublatus est. Moyses suis invisus, coactusque confugere in alienos fines, ubi Æthiopem fœminam duxit, imaginem gerit Jesu Christi, a Judæis fratribus suis rejecti, qui ad constituendam Ecclesiam suam populum exterum ac plane alienum vocavit, quem crimina sua obtenebrabant. Missus a Deo Moyses venit in Ægyptum ad libertatem populo suo procurandam, gerens manu virgam illam prodigiosam, virtute prodigiorum suorum durum Pharaonis animum frangit; donat Israelitas agno Paschali, cujus cruor illos e gladio Angeli exterminatoris eximit; aperit illis in medio maris sinu viam, eodemque in alveo Pharaonem mergit. Quid hæc? nisi Jesus Christus, qui Crucis suæ virtute imperium mortis, peccati, Dæmonis evertit, eripitque filios ac fratres suos merito sanguinis sui, quem pro illis fudit, demersitque in mare eorum adversarios; cum interim amicos suos salvos traduceret per aquas baptismatis, quæ illos eluunt, & spoliis hostium suorum illos ditant.

Verum si Moysem inter & Jesum Christum similitudo est maxima, discrimina tamen inter ipsos eo etiam nos deducunt, ut profundam Dei sapientiam admiremur; Dei, inquam, qui id voluit, ut in duobus hisce viris discrimen inter Legem novam ac veterem, Synagogam & Ecclesiam, imaginem & archetypum sentiretur. Lata a Moyse Lex est severitatis, timoris, servitutis: rogata est inter fragores & ignes, accepta a populo terrore concusso, descripta in Tabulis lapideis, clausa in occulto quodam loco & inaccessibili. Vicissim autem a Jesu Christo condita Lex est amoris, gratiæ, libertatis, ac suavitatis; jugum est sed gratum & leve: inspirat fiduciam & charitatem; scribitur in corde & voluntate Fidelium: cum autem Moyses os velamine texerit, tanquam significaturus obscuram se & obvolutam Legem dedisse; Jesus Christus obscura Scripturarum mysteria nobis pandit; & in ipso tenemus Veteris Testamenti figuras illustratas, expositas, explicatas. Primum fœdus victimarum sanguine, cruentisque sacrificiis confirmatur; Christi sanguine alterum, Moyses denique, ductis per annos XL. in deserto Israelitis, ad limites usque Terræ promissionis, ibi subsistere jubetur, eximiamque Regionem prospicere; frustratusque spe illuc ingrediendi, regimen Josue tradit, optatæque Regionis in finibus moritur: quibus pingitur Lex, cujus ipse mediator erat, nihil perficiens, ac solummodo viam sternens ad felicitatem, quam solus Jesus Christus fruendam tradit. Laudes, quibus Moysem prosequuti sunt Profani, maximum sunt ejus elogii argumentum. Cum enim ab ejus hostibus, iisque totius antiquitatis doctissimis, ferantur, nullus dubio locus, utrum ex ignorantia, vel adulatione oriantur. Veteres quidam, tum Judæi (5), tum Christiani (6) certarunt, Pythagoram, ac Platonem Libros Moysis perlegisse, atque ex iis ea in suos derivasse, quæ purissima, ac pulcherrima in ipsis occurrunt. Plurima ejusmodi loca, & exempla recitant. Hermippus (7), vetus, accuratusque vitæ Pythagoræ Scriptor, testatur, Pythagoram sua fecisse plurima, quæ ex Judæis didicerat. Idem ab Origene laudatus (8), diserte scribit, Pythagoram ad Græcos traduxisse philosophiam, quam ex Hebræis acceperat. Porphyrius, alius vitæ Pythagoræ Scriptor, docet, hunc Philosophum iter non modo in Ægyptum, & Arabiam, verum & in Judæam, atque Chaldæam instituisse, iisque ex itineribus præcipuas Philosophiæ suæ partes retulisse. Neque desunt (9) qui vel circumcisione initiatum Pythagoram, ac Ezechielis discipulum faciant. Tam multa primus hic Græciæ Philosophus Moysi de-

(1) Num. XII. 6. 7. 8. (2) Eccli. XLV. 1. (3) Matth. XVII. 13. (4) Joan. V. 46. (5) Aristobul. Jud. apud Clement. Alexandr. Strom. lib. 2. Joseph lib. 1. contra Appion. (6) Clem. Alex. in Protreptico, & in Pædagog. l. 2. c. 1. & Strom. l. 5. Justin. Parænet. & Apolog. 2. Tertull. Apolog. cap. 4. Ambros. in Psalm. 118. & lib. de Noe & arca. Theodoret. Therapeut. lib. 2. c. 2. (7) Apud Joseph. l. 1. contra Appion. (8) Origen. l. 1. contra Cels. (9) Vide Theodoret. l. 1. Therapeut. & Clem. Alex. l. 1. Strom.

debuit. Neque minora Plato; cui Numenius exprobrat, nihiš novum de Deo, & Mundo dixisse, nisi quæ e Moyse hauserit: ac neminem latet, vulgo dici: Τί γὰρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωσῆς ἀττικίζων; *quid enim est Plato, nisi Moses Græcissans?*

Demonstrare conati sumus in Exodo XXIV. 29. Moysis historiam a Profanis fuisse corruptam, quibusdam Moysis actionibus Baccho tributis. Idem de Mercurio, ac Typhone ostendi potest. Ægyptius Mercurius (1), ex Nilo natus (2), a Junone nutritus, pastor fit, & pastorum Deus. Deorum Minister, & Legatus dicitur; caduceo anguibus obvoluto instruitur: Deus mercatorum, ac furum præses, domorumque, ac itinerum custos habetur: insolita scientia, ac futurorum cognitione præditus putatur: denique Author Philosophiæ, atque artis interpretandi mysteria. Quis Moysem hic non videat? In Ægypto, & e Nilo quodammodo veluti ex originis suæ sinu natus, cum in eo a genitoribus expositus fuerit in scirpea cistula, invenitur a Thermuti Pharaonis filia, & adoptatur; pastor fit in Arabia & Dux Israelitarum omnium, quorum munus ducere greges fuit. Cum plurimi ab Israelitis omni ætate Moyses habitus fuerit, hinc profani dixerunt, Moysem eorum Deum esse (3), Deumque pastorum. Legatus, Interpres, Mediatorque Dei Israelis eligitur. Ejus virga in anguem versa, apertissime est Mercurii caduceus. Quæ Israelitæ in Ægyptios gessere, pretiosissima quaque re mutuo ex illis accepta, ablataque, eorum Duci nomen Dei furum compararunt. Eadem fortasse ratione mercatorum Deus appellatur: seu potius ob erraticum vitæ genus, quam Israelitæ in deserto duxerunt; Orientalium enim lingua mercatores errantium, ac peregrinorum nomine distinguuntur. Salus, quam agni Pafchslis sanguine Hebræorum ædibus contulit, patrataque ab eo in eorum commodum prodigia per longum deserti iter, ædium, atque itinerum custodem appellare potuerunt. Moyses denique omni Ægyptiorum scientia eruditus, Domini Propheta, ejus mysteriorum, ac voluntatis Interpres, optime sub Mercurii, ingenuarum artium inventoris, & arcanorum Interpretis imagine exhibetur. Ipsum *Hermetis*, vel Mercurii nomen Moysi ab Ægyptiis adscribitur; ex eoque Urbem Hermenopolin appellationem deduxisse volunt. Profecto de Moyse tanquam de divino, mirabilique viro Ægyptios loqui, testatur Josephus.

Typhonis historia nihilo minus, quam Mercurii, cum Moyse congruit. Typhon, Osiridis Ægypti Regis frater, in fratrem una cum LXXII. conjuratis conspirat. Æthiopum Reginæ ope postquam varia Ægyptiis mala intulit, cum illa fugit, asino insidens; atque post septem dierum fugam, tutum in locum venit. Moyses, a filia Regis Ægypti adoptatus, una cum LXXII. gentis suæ Senioribus, fratrum liberationem suscipit; eosque e servitute Regum Ægypti, sub qua gemebant, educere conatur: in Ægyptum cum Sephora uxore venit, quæ in Scriptura Æthiopissa dicitur, Sacerdotis, vel Principis Madianitarum filia, atque illuc asino vectus fertur, teste Scriptura. Sabbathi, vel quietis septimæ diei Legem fert; eamque in deserto statuit, tuto loco, ubi Ægyptiorum vis minime timebatur.

Procero corpore, ac rubro crine Typhon distinguebatur: Moysem procerum, rubrum, promissis, albisque crinibus, & barba, ore majestatis pleno, exhibet Artapanus apud Eusebium (4). Typhon Jerusalem, & *Judæi* pater. Moyses Israelitarum dux, quorum Metropolis Jerusalem, quique nonnisi *Judæorum* nomine, labentibus extremis eorum Reipublicæ temporibus, noscuntur. Denique Typhon captum Osiridem fratrem suum interficit, atque in quatuordecim partes dividit, quas in arca clausas Nilo exponit. Hic fabula vices Moysis cum Osiridis rebus confundit. Moyses in Arca Nilo exponitur, & quatuordecim corporis Osiridis partes finguntur ex numero duodecim Tribuum Israelis (5), quas usque ad quatuordecim augeas, si Tribum Josephi addas, in Manasse, & Ephraim divisam; & Sacerdotes, veluti peculiarem, atque a reliquis Tribubus segregatam Tribum constituas.

(1) Clem. Alex. l. 1. Strom. (2) Vide Tullium l. 3. de natura Deorum. (3) Diodor. Sicul. apud Justin. Martyr. Parænesi ad Græcos. Παρὰ μὲν τοῖς Ἰουδαίοις Μωϋσῆν τὸν καλούμενον θεὸν, ὅτι θαυμαστὴν καὶ θείαν εἶναι ἔννοιαν αὐτὸν κρίναντας τῷ μέλλοντι ὠφελήσειν ἀνθρώπων πλήθει, &c. (4) Præpar. lib. IX. cap. 4. (5) Vide Boch. de animal. sacr. tom. 1. l. 2. c. 34. & Huetii Demonstrat. Evang. proposit. IV. c. 3. & seq.

FINIS DEUTERONOMII.

INDEX RERUM AC VERBORUM,

Quæ in Levitico, Numeris, & Deuteronomio continentur.

A

B

Bar-

C

D

Deci-

F

Hædus.

Ilus,

ob

M

in

N

O

P

filii

præ-

Q

R

S

hant

T

V

Utrum

Z

F I N I S

Tabula Itineris & Stationum Israelitarum in Deserto locetur pag. 131.